SANCTI

HIERONYMI STRIDONIENSIS OPERVM, TOMVS IX.

Falso ipsi adscripta complectens:

IN CVIVS PRIMA PARTE LOCATÆ SVNT EPISTOLÆ DOCTÆ QVIDEM, ET ERVDITÆ quarum tamen ignorantur auctores.

IN SECVNDA, POSITA SVNT EA QVAE SVIS TITVLIS proprios testantur auctores.

IN TERTIA, QVÆ SVOS AVCTORES IPSA ETIAM PRÆ SE FERANT: VERVM NON ITA DOCTA, ET ERVDITA SVNT, VT illa quæ in prima, & secunda classe continentur.

OMNIA DILIGENTIVS RECOGNITA, ET AD FIDEM VETVSTISSIMORVM exemplarium multis erroribus expurgata,

Opera & Labore

MARIANI VICTORII REATINI, EPISCOPI AMERINI.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud Bibliopolas vrbis Parisiensis Consortes.

M. DC. XXIII.

INDEX EORVM QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

PRIMA SERIES.

SECVNDA SERIES.

TERTIA SERIES.

MARIANI VICTORII REATINI
EPISCOPI AMERINI,

In Nonum Volumen Censura.



O e præsenti Volumine, quod nonum, postremo scilicet loco positum, nuncupauimus, comprehensæ sunt omnes epistolæ, quæ quarto olim tomo concludebantur, eadem ferie, eodemque ordine, quo antea in eo erant impressæ. Primò videlicet illæ quarum ignorantur auctores. Secundo aliæ, quæ proprios scriptores suis titulis præ se ferunt: inter quas locatæ sunt tam Apologia Eusebij Cæsariensis pro Origene falso Pamphilo Martyri adscripta; quam ipsius Rufini contra D. Hieronymum inuectiuæ. Tertio, postremoque alia non ita docta, & erudita, quemadmodum sunt ea quę in prima secundaque classe continentur. Quæcunque autem illa sint, & quauis classe comprehendantur, constat Hieronymi non esse, & ab illius phrasi, styloque maximè dissidere: & si doctissima, eruditaque plurima in eis inueniantur. Quos autem habeant auctores, vndéque prodierint, in tanta eruditorum veterum multitudine, affirmare temerarium, diuinare periculosum est. Sunt tamen plurimæ epistolæ, quæ Paulini Nolani Episcopi: aliquæ, quę maximi Prȩsulis Taurinensis: nonnullę, quæ Augustini: quædam, quæ Tertulliani stylū, aliumque redoleant. Multæ, quæ indignæ prorsus sunt vt viris doctis adscribantur. Paulini phrasim præ se ferunt, Epistola quarta, quæ est ad Marcellam, vt aduersa toleret: Item quinta, ad Virginem in exilium missam: Rursum xxiij. in qua redarguitur quidam, quod Leuitam lapsum consolatus non sit. Nec non xxiiij. in qua militem quendam ad Christi militiam hortatur. Maximi videtur esse septima, quæ de viro perfecto inscribitur. Meminit enim in ea de D. Ambrosio, & de inuentione corporū Geruasii & Protasii, quæ ab ipso Ambrosio reperta fuerunt: Item xx. cui titulus est. De vera circuncisione ad Tetrantiam, Terentiam, seu Therasiam inscripta: variant enim hac in re exemplaria. Augustini stylo similis est xxi. quæ de celebratione Paschæ est: & iam inter opera eius impressa legitur: cuiuscunque autem sit, Africani certè hominis esse apparet ex ea. Vicesima autem secunda, cui titulus est, In Susannam lapsam obiurgatio, docta quidem, & erudita epistola est: expeditiores autem habet anfractus, nec ita longis se periodis implicat, vt Augustini esse, quemadmodū existimant aliqui, credi possit. Tertulliani autem stylum habet epistola sexta, quę ad amicum ægrorum inscribitur. Sermo autem de Assumptione beatę Marię Virginis ad Paulam & Eustochiū, Grȩci potius, quàm Latini hominis est: quippe cum Latinè scribere exercitatus haud sit: & Gręcum hominem Latinè in eo loquentem videre liceat. Sophronii autem esse, D. Hieronymi amici, illius scilicet, qui Hieronymi catalogum de scriptoribus Ecclesiasticis Grȩcum reddidit, pro compertissimo creditur. Prima autem, quę est ad Demetriadem, doctissima profectò, & erudita epistola, Pelagiani alicuius hominis esse creditur: quippe cum nimium libero, etiam sine Dei gratia, arbitrio tribuat: quapropter iure ab Augustino, & Alipio in sequenti epistola redarguitur. Celestij, qui Pelagianus fuit, nomen, exemplaria quędam prę se ferebant. Quę autem in calce operis, Eusebii nomine, de morte Hieronymi, ad Damasum inscripta est: Eusebii Cremonensis, indiuidui D. Hieronymi socii esse creditur. Verum nisi Damasum, alium quàm summum illum Pontificem, toti Ecclesię notissimum, eo nomine intelligat, falsis circumfertur nominibus. Longè enim ante D. Hieronymū Damasus Papa obiit. Quę vero vel Cyrilli, vel Augustini de miraculis Hieronymi nomen habent, cuiuscunque alterius potius, quàm Cyrilli, & Augustini opera sunt. Quod rectè ante nos D. Antonius agnouit. Vitam vero Hieronymi incerto auctore conscriptam (quamnis altera à nobis ex eius scriptis veriùs, fideliúsque sit edita) ne quis sibi aliquid deperisse conqueri posset, ita vt prius typis mādata erat, reliquimus. At non propterea omnia quæ in illis produntur, falsa & commentitia esse credendum est. Multa enim vera falsis auctorum nominibus circumferuntur: quę celebria ideo solent apponi, vt vel pretiosius venum dentur, vel auidius lectitentur. Versus, quos à pręclarissimo Homeri opere Aristarchus vti spurios submouebat, non propterea aut falsi erant, aut suum: alium tamen quam præ se ferrent, non habebant auctorē. Si vetera diligenter recenseas, nullos pręstantissimos in omni doctrinarū genere scriptores ferè inuenies, quibus adulterina aliqua non sint adiecta, Aristoteli, Hippocrati, Galeno: & ex nostratibus Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, D. Thomæ, aliisque, quos numerare piget, plurima aliunde adiecta, ascribuntur: quę tamē non solū docta & vera sunt, sed digna etiā quę à fidelibus lectitentur. Mentitus enim titulus falsā haud reddit historiā: nec propterea mēdax est interpretatio aliqua, quia aliud nomen quā proprii pretendat auctoris. Ipsa enim res, non scriptoris nomine, veritas aut probatur, aut adulteratur. Itaq; quamuis Hieronymi epistolę huius voluminis minimè sint: sanctorū tamen, eruditorumque hominum labores sunt: legique vti ecclesiasticorū procerum opera possunt: parumque refert scire quis scripserit, quando ea quę scripta sunt, & orthodoxam fidem, & piam in se eruditionem continent. Verùm quia Apologia pro Origene, & Rufini in Hieronymum inuectiuæ hoc volumine continentur, addidimus eius initio, Mileuitani, itém que eius quod Romæ sub Gelasio Papa celebratum est, concilii de D. Hieronymo testimonium: vt quantæ existimationis is semper fuerit, quantiue eum antiquitas fecerit omnis, tā qui Origeni nimium sunt addicti, quàm qui Rufini ipsius contra D. Hieronymum iura tuentur, omnes agnoscant.

EPISTOLA SYNODI MILEVITANÆ IN QVA D. Augustinus interfuit, ad Innocentium primum Papam.

DOMINO beatissimo meritoque Venerabili & in Christo Venerando Papæ Innocentio, Silvanus senex, Valentinus, Aurelius, Donatus, Restitutus, Lucianus, Alypius, Augustinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Possidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Faustinianus, Cresconius Innocentius, Felix, Antoninus, Gigantius, Cresconius, Adeodatus, Processus, Secundus, Felix, Asiaticus, Rufinus, Faustinus, Victor, Antoninus, Malchus, Litorius, Fortunatus, Donatus, Pontianus, Saturninus, Cresconius, Possidonius, Lucius, Honorius, Servius, Terentius, Cresconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, item Sabinus, Cresconius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præsidius Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex Concilio Milevitano in Domino salutem. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus præstitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam (quæsumus) adhibere digneris. Nova quippe hæresis, & nimium perniciosa tentat assurgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis Dominicam etiam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cum enim Dominus docuerit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt, posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra. Illud vero, quod sequitur, Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adiutorium poscere debeamus ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem tanquam frustra Apostolus dixerit, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et Fidelis Deus, qui vos non permittit tentari super id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Frustra etiam Dominus dixerit Apostolo Petro: Rogavi pro te ne deficiat fides tua. Et omnibus suis, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, si hoc totum est potestatis humanæ. Pueros quoque parvulos (si nullis imbuantur Christianæ gratiæ sacramentis) habituros vitam æternam, nequaquam Christiana præsumptione contendunt, evacuantes quod dicit Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Et alio loco: Sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes vivificabuntur. Ut ergo alia omittamus, quæ contra scripturas sanctas plurima dixerunt, hæc interim duo quibus omnino totum, quod Christiani sumus) conantur evertere, quæ fidelia corda sustineant? Non esse rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam iustitiam sit noster adiutor. Et non opitulari parvulis, ad consequendam vitam æternam, Christianæ gratiæ sacramentum. Hæc insinuantes Apostolico pectori tuo, non habemus opus multa dicere, & tantam impietatem verbis exaggerare, cum proculdubio te ista permoveant, ut ab eis corrigendis, ne latius serpant, multosque contaminent, vel potius interimant (dum sub nomine Christi à gratia Christi penitus alienant) omnino dissimulare non possis. Huius autem perniciosissimi erroris auctores esse perhibentur Pelagius & Celestius, quos quidem in Ecclesia sanari maluimus, quam desperata salute, ab Ecclesia resecari si necessitas ulla compellat. Quorum unus id est, Celestius, etiam ad presbyterium in Asia pervenisse dicitur. De quo, ante paucos annos, quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginiensi Ecclesia melius instruitur. Pelagius verò (sicut à quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur Epistolæ) Hierosolymis constitutus, nonnullos fallere asseritur. Veruntamen multo plures, qui eius sensus diligentius indagare potuerunt, adversus eum pro Christi gratia, & Catholicæ fidei veritate confligunt sed præcipue sanctus filius tuus, frater, & compresbyter noster Hieronymus. Sed arbitramur (adiuvante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, quæ te & regere consulentem, & orantem exaudire dignatur) auctoritati sanctitatis tuæ, de claro scripturarum lumine depromptæ, facilius eos (qui tam perversa, & tam perniciosa sentiunt) esse cessuros: Ut de correctione potius eorum gratulemur, quam contristemur interitu, Domine beatissime. Quamlibet autem ipsi eligant certe vel alios plurimos, quos possunt, si ab eis dissimuletur, suis laqueis implicare, cernis Venerabilitas tua, instanter & celeriter providendum. Hæc ad Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginiensem Ecclesiam, & Carthaginiensis provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam (quam beatus illustras) de hac causa scripsisse comperimus. Et alia manu. Memor nostri in Domini gratia augearis, Domine beatissime, meritoque venerabilis, & in Christo honorande, Sanctissime Papa.

EX CONCILIO GELASII PAPAE, Romæ cum lxx. episcopis celebrato: de quo Dist. xv. cap. Sancta Romana Ecclesia.

Item Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros: nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus cum de arbitrij libertate notavit: illa sentimus, quæ beatum Hieronymum sentire cognoscimus: & non solum de Rufino, sed etiam de universis, quos vir sæpius memoratus, Zelo Dei, & fidei religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.



AD DEMETRIADEM

B

VIRGINEM. F

EPISTOLA PRIMA.

SI summo Ingenio, parique fretus
sciētia, officium scribendi facilè me
implere posse crederem. tamen tam
arduum hoc opus ingredi sine ma-
gno difficultatis timore non pos-
sem Scribendum tamen est ad De-
metriadem, virginem Christi, vir-
ginem nobilem, virginem diuitem,
&, quod his maius est, ardore fidei, nobilitatem, diuitiasque
calcantem: quam vtique pro tam insigni admiratione virtu-
tis vt laudare omnib. facile, ita docere difficile est. Cui enim
oratio deesse possit in eius laude celebrāda, quæ summo lo-
co nata, in summis opibus deliciisque nutrita, tantis tamque
variis huius vitæ blandimentis, velut tenacissimis quibusdā
irretita vinculis, subitò eruperit, cunctaque simul corporis
C bona, animi virtute mutauerit? Quæ florē adhuc ipsum in-
euntis ætatis quodam fidei gladio, id est, voluntate succide-
rit? & crucifigens cum Christo carnem suam, viuam sanctā-
que hostiam sacrauerit Deo, ac nobilissimi sanguinis poste-
ritatem, virginitatis amore cōtempserit? Prona autem & fa-
cilis dicendi via est, quæ ipsa vbertate materiæ cursum ora-
tionis accendit: sed nobis alio magis itinere pergendum est,
quibus propositum est institutionem virginis, non laudem,
scribere: nec tam paratas iam virtutes eius exprimere, quam
parandas, magisque reliquam ordinare vitam, quàm ornare
præteritam. Est autem difficillimum cum eius persona face-
re, in qua cupiditas tanta discendi est, tantusq; profectionis
ardor, vt ei quamlibet perfecta doctrina par esse vix possit.
Meminit enim, recteque meminit, quas mundi opes gloriā-
que respuerit, quibus voluptatibus renunciauerit, quas de-
nique contempserit vitæ præsentis illecebras. Et ideo con-
D tenta non est communi hoc mediocrique genere viuendi, &
quod facilè ipsa multorum societate vilescat. Nouū aliquid
& inusitatum requirit, præcipuum ac singulare quoddam
flagitat: non minus cōuersationem suam quàm conuersionē
cupit esse mirabilem. In seculo nobilis, apud Deum cupit
esse nobilior. Tam pretiosa requirit in moribus, quàm con-
tempsit in rebus. Hunc itaque tam deuotę mentis ardorem,
hanc tantæ perfectionis sitim quod vnquam satiabit flumē
ingenij? Quæ vis aliquando orationis, quæ copia tantū ver-
bis exprimere poterit, quantum parata est virgo rebus im-
plere? Nobis verò donanda est venia qui ad ornandū domini
tabernaculum secūdum vires nostras munus offerimus. Nec
veremur ne temerè scribendo ad tantæ nobilitatis virginē,
vltro nos morsibus tradamus inuidiæ. Scribimus enim pe-
tente sancta matre eius, immo iubente, idque à nobis trans-
marinis literis, miro cum desiderio animi flagitante: quæ fa-
cilè ostendit quo studio, quantaque cura in filia germen cæ-
leste plantauerit, dum illud tam solicitè cupit ab aliis irriga-
ri. Remoti igitur à temeritate, & ab ambi[illegible]ne liberi, pro-
posito insudemus operi. Nec de mediocrit[illegible] diffidimus in-
genij, quod credimus & fide matris, & merito virginis ad-
iuuari. Quoties mihi de institutione morum, & sanctæ vitæ
conuersatione dicendū est, soleo prius humanæ naturæ vim
qualitatemque monstrare, & quid efficere possit ostendere:
ac iam inde audientis animum ad species incitare virtutum,
ne nihil prosit ad ea vocari, quæ fortè sibi impossibilia esse
præsumpserit. Nequaquam enim virtutum viam valemus
ingredi, nisi spe ducamur comite. Si quidem appetendi om-
nis conatus perit consequendi desperatione. Quem ego ex-
hortationis ordinem, cum in aliis quoque opusculis tenue-
rim, tum hic maximè obseruādum puto: vbi eò plenius na-
turæ bonum declarari debet, quo instituenda est vita perfe-
ctior, ne tanto remissior sit ad virtutem animus ac tardior,
quanto minus se posse credat: & dum quod inesse sibi igno-
rat, id se existimat non habere. Proferenda semper in notitiā
ea res est, cuius vsus desideratur: & explicādum est quicquid
bonum natura potest, cum quicquid posse probatur, implē-
dum est. Hæc igitur prima sanctæ ac spiritualis vitæ funda-
mēta iaciantur, vt vires suas virgo agnoscat, quas demū be- G
ne exercere poterit, cum eas se habere didicerit. Optima e-
nim animi incitamenta sunt, cum docetur aliquis posse
quod cupiat. Nam & in bello ea exhortatio maxima est, ea-
que plurimum autoritatis habet, quæ pugnatorem de viri-
bus suis admonet. Primum itaque debes naturæ humanæ
bonum de eius autore metiri, Deo scilicet, qui cum vni-
uersa mundi, & quæ intra mundum sunt, opera bona, &
valde bona fecisse refertur: quanto putas præstantiorem
ipsum hominem fecit, propter quem omnia etiam intelli-
gitur illa condidisse, quem dum ad imaginem & simili-
tudinem suam facere disposuit, antequam faciat, qua-
lem sit facturus ostendit? Deinde cum subiecit ei vni-
uersa animalia, eumque etiam constituit eorum domi-
num, quæ vel mole corporis, vel virium magnitudine,
vel armis dentium, multo valentiora homine fecerit, sa- H
tis declarat quanto pulchrius sit homo ipse conditus, quem
vel ex hoc voluit naturæ suæ intelligere dignitatem, dum
fortia sibi subiecta miratur animalia. Neque enim nudum
illum ac sine præsidio reliquit, nec diuersis periculis velut
exposuit infirmum: sed quem inermem extrinsecus fece-
rat, melius intus armauit, ratione scilicet atque pruden-
tia, vt per intellectum vigoremque mentis, quo cæteris
præstabat animalibus, factorem omnium solus agnosce-
ret, & inde seruiret Deo, vnde aliis dominabatur. Quem
tamen iustitiæ executorem Dominus voluntarium esse vo-
luit, non coactum. Et ideo reliquit eum in manu consilij
sui posuitque ante eum vitam & mortem, bonum & ma-
lum: & quod placuerit ei, dabitur illi. Vnde etiam in Deu-
teron. legimus *Vitam & mortem dedi ante faciem tuam, bene-* Deuteri 30.
[illegible]onem & maledictionem: elige tibi vitam vt viuas. Hinc
[illegible] prouidendum est, ne fortè illud remordeat te, in quo
temerè imperitum vulgus offendit. Et ideo non verè bonum
factum hominem putes, quia is facere malum potest, nec
ipse naturæ violentia astringatur ad immutabilis boni

A necessitatem. Nam si diligenter retractes, & ad subtiliorem intellectum cogas animum, hinc tibi melior status hominis ac superior apparebit, vnde putatur inferior. In hoc enim gemini itineris discrimine, in hac vtriusque libertate partis, rationabilis animæ decus positum est. Huic, inquam, totus naturæ nostræ honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optimi quique laudē merentur, hinc præmium. Nec esset omnino virtus vlla in bono perseuerantis, si is ad malum transire non potuisset. Volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarij boni munere, & liberi arbitrij potestate donare, vtriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium eius fecit esse quod vellit, vt boni ac mali capax, naturaliter vtrunque posset, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi æquè etiam malum habere potuisset. Vtrumque nos posse voluit optimus creator, sed vnum facere, bonum scilicet quod & imperauit:

B malique facultatem ad hoc tantum dedit, vt voluntatem eius ex nostra voluntate faceremus. Quod cum ita sit, hoc quoque ipsum quod etiam mala facere possumus, bonum est. Bonum, inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipsam voluntariam sui iuris, non necessitate deuinctam, sed iudicio liberam. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, respuere. Nec est quo magis rationabilis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola habeat etiam voluntatis. Sed plerique impiè, non minus quam imperitè, cum super statu hominis quæritur, vereor dicere, quasi reprehendentes opus domini, talem illum aiunt debuisse fieri, qui omnino facere non posset malum. Dicit itaque *figmentum ei qui se finxit. Quid me*

Rom. 9. *fecisti sic*? Et improbissimi hominum, dum dissimulant idipsum bene administrare quod facti sunt, aliter se factos fuisse malunt, vt qui vitam suam emendare nolunt, videantur emendare velle naturam, cuius bonum ita generaliter cunctis institutum est, vt in gentilibus quoque hominibus, qui sine vllo cultu Dei sunt, se nonnunquam ostendat ac proferat. Quam multos enim philosophorum & audiuimus & legimus, & ipsi vidimus castos, patientes, modestos,

C liberales, abstinentes, benignos, & honores mundi simul & delitias respuētes, & amatores iustitiæ non minus quam scientiæ? Vnde, quæso, hominibus alienis à Deo, ista quæ Deo placent? Vnde autem illis bona, nisi de naturæ bono? Et cum ista, quæ dixi, vel omnia in vno, vel singula in singulis haberi videamus, cum omnium natura vna sit, exemplo suo inuicem sibi ostendunt omnia in omnibus esse posse, quæ vel omnia in omnibus vel singula in singulis inueniantur. Quod si etiam sine Deo homines ostendunt quales à Deo facti sunt, vide quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum natura & vita instructa est, & qui diuinæ quoque gratiæ iuuantur auxilio. Age iam ad animæ nostræ secreta veniamus. Seipsum vnusquisque attentius respiciat. Interrogemus quid de hoc sentiant propriæ cogitationes. Ferat sententiam de naturæ bono ipsa conscientia: instruamur domestico magisterio animi, & mentis bona non aliunde magis quæque, quàm ab ipsa

D mente discamus. Quid illud, obsecro, est, quod ad omne peccatum erubescimus, aut timemus? & culpam facti nunc rubore vultus, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiam in minimis delictis testem effugimus, conscientia remordemur? è diuerso autem in omni bono læti, constantes, intrepidi sumus, idque si occultum est, palam etiam fieri cupimus & volumus, nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quæ hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet, & dum in bono tantum opere confidit, quid solum eam deceat ostendit? Hinc est illud quod frequenter carnifice occulto, in auctorem sceleris conscientiæ tormenta desæuiunt, & latentem reum secreta mentis pœna persequitur: nec vllus post culpam impunitati locus est, cum sit reatus ipse supplicium. Hinc est quod ècontrariò innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ securitate: & cum de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam (vt ita dixerim) sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet mali bonique iudicium: & vt honestis rectisque actibus fauet, ita sinistra opera condemnat, atque ad E

conscientiæ testimonium diuersas partes domestica quadā lege diiudicat. Nec vllo prorsus ingenio, aut fuco aliquo argumentorum colore decipit: ipsis nos cogitationibus fidelissimis & integerrimis sane testibus aut arguit, aut defendit. Huius legis, scribens ad Romanos, meminit Apostolus, quam omnibus hominibus insitam, velut in quibusdam tabulis cordis, scriptam esse testatur. *Cum enim*, inquit, *Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis* Rom. 2.

sunt faciunt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia eorum, & inter se inuicem accusantium cogitationum, aut etiam defendentium. Hac lege vsi sunt omnes, quos inter Adam atque Moysen sanctè vixisse, atque placuisse Deo, scriptura commemorat, quorum tibi exempli causa aliqui proponendi sunt, vt facilè intelligas, quantum sit naturæ bonum, cum eam legis vice docuisse iustitiam probaueris. Abel primus hanc magistram secutus ita dominum promeruit, vt dum ei offerret hostiā, tam grate sacrificium eius acceptum Deo fuerit, vt fratrem Gen. 4.

in inuidiam concitaret, quem iustum in euangelio dominus ipse commemorans, breuiter perfectionem eius expo- Matth. 23. F

suit. Omnis enim virtutum species vno iustitiæ nomine continetur. Beatum Enoch ita placuisse Deo legimus, vt eum è medio mortalium raperet, & in mundo consummatum, de mundi habitatione transferret. *Noe iustus in gene-* Gen. 5.

ratione sua & perfectus asseritur, cuius sanctitas eo magis est Gen. 6. Gen. 7.

admirabilis, quod toto prorsus à iustitia declinante mundo, solus iustus inuentus est, nec ab alio sanctitatis quæsiuit exemplum, sed ipse præbuit. Et ideo totius orbis imminente naufragio, solus ex omnibus meruit audire: Intra tu, & domus tua in arcam: quia te vidi iustum in generatione ista coram me. Ante Deum autem ille iustus probatur, qui corpore sanctus est & corde. Melchisedec sacerdos Dei legitur, cuius meritum facilè ex hoc intelligi potest, Gen. 14.

quod multo post futurum domini sacramentum antesignauit, ac sacrificio panis & vini, mysterium corporis & sanguinis expressit, ac sacerdotij sui typo, Christi sacerdotium figurauit, cui à patre dicitur: *Tu es sacerdos in æter-* Psalm 109.

num secundum ordinem Melchisedec. Nam & quod benedi- Heb. 14. G

cit Abraham principem patriarcharum, qui per circuncisionem pater Iudæorum, per fidem gentium, illius signantissimè ostendit figuram, qui per fidem suam & Iudæis donauit benedictionem, & gentibus. Lot quoque sancti Noe virtutem secutus, inter tot peccantium exempla iustitiam non reliquit. Et vt illum totius mundi exemplum Gen. 19.

non vicit: ita hic tota illa, in qua habitabat, regione peccante, contra multitudinis vitia tenuit sanctitatem. Qui, vt beatus Petrus ait, *visu & auditu iustus erat*, & inter 2. Pet. 2.

pessimos positus, mala eorum oculis auersabatur & auribus: atque ideo simili exemplo, vt ille diluuio, ita hic est ereptus incendio. Quid Abraham amicum Dei, quid Isaac & Iacob memorem? Quam perfectè impleuerint domini voluntatem, vel hinc possumus æstimare, quòd familiari quadam & præcipua dignitate, eorum se Deum voluit nominari. *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc nomen meum sempiternum, & memoriale in* Matth. 22.

generationes generationum. Ioseph fidelis domini famulus à Luc. 20.

puero, tribulationib. magis iustus & perfectus ostenditur, qui primū à fratrib. in seruū Hismaelitis addictus est, ab eis- H

que vēditus, à quibus se viderat adorādum. Deinde Ægyptio Gen. 37.

domino traditus, semper tamen ingenuam animæ tenuit dignitatem: docuitque exemplo suo & seruos, & liberos in peccando non conditionem cuiquam obesse, sed mentem. Hic, quæso, remorare paulisper, & castum animum solicitè virgo considera. Concupiscitur à domina Ioseph adolescens, nec ad concupiscentiam prouocatur: roga- Ibidem 39.

tur, & fugit. Vna hac in re & blanditur, & supplicat, quæ in cæteris imperabat. Amor Dei mulieris amore non vincitur. Castum animum nec ætas adolescentiæ permouet, nec diligentis autoritas. Contempta frequenter domina propiores adolescenti insidias tendit. In secreto ac sine testibus, manu impudens apprehendit, ac procacioribus verbis hortatur ad crimen. Ne hic quidem vincitur, sed vt verba verbis, ita res rebus refert. Nam qui frequenter rogatus

A gitus negauerat, nunc comprehensus aufugit: & antequã
Matth. 5. illud euangelicum diceretur. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* ille nõ
aspectu solum, sed ipso pene complexu prouocatus à fœmina, fœminam non concupiuit. Castitatis virtutem hucusque mirata es, nunc respice benignitatem. Prius quàm
Num. 19. Propheta diceret: *Vnusquisque malitiam proximi sui non reminiscatur in corde suo*: ille pro odio reddidit charitatem, & cum videret fratres suos, immo inimicos ex fratribus, cumque ab eis cognosci vellet, dilectionis affectum
Gen. 43. pro dolore testatus est. Deosculabatur singulos, & irri-
Leuit. 37. guis fletibus pauentium colla perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat, quos tam viuo patre quàm mortuo, germano semper dilexit amore. Nec recordatus est illum, in quem ob necem fuit deiectus, lacum. Non cogitauit addictam germanitatem pretio, sed pro malis bonum retribuens apostolicum præceptum sub naturæ ad-
Rom. 12. huc lege compleuit. Quid de beato Iob dicam famosissi-
Iob 1. 2. mo illo athleta Dei, qui post direptas opes, & funditus
B deleta patrimonia, post filiorum ac filiarum vnum subitò interitum ad vltimum proprio contra diabolum corpore dimicauit? Auferebantur omnia quæ extrinsecus possidebat, & extranea bona repente decidebant, vt magis propria clarescant. Omnibus prorsus velut indumentis exuitur, vt expeditius ac fortius nudus triumphet, & hostem quem ferendo damna ante superauerat, rursus tolerando supplicia deuincat. De quo tale ipsius Domini testimonium est. *Nunquid considerasti puerum meum Iob?*
Ibidem. *Non est enim similis ei quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo.* Nec immeritò. Semper enim, vt ipse ait, tanquam tumentes super
Ibid. 31. se fluctus timebat dominum, & præsentiæ eius pondus ferre non poterat: nec audebat aliquando contemnere, quem ita semper adesse credebat, dicebatque. Securus sum: non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Qui antequam dominus inimicos præciperet esse diligendos, dicere poterat. *Si in malis inimici mei gauisus*
C *sum: si dixi in corde meo, benè factum est.* Necdum euange-
Ibidem. licum illud sonuerat. *Omni petenti te tribue:* & iam ille di-
Luc. 6. cebat. *Si exire passus sum inopem ianuam meã sinu vacuo.*
Iob. 31. Nondum legerat illud Apostoli Domini, *quod iustum est,*
Col. 4. *& æquum seruis præstate:* & confidẽs clamabat ad Domi-
1. Tim. 6 num. *Si seruo nocui, si ancillam læsi omnia tu scis domine.* Prius quam idem Apostolus præciperet *diuitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum:* sic habuit ille diuitias, vt se alibi diuitem esse monstraret. *In diuitijs,* inquit, *non confitebar, nec in lapide pretioso.* Et hoc non ver-
Iob. 31. bis tantum, sed ipsis quoque rebus probauit, qui cum omnia perderet, non dolebat, dicebatq; per singula. *Dominus dedit, dominus abstulit: sicut domino placuit, ita factũ est. Sit*
Iob. 1. *nomẽ domini benedictũ in secula. Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus redeam illuc.* Quo enim affectu possideamus aliquid, docemur cum id amittimus: & cupiditatem fruẽdi, carendi dolor prodit, quẽ qui in carendo non habuit, in possidendo quonam modo habuit? O virum ante euangelica euangelicũ, & apostolicũ ante apostolica præcepta, discipulũ apostolorũ, qui aperiens occultas diuitias
D naturæ, & in mediũ proferẽs, ex se quid omnes possimus ostendit, docuitque quantus sit ille thesaurus animæ, quẽ nos sine vsu possidemus, & quod proferre nolumus, nec habere nos credimus. Post multa quæ de natura diximus, etiã Sanctorum exemplis bonum eius ostẽdimus ac probauimus. Et ne ècõtrario ad eius culpam pertinere putetur, quod aliqui iniqui fuerint, scripturarũ vtar testimonijs, quæ peccantes vbique crimine voluntatis grauant, non excusant necessitate naturæ. In Genesi legimus. Si-
Gen. 49. *meon & Leui fratres consummauerunt iniquitatem suam ex voluntate sua.* Ad Hierusalẽ dominus locutus est. *Propter*
Ierem. 5. *quod ipsi dimiserunt viam meam, quam dedi ante faciem eorum, & non exaudierunt vocem meam, sed abierunt post volũtatem cordis sui mali.* Et rursus idem Propheta. *Et peccastis Deo & non exaudistis vocem eius, & in mandatis illius, & in legitimis, & in testimonijs eius ambulare noluistis.* Per
Esa. 1. Esaiã quoq; prophetã Dominus locutus est. *Si volueritis, & audieritis me, quæ sunt bona terræ manducabitis.* Si autẽ

nolueritis, neque audieritis me, gladius vos consumet. Et rursum: *Omnes vos occisione decidetis, quia vocaui vos, & non* E
exaudistis: locutus sum, & neglexistis, & fecistis malum ante conspectum meum, & quæ nolebã elegistis. Ipse quoque
Dominus in Euangelio ait. *Hierusalẽ, Hierusalẽ, quæ occi-* Matth. 23.
dis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Vbi velle videmus & nolle, eligere & refutare, ibi nõ vis naturæ, sed libertas intelligitur voluntatis. Plena sunt vtriusq; testamẽti volumina huiuscemodi testimonijs, quib. tam bonũ omne quã malũ, voluntariũ semper esse scribitur, quę nos modo breuitatis causa omittimus, maximè cum sciamus te sacræ lectioni deditã, de ipso vberius fonte potare. Neq; vero nos ita defendimus naturæ bonũ, vt eam dicamus malum non posse facere, quã vtique boni ac mali capacem etiam profitemur: sed ab hac ea tantũmodo iniuria vindicamus, ne eius vitio ad malum videamur impelli, qui nec bonũ
sine voluntate faciamus, nec malum: & quibus liberũ est F
vnum semper ex duobus agere, cum semper vtrunq; possimus. Vnde enim alij iudicaturi sunt, alij iudicandi, nisi quod in eadẽ natura dispar voluntas est, & quia cum omnes idem possimus, diuersa faciamus? Itaq; vt hoc ipsum clarius lucere possit, aliqua exempla sunt proferẽda. Adã de paradiso eijcitur: Enoch de mundo rapitur. In vtroq; Dominus libertatẽ arbitrij ostendit. Vt enim placere potuit ille qui deliquit, ita potuit peccare iste qui placuit. Non enim à iusto Deo aut ille puniri meruisset, aut hic eligi, nisi vterque vtrunque potuisset. Hoc de Cain & Abel fratribus, hoc etiam de Iacob & Esau geminis intelligendum est: ac sciendũ solam voluntatis causam esse, cum in eadẽ natura merita diuersa sunt. Extinctũ peccatis suis diluuio mundum, Noë iustus redarguit, & Sodomorum crimina, Lot sanctitas iudicauit. Nec illud est paruum argumentum ad comprobandum naturæ bonum, quod illi primi homines per tot annorum spatia absque vlla admonitione legis fuerunt, non vtique quod Deo aliquãdo creaturæ suæ cura non fuerit, sed quia se talem sciebat ho-
minum fecisse naturam, vt eis pro lege ad exercendã iu- G
stitiam sufficeret. Deniq; quamdiu recentioris adhuc naturæ vsus viguit, nec humanæ rationi velut quandam ca-
liginem longus vsus peccandi obduxit, sine lege dimissa Nota.
est natura, ad quam Dominus nimijs iam vitijs obrutam, & quadã ignorantiæ rubigine infectã, limã legis admouit, vt huius frequenti admonitione expoliretur, & ad suũ posset redire fulgorem. Neque vero alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quàm longa consuetudo vitiorum, quæ nos infecit à paruo, paulatimq; per multos corrupit annos, & ita postea obligatos sibi & addictos tenet, vt vim quodãmodo videatur habere naturæ. Omne illud tẽpus quo negligenter edocti, id est, ad vitia eruditi sumus, quo mali etiã esse studuimus, cum ad incitamenta nequitiæ, innocentia pro stultitia duceretur, nunc nobis resistit, contraq; nos venit, & nouam voluntatem impugnat vsus vetus: & miramur cur nobis per otium atq; desidiam nescientibus etiam quasi ab alio sanctitas conferatur, quia nullam cõsuetudinẽ boni facimus, cum malum tamdiu didicerimus? Hæc de naturæ bono cursim, quasi in alio opere dicta sint, quod ideo à nobis faciendũ
fuit, vt tibi planiorem viam ad perfectam iustitiam ster- H
neremus, quam eo facilius currere possis, quo in ea nihil asperum, nihil inaccessibile esse cognoueris. Nam si etiam ante legem, vt diximus, & multo ante domini nostri Saluatoris aduentum iuste quidam vixisse & sancte referantur, quanto magis post illustrationem aduentus eius nos id posse credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorẽ hominẽ renati sumus, qui sanguine eius expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam iustitiã incitati, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt? meliores etiam quam fuerunt sub lege, dicente
Apostolo. *Peccatũ in vobis iam non dominabitur. Nõ enim* Rom. 6.
estis sub lege, sed sub gratia. Et quoniam sufficienter de his, vt puto, diximus, nũc instituamus perfectam virginẽ, quę ex vtroque semper accẽsa, & naturæ simul & gratiæ bonũ, morũ sanctitate testetur. Prima igitur virginis cura, pri-

A mumque studium sit scire voluntatē Domini sui,& quid
ei placeat,quidve displiceat diligenter inquirere,vt secun-
Rom. 12. dum Apostolum,*rationabile* Deo reddat *obsequium*,totū-
que vitæ suæ cursum ex eius possit ordinare sentētia Im-
possibile est enim ei quemquam placere,cui quid placeat
ignorat,fierique potest,vt etiam obsequēdi voto offēdat,
cui quomodo obsequi debeat,ante non didicit.Et vt ma-
ius est voluntatem Domini facere,quàm nosse: ita prius
est nosse,quàm facere. Illud enim merito præcedit, hoc
ordine.Vnde propheta dicit.*Et tu Israel noli ignorare*. Et
1 Cor. 14. B.Paulus.*Qui autē ignorat,ignorabitur*.Idemq; alibi.*Pro-*
Ephes. 5. *pterea nolite fieri imprudentes,sed intelligentes quæ sit vo-*
luntas Domini. Initium obedientiæ est, quid præcipiatur
velle cognoscere:& pars est obsequij,didicisse quid facias.
Scito itaque in scripturis diuinis,per quas solas potes ple-
nam Dei intelligere voluntatem,prohiberi quædam,præ-
cipi quædā,cōcedi aliqua, nonnulla suaderi.Prohibentur
mala,præcipiūtur bona:concedūtur media, perfecta sua-
dentur.In duob.illis quæ priori loco sunt,peccatum om-
ne concluditur:in vtroque enim Dei continetur imperiū.
B Et non solum præcipere,sed & prohibere,ipsum iubentis
est. Generaliter namque omnib. mandatur iustitia,quam
Saluator in Euangelio breuiter quidem ,sed plenissimè
comprehendens,ait, *Quæcumque vultis vt faciant vobis*
Matth 7. *homines, hæc & vos facite illis*,hoc est,vt nihil mali infe-
ramus aliis,sed præstemus omne quod bonū est: quia vo-
lumus hoc ab aliis in nos vtrunque seruari. Hæc senten-
tia æquo iure præcepti vniuersos tenet. Nec vlli omnino
trāsgredi licet, quod omnib.imperatū est: apertusq; con-
temptus Dei est,vel facere prohibita,vel iussa non facere.
Duo verò reliqua quæ sequuntur, quorū vnum conceditur,
& suadetur aliud, in nostra potestate dimissa sunt, vt
aut cum minori gloria cōcessis vtamur,aut ob maius præ-
mium etiā ea quæ nobis permissa sunt,respuamus. Con-
ceduntur quidē nuptiæ,carnium vsus & vini: sed horum
omnium abstinentia consilio perfectiore suadetur. Ad
virginitatis honorē pertinet licentia nuptiarum:& escarū
indulgentia virtutem abstinentiæ clariorem facit.Contē-
C psisti virgo coniugiū licitū tibi priusquā contemneretur.
Maioris præmij amore flagrans, vouisti Deo non impe-
ratā,sed laudatam virginitatem:& consilio Apostoli,legē
tuam fecisti latiorem. Certaminis ingressa campum, non
tam laborē cursus,quàm brauium victoriæ cogitasti. Le-
geras , credo , illud euangelicū de perpetua castitate præ-
conium: & ipsius te Domini sermo ad amorem seruandæ
virginitatis accenderat , qui Petri super hoc sententiam
ipsa rei magnitudine ac difficultate laudauit,& volunta-
riis spadonib.regnum cœlorum promittens,ait. *Qui po-*
Matth.19 *test capere,capiat*. Rē itaque tā magnā nō impero,non im-
pono,sed offero. Neque quēquam ad hoc cogo,sed pro-
uoco.Quāquam de viris tantum sonare videatur,non so-
lis tamē viris dicitur : sed æqualis vtriq; sexui virginitatis
palma promittitur.Et Apostolus,de virginib.præceptum
quidem se dicit non habere Dei,sed dat consiliū.Dicit ita-
que:*An experimentū quæritis eius qui in me loquitur Chri-*
1. Cor. 7. *stus*?Perfectionis igitur secuta consilium,beatitudinē spe-
cialis aggressa propositi,serua generale mandatum. Dixi,
D idemque nunc repeto.In causa iustitiæ omnes vnū debe-
mus,virgo vidua nupta:summus,medius & imus gradus,
æqualiter iubentur implere præcepta.Nec à lege soluitur,
qui supra legem facere proponit. Quinimo nullus magis
illicita vitare debet, quàm qui respuit quæ licebant. Nec
quisquam ita à se mādata pollicetur implenda , vt ille qui
amore perfectionis supra mandata conscendit. Et dum
amplius statuit facere quàm præceptum est, ostendit mi-
nus sibi præceptum esse quàm potuerit.Deinde qui tantę
se esse obedientiæ profitetur,vt etiam consilium diuinum
libenter audiat,quomodo non debet audire præceptum?
Illa enim res electionis est,ista necessitatis. De virginitate
Matth. 19. dicitur. *Qui potest capere,capiat*.De iustitia non dicitur.
Matth.7. Qui potest facere faciat : sed omnis arbor quæ non facit
fructum bonum, excidetur,& in ignem mittetur.Consi-
dera, quæso , quantum à consilio distet imperium.Ibi ali-
quos excipit,hic generaliter omnes cōprehendit:ibi præ-
miū proponit,hîc pœnā:ibi inuitat vt facias,hîc nisi fece-

ris,cōminatur.Hæc igitur optima ratione distinguens,a- E
nimaduerte quid offeras,animaduerte quid debeas. Imo
quia vtrūq; iā debes,& virginitatem quam vltro obtulisti
Deo,& iustitiam quā ipse præcepit,integrū vtrūque per-
solue.Ille seruus domino placet,qui ita aliquid vltro ope-
ris exercet,vt tamen etiā imperata perficiat,qui non facit
aliud pro alio sed vtrūque nec mutat, sed addit obsequiū.
Nec te earū exēpla decipiāt,quę sibi in sola castitate plau-
dentes,vt post suas voluntates eant,Dei voluntatem abij-
ciunt,quæ perpetuæ castitatis bonū non cum iustitia, sed
pro iustitia offerre volunt , & in cōpensatione peccatorū
præmiū virginitatis annumerant , atque pro præmio im-
punitatē petunt : vel certè impudētiori vecordia coronā-
das esse se putant, & in regno cælorum cæteris præferen-
das, quæ sibi transgressione mandatorū , aditum clausere
regni cælorū.*Non omnis*, inquit Christus, *qui dicit mihi:*
Domine, Domine,intrabit in regnum cælorum , sed qui facit Matth 5.
voluntatē patris mei qui in cælis est , ipse intrabit in regnum
cælorū.Meminerint stultas virgines à sponsi ianuis repel- F
lendas,dicendū eis.*Nescio vos*,illisque iungendas esse,de
quibus Dominus ipse ait.*Multi dicent mihi in illa die. Do-*
mine,nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo Luc 13.
virtutes multas fecimus? Et tūc confitebor illis: Amen dico
vobis,nescio vos. Discedite à me omnes qui operamini ini- 1.Cor. 7.
quitatē. Tibi verò longè est alia via ingrediendū, quæ se-
culi amore calcato, semper cogitando quæ Dei sunt,apo-
stolicā te exhibere vis virginē,quæ tam spiritu sancta quā
corpore,Domini præstolaris aduentum,& animæ tuæ lā-
padi sanctorum iugiter operū infundis oleū,& sapientib.
iuncta virginib.,in sponsi obuiā præpararis.Fugienda tibi
lata illa via est , quam multorum ad mortē euntiū comi-
tatus terit:& ad vitam æternā angusti illius itineris,quod
pauci reperiunt,callis tenendus est.Deposuisti iam impe-
dimēta vel maxima . & omne quicquid à spiritualis vitæ
cursu vel retardat, vel reuocat,prima statim conuersione
vicisti.Respuisti cōiugij voluptatē,posteritatis curā,ille-
cebras delitiarū, seculi pompā,diuitiarū cupidinē,& cum
Paulo potes dicere.*Mihi mundus crucifixus est,& ego mū-*
do. Cuius tale principium est,qualis debet esse perfectio? G
Hāc mihi tu virtutē,hunc animū etiā in reliquis affer:eaq; Gal. 6.
vi mentis, qua vitiorum occasiones depulisti, vitia nunc
ipsa respue.Ornetur morum sanctitate virginitas,& per-
fectum gradum, vitę perfectio subsequatur.Certè si secu-
laris vita tibi placuisset, dares operā ne quis te diuitiis,ne
quis corporalibus ornamentis , ne quis rerum omnium
pōpa & honore præcederet: nunc quoniā diuersum stu-
diū diuersam vitā desiderat, cura ne quis te in benè viuē-
do transcendat, ne quis morū sanctitate superet,ne quis
tibi in virtutibus præferatur.Et in illis,quæ ante diximus,
non erat tuum vt aut tu omnes vinceres,aut nemo te.Cū-
cta enim illa foris petuntur,& quicquid aliunde speratur,
alienū est.Hæc verò in tua potestate sunt,& verè propria,
quæ non extrinsecus veniunt , sed in ipso corde generan-
tur. Illam nec omnis qui quærit,inuenit: nec qui inuene-
rit,semper tenet:quia,vt ea cōmodare,ita & eripere casus
potest. Hæc autē & omnis qui quærit, inuenit:& qui in-
uenerit,eripi sibi nunquā timet.Ista enim sola bona sunt, H
quæ sine voluntate nec inuenimus aliquando, nec perdi-
mus.Habes ergo & hîc per quę merito præponaris aliis,
imo hic magis. Nā corporalis nobilitas atque opulentia,
tuorū intelliguntur esse,non tua.Spirituales verò diuitias
nullus tibi, præter te,cōferre poterit. In his ergo iure lau-
danda es, in his merito cæteris præferenda es, quæ nisi ex
te,& in te esse non possunt. An sola ista vita est,quæ certa-
men non habeat de profectu , & in qua vnusquisq; hoc
tantū habeat permanere quod cœpit , nec vllo augmenti
desiderio ad maiora cōtēdat? Et cū in omnib.mundi stu-
diis profectu non satiētur homines,hîc tantū cœpisse suf-
ficiat?Feruentissimi in terrenis,frigidissimi in cœlestib.su-
mus:& summā in reb. paruis exhibētes alacritatē, ad ma-
iora torpescimus.Considerare pudet,quātus sit feruor in
seculo,qua cura singula quęq; studia hominū quotidie ad
perfectiora nitātur.Literarū ardor nulla prorsus ætate ex-
tinguitur,imo(vt secularis auctoris vtar sētētia)ipsa magis
ætate inflāmatur. Diuitiarū amor insatiabilis est , expleri
nescit

A nescit honorum cupido. Cæterum habituræ res finem sine fine quæruntur. Nos diuinam sapientiam, cælestes diuitias, immortales honores, pigra quadam dissimulatione negligimus: & spirituales diuitias aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuo nos putamus esse satiatos. Aliter nos diuina sapientia ad suas inuitat epulas. *Qui edit* Eccles. 24. *me*, inquit, *adhuc esuriet: & qui me bibit, adhuc sitiet.* Nullus vnquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de sanetate fastidium. Tanto vnusquisque capacior, tanto auidior erit, quanto inde plus hauserit. Dominus in Euange- Matth. 5. lio, *Beati*, ait, *qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Vult enim esurire nos hic semper ac sitire iustitiam, vt in futuro iustitiæ retributione satiemur. Considerand a vis ipsa verborum est, & ita nobis desideranda est iustitia, vt in fame, vel siti cibus desideratur ac potus. Et hoc omnibus in commune est dicendum his, qui immortalis vitæ promissa desiderant. Iam tuum est æstimare quantum animo præstare debeas, quæ maioris præmij desiderio plus facere proposuisti, quàm alias facere necesse est.

B Apostolus definiens Christi virginem longè eam separauit à nupta: & diuersis studiis, singularitatis meritum coniugijque diuisit: *Innupta*, inquit, *& virgo cogitat quæ Dei* 1. Cor. 7. *sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro suo.* Quæ corpore & spiritu sancta est, nec in membris, nec in mente delinquit. Delinquere autem non in causa castitatis tantum esse potest, sed etiam in quacunque parte iustitiæ. Quamuis enim virgo corpore, virgo sit spiritu: & nihilominus aut manibus, aut oculis, aut auribus peccet, aut lingua, quomodo corpore sancta dicenda est? Deinde, si vel odio infecta, vel inuidia, vel auaritia, vel iracundia sit, quomodo spiritu obtinet sanctitatem? Et 1. Cor. 7. si nupta quæ amore coniugij cogitat *quomodo placeat viro suo*, quantum liberis relinquat, quæ variis mundi astricta curis rarius ad voluntatem Dei respicit, tamen de peccatis excusare se non potest: quid faciet virgo, quæ soluta ab omnibus huius mundi impedimentis ac libera, scholam quandam castitatis ingressa est? Si vis itaque propositi tui magni-

C tudinem æquare moribus, & per omnia Deo copulari: si leue ac suaue iugum Christi suauis tibi leuiusque vis facere, nunc maximè in beata vita curam impende, nunc stude, vt calentem recentis fidem conuersionis nouus semper ardor accendat, & in tenera adhuc ætate facilius sanctæ conuersationis vsus inolescat. Quicquid in te primum institueris, hoc manebit, & ad initiorum tuorum regulam reliqua vita decurret. Finis in ipso exordio cogitandus est. Qualis ad illum vltimum diem peruenire cupis, talis nunc iam esse conare. Consuetudo est quæ aut vitia, aut virtutes alit, quæque in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate simul creuerit. Optimi sunt ad institutionem morum primi quique anni. Habent enim in se lentum quiddam & molle, quod facilè formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi: & in cunctis ferè rebus citius assuescitur omne quod tenerum est. Nouellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quam-

D libet partem flecti facile est, quæ natura plerumque curuatæ, cito ad arbitrium colentis corriguntur. Tenera adhuc & primæ ætatis animalia sine labore domari solent: quantoque citius à vagandi libertate dissueta sunt, tanto facilius vel colla iugo, vel frenis ora insuescunt. Ipsa quoque literarum studia teneris melius inseruntur ingenijs. Idque penitus inhærere sensibus solet, quod primitus sederit in mente. Hoc idem plurimum etiam in bene viuendi ratione valet, dum adhuc mobilis est ætas, & animus duci facilis, exercenda boni consuetudo, & iugi meditatione confirmanda est. Occupandum est optimis rebus ingenium, & sanctæ conuersationis vsus altius inserendus est. Tunc vero ad perfectionis fastigium animus ascendit, & longæ consuetudinis beneficio vtitur ad benè viuendi facultatem: & virtutes suas ipse etiam miratus, secum quodammodo in se putabit natum esse quod didicit. Respice, obsecro, quantum à te sanctitatis auia materque expectant, quæ cum te quasi nouum & illustre quoddam lumen generi suo natum esse putant, nunc in te solam omnem coram animi transtulerunt, & propositi tui cursum miris studiis ac fauore succendunt. Cumque ipsæ

E te ad honestatem morum ab ineunte ætate formauerint, nunc à te vinci cupiunt, tuamque; victoriam suam laudem esse putant, quarum egregia erga Deum fides in professione tua maximè claruit, cum te iam nuptiis præparatam, simul atque aliud velle didicerunt, mira continuo assensus celeritate ad id quod elegeras, cohortatæ sunt, & trepidam pro ætate sententiam, voluntatis suæ autoritate firmauerunt, tuumque votum commune fecerunt, quæ cum multos suorum in altissimo dignitatis gradu viderint, de nullo ita vt de te aliquando lætatæ sunt. Nihil enim tam magnum, nihil tam præclarum in quoquam viderant: sola quippe præstitisti generi tuo, quod longa retro ætate non habuit. Licet ediderit virilis sexus memorabiles consulatus, & amplissimi ordinis fastus, illustris familię nomina frequens audierit, nihil vnquam tamen in genere vestro hoc tuo honore fuit præstantius, qui non corporali aluo, sed in libro memoriæ immortalis insertus est. Cum exceperint illi theatrales toto orbe plausus, miraque acclamandi conspiratione insignia consulum merita lætum vulgus expresserit: longè tamen tui honoris est gloria maior, quæ gaudium in cœlis fecit, angelisque lætitiam. Per te enim non meretriculæ locupletantur, sed aluntur virgines Christi: non venator & auriga di- F tantur, sed sustentantur pauperes Christi. Ad consulatum eorum diuersæ totius orbis prouinciæ, ad quas domus vestræ potentia extenditur, peregrinas feras, & ignota animalia transmiserunt, quæ crudelis arenæ solum vel suo, vel hominum sanguine cruentarent. Ad te vero electæ quæque virgines mittuntur, quas tu pretiosissimum munus offeras Deo, tuoque exemplo ad perpetuam prouoces castitatem, non tibi, sed tecum Deo seruituras. Hæc professionis tuæ gloria rumore celebri volgata est per cunctos, & ita ad conuersationem tuam totus exultauit orbis, vt quod præ ingenti gaudio vix adhuc homines credere poterant, id semper videantur optasse. Multum hi tuitus, multum famæ tuæ odore suspensi, omnes mirum de te nescio quid audire desiderant: & qui professionis tuæ cognouere virtutem, nunc conuersationis expectant. In te nunc puta cunctorum ora oculosque conuersos, & ad spectaculum vitæ tuæ totum consedisse mundum. Caue ne per te tantorum animi offendan- G tur, nec minus in te inueniant quam requirũt. Verum quid ego tecum de hominibus ago, eorumque de te expectationem ad cohortationem tuam traho? Deus ipse omnium rector ac dominus, cum omni angelorum militia certamen tuum spectat, tibique contra diabolum dimicanti parat æternitatis coronam, & cæleste præmium incitamentum victoriæ facit. Huic tanto spectaculo vide quem animum, quam tu debeas afferre virtutem, & certaminis magnitudinem de expectantium dignitate metire. Hæc itaque tibi in hoc agone subeundo præcipua cura sit, hic primus accinctus, internecionis bellũ virtute deuincere, & aduersum diaboli castra in omnia præcepta Dei iurare: nec tantũmodo declinare vetita, sed iussa complere. Neque enim tibi sufficit à malis otiosam esse, si otiosa fueris à bonis, cum lex Dei duplici mandatorum genere distincta sit, & mala prohibẽs, bona imperet, atque ab vtraque parte contemptum sui ve- H tet. Non enim solum ille seruus contempsit dominum, qui prohibita fecerit, sed qui & iussa non fecerit. Dicta à nobis paulo ante sententia est. *Omnis arbor quæ non facit fructum* Matth. 3. *bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Et blandimur nobis, si malis fructibus non grauemur, qui damnandi sumus, si à bonis steriles manserimus? Iuxta hanc intelligentiam abscindet pater omnem palmitem fructum non ferentem in filio. Et qui acceptum talentum in sudario abscondit, quasi inutilis seruus & nequam damnatur à domino. Nec mi- Ioan. 15. nuisse solum, sed & non auxisse culpabile est. Non ideo ali- Matth. 25. qua putes contemnenda esse mandata, quia leuiora sunt. Tam enim maxima illa quam minima à Deo imperata sunt, & contemptus cuiuscunque præcepti, præcipientis iniuria est. Vnde B. Paulus clamat & docet. *Omnia facite sine murmuratione & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles & simpli-* Philipp. 2. *ces, sicut filij Dei immaculati, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in hoc mundo.* Remoremur hic, virgo, paulisper, & pretiosissimas margaritas, quibus exornanda est sponsa Christi, per singula Apostoli verba pensemus. *Omnia*, inquit, *facite.* Non enim quasi ad Ibidem.

A arbitrium nostrum quædam ex mandatis Dei debemus eligere, sed generaliter vniuersa complere. Nec aliqua præcepta eius quasi vilia munuscula ac parua contemnere, sed imperantis in omnibus maiestatem aspicere. Nullum quippe mandatum Dei contemptibile nobis videri potest, si eius semper cogitemus autorem. *Sine murmuratione & hæsitatione.* Viles & ignobiles dominos palam contemni videmus à seruulis, eisque ad minima quæque præcepta in faciem resisti solere. At hoc in personas nobiles iam non admittitur: quantoque potentiores domini, tanto serui ad obedientiã promptiores sunt, eumque difficiliora præcipiunt, libentius audiuntur. Certè ad regis imperium ita omnes parati sunt, & in procinctu obedientiæ constituti, vt etiam optent iuberi. Et non solum benè merituros esse se credunt si iussa fecerint, sed tanquam iam meruissent, quod iussi sunt: ita pro dignitate præcipientis seruitium beneficij loco ducitur. Nobis vero Deus ipse, æterna illa maiestas ineffabilis atque inæstimabilis potestas, sacras literas, & verè adorandos præceptorum suorum apices mittit, & non statim cum gau-
B dio ac veneratione suscipimus, nec pro magno ducimus beneficio tantæ ac tam illustris potestatis imperium, maximè cum non iubentis quæritur commodum, sed vtilitas subsequentis: verum è contrario fastidioso ac remisso animo, superborum ac nequaquam seruorum more, in os domini reclamamus & dicimus. Durum est, arduum est, non possumus, homines sumus, fragili carne circumdamur. O cæcam insaniam: ô profanam temeritatem. Duplici ignorantia accusamus Deum scientiæ, vt videatur nescire quod fecit, nescire quod iussit quasi oblitus fragilitatis humanę, cuius autor ipse est, imposuerit homini mandata quæ ferre nõ possit. Simulque (proh nefas) ascribimus iniquitatem iusto, piu crudelitatem, dum eum primù impossibile aliquid præcepisse conquerimur. Deinde pro his damnandum putamus hominem ab eo, quæ vitare non potuit, vt (quod etiam suspicari sacrilegium est) videatur Deus non tam salutem nostram quæsisse, quàm pœnam. Itaque Apostolus sciens à domino iustitiæ ac maiestatis nihil impossibile esse pręceptum,
C aufert à nobis vitium murmurandi, quod tunc vtique nasci solet, cum aut iniqua sunt quæ iubentur, aut iubentis minus digna persona est. Quid tergiuersamur in cassum, & pręcipienti opponimus naturæ fragilitatem? Nemo magis nouit mẽsuram virium nostrarum, quam qui ipsas vires nobis dedit. Nec quisquam melius quantum possimus intelligit, quàm qui ipsam virtutem nobis, quæ possit, donauit. Nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est: nec damnaturus hominem fuit pro eo quod vitare non potuit, qui pius est. Sequitur. *Vt sitis irreprehensibiles & simplices*, ad omnem motum perfectionem. Vnum hoc sufficere verbũ

1 Tim. 3. potest, quod etiam in episcopo eligendo Deus quæri iubet. Quam enim circumspecta vita est, quàm sancta est, quæ nihil reprehensionis incurrit? Quis autem sanctior potest esse, quàm qui verę simplicitatis virtutem tenẽs, nunquã aliud corde promittit, aliud ore vultuque mentitur? *Sicut filij Dei immaculati.* Non est exhortatio vehementior, quã qua nos scriptura diuina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat tanto patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus? Et idcirco adiungit, vt simus immaculati. Neque enim conuenit in filiis Dei, quia
D ipse est fons iustitię, peccati maculam reperiri. In medio nationis prauæ & peruersæ, hoc est dicere. Quamuis infinita vos cingat peccantium multitudo, & innumera sint exempla vitiorum: vos tamen ita cœlestis natiuitatis memores esse debetis, vt inter malos viuentes omne malum vincatis. *Inter quos lucetis, ait, sicut luminaria in hoc mundo.* Et rursum in euangelio legimus. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno*

Matth. 13. *patris eorum.* Comparatur vita præmio, vt qui in futuro solis fulgore donandi sunt, hic iam simili iustitiæ claritate resplendeãt, & infidelium cæcitatem operibus sanctitatis illuminent. Huic loco ille sensus aptandus est, quem ad Corin-

1 Cor 15. thios, idem Apostolus disserens, ait. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella autem à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Dispares sunt in regno cœlorum per singula merita mansiones. Diuersitas enim operum diuersitatem facit præmiorũ: quantumque aliquis hîc in sanctitate fulserit, tantum ibi fulgebit in honore. Hunc ergo ad omnẽ motũ perfectiuũ mentis aciem intende, & ad cœleste præmium cœlestẽ vitam para. Resplen- E
deat omnibus clarissimi in modũ sideris sanctitas virginis, & futuri præmij magnitudinem de nouitate conuersationis ostendat. Tibi facilior in bonis cursus est, quam malorum antiqua consuetudo non retinet: nec timemus, ne te à virtutibus vitia retardent, & maligna diaboli semina Christi frugẽ necent. Nã si etiã illi qui longo peccandi vsu bonũ quodãmodo obruere naturæ, instaurari per pœnitentiã possunt, & mutata voluntate viuendi consuetudinẽ consuetudine extinguere, ac optimi quique de pessimis fieri: quanto magis tu potes illa superare, à quibus superata non es, cui non tam expellenda sunt vitia quã refellenda? quæ vtique non suscipere facilius est, quã semel suscepta deponere. Nec vero eorum tanta dulcedo est vt ea debeamus præferre virtutibus cum nec in omnibus sit delectationis illecebra, & à plerisque ea etiã quæ videntur dulcissima, respuantur. Duo namque sunt ex omnibus vitia, quę maximè homines decipiunt sui voluptate, gula scilicet ac libido, quæ deponere eo difficilius est, quo eis vti dulcius est: & tamen hæc vitia tã molesta, tamque delectatione sui periculosa, ita à multis calcari vidimus, vt tota ætate virgines permanserint in summa ab- F
stinentia. Vt de illis taceã, quæ post deliciarum longum fluxum, & inueteratum vsum libidinis, castitati ac tẽperantiæ se dederint, & vtrumque vitiũ contraria sibi virtute mutauerint. Aliorum vero vitiorum est longè diuersa ratio, quæ cum nihil habeant iucunditatis, tamen multum amaritudinis habent: quæque cum ad vitandũ multo sint faciliora, raro à quibus vitentur, inuenies. Quid oro te inuide, delectationis præstat inuidia, quem secrens quibusdã conscientiæ vngulis liuor ipse decerpit, & alienam fœlicitatem tormentum eius facit? Quid vero alter ab odio mercedis accipit, nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mentis horrorem, qui vultu semper animoque mœrente, voto, quo alteri vult nocere, seipsum cruciat? Quid autem iracundo furor suus confert, quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ ita ab omni consilio ac mente deturbat, vt dum irascitur, insanire credatur? Similiter curre per singula, inuenies tot animæ tormenta quot vitia: quæ vtique eo facilius vinci possunt, quo nulla alliciunt nos voluptate. Quanto illud difficilius, quanto durius, vt de castitatis labore taceam, ab- G
stinere à vino carnibusque, ipso quoque etiam oleo, & vilẽ sine his cibum post biduũ interdum triduũque vix capere? fracta ieiuniis vigiliisque mẽbra, fomenta balnei contemnere, necessarias res negare corpori, & vim quandam inferre naturæ? Da tantum in cæteris magnitudinem animi, & vide quid non possis efficere. Sed nos, proh pudor, quadam delectatione peccati, cum in quibusdam ostendimus quandam vim naturæ nostræ, in alijs omnino torpescimus. Et qui voluptates corporis, virtutum amore contempsimus, rursum amore vitiorũ tormenta suscipimus: atque ita malis nostris cedimus, vt ea nec putemus posse deponi. Quod hoc quæso consiliũ? quænam hæc noua viuendi ratio est? Res difficiles & laboris plenas securus aggredior, & faciliora non posse fieri credo. Vinco maxima vincendus à paruis. Excelsa & ardua indefessus exupero, & cum venitur ad plana deficio. Libenter fugio quod delectat, & nolo vitare quod cruciat. Verũ hæc eorum sunt, qui Dei voluntate contempta, id so- H
lum petunt quod laudem facilius inuenit, quod cito exit in famam: morũ vero bona, quæ secretiora sunt, negligunt. Tu vero quæ calcasti mundum & concupiscentias eius, vt calcato eo gradum tibi quendam ascendendi ad cælũ faceres, mundi gloriam ne requiras. Illi tantum placere stude, cui sæpe displicet quod hominibus placet, & qui ipsa hominũ iudicia iudicaturus est. Abstinentia tua & ieiunium eo magis Deo grata sunt, quo cum sanctis moribus offeruntur: vt quæ in alijs sunt vmbracula vitiorum, in te sint ornamenta virtutum. Respice, obsecro, ad ipsam, qua apud Deum illustrata es, dignitatem: qua per baptismum in Dei filia renata es, rursumque per consecrationem virginitatis sponsa Christi esse cœpisti. Ex vtroque hic tuus honor te ad solicitudinẽ tui propositi admoneat. At nullus debet esse ibi negligentiæ locus, vbi tam præclara seruanda sunt. Pretiosior quæque vestis timidius custoditur à macula. Multo quæsito auro gemma, maiori solicitudine possidetur: & generaliter

A grandi cura magna quæque seruantur. Vnde & tu, si teip-
sam bene custodire cupis, debes honorem tuum semper
pretiumque cogitare. Tanto enim se vnusquisque negli-
gentius viuit, quanto se existimat viliorem. Non ob aliam
causam magis nobis in scripturis diuinis tam frequenter fi-
liorum Dei nomen imponitur, vt illud quod dicitur per
prophetam. *Et ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in*
Leuit. 26. *filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Et Apostolus dicit.
Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Et B. Ioannes in-
Phil. 5. quit. *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid*
1. Ioan. 3. *erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus,*
quoniam videbimus eum sicuti est: vt qui habet hanc spem, in
eo sanctificet se, sicut ille sanctus est. Vult nobis cœlestis do-
ctrinæ dignitatem, qua donati sumus, frequenter ingerere,
& honorem nostrum peccandi pudorem facere. Vnde etiá
Dominus ipse ad perfectam nos benignitatem vocans, ait.
Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & o-
Matth. 5. *rate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij*
patris vestri, qui in cœlis est. Non est enim quod sic homi-
nes Deo facit amabiles, vt pietas mentis & bonitas, quæ tá-
ta in Christiano esse debet, vt etiam in malis abundet, Dei-
que imitetur beneuolentiam, qui solem suum oriri facit su-
B per bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hoc
itaque tibi vel in primis absit, vt nemini vel in verbo etiam
noceas, vt in omnibus quibuscunque poteris, prodesse stu-
deas, & ne vicem quidem mali reddens, pro malis bona (di-
cente Apostolo) rest tuas. Numquam detractio ex ore vir-
Rom. 12. ginis procedat. Vilium satis hominum est, & suam laudem
quærentium, alios viles facere: quia alterius vituperatione se
laudari putant. Et qui suo merito placere non possunt, pla-
cere volunt in comparatione peiorum. Parum diximus, non
solum ipsa non detrahas, sed ne detrahenti quidem aliquan-
do credas. Pessimum est hoc vitium, quod alterum vilé fa-
cit videri. Non minus auribus quá lingua fugias detractio-
nem. Scripturæ memor esto quæ dicit. *Non eris cósentaneus*
Leuit. 19. *derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super*
illo peccatum, & alibi. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire*
Eccl. 28. *linguam nequam.* Accusator est enim auditor, qui facit
detractatorem: qui si auertat aures, & vultum contrahat, ac
oculos abnuendo contineat, male loquentem etiam tacens
arguit, vt discat non libenter dicere, quod didicerit non li-
C benter audiri. Sollicitam satis ori tuo custodiam pone. Non
enim est quicquam in nobis, quo facilius peccare possimus
Iac. 3. quam lingua. Vnde S. Iacobus illum esse perfectum asserit:
Qui non offendit in verbo. Et scriptura dicit: *Mors & vita est*
Sap. 1. *in manibus linguæ.* Mentiri autem, maledicere, atque iurare
lingua tua nesciat. Quia & *os quod mentitur, occidit animam.*
Et qui maledicunt, regnum Dei non possidebunt, iuxta A-
1. Cor. 5. postolú: & iurare ipse Christus prohibuit, qui dixit: *Ego au-*
tem dico vobis, Non iurare omnino: & rursum: *Sit autem ser-*
Matth. 5. *mo vester, est est, non non: quod autem amplius est, à malo est.*
Apostolus breuiter oris vitia resecans, ait. *Omnis sermo ma-*
Ephes. 4. *lus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificatio-*
nem fidei, vt det gratiam audientibus. Sit autem sermo virgi-
nis pudens, modestus & rarus, nec tam eloquentia pretio-
sus quá pudore. Mirentur omnes tuam te tacente verecun-
diam, te loquente prudentiam. Mite ac placidum semper e-
loquium tuum. Ornet mista cum grauitate suauitas, cum
pudore sapientia. Sit certa atque librata, suique opportuni-
tate gratissima silentij verbique ratio. Nec vnquam omnino
D virginis os loquatur, vt tacuisse melius sit. Cum ingenti cau-
tione debet loqui, cui non solum malus, sed etiam otiosus
sermo vitandus est. Summa tibi scientia sit, notitia summa,
vitia, virtutesque distinguere, quæ quanquam semper con-
traria sibi sint, aliqua tamen ex eis tanta iunguntur similitu-
dine: vt discerni omnino vix possint. Quam multi enim su-
perbiam libertatis loco ducunt, adulationé pro humilitate
suscipiunt, malitiam prudentiæ amplectuntur vice, & stul-
titiam simplicitatis nomini imponunt, atque fallaci ac pes-
sima decepti similitudine, vitiis pro virtutibus gloriantur?
Et quanquam hæc omnia subtilissima intelligentia debeas
separare, cunctasque virtutes cum suis lineis insequendo,
nusquá prorsus abscedere, præcipue tamen fictam humili-
tatem fugiés illam, sectare quæ vera est, quá Christus docuit
humilitatem, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim

huius virtutis vmbram, veritatem eius sequútur pauci. Per- E
facile est enim aliquam vestem habere contemptam, saluta-
re submissius, manus & genua deosculari, inclinato in terrá
capite, oculisque deiectis humilitatem ac mansuetudinem
polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspira-
re crebrius, & ad omne verbú peccatoré ac miserum se acla-
mare. Et si vel leui sermone offensus sit, continuo attollere
supercilium, leuare ceruicé, & delicatum illum oris sonum
insano repéte clamore mutare. Aliam nos humilitaté Chri-
stus docuit, qui nos ad exéplum suum hortatur dicens. *Dis-*
cite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Qui cum maledice- Matth. 11.
retur, non maledicebat: cum pateretur, non cóminabatur. Quá
nobis humilitaté B. Petrus insinuat. *Misericordes,* inquit, *&*
humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro 1. Pet. 2 & 3.
maledicto. Auferantur omnia figmenta verborum: cessent
simulati gestus, & ante occasionem sermo placidus. Virum
humilem patientia ostendit iniuriæ. Nullus ergo vnquam
in mente tua vllius sit vitij locus. Nihil in te superbum, ni-
hil arrogans, nihil denique fastidiosum. Apud Deum non
est quicquam humilitate sublimius. Ipse loquitur per pro-
phetam. *Super quem alium requiescam, nisi super humilem*
& quietum, & trementem sermones meos? Et nunquam in irá Esa. 66.
exardescat animus, quod est seminarium odij. Tantus men- F
tem tuam repleat timor Dei, vt indignari omnino non au-
deas, & iram metu vincas. Beatus Apostolus mundans ani-
mam nostram, eamque in habitaculum Dei præparans, cla-
mat & dicit. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & cla-* Ephes. 4.
mor & blasphemia auferatur à vobis cum omni malitia.
Adulatores vt inimicos caue, quorum sermones super o- Psalm. 54.
leum molles, & ipsi sunt iacula. Corrumpunt fictis laudi- G
bus leues animas, & male credulis mentibus blandum
vulnus infigunt. Creuit hoc in nostra ætate vitium, & in vl-
timo fine stetit, nec iam augeri potest. In hac omnes nos
scholam studiumque dedimus, vt officium putemus illu-
dere: quodque ipsi ab aliis libenter accipimus, id aliis qua-
si quoddam munus offerimus: & spe recipiendæ laudis eos
à quibus laudari volumus, ante laudamus. Sæpe adulan-
tium resistimus verbis ad faciem, & in secreto mentis faue-
mus, maximumque fructum cepisse nos ducimus, si vel fi-
ctis laudibus prædicamur: nec cogitamus quod ipsi sumus,
sed quid alteris esse videmur. Vnde eo perducta res est, vt
neglecta veritate meriti, de sola opinione curemus, qui testi-
monium vitæ nostræ non à conscientia nostra, sed à fama
petimus. Beata mens est, quæ perfecte hoc vitium vincit, &
nec adulatur aliquando, nec adulanti credit: quæ nec deci-
pit alterum, nec ipsa decipitur: tantumque hoc malum nec
facit aliquando, nec patitur. Nihil vnquá in te fictum sit, ni-
hil omnino fucatum. Conscientiá tuam, quæ certe Deo sem-
per patet, in multitudine versari puta. Nunquá aliud corde
teneas, aliud ore proferas. Quicquid pudet dicere, pudeat e-
tiam cogitare. Illud vero notum iam omnibus atque diuul-
gatú est, quam vtilis, quáque huic proposito necessaria est
ieiuniorú & abstinentiæ virtus, maxime in his annis, in qui-
bus corpori maior æstus inest. Non manducare itaque car-
né, neque bibere vinum, apostolica voce laudatú est. Quic- Rom. 14.
quid illud quod inflámare corpus potest, quod fomentum H
suggerit voluptati, castitatis amore fugiendú est. Nec tamen
ita magno huius rei labore grauari te volumus, vt sub ipso
statim onere succúbas, per quod multi dum nimio feruore
mentis rationem suarum virium non habent, subito conci-
derunt, & prius ante debilitaté, quá sanctitaté de proposito
suo consecuti sunt. Optimus est in omni re modus, & lau-
dabilis vbique mensura. Corpus non frangendú, sed regen-
dú est. Sint ergo moderata, sancta & simplicia, in omni mé-
tis humilitate ieiunia, quæ ita attenuent corpus, ne animum
eleuent, ne res humilitatis gignat superbiá, & vitia de virtu-
te nascantur. *Ego,* inquit, *cum mihi molesti essent, induebar ci-* Psalm. 34.
licio, & humiliabá in ieiunio animá meam. Vestis abiectio, ci-
bi vilitas, ieiunij lassitudo, extinguere debent non nutrire
superbiá. Quis enim medicinæ vulnus faciat? & inde sana læ-
dat quæque, vnde iam læsa curanda sunt? Aut quę supererit
spes salutis, si ipsa animæ remedia fiunt venena? Laboré ieiu-
nij tui, misericordiæ opera cómendent: & abstinentia tua,
pauperú refectione sit gratior. Dominus loquitur per pro-
phetá. *Misericordiá volo, & nó sacrificiú.* In euágelio Christi Osee 6.

A *Matth. 5.* verba legimus. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed, quæso, hanc curam vice tua auia materque suspiciant: illæ has partes pro te agant: illæ thesaurum tuum in cœlum leuent: illarum sit esurientes alere cibo, vestire nudos, visitare infirmos, peregrinos tecto suscipere, & æterni spe premij, Christo in pauperibus fœnerari, qui dixit. *Matth. 7.* *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Tibi vero maxime dum in proposito maturescat animus, ab omnibus occupationibus recedendum est, & omne studium omnisque cura in ornandis moribus exhibenda. Quibus ita vacare debes, & totam occupare mentem, vt non diuitem te sentias esse, nec dominam: nobilitatis ad hoc tantum memineris vt cum claritate generis, morum sanctitate cōtendas: & cum nobilitate corporis, animi virtute nobilior proficias, magisque illa nobilitate glorieris, quæ filios Dei & cohæredes Christi facit, ad quam si semper inspicias, dum credis gaudium te habere quod maius est, desinis de eo quod minus est gloriari. Omnis ista præclari generis dignitas, & illustre Anitij sanguinis decus, ad animam transferantur. Ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam seruare se putet, si dedignetur seruire B *1. Pet. 2.* vitiis, ab eisque non superari. *A quo enim qui superatur, huius & seruus est.* Quid enim hac seruiture animi indignius, quidue turpius, quam cum in eo aut dominatur odium, aut regnat inuidia? quam cum eum aut auaritia possidet, aut captum ira tenet, vel certe cætera sibi vitia vendicant? Non est quod sibi aliquis de nobilitate generis blandiatur, si ex meliore parte sit famulus. Multo est indignius mente seruire, quam corpore. Superfluum arbitror te monere, quam parca in procedendo debeas esse, quam rara, cum te hoc etiam secularis ab infantia honestas docuerit, & facile intelligas id tibi multo magis in hac vita esse seruandum, quam maxime secretum decet. Illud admoneo, vt ipsis quoque salutationibus, quæ tibi in cubiculo tuo exhibendæ sunt, certissimum modum ponas: non sint nimiæ, neque quotidianæ, ne non tam officium, quam inquietudinem præstare videantur. Et quanquam omne vitæ tuæ tempus diuino debeas operi consecrare, & nullam prorsus horam à spirituali profectu vacuam esse conueniat, cum tibi in lege domini die ac nocte meditandum sit: debet tamen aliquis esse determinatus & constitutus horarum numerus, C quo plenius Deo vaces, & qui te ad summā animi intentionem velut quadam lege contineat. Optimum est ergo huic *Psalm. 1.* operi matutinum deputari tempus, id est, meliorem diei partem, & vsque ad horam tertiam animam quotidie in cælesti agone certantem, hoc velut spiritualis quodam palæ- *Matth. 6.* stræ exerceri gymnasio. His tu per singulos dies horis, in secretiori domus parte ora clauso cubiculo tuo. Adhibe tibi etiam in vrbe solitudinem, & remota paulisper ab hominibus, propius Deo iungere, aspectuique tuorum reddita, lectionis fructum & orationis ostende. Nihil enim in hoc secreto magis agere debes, quam animam diuinis eloquiis pascere, & quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare. Ita scripturas sacras lege, vt semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam nō solum sciri, sed etiam impleri iubet. Nihil enim prodest facienda didicisse & non facere. Optime vteris lectione diui- D na, si eam tibi adhibeas speculi vice, vt ibi velut ad imaginē suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat vel pulchra plus ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo, grata vicissitudo sancti operis accendat. Nunc te igitur ordo instruat cœlestis historiæ: nunc sanctum Dauid oblectet canticum: nunc Salomonis erudiat sapientia: nunc ad timorem Domini increpationes incitent prophetarum: nunc Euangelica & Apostolica perfectio te Christo in omni morum sanctitate coniungat. Quæ paranda sunt, memoriæ penitus insere, eaque iugi meditatione conserua. Quæ maturanda sunt, frequenter reuolue, vt diuinum hoc studium & cœlestis schola & mores simul virginis ornēt & sensum, tradantque tibi cum sapientia sanctitatem. Vnde scriptura dicit. Qui quærunt Deum, inueniunt sapientiam cum iustitia. Sit autem ipsa lectio tēperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat. Nam vt immoderata ieiunia & ardor abstinentiæ, & enormes inordinatæque vigiliæ, intemperantiæ coarguuntur, idque nimietate sui patiunt, vt hæc ipsa postea nec mediocriter quidē fieri possint, ita studium lectionis in reprehensionem intemperans cadit, quodque laudabile est in tēpore suo, fit de nimietate culpabile. E Generaliter quidem, sed breuiter strictimque dicendum est. In bonis quoque rebus quicquid modum excesserit, vitium est. Magna est, magna inquam, & quæ grandi studio constat, perfectæ vitæ ratio: consummatæque sapientię est, scire quid quo insequaris modo, & ad omnem actum præferendo consilium, nihil facere quod fecisse pœniteat. Intra vnius horæ spatium mutatur habitus: ieiunare, abstinere, psallere, vigilare, non tam studio opus habent quā voluntate. Quilibet incipiens statim vt voluerit, ad ista perfectus est, imo illi hoc facilius facere possunt, qui recentis corporis vires de seculo ad propositum afferunt. Mores vero mutare, singulasque virtutes animi formare in se atque perficere, grandis studij est, & longæ consuetudinis. Itaque multi in hoc proposito senescimus, & ea propter quæ ad ipsum propositum venimus, non habemus. Tua vero conuersatio noua esse debet, mira grauitas, patientia, mansuetudo, pietas: quicquid sanctius est atque perfectius, quicquid magis Deo te commendare potest, & maiorem in cœlo facere, id semper sequere, id sem- F per amplectere. Sponsa Christi nihil debet esse ornatius: tanto maiore placendi studio opus est, quanto maior est ille *1. Cor. 7.* cui placendum est. Seculi vero virgines, quæ se nuptiis præparant, & indulgentiam Apostoli, magis quam consilium sequi malunt, magisque amplectuntur in continentiæ remedium quam præmium continentiæ, vt sponsis placeant, eosque in amorem sui magis incitent, mira se solicitudine formare studēt, & naturalem corporis pulchritudinem, ornandi arte commendant. Hæc est illis per dies singulos cura præcipua, decentibus fucis colorare faciem, implicare auro crinem, & ardentes concharum lapides capitis honorem facere, suspendere ex auribus patrimonia, brachia ornare monilibus ac latera, & inclusas auro gemmas à collo in pectus demittere. Non minorem sponsus tuus requirit ornatum, qui cum vniuersam Ecclesiam salutaris aquæ laua- *Ephes. 5.* cro purificatam sine macula rugaque reddiderit, quotidie cupit eam fieri pulchriorem, vt semel à vitiis peccatisque mundata, semper ornetur decore virtutum: & si hoc à tota requirit Ecclesia, in qua & viduæ continentur & nuptæ, quantum putas expectat à virgine, quę ex pulcherrimo hoc quodam Ecclesiæ prato velut augustior quidam flos videtur G electa? Assume ergo omnem illum ornatum, per quem placere Christo potes: satis pulchram Deo crede faciem tuam, si hominibus pulchra apparere non studeas. Istud ornamentum serua capitis, quod acquisiuisti chrismatis sacramento, cum tibi in cœlestis regni mysterium diadema quoddā regalis vnctionis impositum est. Optima ornamenta sunt auriū, verba Dei: ad ea sola paratus esse debet auditus virginis, eaq; pretiosissimis lapidibus ante ferre. Omnia prorsus membra decorentur operibus sanctitatis, totaque virginalis animi pulchritudo, gemmati monilis instar, vario virtutum fulgore resplendeat. Tunc vere concupiscet rex decorē tuum, di- *Cant. 4.* cetque tibi. *Tota formosa es proxima mea, & macula non est in te.* Et hæc tibi ornamenta, quæ dixi, etiam erunt munimēta maxima, & quæ ipsa te ornare Deo, & contra diabolum armare possint, qui per leue interdum quodcunque vitium ad animam ingreditur: & si virtutum propugnacula non resistant, nostro nos repellit loco, & continuo de hoste fit do- H minus. Propter quod scriptura nos adhortatur, & dicit. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne* *Eccl. 10.* *dimiseris.* Ab eo iam tempore, quo primum per virginitatis professionem Domino consecrata es, aduersarij in te creuit odium: & qui aliena lucra pro suis damnis habet, se amisisse ducit quicquid te possessurum dolet. Grandi tibi opus est vigilantia, grandique cura: & tanto solicitus cauendus est inimicus, quanto apud Deum ditior esse cœpisti. Vacuus viator & nudus non timet latronis insidias. Securus à nocturnis furibus dormit pauper, etiam si claustra non muniat: diuiti vero opes suæ latronis semper imaginantur occursum, & iugi solicitudine noctium somnum adimunt. Vnde tuæ quoque diuitiæ, cœlestis thesaurus, ista cautione indigent atque custodia. Quando ditiores, tanto debes esse vigilantior. Qui enim plus possi-

dier,

A det, plus debet timere ne perdat. Inuidere nō cessat autor
inuidiæ. Et qui semel à Deo ipse proiectus est, tãto maio-
ri liuore torquetur, quanto aliquẽ apud eum viderit cla-
riorẽ. Qui inuidit Euæ paradisum, quanto magis inuidet
1 Pet. 5. tibi regnum cælorũ? Cuncta, mihi crede, ille nunc cir-
cuimit, vt beatus Petrus ait, deuorãdi te cupidus: in modũ
rugiẽtis leonis ingreditur, vel more dolosi hostis vniuer-
sa perlustrans, explorat omnes aditus animæ tuæ, an sit a-
liquid infirmum & minus tutum, per quod possit irrepe-
re. Rimatur nunc ille omnia, & singula quæque prætẽ-
tans, quærit vulneri locum, cuius tu insidias solicite debes
præuidere, vt quæ cum Paulo non ignores astutias eius:
2 Cor. 2. qui cum terribiles diaboli potestates principatusque de-
scribat, nos nihilominus hortatur ad pugnam, hostiũque
vim pandit, vt augeat solicitudinem militum. Non enim
vult nos esse timidos, sed paratos. Denique non fugam
suadet, sed arma suggerit. Propterea, inquit, *Accipite ar-*
Ephe. 6. *ma Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfe-*
cti stare: ac statim instrumenta singula spiritualis pugnæ
B tradens, addidit & dixit. *State ergo succincti lũbos vestros*
in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in
præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes scutũ
fidei, & in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extin-
guere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod
est verbum Dei per omnem orationem & obsecrationem. Et
quoniam de hoc bello licet etiam feminis triumphare,
suscipe hæc arma Pauli, & tanti hortatione ducis certam
præsume victoriam. Hæc enim si tu omnia instrumenta
possideas, secura procedes ad prælium spirituale, nec paue-
bis diabolum cum toto exercitu suo. *Cadent enim à late-*
Psalm. 90. *re tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non*
appropinquabunt. Beatus quoque Iacobus ille Christi mi-
les emeritus, non minore nobis autoritate de hoc bello
victoriam pollicetur. *Subditi*, inquit, *estote Deo: resistite*
Iacob 4. *autem diabolo, & fugiet à vobis.* Ostendit quomodo resi-
stere debeamus diabolo, si vtique simus subditi Deo, eius-
que faciendo voluntatem, vt diuinam etiam mereamur
C gratiam, & facilius nequam spiritui auxilio sancti Spiri-
tus resistamus. Neque vero aperta contra nos pugnat a-
cie, nec publica nobiscum fronte congreditur: sed dolo
vincit ac fraude, nostraque contra nos vtitur voluntate.
De consensu aduersariorum vires accipit, nostroque nos,
vt dici solet, iugulat gladio. Infirmus hostis est, qui non
potest vincere nisi volentem. Procul à nobis desperatio,
procul omnis ab animo recedat pauor aduersariorum:
non adiuuemus, sed vincamus aduersarios. Dant illi qui-
dem consilium, sed nostrum est vel eligere, vel respuere
quod suggerunt: non enim cogendo, sed suadendo no-
cent. Non extorquent à nobis consensum, sed expetunt.
Act. 5. Vnde etiam Ananiæ dicitur. *Quare tentauit cor tuum Sa-*
tanas mentiri te spiritui sancto? Quod vtique illi Aposto-
lus nunquam imputaret, si id absque ipsius voluntate dia-
bolus fecisset. Ipsa etiam Eua ideo condemnatur à do-
Gen 3. mino: quia ab eo quem poterat superare, superata est.
Nec enim meruisset à domino iustitia puniri quæ victa
est, nisi vincere ipsa potuisset. Huius nequissimi hostis est
illa vel prima calliditas, & ars doli plena, fatigare cogita-
tionibus rudes animas, & nouellis in proposito menti-
bus de ipsa interdum conuersatione afferre mœrorem,
vt facile ab huius rei profectu deterreatur animus, cuius
initia amara cognouerit. Itaque solet tam sordidas non-
D nunquam & impias cogitationes inserere menti, vt qui
tentatur, dum suum illud putat esse quod cogitat, dete-
riorem semper spiritum immũdum proposito suo arbi-
tretur affectum, multoque puriorem animam habuisse
se credat, cum adhuc res seculi amaret. Vult enim his
quibus inuidet callidissimus inimicus horrorem propo-
siti ex desperatione facere sanctitatis, vt eos obsidente
tristitia, & si à proposito non reuocat, certe retineat à
profectu. Propter quod maxime sanctarum tibi scriptu-
rarum studium diligendum est, illuminanda diuinis elo-
quiis anima, & coruscante Dei verbo, diaboli repellen-
dæ sunt tenebræ. Cito enim fugit ille ab ea anima, quam
sermo diuinus illuminat, quæ cœlestibus semper cogita-
tionibus occupatur, in qua assiduum est Dei verbum,

cuius vim nequam spiritus non potest ferre. Et idcirco E
beatus ille Apostolus spiritalis belli inter cætera instru- Heb 4.
menta gladio comparauit. Est autem tutissimum atque
perfectum, vt assuescat animus solicita semper peruigi-
lique custodia discernere cogitationes suas, & ad primũ
animi motum vel probare, vel reprobare quod cogitat, vt
vel bonas cogitationes alat, vel statim extinguat malas.
Hinc namque fons est boni, & origo peccandi, omnisque
ingentis delicti in cogitatione principiũ, quæ vnũquod-
que opus velut in quadam cordis tabula depingit ante-
quam faciat. Nam siue ille actus, siue sermo sit vt profera-
tur, ante disponitur, & cogitationum consilio discernitur
quod futurum est. Vides quam breui interdum momen-
to quæque ista quis cogitet, cogitataque perficiat: nec
quicquam omnino vel lingua, vel manu, cæterisque mẽ-
bris agitur, nisi cogitationes ante dictauerint. Vnde & do-
minus in euangelio dicit. *De corde hominis procedunt co-* Matth. 15.
gitationes malæ, adulterium, fornicatio, homicidia, furta, fal-
sa testimonia, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus
malus, blasphemia, superbia, stultitia. Hæc sunt quæ coinqui- F
nant homines. Omnis ergo solicitudo tua, omnis intentio
debet esse cordis custodia. Ibi te maxime oportet obser-
uare peccatum, vbi nasci solet: statimque ad primam ten-
tationis repugnare faciem, & malum antequam crescat,
extinguere. Nec enim expectandum est augmentum
eius rei, quæ timeri debet à paruo: & quæ tanto facilius
vincitur, quanto ei citius repugnatur. Ideo clamat scri-
ptura diuina. *Omni custodia serua cor tuum*: ex eo enim
exitus vitæ. Distinguendum est autem inter istas cogita-
tiones, quibus voluntas fauet, quas cum dilectione am-
plectitur: & inter eas cogitationes, quę tenuis vmbrę mo-
do prætervolare mentem solent, seseque tantummodo,
vel transeundo mõstrare, quas Græci τύπους vocant. Vel
certe inter illas quæ repugnanti ac inuito animo sugge- Prou. 4.
runtur, quibus mens cum horrore quodam renititur ac
resistit, quibus vt contristatur admissis, ita gaudet expul-
sis. In illis quidem quæ se leuiter menti ostendunt, &
quasi fugiendo demonstrant se, nec peccatum omnino,
nec pugna est. In his autem cum quibus aliquandiu ani-
ma luctatur, quibus resistit voluntas, æquale certamen
est. Aut enim consentimus, & vincimur: aut respui-
mus, & vincimus, & acquirimus de pugna victoriam. In
illa ergo tantummodo cogitatione peccatum est, quæ
suggestioni consensum mentis dedit, quæ malum suum
blande fouet, quæ in factum gestit erumpere. Huiusmo- G
di cogitatio etiam si ex aliquo impedita casu, non impleat
voluntatem, nihilominus actione criminis cõdemnatur
à domino, vt illud in Euangelio legimus. *Qui viderit*, in- Matth 5.
quit, *mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est*
eam in corde suo apud Deum, cui nota sunt omnia etiam
antequam fiant. Voluntas perfecta faciendi reputatur
pro opere facti. Quare te debes (sæpe enim repeto quod
fieri semel volo) sanctas scripturas sine intermissione me-
ditari, hisque tuam replere mentem, & malis cogitatio-
nibus locum auferẽs diuinis animum sensibus occupare,
quantumque Deum diligas, ex dilectione legis eius ostẽ-
dere. Vnde scriptura dicit. *Qui timẽt dominũ, inquirẽt quod* Eccles. 2.
beneplacitum est illi: & qui diligunt eum, replebuntur lege
eius. Tunc senties quantum ad eius amorem adiuuet te H
sapientia: quantum sit in te diuinæ legis auxilium, & do-
mino cum Dauid læta cantabis. *In corde meo abscondi elo-*
quia tua, vt non peccem tibi. Excitandus est enim spiritali- Psalm. 118.
bus stimulis semper animus, & maiori quotidie ardore
renouandus. Orationis instantia, illuminatio lectionis:
solicitudo vigiliarum, & diurna & nocturna eius incita-
menta sunt. Nihil enim in hoc proposito, otio deterius
est, quod non solummodo non acquirit noua, sed etiam
parta consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet &
& crescit, cessatione torpescit & deficit. Quotidianis ac
recentibus virtutum incrementis mens instauranda est:
& viuẽdi nobis hoc iter non de transacto, sed de reliquo
metiendũ. Quam diu sumus in hoc corpore, nunquã nos
ad perfectum venisse credamus: sic enim melius perueni-
tur. Tam diu non relabimur retro, quãdiu ad priora con-
tendimus. At vbi cœperimus stare, descendimus: nostrũ-

A que non progredi, iam reuerti est. Cesset omnis ignauia, & inutilis de præterito labore securitas. Si volumus non redire, currendum est. Apostolus de die in diem viuens Deo, non quid ante fecisset, sed quid facere deberet sem-
Phil. 3. per attendens, dicebat: *Fratres, ego me non arbitror cōprehendisse aliquid.* Vnum autem, quæ quidē sunt retro obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora me extendens, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Dei. Si B. Paulus vas electionis, qui ita Christum indutus erat, vt
Gal. 2. diceret: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus*: adhuc tamen se extēdit, adhuc crescit & proficit, quid nos facere debemus, quibus optandum est vt in fine nostro, Pauli principio comparemur? Ergo tu hunc imitare qui
1. Cor. 11. dixit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Obliuiscere omne præteritū, & quotidie inchoare te puta: ne pro præsenti die, quo debes seruire Deo, præteritū imputes. Optime quæsita custodies, si semper inquiras. Damnum parata sentient, si parare cessaueris. Dicas fortisan. Gran-
B dis labor est: sed respice quod promissum est. Omne opus leue fieri solet, cum eius pretiū cogitatur: & spes præmij solatium est laboris. Sic durus agricola iteratum diu cāpum, & pinguiores orio glebas violento vomere scidisse se gaudet, & mirum in modum ipsa operis difficultate lætus, spem segetis de labore metitur. Sic negotiator auidos maria contemnit, spectare assus fluctuum spumas, rabiemque ventorum, dumque in omni labore ac periculo lucrum cogitat, & lassitudinem simul obliuiscitur & timorem. Considera, quæso, magnitudinem præmij tui, si tamen considerari potest quicquid immensum est: post abscessum animæ, post carnis interitum, post fauillas & cinerem, in meliorem statum virgo reparanda es. Mandatum terræ corpus in cælum eleuādum est: & mortale tuū immortalitatis honore mutandum est. Post hæc Angelorum es donanda consortio, regnum acceptura cœlorum, ac in perpetuum mansura cum Christo. Quid ergo retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Quid tanto remuneratore dignum facies? Aut quem laborem durum putabis, cuius tanta sunt præmia? Vnde B. Aposto-
C lus. *Nullæ*, inquit, *sunt condignæ passiones huius temporis*
Rom. 8. *ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quid enim dignum vel facere, vel pati possumus in breui hoc tempore vitæ nostræ, cum id immortalitate sit compensandum?
2. Cor. 4 Propter quod idem Apostolus ait. *Id enim quod in præsenti seculo est momētaneum ac leue tribulationis nostræ, supra modū in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Respuātur honores, despiciantur diuitiæ: ipsa quoque vita nostra martyrij amore cōtemnatur. Et hæc omnia etiam si pro æternitatis præmio non darentur, essent tamen quandoque peritura. Amittunt etiam hoc illi qui semper cupiūt possidere. Quam multos memoria nostra retinet in maximis honoribus ac diuitiis constitutos, repente de summo illo potentiæ fastigio concidisse: & eos qui tumore elati aliud quiddam quam homines esse se putabāt, exitu tandem suo docuisse nos quid fuerint? Quid enim in hoc mundo stabile? Quid vero firmum est? quid porro non breue & incertum, & casui non seruiēs? Quale istud bonū est, quod semper timeas amittere? quod vel auferendum abs te metuas, vel à te relinquendum scias?
D Nam & si nullo eripiatur casu, vel morte certe perdendū est. Et si vita nostra tendatur per mille annos, & ad extremum illum totius diem ætatis quotidiana deliciarum voluptate veniamus: quale hoc, quæso, diu est, quod fine deletur? Aut quis illius voluptatis fructus est, qui statim vt cessauerit, videbitur tibi non fuisse? Age, iam transactum vitæ tuæ tempus animo reuolue. Nonne videbitur tibi vmbra quædam fuisse quod transit, & ad instar somnij tenuis incertum esse omne quod videtur? Hoc idē & decrepitus senex sentire potest, cui cōuenit dicere cum pro-
Psalm. 10[illegible] pheta. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fænū arui.* Quod si hæc etiā hic possumus dicere, vbi quamuis breuis, tamen quia præsens est vita ista, magni penditur: quid in futuro dicturi sumus, vbi maiori æternitatis scientia transactum omne pro nihilo est? Hæc tu tecum diligenter reuoluens, & breuitatem vitæ huius æternitatis contemplatione despiciens, ipsum quoque contem-

E ptum mundi maiori animi virtute contēne, & ad illū tantū diem totā para te, in quo mundi gloria finienda est. Illū, inquā, diem, quē Saluator diluuio cōparauit, qui multos fallaci securitate deceptos, furtiuo, vt ait Apostolus, cōprehendit aduentu: quem beatus quoque Petrus de-
1. Thess. 5 scribens ait: *Adueniet autem dies Domini sicut fur in qua*
2. Pet. 3. *cæli magno impetu transibunt, elementa vero à calore resoluentur.* Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis cōuersationib. & pietatib., expectantes & properantes in aduentu diei Domini, in quo cœli ardentes soluentur, & elementa ignis calore tabescent? Recens factum est, & quod ipsa audisti, cum ad stridulæ buccinæ sonum Gottorumque clamorem, lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit. Vbi tūc nobilitatis ordo? vbi certi & distincti illius dignitatis gradus? Permista omnia & timore confusa, omni domui plāctus, & æqualis fuit per cunctos pauor. Vnum erat seruus & nobilis. Eadē omnib. imago mortis: nisi quia magis eam timebant illi, quib. fuerat vita iucundior. Si ita mortales timemus hostes & humanā manum, quid faciemus cum clangore terribili tuba intonare de cælo cœperit: & ad illā
F Archangeli vocem omni buccina clariorē, totus simul re-
1. Thess. 4. mugiet mundus? cum viderimus super nos non manu facta arma concuti, sed & virtutes cœlorū cōmoueri, sicut
Esaia 13. propheta dicit *Cum venerit Dominus ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo*: quis tunc nobis pauor, quæ caligo, quæ tenebræ, cum nos sæpius ac toties admonitos, & tamen imparatos, dies ille repererit? *Tunc*,
Zach. 12. inquit, *plangent super se omnes tribus terræ: videbunt filiū*
Matth. 24. *hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa &*
Luc. 23. *maiestate. Tunc dicent montibus, cadite super nos: & collibus operite nos: & petris, aperite vos nobis.* Verum hæc eorum [illegible], qui variis huius mundi detenti curis, de mundi non cogitant fine. Tu vero, cui aduentus Christi dierum noctiūque meditatio est, cui pro conscientiæ puritate, Domini est optanda præsentia, quæ consummationē seculi quasi certū præmij tui tēpus expectas, exultationē de cælo capies, non timorē. Tunc enim tu sanctorū mista cho-
G ris, & sanctis comitata virginib. sponso obuiam subuola-
Cant. 3. bis, & dices: *Inueni quem quæsiuit anima mea.* Nec vllius iam tēporis separationem timebis, quæ semel immortalitatis gloria, & incorruptionis splendore donanda es, & cum Christo semper futura es, Apostolo dicente. *Quoniā ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei*
1. Thess. 4. *descendet de cælo: & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & ita semper cum Domino erimus.* Hæc sit igitur cura tua sēper, hoc studiū, hæc iugiter virginis corde voluantur. In his totius diei versetur labor. In his nocturnus somnus reponatur: in hoc anima rursus euigilet. Etenim nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.

EPISTOLA II.

AVGVSTINI ET ALIPII AD IVLIANAM Demetriadis virginis matrem.

H DOminæ debitis in Christo officiis honorandæ, & merito illustri filiæ Iulianæ, Alipius & Augustinus in domino salutem. Gratè admodum nobis iucundeque accidit, vt simul nos constitutos apud Hipponem, tuæ reuerentiæ literæ reperirent, quib. hæc scripta redderemus, vestra incolumitate cognita gaudētes: vicissimque nostrā, quā vobis cordi esse confidimus, mutua dilectione nunciantes, domina debitis in Christo officiis honoranda & merito illustris filia. Scire autem vos optime scimus, quātum vobis debeamus religionis affectu, quantaque nobis & apud Deum, & inter homines sit cura de vobis. Licet enim vos per literas primum, deinde etiam præsentia & corporali pia & Catholica, hoc est, vera membra Christi, exiguitas nostra cognouerit: tamen etiam per ministerium nostrum *cum accepissetis verbum auditus Dei*
1. Thess. 2 (sicut dicit Apostolus) *accepistis non vt verbum hominū, sed vt, sicut est, verbum Dei.* Cuius ministerij nostri,

adiu-

A adiuuante gratia & misericordia Saluatoris, in domo ve-
stra tantus fructus exortus est, vt humanis nuptiis iam
paratis sancta Demetrias spiritualem sponsi illius præfer-
ret amplexum, qui specioso præ filiis hominum ad ha-
bendam spiritus vberiorem fœcunditatem, nec amitten-
dam carnis integritatem, virgines nubunt. Nesciremus
autem quemadmodum nostra illa tunc exhortatio à fi-
Psalm. 44 deli & nobili virgine fuisset accep[illegible] nisi nobis profectus
cuio post paulum professa fuit [illegible]ctimoniam virgi-
nalem, hoc ingens Dei donum, quod per seruos suos qui-
dem plantat & rigat, sed per seipsum incrementum dat,
nobis operariis prouenisse vestrarum literarum lætissi-
1. Cor. 3 mo nuncio, & veraci testimonio disceremus. Quæ cum
ita sint, nemo nos improbos dixerit, si in vobis admo-
1. Tim. 4 nendis, vt contraria gratiæ Dei dogmata deuiteris, neces-
situdine sumus propensiore soliciti. Nam licet nos Apo-
stolus non solum opportune, verum etiam importune
prædicando, verbo instare præcipiat: non tamen in eo-
rum hominum numero vos habemus, quibus sermo, vel
pagina nostra importuna videatur, quando id quod ad
sanam doctrinam non pertinet, vos, vt vigilanter cuite-
tis alloquimur. Hinc ergo est quod admonitionem no-
B stram tam grato animo suscepistis, vt in epistola tua,
ad quam nunc rescribimus, diceres. Sane quod me hor-
tatur reuerentia vestra, ne indulgeam aures his homini-
bus, qui prauis tractatibus venerandam fidem sæpe cor-
rumpunt, gratias vberes ago tam piæ admonitioni.
Quod itaque adiungis & dicis. Sed nouerit sacerdotium
vestrum, longe me ac domunculam meam ab huiusmo-
di personis esse discretam, omnisque familia nostra adeo
Catholicam sequitur fidem, vt in vllam hæresim ali-
quando deuiauerit, nec vnquam lapsa sit; non dico in eas
sectas, quæ vix expiantur, sed nec in eas, quæ paruos ha-
bere videntur errores: hoc est quod nos magis magisque
compellit non tacere apud vos de his, qui etiam illa quæ
sana sunt, vitiare conantur. Domum enim vestram non
paruam Christi Ecclesiam deputamus. Nec sane paruus est
error illorum, qui putant ex nobisipsis nos habere, si quid
iustitiæ, continentiæ, pietatis, castitatis in nobis est: eo
quod ita nos condiderit Deus, vt vltra præter quod no-
C bis reuelat scientiam, nihil nos adiuuet, vt ea quæ fa-
cienda discendo nouimus, etiam diligendo faciamus, na-
turam scilicet atque doctrinam definientes tantummodo
esse Dei gratiam & adiutorium, vt iuste recteque viua-
mus. Ad habendam vero voluntatem bonam, vbi est hoc
ipsum quod iuste viuimus, & ipsa charitas quæ in omni-
bus Dei donis ita excellit, vt etiam Deus dicta sit, qua v-
na impletur in nobis, si quid diuinæ legis & admoni-
tionis implemus, nolunt nos diuinitus adiuuari, sed no-
sipsos dicunt arbitrio proprio nobis ad ista sufficere. Non
1. Ioan. 4. vobis videatur error iste mediocris profiteri velle Christia-
nos: nec velle audire Apostolum Christi, qui cum dixisset.
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: ne quisquam
eam habere non nisi per proprium putaret arbitrium, con-
Ephes. 4 tinuo subiunxit: *Per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*
Hanc magnam esse gratiam Saluatoris qui ascendit in al-
tum, captiuauit captiuitatem, & dedit dona hominibus,
quisquis nondum confitetur, quantum & quam exitia-
biliter erret, intelligis. Quomodo ergo à vobis, quibus
D tantam dilectionem debemus, admonendis, vt talia cauea-
tis, dissimulare possemus, cum legissemus librum quem
ad sanctam Demetriadem quisnam scripserit, vel vtrum
ad vos peruenerit, vestris potius rescriptis nosse volumus.
In quo libro (si fas est) legat virgo Christi, vnde credat vir-
ginalem suam sanctitatem, omnisque spiritales diuitias
non nisi ex seipsa sibi esse: atque ita prius quam sit plenissi-
me beata, discat Deo esse (quod absit) ingrata. Verba enim
ad illam scripta in eodem libro ista sunt. Habes ergo &
hic, inquit, per quæ merito præponaris aliis, imo hinc ma-
gis: nam corporalis nobilitas atque opulentia tuorum in-
telliguntur, non tua esse. Spirituales vero diuitias nullus ti-
bi præter te conferre poterit. In his ergo iure laudan-
da, in his merito cæteris præferenda es, quæ nisi ex te, & in
te esse non possunt. Cernis nempe quanta in his verbis sit
cauenda pernicies. Nam vtique quod dictum est, Non
possunt esse ista bona nisi in te, optime & verissime dictum E
est, iste plane cibus est. Quod vero ait: Non nisi ex te,
hoc omnino virus est. Absit vt hæc libenter audiat virgo
Christi, quæ pie intelligit propriam paupertatem cor-
dis humani: & ideo illic nisi sponsi sui dotibus nescit orna-
ri. Audiat ergo potius Apostolum dicentem. *Desponsaui* 2. Cor. 11.
vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem
ne sicut serpens Euam seduxit in versutia sua: sic & vestræ
mentes corrumpantur à castitate quæ est in Christo. Et pro-
pterea de his quoque spiritalibus diuitiis non istum qui di-
cit: Nullus eas præter te tibi conferre potest: & nisi ex te
& in te esse non possunt: sed illum audiat qui dicit: *Habe-*
mus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt eminentia virtu- 2. Cor. 4.
tis Dei sit, & non ex nobis. De ipsa quoque sacra conti-
nentia virginali, quod non sibi sit ex seipsa, sed sit donum
Dei, quamuis credenti volentique collatum: eundem
audiat veracem piumque doctorem, qui cum hoc ageret,
ait *Vellem omnes esse sicut meipsum. Sed vnusquisque pro-* 1. Cor. 7.
prium donum habet à Deo, alius sic: alius autem sic. Audiat
etiam ipsum non tantum suum, sed vniuersæ Ecclesiæ vni- F
cum sponsum, de tali castitate atque integritate dicen-
tem. *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est:* Matth. 19.
vt intelligat ex eo quod habeat tam magnum bonum atque
præclarum, se potius Deo & domino nostro gratias age-
re debere, quam cuiusquam verba, quod velut ex seipsa
id habeat, vt non dicamus assentantis adulatoris (ne de
occultis hominum temere iudicare videamur) certe erran-
tis laudatoris audire. *Omne quippe datum optimum, &* Iacob. 1.
omne donum perfectum desursum est, sicut etiam dicit Apo-
stolus Iacobus, descendens à patre luminum. Hinc ergo
& sancta virginitas, qua te filia volentem gaudentemque
vicit, natu posterior, actu prior genere ex te, honore ante
te: ætate subsequens, sanctitate præcedens: in qua etiam
tuum esse cœpit, quod in te esse non potuit. Illa quippe
carnaliter non nupsit, vt non tantum sibi, sed etiam tibi
vltra te spiritualiter augeretur: quoniam & tu ea compen-
satione minor illa es, quod ita nupsisti vt nasceretur. Hæc
Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis.
Habetis enim thesaurum istum, in terrenis corporibus, &
adhuc fragilibus tanquam *in vasis fictilibus: vt eminentia* 2. Cor. 4.
virtutis sit Dei, & non ex vobis. Nec miremini quia dici- G
mus & vestra esse, & ex vobis non esse. Nam & panem Matth. 6.
quotidianum dicimus nostrum: sed tamen addimus, da
nobis, ne putetur esse ex nobis. Proinde sicut scriptum
est: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Ora-
tis enim vt perseueranter & proficienter habeatis. Gratias 1. Thess. 5.
agitis, quia non ex vobis habetis. Quis enim vos ab illa ex Matth. 18.
Adam massa mortis perditionisque discernit? Nonne ille
qui venit quærere, & saluare quod perierat? An vero
quando Apostolo dicente audierit homo: *Quis enim te* 1. Cor. 4.
discernit? responsurus est: Bona voluntas mea, fides mea,
iustitia mea, & non continuo quod sequitur auditurus:
Quid enim habes quod non accepisti? Si autem & accepisti,
quid gloriaris quasi non acceperis? Nolumus ergo vt virgo
sacra cum audit, vel legit: Spiritales diuitias nullus tibi præ-
ter te conferre poterit, in his iure laudanda, in his merito
cæteris præferenda es, quæ nisi ex te, & in te esse non pos-
sunt. Nolumus prorsus ita glorietur quasi non acceperit.
Dicat quidem: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam
laudes tibi. Sed quia in illa, non etiam ex illa, meminé-
rit etiam dicere. Domine in voluntate tua præstitisti deco-
ri meo virtutem: quia etsi etiam ex illa propter arbitrium
proprium, sine quo non operamur bonum, non tamen si-
cut iste dixit, non nisi ex illa. Proprium quippe arbi- H
trium, nisi Dei gratia iuuetur, nec ipsa bona voluntas es-
se in homine potest. *Deus est* enim (inquit Apostolus) *qui* Psalm. 55.
operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Psalm. 29.
Non sicut isti sentiunt, tantummodo scientiam reuelando,
vt nouerimus quid facere debeamus: sed etiam inspiran- 1. Cor. 14.
do charitatem, vt ea quæ discendo nouerimus, etiam
diligendo faciamus. Nam vtique nouerat ille quam
magnum bonum esset continentia, qui dicebat. *Et*
cum scirem, quia nemo esse potest continens nisi Deus
det. Non solum ergo sciebat quantum esset
hoc bonum, & quam desiderabiliter esset concu-

A piſcendum, verum etiam quod niſi dante Deo eſſe uou poſ-
ſet. Docuerat euim eum ſapientia: uam hoc dicit. *Et hoc ip-*
Sap. 8. *ſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Nec tamen ei
ſcientia iſta ſuffecit, ſed ait: *Adij dominum, & precatus ſum*
illum. Non igitur tantummodo in hoc oos adiuuat Deus,
vt ſciamus quid agendum ſit: verum etiam vt amando aga-
mus, quod diſcendo iam ſcimus. Nemo itaque poteſt eſſe
non ſolum ſciens, verumetiam continens, uiſi Deus det.
Vnde cum iam ille haberet ſcientiam, precabatur vt habe-
ret continentiam, vt eſſet in illo, quod ſciebat quia non eſ-
ſet ex illo. Aut ſi propter arbitrium proprium aliquantulum
ex illo, non tamen niſi ex illo: quia nemo poteſt eſſe con-
tinens, niſi Deus det. Iſte autem de ſpiritualibus diuitiis,
in quibus eſt vtique etiam ipſa luminoſa, & ſpecioſa con-
tinentia, non ait: In te, & ex te eſſe poſſunt, ſed ait: Niſi
ex te, in te, eſſe uon poſſuut: vt quemadmodum non ei
B ſunt alibi, niſi in illa, ſic ei non aliunde, niſi ex illa eſſe poſſe
credantur: & ob hoc (quod miſerator Dominus à corde
eius auertat) ſic glorietur quaſi non acceperit. Et nos
quidem de ſanctæ virginis diſciplina, & humilitate chri-
ſtiana, in qua nutrita & educata eſt, hoc exiſtimamus,
quod illa verba cum legeret, ſi tamen legit, ingemuit, & pe-
ctus humiliter tutudit: ac fortaſſis & fleuit, Deumque cui
dicata, & à quo ſanctificata eſt, fideliter orauit, vt quomodo
illa non ſunt verba ipſius, ſed verba alterius: ita non ſit talis
& fides eius, qua ſe aliquid habere credat, de quo in ſe, nou
in Domino glorietur. Nam gloria quidem eius in ipſa eſt,
nou in verbis alienis, ſicut Apoſtolus dicit. *Opus autem*
Gal. 6. *ſuum probet vnuſquiſque, & tunc gloriam habebit in ſeme-*
Pſalm. 3. *tipſo, & non in altero.* Sed abſit vt gloria ſua ipſa ſit, & non
ille cui dicitur. *Gloria mea, & exaltans caput meum*: ita
quippe eſt in ea ſalubriter gloria eius, cum Deus qui in illa
eſt, ipſe eſt gloria eius, à quo habet omnia bona, quibus
eſt bona. Et habebit omnia quibus melior erit, in quan-
tum in hac vita melior eſſe poterit. Et quibus perfecta erit,
quando fuerit diuina gratia, non humana laude, perfecta.
C *In Domino* enim *laudabitur anima eius, qui ſatiauit in bonis*
Pſalm. 33. *deſiderium eius*: quia & hoc deſiderium ipſe inſpirauit, ne
virgo eius ſic in aliquo bono glorietur quaſi non acceperit.
De hoc ergo eius affectu vtrumnam fallamur, inde nos fac
potius reſcribendo certiores. Nam illud optime nouimus,
eum omnibus veſtris cultores vos eſſe, & fuiſſe indiuiduæ
Trinitatis. Sed non hinc ſolum error humanus obrepit, vt
aliquid ſecus ſentiatur de indiuidua Trinitate. Sunt enim
& alia in quibus pernicioſiſſime erratur, ſicuti hoc eſt, vn-
de diutius fortaſſe, quam ſatis eſſet veſtræ fideli caſtæque
prudentiæ in hac epiſtola locuti ſumus quanquam qui bo-
num quod ex Deo eſt, negat eſſe ex eo, neſcimus cui faciat
iniuriam uiſi Deo, ac per hoc illi vtique Trinitati, quod
malum abſit à vobis, ſicut abeſſe credimus. Abſit omnino vt
tale aliquid in animo non dicimus tuo, vel ſacratæ virginis
filiæ tuæ, ſed in cuiuſque extremi meriti famuli vel famulæ
veſtræ liber iſte fecerit, ex quo nonnulla verba quæ facilius
intelligi poſſent, ponenda credidimus. Si autem diligentius
intendatis, etiam illa quæ ibi videntur velut pro gratia, ſiue
D adiutorio Dei dicere, ſic inuenietis ambigua, vt poſſint re-
ferri vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remiſſionem
peccatorum. Nam & quod confiteri coguutur, orare nos
debere ne intremus in tentationem, poſſunt ad hoc referre,
vt hactenus uos reſpondeant ad id adiuuari, quatenus oran-
tibus atque pulſantibus nobis aperiatur intelligentia veri-
tatis: vbi diſcamus quid facere debeamus, uon vt vires acci-
piat voluntas noſtra, quibus id quod dicimus, facimus. Et
quod nobis in gratia, vel adiutorio Dei, dicunt dominum
Chriſtum bene viuendi propoſitum exemplum, ad eandem
doctrinam reuocant, quia ſcilicet in eius exemplo diſcimus
quemadmodum viuere debeamus. Non autem volunt ad
hoc nos iuuari, vt quod diſcendo cognoſcimus, etiam dili-
gendo faciamus. Aut certe in eodem libro inuenire aliquid
ſi poteſtis, vbi excepta natura, excepto quod ad eandem
naturam pertinet, arbitrio voluntatis, excepta remiſſione
peccatorum & reuelatione doctrinæ, tale Dei adiutorium
confiteatur, quale confitetur & ille qui dixit. *Cum ſcirem*
quia nemo eſſe poteſt continens, niſi Deus det. Et hoc ipſum
Sap. 8. *erat ſapientiæ, ſcire cuius etiam eſſet hoc donum. Adij domi-*
num, & deprecatus ſum illud. Neque enim iſte aut natu- E
tam precando volebat accipere, in qua conditus erat, aut de
naturali voluntatis arbitrio ſatagebat cum quo conditus e-
rat, aut remiſſionem peccatorum deſiderabat, quin potius
continentiam, ne peccaret, optabat, vel quid faciendum eſ-
ſet, ſcire cupiebat, cum iam ſe ſcire fateretur, cuius eſſet hoc
donum. Sed vtique tantas voluntatis vires, tantum dile-
ctionis ardorem volebat accipere ſpiritu ſapientiæ, qui ſuf-
ficeret ad implendam [illegible]gnitudinem continentiæ. Si ergo
aliquid tale inuenire potueritis, vberrimas gratias agimus,
ſi reſcribendo inſinuare dignemini. Satis enim dici non po-
teſt, quantum cupiamus in eorum hominum ſcriptis, qui
propter acrimoniam atque facundiam leguntur à pluri-
mis, apertam confeſſionem illius gratiæ reperiri, quam ve-
hementer commendat Apoſtolus, qui etiam menſuram fi-
dei, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, ex qua iuſtus viuit,
quæ per dilectionem operatur: ante quam, & ſine qua omnino Heb. 11.
nulla cuiuſquam opera bona exiſtimanda ſunt: quoniam Rom. 14.
omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Deum dicit, vni- F
cuique partitum. Nec ſola reuelatione ſcientiæ uos di-
uinitus adiuuari, vt pie iuſteque viuamus in hoc ſæculo,
quæ ſine charitate inflat: verum etiam inſpiratione chari-
tatis ipſius, quæ plenitudo legis eſt, & quæ cor noſtrum vt
ſcientia non inflet, ædificat. Sed adhuc nuſquam tale ali-
quid in eorum literis potuimus inuenire. Maxime autem
hoc in iſto libro eſſe vellemus, ex quo deſcripta illa poſui-
mus verba, vbi virginem Chriſti ita laudans, tanquam ſpi-
rituales diuitias nullus ei præter ipſam conferre poſſit, &
tanquam uiſi ex ipſa eſſe non poſſint, non vult eam in Do-
mino gloriari, ſed ſic gloriari quaſi uon acceperit. In quo li-
bro quamuis nec ipſius, nec tuæ reuerentiæ nomen expreſ-
ſerit: tamen à matre virginis, vt ad eam ſcriberet, à ſe poſtu-
latum eſſe commemorat. In quadam vero epiſtola ſua idem
Pelagius, vbi & nomen ſuum apertiſſime ponit, nec nomē
ſacræ virginis tacet, dicit ad eam ſe ſcripſiſſe: & eiuſdem ſui
operis teſtimonio probare nititur ſe gratiam Dei, quam vel
tacere, vel negare aſſeritur, apertiſſime confiteri. Sed vtrum G
ipſe ſit liber, in quo de ſpiritualibus diuitiis illa verba po-
ſuit, vel vtrum ad veſtram peruenerit ſanctitatem, reſcriptis
veſtris petimus nos dignemini facere certiores.

EPISTOLA III.

AD GERVNTII FILIAS de contemnenda hæreditate.

CVncti mei ſenſus affectu vobis vacant, & ſi interim
loco ſegregor: nam & videre vos mihi videor & audi-
re, tam me occupatum habet veſtra dilectio. Quod ſi vos
inuicem faciatis, cum illud impoſſibile ſit fieri per carnem,
poſſibile redditur ex ſpiritu, vt fiat duorum hominum cor-
pus vnum. Nam vt probem etiam veſtra mecum vigilare
colloquia, accipite quid de hæreditate, quod ſuggeſſiſtis,
cogitanti altius videatur: quoniam me etiam in carnalium
arbitrium per ſpiritualia delegiſtis. Poſſem quidem dicere.
Quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem inter vos? Si uon ad H
infideles proceſſiſſet iſta ſententia. Iudæorum enim incre- Luc. 12.
dulitas hac Domini reſponſione repercutitur, non feritur.
Nam ipſi aliquando Iudæi in ſuo Moyſe viſitationem illam
Domini nou videntes, qua Ægyptium fratris liberator oc-
ciderat, ſequentique die fratrum diſcordias rixaſque vo-
lens ſedare, auſi ſuut dicere. *Quis te conſtituit principem, aut*
iudicem ſuper nos? Ac proinde ſuo illis Dominus ore reſpon- Exod. 2.
dit, quo amplius cōfutarentur, ſi proderentur falſo ſequæ-
rere quem ſpreuiſſent, dicēte ipſo. *Si credidiſſetis Moyſi, cre-* Ioan. 5.
deretis vtique & mihi. Sed quoniã & ego veſter ſum, & vos
vere ſcio quæſiſſe iudicium eius qui Ægyptium gaudenter
occidit: & eum aduerſario, dum in via eſtis, nitimini cito
confœderare concordiam, apud Iudæos ſibi ſuam ſenten-
tiam relinquemus, ſuper ipſos qui eam protulere veniente.
Nos humilibus de Domini lenitate dicemus. *Vobis datum* Matth. 13.
eſt ſcire myſterium. Ac proinde, vt ad exordium diuerticuli
reuertamus, hæreditatem illam vobis arbitror contem-
nen-

A nendam, nec aliquid à iudice seculi postulandum. Quomodo enim vobis illos licet adire, qui etiam suo iudicio nesciunt veritatem? Quando quidem Pilatus ex ipsorum
Ioan 17. curia sic loquitur ad Dominum. *Quid est veritas?* Nempe hic iudex erat, & negotia causasque litigantium libripende iustitiæ tanto statuto iure soluebat: & quid hic valebat facere, si non nouerat veritatem: Certè euangelistæ adeo iustum fuisse Pilatum commemorant, vt innocentem mallet absoluere quam punire: & tamen veritatem quasi discere cupiat, inquirit. Nam veritatis ignoratio, interrogationis est actio. Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & vniformem mundialium rerum prodidit falsitatem, ibique iudicia vera non esse, vbi sint mentita negotia, seque in rebus carentibus veritate, carere vero iudicio iudicat. Quid enim quasi nostrum apud illa tribunalia repetemus, si præscribente Apostolo, *nihil intuli-*
1. Tim 6. *mus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus?* Si enim nihil intulimus in hunc mundum veniendo, & ni-
B hil auferre poterimus abeundo, falso aliquid nostrum hic esse dicimus, vbi nobis totus pene mundus alienus est. De quo nobis quid iudex seculi tribuere poterit, si nihil natura donauit? Quid Pilatus veritatis interrogator potius quam prolator: quid, inquam, tusi Barrabam, quem ideo Iudæi Deo cæli præferunt, quia ad iudicem seculi conuolarunt? In quo vtique perfidus populus non reum, sed reatum accepit. Sed hæc de iudicio sint dicta, non de negotio. Cæterum quod ad causam pertinet, non solum moneo, sed obtestor, vt si Geruntium pro Christo offen-
Matth. 20. distis, in ea offensione duretis. *Qui enim perseuerauerit vsque ad finē, hic saluus erit.* Nā si causa offensionis est Christus amplexandum est impijpatris elogium, non dolendū, ne recedamus à Christo, cui nos illa exhæredatio commē-
Luc 6. dat. sicut scriptum est. *Beati estis cum persecuti vos fuerint, & maledixerint nomini vestro tanquam malo propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate: ecce merces vestra multa est in cælo.* Hanc mercedem offensio illa prouidit, cuius pœnitet veritatis. Quod si vocat ad Dominum in
Exod 32. imagine Leuitarum, spiritualibus gladiis corporeos occi-
C distis affectus, quem patrem desideratis? Vnus est. n. pater noster qui in cælis est, ac proinde Dominos hæreditas vestra. In Christo. n. possidendum est, quod cum Christo est
Matth 8. possidendum Ne reuertamini ad mortuum, qui sequimi-
Deut 33. ni viuentem. *Mortui*, inquit, *sepeliant mortuos suos.* At si iam pridem dixistis: Pater, non noouimus te, vt testamen-
Matth. 10. tum Domini seruaretis, quid adhuc repudiati patris quęritis testamentum? Hic est ille gladius qui à Domino per terras patrem à filio separaturus immissus est. Hoc est vere circumcidere naturam, quod Iudæi forma & non veri-
Ios 5. tate custodiunt, & circumcidere cultro petrino. *Petra au-*
1. Cor. 10. *tem erat Christus.* Is vtique qui dixit. *Si quis amauerit pa-*
Math. 10. *trem, aut matrem super me, non est me dignus.* Hoc vos gladio vtentes, illos imitamini Leuitas ab interiori homine per exterioris vestri castra currentes, obuios affectus pro
Exod. 32. domini amore iugulate, iuxta legislatoris imperium pertranseuntes primum virtutum exercitum cum reditu, videlicet vt præterita transeuntes, nec seculi mirabilibus inhærentes: vbi primum ad eum qui nos misit in mundum
D cum fœmorali gladio redeamus, resistentes nobis remorantesque nos, propinquum, proximum, fratremque, ne per hos elongetur nostra peregrinatio, perimamus: & hæc à porta faciamus ad portam, id est, ne cum in porta oculi fratrem fuero persecutus, portam fortasse auris obsideat, & per aliam portam prætermissus occurrat. Hæ siquidem sunt portæ animæ nostræ, per quas ad illam seculi blandimenta descendunt & per quas sensus carnis introeunt: per quas, nisi late strage facta viam virtutibus quadam impietate fecerimus, numquam ad regem vetæ pietatis peruenire poterimus. Quod vbi pro vestra deuotione fueritis viriliter executæ statim vobis ab ipso Moy-
Exod 32. se talis facti laudatore dicitur. Implestis hodie manus Do-
Isa. 70. mino: hoc est seculum, qui vobis conditione carnis & substantiæ propinquus est, & proximus: occidentes actus vestros, qui manus sunt, implestis Domino, cum nulli præter quàm Domino imperanti seruire annuistis? Sic Abra-
Gen 22. ham Dño dexteram suam, dum parricidiū facere non recusat, impleuit. Qui filij sui dum illā Deo armat, oblitus E
est, & in præcepti respiciēs maiestatem, atrocitatem operationis non dignatus est retractare Implentur namque manus Domino, cum dñi occupantur imperiis, cum Domini tradit e volūtati, nō hominis incipiunt esse, sed Dei: qñ non affectui carnis obtemperant, sed diuinæ seruiunt Iudith. 12.
iussioni Sic Iudith ob libertatem ciuium, vel salutē, se sub specie fornicarionis impleuit Deo, & inermis armatum, & virum mulier occidit Sic vos Domino plenæ carnis affectibus triūphatis, non quæratis refugam, qui à vobis etiā si occurreret, foret occidendus. Remittite pallium tunicā detrahenti. Pecunia eorū cum ipsis sit in interitū, qui
Christo pecuniā prætulerunt. Exeuntes semel de Sodoma, Luc 6.
cuncta relinquamus incendijs. Videt Lot vxoris exemplo
irā Domini, quæ in irā, quia retrospexit, incurrit. Noluit Act 8.
vobiscū Gerūtius in cœlestib. habere partem: cur vos par- Gen 19.
tē ex cēsu eius desideratis in terris? Quod si ille vestra gloriosa tantopere contempsit: cur non vos illius inhonorata contēnitis? Ferte, oro vos, patienter fidei notas, stigmata christiana, ecclesiæ paupertatē. Ferte, inquā impudicorū elogia, virginitatis hæredes. Visitatas vos esse cogno- F
scite, & tanta visitatione clarificatas, ne partem cum infidelibus haberetis. Mundus iste vos cū Domino vestro nō agnouit. Si de seculo essetis, seculū vos amaret. Reges se-
culi à filiis suis tributa non poscunt. *In domibus regū sūt* Matt. 4.
qui mollibus vestiuntur. Zebedæus Iacobum & Ioannē nō Ioan. 3.
sequitur. Sinite Geruntium in nauicula remanere cum retibus, dummodo cum Apostolis Christi iaceatis in pe-
ctore. Væ diuitibus, quoniam receperunt consolationem Luc 6.
suam. Vobis aūt filiæ in futuro consolatio vestra debetur: vobis exhæredatio illa, futuræ hæreditatis in cœlestibus fecit augmentū: vobis sua mundus ipse subduxit: vbi vos non suas esse cognouit, imò ditis diues ardoribus, Lazaro in sinu patris Abrahæ recumbente, torquetur. Et quid
mirum si pauperculus & peregrinus in terra quidē aliena Luc 16.
sepulcrum emit Abraham à filiis Heth? O veritas (nequeo
enim silere quin exclamem) *O altitudo sapientiæ & sciētiæ* Rom. 11.
Dei. Sepulcrum sibi patriarcha peregrinus emit? Quid est Gen. 23.
sepulcrum? Locus est quietis, vbi iuxta mundi rationem, G
defunctorum corpora collocantur. Vera ergo intelligentia locū sibi requietionis pater Abraham fide sua, & contemptu pecuniæ comparauit. Istud sibi sepulcrū & Paulinus noster nuper ipse diuitiis cū sua matrefamilias cōparauit, qui conuersatione seculi morientes, ac mundia-
libus operibus iam quiescunt, dicente Apostolo. *Mortui* Rom 6.
enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Et iterū. Si autē mortui sumus cū Christo, credimus quia simul viuemus cū illo. Hoc est illud duplex sepulcrū, exterioris hominis & interioris quies vna. Nā si homo ex duab. substātiis constat merito & sepulcrum duplex habere debebit, vt cum alterutra substantia in suam naturā dissociata remeauerit, requies vtriq; non desit. Quoniam cum ex corpore & anima homo sit, tamē nec anima sine corpore homo dici pōt, nec corpus sine anima homo est, cum tamen anima & corpus sit homo. Sed vbi hoc nomen, quod ex duobus nominibus suis proprie tertium duorum commistione perficitur, eorum dissidio fuerit vacuatum, sua singulis loca ad requiē censentur: quoniā vtrunq, viuit, & moritur vtrunque. Nam sicut præter hanc vitam alia vita est beatorū: ita præter hāc mortem, mors alia impiorū est.
Sed inter hāc vitam & mortē atq; illam vitā & mortē in- H
terest hoc, quod istæ naturæ sunt, illæ sunt meritorū Atque ita duplex sepulcrum & naturæ debetur, & meritis. Hoc sepulcrū sibi duplex patresfamilias isti, de quibus loquuti sumus, prouiderunt: qui senatum, honores, diuitias relinquendo, mortuis illis videbantur, quibus nati esse videntur etiam dum viuunt mortui. Ecce vnum sepulcrum, in qua conuersatio veteris hominis cum crepundiis suæ nobilitatis absconditur. Illud erit aliud, cū ipsum corpus, quod naturę lege caducū est, dissolutū reuertetur
in terram, de qua scriptum est, *Terra es, & in terram ibis:* Gen. 3.
anima tamen in refrigerio requiescente. Nam qui duplex sibi sepulcrū noluerit comparare, habebit forsitan iuxta conditionem naturæ, vbi corpus mortale condatur: non habebit iuxta meriti legem, vbi anima requiescat. Quod

A quidem ita constitutum est, vt mors ista quæ per dissolutionem animæ generatur & corporis, media sit duarum mortium, & duarum vitarum. Bis.n. hominem necesse est mori, & bis ei vita debetur. Nam & beatus Paulus duas
1.Tim.4. breuiter vitas designauit, dicẽdo. *Pietas autẽ ad omnia valet, promissionem habens vitæ, & eius quæ nunc est, & futu-*
Apoc.20. *ræ.* Et beatus Ioannes in Apocalypsi duas mortes ostendit, dicendo. *In eos mors secunda non habet potestatem.* Secundam.n. dixit, quia est & prima. Sed illud nobis magna ratione tractandum, & diligenti circumspectione prouidendũ est, an ante istam mortem, quæ separatione, vt dixi animæ corporisq; generatur, mori seculo huic (anathematizatis, si potest dici, omnibus eius voluptatibus, quæ nobis extra lineam vitalis substantiæ mundi copiis suggerunt) malimus: an post naturalem interitum, qui animam corpusq; discernit. Vnde & interitus dicitur, quod inter ipsa eat, ac medium se inter duas substantias, quæ hominem sui coniugatione faciebant, tertium illum gradum perfe-
Rom.9. ctæ substantiæ sublaturus immergat. Quoniam qui hic
B mortuus fuerit, mundi voluptatib. in vtendo, & corporis stimulos obterendo, cõsepultus esse videtur cũ Christo: & si consepultus, vtique in sepulcro, sine quo esse non potest sepultura. Huic & mors alia cõmunis illa debetur, quæ animam à vinculis corporis soluit & liberat, cui corpori æquè suum sepulcrum, & sua sepultura debetur. His duabus mortibus post geminum sepulcrum beata illa & perpetua vita succedit. Cæterum qui totum mundũ hic lucrifecerit ambiendo, rapiendo (quoniã hic facta carnis mortificare contempsit) post istam naturalem mortem, quam trãsire nõ possumus, dicitur merito vno & simplici sepulcro esse conditus, vel potius commendatus: & in secundam mortẽ miser incurrit, quæ plena est & dolorum æternitate, & lacrymarum perpetuitate. Hæc sunt itaque duo sepulcra, quæ sibi & Paulinus vir singularis ad imaginẽ patriarchæ sollicitissimus requisiuit: vnũ, vbi & veterẽ hominẽ cũ actibus suis spoliatus occuleret, & licet necdũ corpus deposuisset, carnalia non haberet in carne: aliud, vbi corpore ipso, cum venerit Dñs confringere terrã eius, exposito, animam collocet in quiete. Et fidei tunc pater ille hæc filiis contemptu (vt diximus) pecuniæ comparauit, in quo diues cum paupere non potuit recubare. Huc omnes peregrinos mundi, huc egentes, huc etiam exhæ-
C redatos pro Christo secularibus recipiet testamentis. Ideoque nec vestigium habuit in hac terra: quoniã nemo, qui eum sequeretur, inuentus est. At nunc vos filiæ confidite, quæ ex eo vestigium Abrahæ estis, ex quo de terra non esse cœpistis. Obsequimini volũtati patris vestri, cuius corruptelæ obsequutæ non estis, qui vobis à filiis Heth sepulcrum emit, quod sibi & cæteris suis noluit comparare: apud quos vtique mortuæ estis, quando cum eis id, quod viui in mundo possederint, non tenetis. Gratiasque illi semper agite, qui vos hoc fecit vestigium non habere, vt ibi cum Lazaro sinum Abrahæ haberetis. Possideat ergo ille pecuniam, vos sepulcrum: ille imagines escarum, vos requiem prophetarum.

EPISTOLA IV.

D **AD MARCELLAM VT ADVERSA tolleret exhortatio.**

MAgnam humilitati nostræ fiduciam scribendi ad venerationem tuam Christi charitas dedit, quæ te fecit humilem corde pietatis, & diuitem operibus benedictionis. Talis enim de sanctis fidei tuæ diuitiis fama processit, vt ad nos quoque in longinquo positos penetrauerit, & audita gratia Dei tanquam oleo lætitiæ impinguauerit ossa nostra. Notum enim factum est nobis bonum tuum: quoniam illuminauit Deus vultum suum super te. Segregauit te ex vtero cognationis & terræ tuæ, non regione, sed spiritu bonæ voluntatis, vt de terreis opibus fidelem sibi constituat in cœlestibus earum parti-
Prou.14. cipem, de quibus scriptum est. *Mulieres sapientes ædificauerunt sibi domos.* Hæc autem audientes de tua felicitate

cœlesti, effudimus corã Deo corda nostra, & in voce exul- E
tationis epulantis diximus. *Dominus mortificat, Dominus* 1.Reg.2.
viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus diuites pauperes facit, humiles exaltat: quia calix in manu Domini est.
Quod etsi ad omne mysterium regni pertinere videtur, at- Psal.74.
tamen & ad tuam specialiter gratiam referri potest, quæ magno Domini miserantis consilio exaltata es vt humiliareris, & humiliata vt exaltareris. Non enim ignoramus, venerabilis soror & benedicta filia, tuam præteritam in hoc seculo gloriam. Nam etiam vidimus te in tempore illo, quo domum tuam regalis affinitas ambiebat, eminentem in his honoribus qui destruuntur: quia etsi ipsi quo-
que à Domino altissimo tribuuntur, quia *omnis potestas* Rom.13.
à Domino Deo est: attamen caduci & fragiles sunt qui sub hoc mundo aguntur, cuius figura, vt vmbra præterit. Vnde impẽsius admiramur gratiam quæ tibi data est, & magnificamus in te Dominum, qui te in laboribus hominũ posuit, & salutifero paternæ pietatis verbere visitauit, vt
in paucis vexatam in multis bene disponeret, teste Aposto- 1.Cor.11.
lo. In hoc mundo corripimur, *ne cum hoc mundo damne-* F
mur. Vnde & Dauid ait. *Corripiet me iustus in misericor-* Psal.140.
dia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ita & in Salomone scriptum esse, sine dubio in studiis spiritualibus posita didicisti, Quoniam *Dominus quem diligit, corripit & flagellat. Castigat autem omnem filium, quem recipere dignatur* disponendum ad vitam æter-
nam. De eo, & Apostolus non confunditur, nec atteritur: 2.Cor.12.
sed magis gloriatur, & potens fit in infirmitatibus suis: qui vt nos suo confortet exemplo, fatetur & prædicat sibi ipsi, cui etiam vsque in tertium cœlum patuerat ascensus, & quem neque ignea illa romphea ab aditu paradisi potuerat excludere, vbi etiam ineffabile omni linguæ audierat arcanum: sed tamen ne extolleretur propter excellentiam reuelationum, ita se ipsius, à quo intantum glorificabatur, Domini moderamine gubernatum refert, vt apposito angelo Satanæ in stimulum carnis suæ, id est, in tribulatione corporea, deprimeretur salubriter, ne inflaretur inaniter. *Propter quod*, inquit, *ter Dominum roga-* G
ui, vt recederet à me, & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea: Ibidem.
nam virtus in infirmitate perficitur. Quamobrem eum tali magistro & autore instructa, ad virtutem patientiæ, & spem gloriæ æternæ confidens esto filia, sicut esse cœpisti, & gloriare in præteritis passionibus tuis, recolens & illa eiusdem doctoris eloquia. Fideliter enim vt conscius ar-
canorum cœlestium, contestatur non esse condignas *pas-* Rom.8.
siones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur Rom.5.
in nobis. Tribulatio, inquit, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non cõfundit: quia charitas Dei diffusa est in cordib. nostris*: in qua charitate radicati omnia sustinemus. Propterea & Dauid
ait. *Diligam te Domine virtus mea.* Dilectio enim Dñi virtus Psalm.17.
salutis est: quia Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet. Sciens autẽ & propheta, quia momentaneum tribulationis in hoc seculo immensum perennis gloriæ (vt Apostolus ait) pondus operatur: sanctus ille rex in psalmo, vt dignus habeatur igniti tentationum examine dicit: Proba me Domine, & tenta me. Vnde & iterum idem psalmographus noster, quasi pœnitens mun- H
di huius gloriæ, confitetur cum dicit: *Priusquam humilia-* Psal.118.
rer ego deliqui. Et quia humiliatione curatus sit, statim dicit. Propterea eloquium tuum custodiui. Ob hoc rur-
sus propheta: *Da nobis*, ait, *auxilium de tribulatione*: Et: Ibid.
vana salus hominis est. Est enim vana salus hominum, quæ Idem.
putatur in hac tantum vita mortali esse, de qua homini dicitur. Homo sicut fœnum dies eius. Et quidem tu san-
cta filia etiam documentis edocta es probare sententiam: Esa.40.
quia *omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit*: *verbum autẽ Domini*, & qui fecit illud, *manet in æternum.* Ob hoc verè dictum est. *Vana salus hominis*: quia vana omnia sub cœlo. Vnde & in psalmis habes: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Sed de quo genere hominum ista dicat, in consequentibus docet: de eis scilicet qui vane conturbantur amore diuitiarum suarum, in quas sicut beluæ cæcæ inhiant sine fine cupiendi &

congeren-

A congerendi, thesaurizantes in terra, & ignorantes cui Psal. 48 congreget eas. *Relinquent*, inquit, *alienis diuitias suas: & postquã in vanitate defecerint dies eorum*, rapti in infernũ omnes non domini sed serui diuitiarum suarum, nihil illic inuenient in manibus suis, quia nihil præmiserunt, nisi æternarum merita pœnarum. Illa autem non est vana Psalm. 3. salus hominis, de qua dicitur. *Domini est salus, & super po-* Psal. 30. *pulũ tuum benedictio tua.* Et iterum. *Salus autem iustorum à Domino est.* Ideo & spes in Deo posita non confundat, quia salus vana non est quæ speratur in Christo, & cõfertur à Christo. Ergo quia accepisti auxiliũ de tribulatione, ne concupisceres humanam diem, & vana salute hominis gauderes: gloriare in domino, & benedic eum, qui tibi tribuit intellectum, ne in via peccatorũ stare persisteres, neque in filiis generationis istius permaneres, quibus nõ est salus: quia præualescunt in vanitate sua, veritatis immemores. Qui dum confidunt in multitudine diuitia- B rum suarum, non ponunt Deum adiutorem suum. Tibi autẽ facta est sors in hæreditate Iacob, & illuminati sunt oculi tui in agnitionem veritatis, vt intelligeres: quia melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas. Ideo enim misericors & miserator Dominus, quia talib. suis præparat adinuẽtiones suas ad vitam hominum propagandam, permisit te istius seculi fluctibus ventisq; iactari, vt experta naufragiũ, de cætero similiter periclitari caueres. Itaque cuncta quæ passa es, sicut intelligis, vulnera quidem corporis tui, sed & animæ remedia fuerunt. In circuncisione cordis fac opera tua, vt gloria tua nõ sit ex hominibus, sed ex Deo: qui *deposuit potẽtes de sede, & exal-* Luc. 1. *tat humiles: & esuriẽtes implet bonis, & diuites dimittit inanes.* Deus scientiarũ Dominus, vide quanta gloriã tuam compensatione mutauit, qui te maluit participẽ rerũ cœlestium fieri, quàm ad finem terrestrium permanere, vt ab humana dignitate transires in regnum Dei. Et quidem multis hominibus huius seculi vanitate captiuis, similia C Deus auxilia percipiendæ in æternum salutis offerre dignatur: sed plerisq; spernentibus sana consilia, sollicitudinibus diuitiarũ ac delectationibus corporum nolunt intelligere vt bene agant, & malunt lata via perditionis spatiari cum multis, quam angustam semitam inuenire cum paucis. Vnde & tu beatissima, cui donatũ est non indurari pia castigatione, sed corrigi: neq; gloriari in diuitiis, sed spem & rem in Deo ponere, & à sorte diuitum peccatorũ diuidi, quorum cor vt cœnũ est: quia & cor sicut thesaurũ suum in terram demergunt: transit ad beatorum pauperũ sortem, quorum formam Christus accepit, & factus est refugium pauperi. Neque diuites, sed pauperes beari, quorum esse pronunciat regnum cœlorum. Tuum est ergo nunc in magna gratiarũ actione confiteri, & psallere Domino: quæ ita vt audiuimus, & habitu & corde humilitatis ornata es, vt linguæ & menti tuæ Dauidica verba cõueniãt. *Bonũ mihi est, quod humiliasti me, vt discerẽ iustifi-* Psal 118 *cationes tuas.* Adiicere etiã quod statim sequitur verè poteris. *Bonũ mihi est lex oris tui super millia auri & argenti.* Elegisti. n. thesauros tuos ponere in præceptis altissimi. D Dicimus & nos congratulantes tibi in verbis prophetæ. Gaude filia Sion, lætare filia Hierusalem, & obliuiscere malorum, quæ tibi de huius seculi bonis orta sunt: quæ Luc. 10. elegisti tibi bonam partẽ, quæ non auferetur tibi. Nemo enim potest auferre thesauros repositos in sinu Christi, neque euertere domum in ipso angulari lapide fundatã. Nõ enim ligno putribili, neque stipula fragili, aut fœno arescente, super infirmã arenam ædificium collocasti: sed super immobile fundamentum quod est Christus, præter quod aliud fundamentũ nemo potest ponere inconsummandum: argento & auro & lapidibus pretiosis extruere 1. Cor. 4. cœpisti in Christo. Et quia perficis hoc ædificium (Dei enim ædificatio est) ille sapiens architectus insistit operi tuo, vt doceat te percurrere cursum bonũ, obliuisci quæ retro sunt, & extendi ad brauium supernæ vocationis, vt apprehendas in quo apprehensa es, & accipies coronam 1. Cor. 4. iustitiæ, & diadema gloriæ de manu domini. Cũque magna dies illa in igne cœperit reuelari, non cõcremetur opus tuum rapientis ignis examine, sed probetur. Nec extinguatur lumen tuum, sed inter stellas clariores emicet,

inter illos qui fulgebũt sicut sol in regno Dei, & sicut lu- E na in æternum perfecta: quos etiã per diẽ sol non vret, ne- Apoc. 21 que luna per noctẽ. Erunt. n. in Hierusalem vrbe illa cœlesti permanẽtes: cui ipse Dñs (vt scriptum est) erit & nomẽ & lumen. Vidẽtes ergo & prævidẽtes in spiritu reuelationis, magnam tibi perenniũ gaudiorum messẽ florescere, exultamus in Domino, & gaudentes fructib. istis, in voce exultationis psalmi canimus. *Magna opera Domini,* Psal 109. *exquisita in omnes voluntates eius*: quia multũ abundauit bonitas eius, superabundare tribulationib. tuis: quandoquidẽ te in eorum sortē vocauit perenni lætitia & hæreditate cœlesti, & in honore regali, & in cõsessu super iudiciali. Tolerandæ sunt in hoc seculo humilitates passionis, quæ tibi a Deo recõpensabuntur: & tu benedicta similiter interim his verbis cõsolare vt & veterum dolorũ obliuiscaris, & in præsenti proposito, quo ad opera salutaria, eleuasti manus tuas corde perfecto firmata, fiducialiter futurorum bonorum tibi perpetuam felicitatem festiua meditatione promittas, teq; ipsam in cælum animo gestiẽte præcurras, vt dum corpore moraris in terra, iam F ad Christum mente peruenias: dumque Christũ conatis imitari, & vestigio eius affigeris, depositis oneribus, & impedimentis atque compedibus, quibus seculi huius diuites attinentur, sedentes in tenebris & vmbra mortis: tu iam liberata & expedita comiteris Dominum maiestatis crucifixum, cuius imaginem non potest portare, nisi qui in hoc seculo nudum se reddit & mortuum, vt secundum Ioan. 14. ipsum Dominũ dicat, *Venit enim princeps mundi huius, &* Psal 87. *in me nihil inuenit.* Vel secundum prophetã Dauid. *Factus* Gal. 2. *sum inter viuẽtes quasi mortuus*: vt sic inter mortuos libera possis iuxta Apostolũ dicere. *Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus.* Gaude quia facta es sicut gloriosa Iudith, inter virtutes pudicitiæ meritis viduitatis incorruptæ potens: sicut & Anna venerabilis in ieiuniorum castimonia oration. instans nocte ac die.

EPISTOLA V.

AD VIRGINEM IN EXILIVM missam consulatio.

SI Deus ac Dñs noster Christus Iesus securitatẽ, pacẽ, tranquillitatẽ, quietem, prosperitatẽ, lætitiã, & quæcunque alia esse iucunditatum genera possunt, seruis & cultoribus suis tam in præsenti, quam in futuro promitteret, esset nobis non immerito dolendum atque flendum si qua in præsenti vita contraria pateremur, eo quod præter insperatum dolorẽ (cuius eo semper acerbior vis est, quo magis repentinus acciderit) futura quoque promissio esset ambigua, præsentis spei sollicitatione frustrata. Atvero cum econtrario sollicitudines, bella, tempestates, inquietudines, miserias, tristitias, odia, ac alia quæcunque incommodorum atq; ærumnarum genera esse creduntur, in præsenti nos passuros esse prædixerit, contra prædictæ commutationis tædium, de promissa non erit quis prosperitate securus. Si vero commotus fueris, in ipsa commotione habebis solatium. Et quamuis ex prædicto malo aduersæ valetudinis quispiã acerbissime perturbetur: perturbationẽ tamen non absque consolatione suscipiet, qui in ea promissæ sanitatis signa esse cognoscit. Pari ratione nos quoque iucundos esse ac lætos, dum spei nostrę signa conspicimus, cũ probationem eius sumimus, cũ per mala præsentia futura bona indubitatæ fidei manibus iã tene- H mus. Siquidem, vt dictum est, *salus nostra in tempore tribu-* Psal. 36. *lationis.* Nullam ergo debet generare tristitiam qualecũque illud est, quod maximam videtur significare lætitiã. Est. enim ille superbus ac mundus, aut sui fastidiosus boni, quẽ eius probatio reddit tristiorem. Dicit. n. in euangelio Dominus. *Vos lugebitis & flebitis, mũdus aũt gaudebit: vos* Ioan. 16. *cõtristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudiũ.* Amplectẽda est ergo tristitia quæ gaudiũ parit, & nõ eius materia est cõsiderãda: quia sæpe per dulcedinẽ fructus placet quod amarum horruit in radice. Et iterum ait Dominus. *Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: in hoc au-* Ibidem. *tem mundo pressuram habebitis.* Quid hoc est quod dicit, *Vt in me pacẽ habeatis, in hoc mundo pressurã habebitis?* nisi vt tanta in nobis sit eius credulitas pollicitationis, vt cum

A mundi mala patimur, futuræ spei fiducia in summa pace nos esse credamus: tantaque sit in nobis spes futurorum, vt omnino non sentiamus nos sustinere illa quæ patimur, sed ea potius arbitremur iam obtinere quæ credimus? Siquidem dictum est, vnde totum nos in futuro habere co-

Rom. 8. gnoscimus. *Spe salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes.* Ad hoc ergo tantam in nobis fidei stabilitatem Dominus esse desiderat, vt certius esse quod credimus, quam quod patimur iudicemus, & verius habeamus speranda quam sensibilia, & præsentes angustias non sentiamus, dum in futuram spem tota animi intentione protẽdimur: ac si bellator aliquis dolorem vulneris aut contẽnat, aut nesciat, dum omnibus viuacitatis sensibus solam videtur cogitare victoriam. Nam & qui tempore hyemis vadit ad balneas, prius asperitatem frigoris nudus patiẽter excipit, quia eum sequutura calefactio consolatur: ita certa spes rem vincit instantẽ, vt illud quodammodo esse

B incipiat quod futurũ est, & desinat esse quod præsens est, in me, inquit Dominus, pacẽ habeatis: hoc est dicere. Firmius vobis sit quod in me est, qui sẽper sum, quam quod in tẽporali geritur mundo. Quia mũdus transibit, & malitia quæcũq; agitur, in ipso finietur. Pax vero mea, nulla vnquam defectione temporis soluetur. Et alibi dicit. *Mulier*

Ioan. 16. *cum parit, tristitiam habet, quoniam venit dies eius: cum autem peperit puerum, non meminit iam pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos nunc quidem tristitiam habetis, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis.* Aptissimum namq; ad cõparationem tribulationũ præsentium, & futurorum gaudiorũ, prægnantis mulieris induxit exemplũ, quæ quamuis causam partus non absq; ingenti sciat dolore transire: quia auiditate nimia liberos cupit, doloris tormẽtum spernit, dũ quod satis diligit, cõcupiscit, & ante gaudet ex prole, quã contristetur ex partu: nec recusat fœcunditatis exordia, quamuis certa sit ea non absque magnis angoribus euen-

C tura: quoniã dum maius gaudium cogitat, tristitiæ causas amplectitur. Sic & in omnibus pene reb. humanis difficile potest esse lætitia, nisi tristitia ante præcesserit: & amaritudo præeuntis doloris commendat amplius gaudia sequutura. Sic quidem pretiosior salubritas est, quæ post languoris recuperatur incommodum: & à qualibet parte ex maiore sæpe laboris necessitate ad ampliorem solet felicitatem veniri. Sic qui literæ scientiam desiderat habere, si discendi non susceperit tædia, peritiæ gaudia adipisci non poterit. Nec cuiuslibet eruditionis quisquam habere poterit gloriam, nisi animi æstus ante fuerit perpessus. Agricola quoque de vbertate frugum lætari non poterit, nisi prius terram multo labore confecerit. Et tantũ magis se prosperitatis spem congerit, quanto se amplius desudasse cognouerit, & de labore impenso sperat vbertatis augmẽtum. Quid quod in creaturis pene omnibus ita esse cognoscimus, illic maiorem fructum gigni, vbi onerosæ acerbitatis causa præcesserit? Nam & æstatis & autumni temporibus, quæ tempora ministra sunt frugum, sterilitatẽ nimiam nonnunquam hyemis lenitas intulit, cum fœcũditatem maximam frigoris sæpe præstiterit austeritas. Et

D quicquid clementia veris resoluit, spem vbertatis amisit. Arbores vero ipsæ tanto numerosiore grauantur fructu, quanto acerbioris frigoris violentia reprimuntur. Cum præcoces flores opportuna castigatio refrenando ad periculum festinare non patitur, vtile impedimentum pruinæ: & quod reprimit, non obfocat, sed includit. At vero si paulo clementior vis extiterit imbrium, quanto luxuriant prius indisciplinata festinatione, tanto post fructibus deseruntur, cum futuræ vires importuno tempore consumuntur. Semina quoque ipsa terræ iacta atque commissa, quanto glaciali frigore arcente tardius surgunt in frugẽ, vtili radice proficiunt, ac tanto postmodum amplioribus fructibus prægrauata curuantur. Nauigantibus quoque ipsis lõgæ serenitatis spem pollicetur oĩmis valida & diuturna tempestas. Sic & omnium ferè creaturarum spem difficile exultatio aliqua, nisi mœrore præeunte, succedit. Quæ cum ita sint æquanimiter ferre conuenit, etiam si nos tribulationum ac dolorum asperioris hyemis procella concusserit, tanto ampliorem æstatis fructum delaturi, E quanto præsenti frigore vitam habere contigerit acriorem. Digerit enim austeritatem, quam poterat reseruare, quicquid primo impetu erupit in exitu. Nec vlla nos insurgentis pelagi debet terrere tempestas, cum ventura nostra sit etiam nunquam finienda tranquillitas. Domini est enim vox illa dicentis. *Beati estis cum vos maledixerint* Matth. 5.

homines, & persequuti vos fuerint, & dicent omne malum aduersum vos: gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Quisquis enim mercedis & beatitudinis suæ causas non cum ingenti gaudio suscipit, certum est eum aut infidelitate, aut imperitia laborare. Optandum est etiam, quamuis sit amarum, quod lucrum parit: & cũ lætitia maiore sumendum, quicquid ampliorem generat mercedem. Nec congestio laboris vitanda est, quæ est augmentatio commodorum. Sicque namque negotiatorum auiditas amplioris quæstus causa nec maria pertimescit, nec terrena discrimina, quæ interdum etiam causæ solent esse damnorum: & propter maioris lucri spem, F

nauigationis & peregrinationis incommoda libenter assumit: quia quamuis magnus facile contemnitur labor, vbi non tam laboris quantitas, quam eius vtilitas cogitatur. Et si id fieri propter temporalia, & incerta lucra conspicimus, quid nobis propter æterna, & sine vlla ambiguitate ventura sit agendum, cogitemus. Nam cum illorum lucra, insidiæ, vel pericula præcedant, similiter nostra commoda dispendiis cumulantur, & sub periculo feliciora contingunt. Quæ commoda in tantum tribulationem non metuunt, vt etiam mors possit propter illa contemni. Siquidem *pretiosa in conspectu Domini mors* Psal. 115.

sanctorum eius. Sed ego te cur ad tribulationis patientiam humanis, aut præsentis vitæ prouocare conor exemplis, cum nullum pene sciamus fuisse sanctorum, qui procellosum huius temporis agonem absque tribulationis tempestate transierit: & tantorum odia insectationemque pertulerit, quantus vitæ suæ dissimilitudine castigarit? Castigare enim alium videtur, qui ab eius conuersatione Gen. 4.

dissentit. Nonne sanctus Abel, qui in hoc mundo pri- G mus innocentiam conseruasse reperitur atque iustitiam, cum illibata Deo obtulisset munera, mox vt munerum respectu Deo placuit, vsque ad mortis illationem, humanum, vel quod sceleratius est, fraternum statim inuenitur odium, inuidiamque sensisse: & fratris eius, qui illi & pro germanitatis necessitudine, & pro solatij causa (quia soli adhuc præter humani generis principes in vniuerso mundo erant) maiorem debebat charitatis affectum? Sed iniustitiam maluit omni consolatione destitui, quam iusti cuiuspiam societate dissona confoueri: si tamen consolatio rectè dicenda est, vbi tantum dissidet animus, quantum vita discordat. O Cain miserande, quid agis? cur in fraterni & innoxij sanguinis effusionem crudelis satis odio furiosoque prorumpis? Quid tibi solitarius commeruit H

frater? quam vim intulit? quam fecit iniuriam? Sed quæ maior iniusto iniuria esse potest, quam vita iustitiæ? In hoc tantum tibi displicuit solitarius frater, quod Deo placere gestiuit? Fuisses & tu Deo placens, numquid & te ille excluserat? An tam pauperem Dei charitatem esse cognouerat, vt vos simul amare non posset? Sed quando hoc amens sentit inuidia, quæ contra bonum semper laborat, & non videt? Denique quod iustum est, videndo non passa est: moriendo, magis accepta vilefacit. Erubesce, ô nimis miserande, liuore testaris meliorem te esse, cui te exhibes nociturum. Quæ igitur hæc tantæ crudelitatis duritia fuit, vt non vel solitudinem tuam recogitares? Quo animo postmodum è parricidali illo campo reuersus es? qualiter postea absque vnico fratre solus in toto mundo vixisti, non tam in fratre lucrans hæreditatem, quam quod duo eratis auxilium solitudinis perdens? Quid enim intra cogitationis tuæ secreta voluebas, quando tecum illum quem solum familiarem, quem solum socium, quem solum collegam habere consueueras, non videbas? Num sanius fuerat, si ita te furor inuidiæ compulisset, vt ipse in te sceleratas verteres manus, & arma parricidalia, tua quam fratris vita sensisset? Nullus tam crudelis homicida est, quam qui ita erga al-

terum

A terum sæuit, vt non parcat sibi. Quid miser, facinus tuum interroganti Deo negas? & dum excusare credis, accusas, vt nulla tibi nec confessionis, nec mendacij possit ratio subuenire: Nam nisi sciuisses malum esse parricidium nõ negasses. Sed hæc consuetudo peccantis est, vt malum sẽper velit negando geminare, & dicere se aut non fecisse quod fecit, aut bono operatum esse zelo, quod eum constat malo gessisse liuore. Et putas miser, quod illũ facinus latuerit tuum, quem indigni muneris tui causa nõ latuit? Non ergo quia illum quicquam lateat, interrogat: sed ne tibi ignorantiæ excusationem relinquat. Nam cum fratrẽ negas te scire, quid gesseris confiteris, & asperitatem criminis suppressa cõfessione confirmas. Hæc ideo paulo latius exequuti sumus, vt tam inuidiæ malũ, cuius æstimari crudelitas non potest, quam in præsenti vita conditionẽ iustitiæ panderemus, quæ statim cum odio sui cœpit: quæ nec tunc quidem absque multa persecutione esse potuit, cum vnum tantum haberet inimicum. Et si iam grande odium ab vno hoste perpessa est, vt vsque ad vitæ interemptionem veniret non homo quicunque, sed frater, quid ex ea tunc sustinere posse credendum est eum, qui hostes tot extraneos habet, & nisi per molẽ auctæ prauitatis à multis potest audire sociorum quisque iustitiæ cultorum. *Venite, circumueniamus iustum, quoniam inutilis & contrarius est operibus nostris*? Sed dicet aliquis. Quisquis vitare inuidiam cupit, timeat pluribus innotescere vel placere. Ecce iustus Abel nullos habuit, quibus innotesceret, vel placeret, & tamen inuidiæ odium vitare non potuit. Errat enim quicumque absque hominum amicitiis contrahi non posse opinatur inuidiam, cum illa non tam humanas amicitias, quam solam Dei amicitiam persequatur. Vnde ne ille quidem absque inuidiæ infestatione esse potuit, qui vel soli Deo placere gestierit, sufficit enim ad inuidiæ stimulos incitandos, si te illi placere cognouerit, vltra quem alius esse non potest. Sed nec sanctum Noë in præsenti vita inconcussæ securitatis quietem habuisse cognouimus, dum iniquis existentibus cunctis, solus in vniuerso orbe nititur custodire iustitiam: dum arcam fabricat, reparandi orbis semina continentem: dum se futuro diluuio præparat, & fidem venturæ inundationis sedula cura denunciat: dum iam sibi quam suis, quamque cunctis animantibus alimenta conquirit iustitiæ merito, vitã mortis tempore reseruaturus: dum post tantam hominũ numerositatem solum secum suis remansisse superstitem dolet. Sed solatium non perdit desolata iustitia, cui consortium Deus & omni celebritate festiuior. Ecce & ille rem passus eiusdẽ, perempta hominum frequentia, & si nõ omni solatio destitutus patris, tamen pene solus relictus, agnouit se domino valde seruire. Vnde non magnopere exquirebat vanam hominum consolandi gratiam, qui iucundiorem ac pleniorem habebat in Deo fiduciam. Sanctus quoque Abraham, quæ, vel quanta perpessus est, dũ fidem solus inter cunctos seruat incredulos, dum patriã & propinquos deserit, dum vxoris sterilitatem dolet: dũ propter escæ inopiam modo in Ægypto, modo in terra Geraris peregrinationis sentit iniurias: dũ mori propter vxoris pulchritudinem timet, dum sibi ereptam mœret: dum proferre eã non metuit, quod æquissimi iudicis Dei nõ est passa iustitia: dum corpori vulnus iubetur circuncisionis inferre: dum filium cum matre eiicit: dum in Isaac dilecto tentatur: dum religiosus parricida esse præcipitur. Sed facile ad omnẽ iacturã consentit fidelis, cui magis ac magis ac maxima succrescunt, quandoquidem etiã centuplum recepturo promittitur. Ipse vero Isaac quibus tentationum generibus quatitur, dum escæ inopiam patitur: dum peregrinationis experitur labores: dum propter vxoris speciem nimiam ipse metuit, qui anxietate conficitur, & eo ipso quod oblectabatur, affligitur, cum illi forma coniugis, quæ in securitate placuerat, in formidine displicebat: dum regis æmulationem patitur, dum eam quidem possidere illi absq; inuidia non licet. Sanctus quoq; Iacob quam multa patitur. Primum cum fratris sui Esau propter collatam sibi benedictionem, mortiferam sibi inuidiam contrahit, dum eius odium indignationemque declinans, ad Laban solus pergit, cum propter vxorem seruit, cũ di-

Sap. 2.

C

D

B lectæ sponsæ soror non amata supponitur, cum prioris amoris damno matrimonia illi fraude geminantur: & rursum pro non optato cõnubio, septenni seruitio subiugatur, cum fraudẽ patitur de mercede, cum post viginti annorum mercenariam seruitutem occulta magis fuga quã libera proficiscendi expeditione discedit, cum Laban persecutionem timet, cum fratris sui formidat occursum, cũ delusam filiam suam Dinam perhorrescit, cũ dilectissimæ vxoris Rachel suous defler, cum dilectissimũ filiũ Ioseph acerbo funere consumptum à bestiis dolet sine solatio sepulturæ, cum Beniamin, quem etiam consumptũ odiose putabat, contulerat charitatem, & quem se non amplius esse visurum metuebat, defessus iam tam annis quam laboribus senex, & pater iustissimus ingemiscit. Sãctissimus etiam Ioseph de tentationum generibus conflictatur & quatitur, cui ac si tribulationum semina species videntur fuisse iustitiæ. Nam quoties aliquid sancte, vel pie gessit, toties intolerabilium tentationum discrimina subire cõpulsus est, iustitiæ consentiens, & spe confortante perdurans, vt laborandum nobis sit, quid in eo laudando primum debeamus assumere, iustitiæ sanctitatisque perseuerantiam, an patientiæ æquanimitatisque virtutem. Nã cũ fraterna dilectione somniũ, vt frater fratribus indicaret, inuidiam eorum odiumque contraxit, quasi aut ipse se somniasse finxisset, aut visionem illam ad subiugandorum ac terrendorum indicium nunciasset. Inde cum ad ipsos cognoscendæ salutis eorum causa fuisset à patre directus, iniunctum sibi iter festinus aggressus est, quo celerius eorum posset odia sanare.

F

EPISTOLA VI.

AD AMICVM ÆGROTVM.

QVanquam certissime nouerim, experientiam tuam alieni consolaminis leuaminibus atque remigiis nõ indigere, cum languores ærumnasque languidi corporis, stuporemque membrorum rigentium, vigentis calentisque animi felicitate ipse confoueas, ac medica ratione cures atque componas: tamẽ inter aduersa præsidium, inter morbos remedium, inter curas solatium, in fluctibus alienæ manus remigium semper quæritur & optatur. Pars est enim proculdubio maximarum medelarum fraterni consolaminis fructus: & fomes dictorum, dulcedine cõsolatoriũ, leuamẽ fessis animis introducit. Et si non corporeis in membris, recessibus animi tñ & abditis, spirituali studio componit hominem, & inserit vt medicus sospitatem, innatque conamina exhaustarum virium sub longarum sarcina pressurarum, maxime cum scriptum sit. *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*. Ob hoc igitur quoniã dominicarum rerum religiosa necessitas ita me tenet occupatum, vt frequentatu corporalis accessus ærumnas tuas illustrare non detur facultas, placuit sicut petisti, vt quocunque solatio literarũ lenirem tam longa tentamẽta virtutis imo potius salutis commodum visitarem, & animum christiana virtute fundatum in robur maximum promouerem. Qui regnorum cœlestiũ prædam censumque muneris sempiterni contendimus occupare, esse non possumus sine aliqua congressione victores. Nunquã. n. delicata ac ignara certaminis virtus, victoriæ palmiferum culmen ascendit: aut præmium de subactis aduersis accipit, qui victoria chariorẽ vilissimam iudicat sui corporis vitam. Nec mortis. n. concutitur metu, cui de morte vita nascitur. Pretiosum est illi & sanguinem fundere, felicitatis est cum infelicitate pugnare. Summæ sanitatis est acerba vulnera sustinere, iacturam quoq; ferre membrorũ opinatur maximũ lucrum. Et quod est vltimum dicã, præclarum est illi in ipso certamine palmiferam creditori animam reuocare. Melius. n. est, sicut ratio determinat, si quod naturæ debetur, virtute soluatur. Ferenda sunt frater, ferenda sunt igitur cuncta, per quæ te Dñs afflictione longissima voluit experiri, & in magna præmia destinare. Infir. Quis animus non iam submissis viribus ferat istos ineuitabiles casus, & perniciosæ calamitatis incursus, atque morbos infestos, quantũ video iam cũ ipso corpore

G

Prou. 18.

H

A moriturος? Hiero. Cum periculis iam necesse est congre-
diatur & certet, quē tēpestas inter fluctus inuenit. Et quā-
uis nemo libens periculū patiatur aut fecerit, tamē sub pō-
dere periculi cogēte necessitate duratur. Infir. Sed alia mi-
hi anxietas accedit, quæ mœroribus duplicatis meos sen-
sus inuoluat, & mordacibus curis inexplicabiles curas im-
ponat. Mouet. n. me quod cum talibus tentamentis & cū
tam obstinati morbi certamine mihi soli contigerit dimi-
care, cū alios nouerim & mitioribus plagis esse correctos
& compēdioso luctamine exitisse victores. Cur mihi do-
minus non cum cæteris certamen induxit? Cur me non si-
cut cæteros castigauit? Hiero. Primo. n. non debes in tā
arduo certamine cōstitutus de humilibus cogitare. Infe-
riora sunt. n. præmia inferioribus pugnis. Vbi deniq; for-
tia fortibus imperant, fortiorem fortior muneris sequitur
census: & ideo ignominiam iudicat fortis cum inferiore
componi. Magnus est. n. qui vicerit magna: deuotionis est
maximæ & maxima sustinere: ingentis virtutis est ingētia
superare. Namq; meritis eminentioribus excellit cæteros
apud regem, quē plurimum turbauerit cauma bellorū, &
reddiderint superata victorem. Adest denique præda in i-
pso conflictu congruens qualitati certaminis, merito de-
stinata victoris. Numero castrensi pondera pro viribus re-
ges imponūt: medici pro causis medelas impendunt. Qui
curandus est, non dicit medico qua lege curetur: nec miles
eligit quo mittatur, nec seruus quo verbere castigetur.
Quod. n. ex maioris pendet arbitrio, non est in potestate
subiecti. Ergo qui superna regimur potestate, & inter mū-
di miserias multiformes corrigendi versamur, nec nostrū
est de potestate Dñi aut plagas eligere, aut alia certamina
quæ ferendo vincamus: sicut nec seruorum est eligere de
Dominis genera flagellorum. Nunquam. n. ex arbitrio
pendentis pendet licētia verberantis. Potestatis est emen-
dare, cōditionis est subiacere. Regis est onus imponere, &
militis est sustinere: quippe cū & ab ipso rege nihil geratur
iniustum, qui suis legionibus pro virium qualitate belli-
C cos sudores imponens, fortes mittit ad fortia, inferioribus
competentia iubet, vt nec inferior contra proprias vires
certamine potentioris arceatur, nec potentior inferioris
certamine degradatis meritis humilietur. Et dū hoc agi-
tur, vt nullus in alieno minoretur, aut certe succūbat, oēs
cupit esse victores. Nec inimicus est medicus qui ferit, vt
periculum tollat, & vulnus excludat. Nec aduersatur pa-
ternus affectus, si liberos doceat amplexibus flagellorum.
Paterna. n. flagella exercitia sunt innoxiæ pietatis. Ergo
quoniam castigatio corrigentis, amoris est causa, cum de
pietate descendat: ama medicum percussorem, cuius plaga
mater est medicinæ. Nihil. n. impiū pietas parit, vt virtu-
tibus amplexis, fructum pietatis spiritualiter curatus in-
Deuter. 32. cludat. *Ego, inquit Dominus, necabo, & viuere faciā: percu-
tiā, & ego sanabo.* Infir. Sed austi. Ergo ferit pietas? Hier.
Ferit vtique, ne impietas iudicetur, si non corrigat delin-
quentem. Cum. n. non desit in homine quod curetur, fe-
D rit vt curet, vt sunt manus medici, quæ multa lędendo cō-
ferunt sanitatem non sine murmure patientis. Hoc modo
& nos sub cura ictus medentis, inter ipsas mœroris angu-
stias sic in Dominū murmuramus, vt in medicū vulnera-
ti, qui curātur & dolēt. Aggredere igitur frater, aggredere
sustinentiæ remedium, quo valeas grauidam tentationib.
sarcinam leuigare, & pericula dum pateris superare. Iacē-
tia membra animus rigidus consoletur & curet. Regnum
teneat virtus intra corpus anxietatibus captiuatū, vt ani-
ma inclusa periculis vigeat ipsius libertate virtutis, quę in
conflictu tentationis, variæ legalibus tubis iamdudū iussa
est præparari: & in ipso vestibulo dominicæ seruituris, cō-
Eccles. 2. tra infestas calamitates armari. *Fili, inquit, accedens ad ser-
uitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animā tuā
ad tentationem.* Ergo cum tentatio nostris vtilitatibus pro-
cogente, non est mirandū si nobis eius ardor accedat, sicut
1. Pet. 4. beatissimus Petrus in epistola sua monet, ac dicit: *Nolite
mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestrā
fit ne excidatis inter varios seculi fluctus.* Frequentibus
procellis christiana vita quatitur atque tentatur, & pres-
Eccli. 2 suris innumeris lætatur & crescit. Quod Salomon beatis-
simus propheta & satis illustris testatur & probat: Con-

iūgere, inquit, *Domino & sustine, vt crescat in nouissimo vita* E
tua. Nauigium vitæ nostræ agitationibus gaudet, sola trā-
quillitate turbatur. Stupet enim cursus cessantibus vētis:
periclitatur, si periculis non probetur. Incertum est enim
vtrum ad Dominum perueniat, quem pressura mater glo-
riæ ventilando non purgat, premendo non nutrit, castigā-
do non probat, cædendo non curat. Nā cum verbera no-
bis atq; varia tentamenta amor diuinus impendat, ac sicut e
medicus conferat remedium de contrariis, & torquendo
succurrat: non se probat ad amorē pertinere Domini, qui
plagis medicinalibus non meruit subiacere. Sed forsitan
dicis. Si meus est amator Deus, cur me igitur amatoris
mei flagella graui laceratione mœstificant, & lædendo
conturbant? Si me amplexibus flagellorum torquet qui
amat, iam partes odij falsus amor exercet: iā malo oderit,
ne torqueat, imo caue ne oderit, roga vt amare dignetur.
Amor. n. emendat, odium vero supplicium comminatur.
Amor disciplinam consueuit impendere, odium vero di-
ctante sententia reatum recitare, quod odium natiuitate F
humani generis ex Deo in hominem propagatur. Et ideo
est hominis quod odit, aut irascitur Deus: odit, dū offēdi-
tur: irascitur, dum non rogatur offensus. In odium. n. sui
prouocat Dñm, qui factis odibilibus se odibilem facit, &
offensum rogare contemnit. Cæterum amat Deus homi-
nem, vt artifex fabricam: sed odit mala opera, quibus fa-
brica vrgetur in lapsum, & cogitur in labinā. Et qui mala
opera odit, malorū operum non potest amare factorem,
sicut Salomon sanctissimus protulit. *Odio sunt*, inquit, *Deo* Sap. 14.
impius & impietas eius. Eius ergo melius est in hoc mūdo
annis vergētib. perituro, cuius senectutē premit ac sorbet
occasus, ex amore Domini medicinalia sustinere verbe-
ra, quam ex odio expectare insanabilem plagam, & sub
fulmine sententiæ ducere damnabilem vitam. Melius est
inter manus medici transiturum, ac medicum sustinere
tormentū, quā renunciare medico, & incurrere suppliciū
æternis tortoribus vexaturum. Aut si adhuc miraris ama-
toris nostri medicinam per flagella constare: illud quoque
debes mirari, quod torqueant remedia quos medicus a-
mat, qui nocendo quod nocet excludit. Vtique qui no- G
centia quærit excludere, nō potest non nocere: & ideo no-
cendo curat, vt charior sit sanitas præparata mœroribus.
Si. n. medicina nō laceraret sanandum, meritum sanitatis
ire semper delectaret inuoluntarium vulnus. Si non mor-
dacibus adiumentis nocentium medelarum cura pretiosa
constaret, curandum causa non cogeret in mœrorem. Et
ideo remediis nocentibus cura perficitur, vt mœroris pre-
tio redempta sanitas, charior habeatur & grata. Ergo qui
amandus est, quolibet examine nō pōt non emendari: qui
corrigendus est, non pōt non flagellari amatoris verbere: et
qui curandus est, medentis mordacitate non pōt non no-
ceri. Quid miraculo stupes? de periculis expectat auxiliū
quem curat ignis & ferrum. Multa sunt enim quæ nō nisi
percussa sanātur. Multi sunt, quos medici sine ferro cura-
re non possunt. Qui sanitatem diuersa per tormēta rogati
concedunt, amarissima pocula exigente morbo, remedij H
causa non sitientibus sæpe propinant, quæ non sine frōtis
rugositate sorbentur. Nam si vultum bibentis attendas,
tristis & anxius bibit, vt lætus & incolumis viuat. O ra-
tionabilis & incōmodis cōmoda satis peruersitas medici-
næ. Vrgetur homo bibere quod nō sitit, cui remediū est a-
liquando ꝙ sitit. Nam quia interdū ciborum abstinentiā
pręcipiunt, indicta ieiunitate corpus exonerāt, vt de ipsa
lassitudine refectum atq; fortissimum reddant. Repenti-
na vulnera quæ casus in castris aduexit, fouent, ligāt, lai-
ciunt, curant, mœstificando lætificant, fatigando cōfor-
tant lædendo medentur. Nam dum paruulo vulneri cōti-
nuata partium cute quibusdam fibulis inferunt sanitatē,
vitā cōsolando pollicentur, quam curando cōponūt. Sed
leuiora sunt ista quæ diximus, apud quos est remediū non
sine scalpello demere putredines eneruatas, & amputare
de homine viuo mortuas partes: licet vnū membrorū nō
sine sensu totius corporis amputetur, homo tn̄ suis dam-
nis cōsētit vt viuat. Apud illos aliquoties detractis cutib.
& ipsa ossa radūtur, ne totus homo periēs eradatur. Apud
ipsos nōnūquā collectio verminās & æstuans tumor me-

dicinali

A dicinali ferro sulcatur. Apud ipsos ignis vrit vt refrige ret, mordet & lacerat puluis vt fanet. Quid plura? Sub medica pietate homo plurimum torquetur, vt plurimum viuat. Ecce necessarium periculum, in quo beneficiũ est fidele tormentum. Periclitatur pro certo quem medicus curat, sed perit & decipitur cui renũciat. Hinc.n. licet sub tormento vita promittitur, alij viuendi spes denegatur. Ergo vbi necessitas exigit, periclitari melius est quã perire. Incõmodis noceri eum fructu cõmodius puto, quam negatis incõmodis interire, id est, fatius est remedio sibi noceri, quã non posse curari. Hoc secũdum cœleste medicum loquor, & ad curam magis refero spiritualem, non ad illam solam quæ arte moritura mortalibus versatur in membris. Nobis est ergo melius à dño redargui, castigari, & sub eius plaga curari, quã ab eius medicina incurabiles remoueri. Arcet enim à suis vultib. Deus, quos videtur incurabilis morbi miquitate vexatos & sicut puluerem, aut paleam impetu turbinis per vitia dissipatos atque dispersos, sicut ipse in sua voce loquitur dicens. *Recedant à me inqui, vias enim illorum scire nolo: quoniam lucerna eorum extincta est, & gemitũ habebunt in vita sua. Erũt enim sicuti paleæ, quã à vento volãt: & sicut puluis, quã à tempestatib. tollitur.* Eorũ vias non vult scire, qui viam omnino nolunt tenere perducentem ad sublimia. Ad vnum enim dominũ vna via in Christo tenenda est, quæ angustantibus tentamentis in spatio longæ securitatis inducat. Huic soli vitæ patet palatium cœli: cæteræ vero voluptatum anfractibus tortuosæ regionem flammiferam petunt, de quib. Salomõ sic propria voce testatur & dicit. *Sunt viæ quæ videntur hominibus iusta, & in fine illarum tristitia & dolor.* Et per has vias illi præcipites gradiũtur, quib. cursus inimicæ vitæ, blandimentis fallacibus adulatur, quos fallit surdum tẽpus & decipit, recipit interitus & includit: quos sicut in scopulos perituram nauem tempestas impellit: sic infelix felicitas in interitum pronos & labiles ducit. Et sicuti aliquem securis incessibus gradientem, repentino casu aut marmoris leuitas, aut labina pauimenti subuersa pedum tutela contorsit: ita quos infeliciter ducit secundarum rerum iter incertum, viraque male iucunda, necesse est in irreuocabilem lapsum subitaneus casus impingat, sicuti Salomõ sanctissimus testatur, & clamat. Sicuti, inquit, *qui in pauimento cadit, sic casus malorum festinanter veniet.* Hi sunt procul dubio qui non merentur alicuius miseriæ ventilatis flagitionibus agitari, quibus æterna ægritudo nutritur, nec verberari cum sanctis domino castigante, cum quo post flagella regnetur, quorum Dauid hoc carmine flagitat mentionẽ. *In cogitationibus hominum non sunt, & cum hominib. non flagellabũtur, ideo tenuit eos superbia eorũ.* Cernis igitur medicinali flagello immemores despici, & meritos amicabiliter castigari? Parens enim omnium Deus, vt est medicus fidelis erga susceptos, & genitor circa liberos suos, quos amat sic ferit vt corrigat, nõ vt occidat. Ergo felix est qui vapulat, vbi amoris est plaga. Beatus quẽ superni verberis remediũ curat, corrigit, emendat, atque cõponit: cum Dauid beatos propheta & satis illustris sic cõcionetur & clamitet dicẽs. *Felix quem tu emendaueris domine, & de lege tua docueris eum.* Ergo quoniã ex diuino permissu diuersæ mordacitatis languoribus subiacemus, ac longa calamitate curandã gerimus vitam, in examẽ nostræ virtutis prædictas olim miserias æquanimiter perferamus. Infelices ac multiplices casus anxietate & fletus quos incurrimus nati, mẽtis felicitate portemus. Nec mirandũ est enim quod malorũ frequentium stragibus varus sic mortaliũ vita populetur in mũdo, in quo nemo nascitur ridens, in quo nemo lumẽ vitæ rusi eum lacrymis auspicatur. Cum nos denique maternæ voluæ tentorũ ostenderet mũdo, flentes didicimus mundũ, vt quasi malorum primitias in primis lacrymis gustaremus. Salomon propheta hac pronunciatione testatur. *Ego, inquit natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, primam vocem similem omnibus emisi plorans. In inuolumẽtis nutritus sum & curis magnis. Nemo enim ex regib. aliud habuit natiuitatis initium. Vnus est ergo omnib. introitus ad vitam, & similis exitus.* Necesse est enim vt qui venerit, transeat, vbi vitam gerit peregrinam, maximè cum

Iere. 11. B

Pro. 14.

C

Eccl. 10.

Psal. 72.

Psal. 93. D

Sap. 7.

Ibidem.

E ita Salomõ protestetur. *Vnus, inquit, introitus ad vitã, & similis exitus.* Quid ergo prosperitans, aut lætitiæ potest nobis occurrere, vbi primo discitur flere, & inter ipsa cunabula nascẽtis infãtiæ, & in ipso vitæ vestibulo nihil aliud noui de mundo quã fletu calcauimus, & flebimus equidem transituri? O angustum & satis anxium tempus vitæ mortalis, vbi cum initio nominatur & finis initium nostrorum cum fine suscipimus. Iam captus est morte, qui natus est. Testes sunt mortui, cum non negant se morituri. Ergo quoniam ituri venimus, peregrinantium more quod accidẽt intra mundi hospitium, quasi transeuntes ferendo vincamus: mala imposita, bona deuotione portata vincuntur. Peius enim nocet malũ, si male portetur: lædunt & ipsa bona, si male portentur. Ibi profecto solamen virtutis opus est, sub contemplatione scil. supernæ mercedis, vbi sic desideratur finis & exitus vitæ, sicut in pelago tutela portuensis optatur. Quis enim inter anxietates vagantis seculi, ærumnasque morborum lædentium, non magis mortem desideret, quam longam satis & languidã vitam? dicente Salomone. *Melior est mors, quã vita amara: & requies æterna, quam languor perseuerans.* Et alibi. *Melius est tibi mori, quàm viuere.* Mors enim omni homini dat requiẽ. Pro certo inter mala grassantia necessario exitus sitienter optatur. Sed sicut nec nostrũ fuerat nasci, ita nec potestatis nostræ est mori: alioqui si in nostra potestate non consisteret, esset in potestate non mori. Ad hoc, inter nostras angustias mortis requiem flagitamus: quia inter mala de bono solamen est non tacere, nauigantium more, quibus refrigeriũ est inter infestos atque solicitos cursus loqui de securitate portuensi, ad quam etsi non liceat quantum animos cupit celerius peruenire, tuuattamen & satis pulchrum est, meliores partes optare. Sed quoniam nec nostræ potestatis est potiri melioribus, quæ de morte nascuntur, expectantes meliora, bonum interim geramus inter mala certamen. Bonum autẽ certamen est, malis non cedere, sed mala virtutis bono portare, per quæ in meliora de morte nascentia, morbis atque morte carentia sublimati portemur. Si ne ducatu enim atque morsu infelicitatis in triũphos immortalis gloriæ non peruenitur: quia per discrimina conficitur cursus in portu. Primo triumphator non potest dici, nisi cui victoriam virtus inuenit, quæ omne quod timetur, sub se cernit elisum, trahitque inuicta captiuũ. Est interea seculum, vt est mare impatiens natura, & sine vẽtis inflari, erigens se. in ipsa tranquillitate minaces atque terribiles fluctus, quod licet sessores non noceat suos, habet tamen aliquid formidinis etiam innoxia magnitudo, nec nauigantibus desunt formidinis frequenter & ictus vndarum. Nunquam denique gubernator totos sinus securus explicuit. Et in hoc mundo qui fragosum vitæ huius & turbidum quærimus cursum, malorum tangimur minis frequenter & causis, maximè quos intra regia castra malitia cœlestis signatos includit. Iam diximus seculũ pelago cõparari, in quo rara sunt prospera, densa sunt turbulenta, expauescitur, timetur, morbi quoque non desunt, solus exitus securitatis est portus. Hinc atque illinc ingruunt calamitatis incursus infestæ: sed vsq, ad portũ, id ad exitum virtutis est tolerare. Inter pericula gubernator nauẽ tuetur & seruat. Inter calamitates animæ rector hominẽ gubernat & regit, quãuis aliquis periculis paululum tẽperatis nauigium tractabile ducat: sed potios illa expectatur, atque triumphis maioribus excipitur nauis, quæ turbido flamine coactos in verticẽ fluctus potenter excussit. Hanc excipit profundo cum gaudio turba portuensis: hanc excipit securitas triũphalis. Speciosus est miles in exercitu constrictus armorum: squalet vero desormi virtute segnis & vacuus, qui in cãpo nec sibi est cognitus, nec alteri notus: caret enim laudibus, caret & præmiis. Et ideo nociuũ non debet esse periculũ, vbi nascitur præmium. Nec debet miles reuocari, aut pati formidinẽ, vbi sequitur palma victoriæ. Sic enim felicitate miser est, qui cum infelicitatibus, quibus gloria gignitur, nunquã meruit habere conflictum: nec sua virtutem didicit, quẽ calamitas non excussit. Semper denique inertibus membris, suarum virium iacet miles ignarus & ignotus sibi, qui nunquã bellorũ calẽtium gloriosis æstibus

F Eccle. 30 & 41.

G

H

A bus anhelauit, nunquam sudoribus triumphos inuenit. Nec enim sequitur felicitas præmiorum, qui sarcinam gestare non vult armorũ. Et ideo in vsu debet esse quod præmiũ generat, & optabile quod gloriam parit. Ergo quoniam cum diuersis tentationum iaculis dimicandum est nobis, si quid emerserit quod vires examinet, quod membra concutiat, quod animam probet, quasi occasionem muneris arripiamus amplexu virtutis. Ita debet esse animi immobilis virtus, atque mẽtis inconcussæ robur inuictum, vt est petra in mari, quam inter fluctus natura fundauit, quæ vndarum tumentium collisione frequenti vapulat, nec mouetur. Itaque vbi hominem aduersa in prælium prouocant, & in certamen calamitas vrget & cogit, animus felix virtutis clypeo producat armatũ, præsterque inter pericula tutum & securum, inter infelicia ostendat felicem, inter angores exhibeat lætum, inter morbidas ægritudines sanum, efficiatque sustinẽtiæ iaculo, victa calamitate victorem. Superatur enim morbus in corpore,

B si discat animus sustinere: & ideo vbi corpus iacet infirmum, in recessibus maior alenda est virtus, parandumque quod nec lassitudo decutiat, aut ætas inclinet. Tene igitur frater, tene fidei robur inuictum: tene munimen immobile christianum superni vigoris firmitate fundatum: inter languentia membra sanisque rigentia incolumem, validũque gere fidei animæque scutum, & pigrum viceris morbum, perniciosumque languorem. Arietantibus malis, obicibus occurre virtutis. Vince dum vapulas: sic enim potentia christiana alitur incommodis, malis promouetur aduersis. Militiæ conuenit christianæ excuti calamitatibus, & probari. Ipsius est sub infelicitatibus & angustiis feliciter ampliari, sub pressuris adolescere, & pressuras pubescendo calcare. Ipsius est exercitationibus crebris proprium nutrire munimen, & cum periculis habere certamen. Ipsius est ad portum perpetuæ felicitatis per furentia mundi discrimina nauigare, & sub ictibus disciplinæ medicinalis, potenter ipsa necessitate regnare. Nostrum est, inquam, calamitatis exercitio in gloriæ fastigiũ sublimari, & malis prementibus in bona præmia pro-

C moueri. Apud nos infirmitas, vel quælibet pressura, argumentum est potentiæ, & mater pro certo palmatæ virtutis. Sicuti beatissimus apostolus Paulus inter varios ictus, diuersaque verbera, & impetus procellosos, in morborũ prælio constitutus, vt cœlestis armiger in infirmita-

2 Cor. tib. potens gloriatur, & dicit. *Libentissime itaq; magis gloriabor in infirmitatibus, vt inhabitet in me virtus* Christi: propter quod libet mihi gloriari in infirmitatibus, in cõtumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis propter Christũ. *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Et iterum. Quoties, inquit, infirmor, tunc verius probor, *& placeo mihi infirmitatibus meis*. Et iterum, cum à se sti-

Ibid. mulum carnis rogaret auferri, dicit in infirmitate virtutẽ posse nutriri. *Datus est*, inquit, *mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet, vt non extollar: propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi.*

D *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Nunquam igitur virtus documentis eruditur mollioribus, cum perierint maximarum exempla virtutum. Nauigium nostrum agitationibus gaudet, cum in turbinibus erigitur, cum insanis fluctibus verberatur, cum hoc iter aduersis emergentibus confragosum non parcit, in assiduũ certamen deuotam lacessendo virtutem. Secus enim apud dominum haud possumus esse felices, nisi contigerit infelicitatibus, & terreno squalore purgari. Ille porrò iudicandus est miser & æger, qui voluptatibus marcidus per illecebras volutatur & iacet. Ille se nouerit infelicem, qui vagatur inter oblectamenta vitiorum eneruata felicitate confossus. Miser & infelix est, qui non fuerit in felicitate tentatus. Caret. n. munere qui caret & certamine. Qui tela formidauit aduersi certaminis, nunquam meruit nomen sortiri victoris. Proculdubio iacentis est animi formidolosa timere: humilis & inertis est tuta sectari. Imperfectum ac languidum bonum est in otium sine certamine proiecta virtus. Iacet. n. vigor eneruatus ac debilis, iacet animus æger, iacet cãdor obscurus: & ideo à fortissimo milite semper in acie stãdum est, & quærenda oc-

E casio, qua virtus enitescat excussa. Amatori. n. præliorum ornamenta sunt vulnera. Ergo ad contemnendos labores, & ad virtutis notitiam, experimenti opus est vsu, eligendarũ scil. virium nutritore. Solidum enim corpus est, molesque robusta membrorum, quam frequens vsus agitauerit. Agricolis denique frequenti opere lacertosæ sunt vires, tritæ sunt manus, dum inter sentes ac tribulos curuato corpore sudoribus quæritur fructus. Ars nautica, cuius nauigium sæpe procella contorsit, dum inter pericula tendit in portum, didicit fluctus transmittere, & cum tempestate pugnare. Ad excutienda tela laceratus exercitus valet, & victorias inter vulnera quærit, regi proprio placiturus. Agilia sunt membra cursoribus, & hos vsus magister docuit & instituit. Quid pluribus? Nemo non accessione tentationum perfectiores partes ascendit, & præmium victor inuasit. Ita quoque nos dum primum exigua sustinemus & mediocria, necesse est vt ampliora, vel maxima perferre discamus. Nostræ enim mili-

F tiæ specimen est, lucidum per ardua componere gradum, per dura vectari, & miseriarum duram duris viribus perferre censuram. Ad cœlum nobis per aspera, per angusta, per duros anfractus & loca sita est via, quam viam non tenuit qui tentari noluit. Ad cœlum Deus fortissimum militem vocat, quem comitantibus gloriis pressuræ deducunt, præmiaque victorem suscipiunt regnaturum. Nunquid nobis interea aliquid imponit abruptum, quod excedat librati ponderis qualitatem? Nunquid ingerit quod excessu transcendat idoneitatem nostræ virtutis? Fidelissimus moderator sarcinam pro viribus iubet imponi. Hoc Pauli præconium testatur & probat. *Fidelis*, inquit, *Deus, qui non vos patietur tentari supra id* 1 Cor. 10.
quod potestis sufferre. Ita nos à Domino agi, regiq; credamus, vt à præceptoribus ludorum reguntur discipuli, eis plurimum laboris ingerunt & imponunt, quos viderint solertibus ingeniis cæteris eminere: & nos animalibus dominio nostro subiectis onus pro qualitate virium temperamus, imponimus fortioribus fortia, & exilibus parua, quibus vsus nutritor ille virtutis, in iuuenturis maxi-

G mum robur erigat & promoueat vires. Hoc modo nostra rudimenta leuibus verberantur, vt exinde grauioribus, ex amore scil. diuinæ virtutis, vsitatas præparent vires. Quæ ratio, quamuis diuinis redundet pluribus documentis, tamen aliquo & de mundanis vtamur exemplo: non enim nocet alienis vti ea parte qua nostra sunt. Nunquid tu inuisos esse Lacedæmoniis liberos proprios opinaris, quorum indoles & artus teneros, adhuc scilicet laboris ignaros experiuntur, & admotis verberibus publicis, ipsa illos paterna pietas adhortatur, vt ictus flagellorum fortiter ferant, & laceratos & semianimes deprecantur & rogant, & perseuerent vulnera præbere vulneribus. Quid mirũ si te Deus & generosos liberos, propriáque familiam ob nitorem alendæ virtutis durè tentari permittat, regna perpetua victorib. collaturus? qui sic laboris pretia contra quæcunq; mala pollicetur, & dicit. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Et iterũ: Matt. 10.
Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego & 11.
H *vobis requiem dabo*. Exiguum temporis periturì æternitatis est pretiũ. Deuotio tribulationis reddetur sempiternis fructibus fœcundata. Apud nos captiuitate regnum quæritur, securitas periculis emitur, sudoribus requies cõparatur. *Nam virtus*, inquit Apostolus, *in infirmitate perficitur*. 2 Cor. 12.
Commodius est profectò affectibus languidis carnaliter agitari, quam sanis artubus supplicio cæco conscientiam portare vexatam. Plerique enim peccatis ægrotant ex ipsa inanitate membrorum. Dum enim ab infirmitatibus vacant, morbida laxitate fluat necesse est corpus, atq; letali morbo soluatur, hominẽque per vitia ac syluas errorum nequiter sanum præcipitem ducat. Liberos tu iudicas, aut a morbis alienos, quos voluptates barbaræ deuinxerunt? Non habent catenam, sed eos luxuria ferali mordacitate in vinculis tenet. Ita inciderunt in laqueos feralium voluptatum, sicut aues aucupali fraude captiuæ, quæ quo magis conantur euadere, eo innumeris se nexibus illigant, & in profundiores sinus demergunt. Profectò illi sani sunt, quos morbus inuoluit atque

iactat

A iactat insanus. Incolumis vero est, quem quolibet verbere
corrigit Deus, qui se hominis amatorē castigādo testatur.
Apoc 3. *Quos diligo*, inquit Dominus, *redarguo & castigo*. Et ideo
se sanū nō iudicet, qui aut morbis, aut sordib caret, nec in-
firmitatis remedio cōfouetur. Illi vero sunt miseri, qui ni-
miæ felicitatis inerti tranquillitate torpescunt: quibus fu-
cata sanitas vt fallat & decipiat, adulatur, quos videlicet
æterna tenebit ægritudo, æterno tortore totum hominem
postmodū vexatura. His tantæ sunt viæ, quātæ succurre-
tint voluptates. His iter est, quod comes libido periculis
dictaoerit peritura. Arrepti. n. anfractib. viorū trahētiū
vario lapsu rotantur in interitū miseri, in certissimā viā
non redituri: in exteriora tendunt animum more riuulo-
rum, quorum nunquam egressus est in propriū fontē. Si-
quidem hanc vitam cui finis est comes, vt ipsi opinantur,
prosperis cursibus ducunt: sed gradus in vltimis male om-
nino finitur, dum dure in nouissimo statur. Et quid pro-
B dest per discrimina prospere cucurisse, si post cursū con-
tigerit interire? Frustra denique nauis per superbum pela-
gus & insanum, amicis fluctibus, commoda prosperitate
eucurrit in portum, si cum naufragio peruenit, & periturā
portus acceperit Commodius igitur est cuius libet ducatu
pressuræ ad portum gloriæ peruenire, quam delicato na-
uigio, morbidæ laxitatis peracto cursu, in pœnas exire.
Sæpe itaque potior est paupertas opibus, deformitas for-
ma, contumelia laudibus seruitus potestate, imbecillitas,
virib. libertate captiuitas, humilitas dignitate. Dauid illu-
Psal. 118 stris propheta huiusmodi carmē expressit. *Bonū est*, inquit,
mihi Domine, quia humiliasti me, vt cognoscā iustificationes
1 Cor. 11. *tuas*. Ergo melius est supernæ disciplinæ iudicio humilia-
ri, quā cum mundo damnari, dicente apostolo. *Cum iudica-
mur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*.
Ergo quod ex amore Domini nostris vulneratibus præro-
gatur, sine murmure sufferamus Impenditur. n. vt à me-
dico remedium, à Domino disciplina. Artis est medicinæ
aliquoties ignibus ferro curare. Quid mirum si Dominus
nostrarum medicus animarum, turbinibus excutiat, mor-
bis examinet, calamitatib. purget? Fortitudinis est nostræ
quasi per ignes & flammas vasorum more purgari, quod
scriptura diuina testatur & probat. *Vasa*, inquit, *figuli pro-
Eccl. 27. bat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Et alibi
C inquit. *Aurū & argentum & ferrum & plumbum, & omne
Num. 31. quod per ignem transierit, emundabitur*. Numquid vasa di-
cunt figulo. Cur nos arbitrio flāmarum examinas & incē-
diis coquentibus vris & probas? quæ nisi arbiter ignis iu-
dicio suo aptissima pronunciauerit, in vsu esse nō possunt.
Nos quoq, nisi tentationum purgauerit iudicium vel exa-
mē, nostrorum figulo membrorū inutiles inuenimur, qui
nos vrit vt curet, tentat vt liberet, vexat vt saluet. Nihil. o.
tam inquinatum, tam sordidum, quod non à vitus pur
gationibus expietur. Sæpe denique vidimus sordidatos
improperio, venisse in candorem, ferrumque situ obdu-
ctum in antiquam faciem splendescere. Videmus aurum
argentūque flammæ disciplina purgari, & arbores trun-
catas cultu lætissimo reuiuiscere, amœnisque virgultis or-
nari. Vidimus in fœcunditatem sterilia reuocari, & ex-
D hausto stipite exire radicem, & frugem maximam comi-
tari. Ita quoque in nobis, quod forte peccatis prementi-
bus æstuabat, quicquid macula squalentis vetustatis ob-
stabat, hoc ægritudinis luce exclusum est. Et ideo te sanū,
frater, medica reddidit ægritudo membrorum. Sola in
te materia carnis indiget virium sanitatis: ac ne forte vexa-
ret, vtili modo vexatur & morbo. Hæc est quam in omni-
bus percutit canicula senectutis, & sicut fœnum arescit,
Esa 40. florem proprium perditura, sicut scriptum est. *Omnis ca-
ro fœnum, & omnis claritas eius, vt flos fœni, & cecidit flos:
verbum autem* Domini *manet in æternum*. Æquanimiter
igitur perferamus, si corpus quod sicut fœnum legimus,
casuris floribus periturum, lædentibus malis iactetur ex-
haustum, cuius sanitas, animæ morbum consueuit infer-
re, & contra commoda spiritualia, ferales ac barbaras eli-
gere voluptates. Sæpe denique caro milites castitatis ef-
frenata discinxit. Pro nobis est igitur, si longis flagellis &
mordacibus castigemur, cuius tamen castitate pugnatur.
Amamus carnem stolidi, haud dulemus animæ carcerem

& sepulturam. Thesaurum itaque ipsius carnis fragilitate E
contempta, quod acciderit, deuotionis amplexibus rapia-
mus. Meticulosum est enim Christianum militē velle læ-
tannū modo in tranquillo consistere. Deiectæ mentis est
turbinē formidare, cōtrariū vero inter cōtraria nō trepi-
dare. Infelicitatis est aduersa nescire: felicitatis est cū ad-
uersus nosse cōgredi, & scire pugnare. Nā cum oēs ictus,
vt iā diximus, quib. quatimur, diuino gignātur ex munere,
exterū se nouerit ab amore Dei, qui nescit tentationib.
vectitari, cū legalis turba multiplici carmine auditui no- Deut. 13.
stro inculcet & dicat. *Tendat*, inquit, *Dominus Deus vester* Prou 3.
*vos, vt sciat si diligatis eū ex toto corde vestro, & ex tota a-
nima vestra*. Et alibi: Fili, inquit, *ne neglexeris disciplinā Dei,
& ne defeceris ab eo correptus. Quē. n. diligit* Deus, *corripit*.
Et iterū *Correptionē*, inquit, *dn̄i noli contemnere. Ipse. n. dat
dolorē, & ipse refrigeria, Percutit, & manus eius sanitatem
præstat* Sed forsitan dicis. Infir. Vtinā vt cæteris, sub spe
sanitatis daretur per interualla tentari. Vtinam sospitatem
intercapedine qualiscunque successus liceret paululū de-
gustare. Quid hoc est, vt morbus in mēbris ita vertetur,
& degat inclusus, vt excluserit sanitatē non redituram? vt
perniciosus comes vsque ad terminū vitæ concussa mēbra F
deducat, dedocatur quoque ipse mutire cum mēbris exclu-
dendus? Quid est hoc, vt sanitatis sensu per omne spatium
vitæ frustrati sint artus? inducto frigore venarum calidus
vigor euanuit in algorem. Incessus quos natura dederat,
torpor inclusus exclusit. Non denique ad exercitium tabi-
di corporis iter vel paululū degustatur: non genua solitas
flectūtur in preces. Digitorū impar ordo interno stupore
turbat*, attentor solita cōtrectare. Quid plurib. Omne of-
ficiū corporis stationib. quondā solitū neruorū adesse, sic
alget inclusum. Proh dolor, solus sic debui castigari: solus
tam perniciosis ictib. subiacere, & diuturnis malis inuol-
ui? Hiero. Quæso te frater, vt hæc murmura patientiæ
frenis arceas, & silentio querulas voces includas, cum te
solamen propheticum sic alloquatur, & dicat *Coniungere*, Eccl 2.
inquit, *Deo & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua Omne
quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, &
in humilitate tua patientiam habe: quoniam igne probatur
aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino hu-
miliationis*. Cum legalia iura atque carmina recenseo pro- G
phetarum, authoritatis quoque mundanæ egregias sentē-
tias concipit auditus, ni fallor diuinæ legis furtiuas, quæ
necesse est præceptis legalib inserantur. Nō enim nocet a-
lienis vti ea parte qua nostra sunt. Hæc prima sentētia est.
Aurum, inquit, probat ignis, & miseria bonos viros. Et
alibi Nihil, inquit, eo videtur infelicius, cui nihil vnquam
euenit aduersi. Non licuit illi se experiri, vbi omnia illi ex
voto fluxerunt Et alibi. Miserum, inquit, te iudico, quod
non fuisti miser: transisti sine aduersario vitam, nemo sciet
quid potueris, nec tu quidem. Opus est enim ad notitiam
sui experimento. Quid quisque possit, nisi tentatus non
didicit. Et alias. Diu enim esse felicem, & sine morbo
animi transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram
partem Ergo miserias emergentes, quibus ignota discū-
tur & felicitas nascitur, virtus quoque excussa purgatur,
felici animo perferamus, siue quia pati nos oportebat,
siue quia captiui iam detinemur. Auro nisi addiderit flā- H
ma fulgorem, vilitatem patitur purgamentis obscurum,
ita qui non fuerit miseriarum tentamentis excussus, iacet
partium felicitatis ac suæ virtutis ignarus. Merito Salomō
hac voce testatur. *Qui tentatus in aliquo non est, nescit qua-* Eccl 34.
lis sit. Benedic ergo Dominum tempore tribulationis,
quem laudasti tempore sanitatis. Vtere carminibus vo-
cis propheticæ. *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni* Psal. 33.
tempore: semper laus eius in ore meo. Vox illa quam ma-
ximè Beati Iob ex te constanti præconio depromatur,
qua defectæ vires ingenti nutrimento lactantur, & in
nouella talia reparatæ consurgunt. *Si bona suscepimus de* Iob. 2.
*manu Domini, quare mala non sustinemus? Dominus de-
dit, Dominus recepit, vt Domino visum est, ita factum
est: sit nomen Domini benedictum*. Aduersum igitur sa-
tisque contrarium est, probationis tempore in Domi-
num murmurare, quia aut vitæ nostræ pestiferam la-
bem, ærumnarum iactatione vexat vt liberet, aut

A iustitia ventilat, vt coronet: ac vexatione membrorum aut delictum vapulat, aut iustitia probatur vt vincat. Námque vt ad fulmen passionum tuarum probationis antiquæ palmæ tuum meritum reuoluamus, iustissimis vtamur exemplis. Quanquam notum sit, personarum merita longis gradibus discrepare: non est iniquum, si hominis Christiani certamen victricis iustitiæ congressionibus comparemus. Mediocria sunt quæ videris in hoc mundo perferre, si recensueris quid Iob familiaris domini quiuerit permittente domino sustinere. Téperauit Deus, vt cógrueret atque cóparerer viribus tuis. Puto nec posses, qui impar es iustitiæ titulis, esse succedentibus æqualis. Minus autē viro iusto quateris, sed grauius à cæteris vulneraris: illius sunt magna, sed nec minora sunt tua. Namque ipse magnus es, qui sequeris magnum. Vnus hic fuit Iob patriarcha maiestatis cultor inuictus, æqualitatis censibus opulentus & diues, cuius illustrium meritorum præco extitit dominus, cum inimicæ factionis instrumenta feralia,
B laudis præconio præueniret. *Animaduertisti puerum*
Iob 1. *meum Iob, quia non est ei similis quisquam in terris? homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanēs in innocētia sua, & in simplicitate cordis?* Igitur cum ex diuino permissu hostilibus iaculis quateretur, eumque frequens latronis insinuatio truculenta pulsaret, emergentes ictus patientiæ clypeo debellauit, malorumque ingruentium syluam feralem sagittis atque crucibus plenam, obicibus iustitiæ robustus occurrit. Ille inimico turbine, ademptis opibus, non sentit aliquod damnum, qui luctum in damnis inuenit, qui dominum pectoris finibus portabat inclusum. Ille cum ædificium concussis angulis vis repentina torqueret in lapsum, liberis subductis orbatur, & fide stabilis & immobilis perdurabat: cuius innoxia membra atque domino plena, cum bestiarum legionibus verminarent, & plagarum infestis ictibus corpus, & vermium globus per cuniculos confossæ carnis perniciosus erraret, intra vulnera iustus incolumis militabat. Et quem pestilentibus plagis rabies infesta carpebat, hostiles turbines tranquillitate mentis, vt cederét, perferebat. Iustus vapulando vicit, inimicus cædendo de-
C fecit. Huic suorum negatur seruitium famulorum, circa te tui funguntur seruitiis ministrorum. Te amici frequenti accessu consolantur, & dulcat, vt si natura permitteret, hoc onus tecum fortè portarent. Vna est, frater, vna est animi virtus, quæ nos ex huius vitæ turbinibus, quasi de pelago eruens in portum tranquillitatis inducat. En dies pronis lapsibus accelerat in occasum. Ecce mundus immundus sordibus senectutis rotatur in lapsum. Ecce nos suffragio mortis victores suscepit cœlum. Cuncta nobis euadentibus pereunt, & occasu iam finitimo non reditura sorbentur. Apud nos post perditum mundum, post corporis mortem sanata sunt omnia: lætabimur incolumitate membrorum, vbi vita nullo morbo vexabitur. Ideo in te, frater, officia corporis impedita præstantissimus animus illustri ducatu ita gubernet & regat, vt hæc calamitas corporis sit occasio votiua virtutis. Non
D enim est arbor solida, nec robusta, nisi quæ assiduo turbinis incursione, stipitibus concussis huc atque illuc inclinata tentatur, aut in quam sæpe ventorum turbinum flamen incurrat. Ipsis enim vexationibus constringitur, premitur, fixisque radicibus certius roboratur. Ita nos mordacibus flagellis malorum frequentium munimur extensi. corrigimur verberati, constringimur cæsi, carcerisque squaloribus, dum longis casibus ventilamur. Ergo inter dolores crebrescentes, immanibusque miseris affectos artus regnet cœlesti vigore robusta atque incolumis virtus, qua ferantur contraria, & illa cómoda quæ vocantur aduersa. Inter ipsas angustias sapiens adminiculo solaminis pati lætatur & pubescit, & ambitiosa ratione ampliatur & viuit. Ignorat denique quæ patitur, qui memor est inuictæ virtutis, qui ducatu rationis plerosque comperit fuisse malis oppressos, & malo suo magistra ratione auctos atque nutritos. Ergo tibi parent solatia rationis, vt iam pro cómodis habeatur calamitas corporis, quæque iacet totius corporis massa captiua. Sed veniet resurrectio te incolumem reddittura, quæque tota in te membra sunt occupata. Sed lingua in laudes domi- E
ni quotidiano nutriatur augmento, copiam laudis in regnis cœlestibus narratura. Dominus te medicina cœlesti confoueat, & sub tali pondere inflexibili virtute durare permittat.

EPISTOLA VII.

AD AMICVM ÆGROTVM

De viro perfecto.

ECcecitetum ad te scribo, & nihil dignum quod prudentiam tuam legere deceat inuenio: & quid mirum si te absente velut à sole destitutum, frigidi cordis alget ingenium, & mens à lumine peregrina, stultitiæ nubilo suffocata torpescit, ac tanto minus sapio, quanto à te latius separor? Quod si in præsentiarum quid tibi in meo sermone placuerit, tuis mihi orationibus præstabitur. Denique vt omnem stultitiam meam diligentius re- F
cognoscas, etiam stomachum meum post illud susceptum ceratum tuum te absente curaui, à quo peius mereor pati, cui post sanctum ministerium tuum, & angelicam seruitutem manus intuli medicorum, quasi propheta non esset in Israel, vt mihi si quid pateret facilius esse debuerit ad te reuerti, quam gentiliter cogitare: & melius vel difficillimi itineris laborem perpeti, quam conspectus tui tam pretiosa visione fraudari, vt quæuis potius compensatio sequeretur, quam ad muscam religionis Accaron deuenirem. Hæc milite absente mundus iste suggessit, qui te præsente in me non habebat cósilium. Tu me enim curiam feceras prophetarum, non conuenticulum Sirenarum. At nunc in me ad destructionem sancti contra me operis tui omnis stultitiæ senatus ingrediens quadruplici forma mecum agit. Nam senus de absente exigit, quod te præsente non præsumpsit, vt intelligas si quid apud te iuxta Deum sapui, tuum fuisse quod sapui. Sic absente Moyse populus Israeliticus Exod. 32.
fornicatur: sic in naui Domino dormiente, Apostoli tem- Mat 8.
Ioan. 5.
pestate turbantur. Sic in Bethsaidæ porticibus hominem nó habentem aqua piscinæ salutaris ignorat. Quamquam G
& hic aliud genus culpæ aduertam. Corpusculum curaui, cum anima langueret: exteriorem hominem foui, cum interior ægrotaret: humanis subueni, cum diuina laborarent, vitio publicæ consuetudinis inclinatus, quo omnes sumus in minimis cauti, & in maximis negligentes: hocque ideo fit, quia vbi vera vita sit, ignoramus. Fallit nos videlicet sol iste, decipit dies ista, tractus nos iste circumuenit. Mundus inducit, dum & sole amplius esse nil putamus, & lucem arbitramur esse quam oculis videmus: & hominem iudicamus esse, quem cernimus. & mundum credimus facere cum vita, ignorantes vbi sit homo, & quid sit homo, & quæ eius hominis vita sit: quod si intelligeremus, non, aliud generati, aliud viueremus. Ita vitæ origine deserta, viuendi quoque perdidimus rationem. Ac primum vbi homo sit iste, de quo loquimur, audiamus. Quoniam disputationem quandam nobis ipsa diuisio generauit, quem intra hoc H
corpus quod Dei artificis manu limo terræ formatum est, velut quodam vasculo intellige contineri, dicente Apostolo. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*: 2.Cor.4.
qui vbique per hoc corpus infusus, vitalem sensum, qui tibi non deficit, cum carne mutuatus est. Regit ipse, non regitur & habet potius quam habetur: vt vitam non accipiat, sed ministret. Nam cum terrenam istam pigramque materiam in vsum ministerij sumptam spiritus liquidus animaret, fit dominus corporis, non homo sub corpore. Denique hoc, quod dixi, vasculum ipso viuit præsente, & ipso moriturum abeunte. Hic ergo & visibilis & caducus, illius interioris vel habitatio, vel minister, vel vagina est. Ipse vero qui verè est homo, quoniam sic secundus factæ diuisionis est locus, vt ipse inuisibilis: ita omnia eius inuisibilia sint necesse est. Non ad illum si ægrotat manus valet peruenire medicorum, non herbarum succis, si deficit, reparatur. Nihil ad eum corporeum intrare potest: substantiæ tantum suæ illi similitudo

descen-

A descendit, verbo curatur, obedientia conualescit. Deniq; cum sibi in ecclesia Laodicensi, & beatus, & diues, & bene oculatus, & bene vestitus secundum exteriorem hominem videretur, increpatur à domino, diciturq; illi. *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus?* (Apoc. 3.) Qui vtiq; vt dixi, nec sine veste, nec sine oculis, nec sine diuitijs habebatur. Sed ille inuisibilis Deus noster illum inuisibilem hominem in paupertate, in cæcitate, in nuditate esse cernebat: cui etiam suadere dignatur, vt ab ipso aurum mercetur ignitum, & vestem albam qua gloriosissimè vestiatur, & collyrium quo recipiat visum. Habet ergo & suos oculos pter istos carnales, quos potest vel amittere, vel curare: & est iuxta se nudus, adeo vt egeat vestimento, sed miro modo ad medicum, vt ipse ait dominus, loquitur, & iubet illum à se diuitias cóparare. Quibus mercibus si & nudus, & pauper est, vel illá vestem nobilissimá, vel illud aurum purgatũ iam igne mercabitur? Vnde commercij talis poterit esse impensa? Videlicet si aut exterioris hominis emolumenta transfoueat, aut ipsis quib. ipse diues forinsecus videbatur, nun- B dendo ditescat, oculosq; corporis quibus mundialium rapiebatur ardore, despectu corruptæ vniuersitatis obcæcet. Ita ille inuisibilis homo, qui verè, vt diximus, homo est, & in contemptu huius exterioris attollitur, & nuditate vestitur, & cæcitate illuminatur. (Gen. 48.) Sic Iacob Ephraim, & Manassen, nepotum suorum, non solum loca, verumetiam merita incorporea cæcitate cernebat. Nam cum illum Ioseph filius suus, qui supradictos paruulos offerebat, nec ante pedes suos cernere iudicaret, sensit in parentis responsione illum etiam quæ essent futura, prospicere. Sed vt ille interior homo exteriorem istum facit sua vita viuentem, & de fonte naturæ suæ animat irrigando, sic rursum exterior per corruptelam mortiferæ materiei suæ, illum si cupiditatibus illicitis alligarit, occidit. Et cum alter naturæ videatur alterius, trãsit in victoris vnusquisque substantiam, vt aut carnalem quoq; spiritualis spiritualem suis virtutibus præstet: aut carnalem animam caro victrix eius efficiat. Denique cum dominus diluuio de- (Gen. 9.) C lere humanum genus cogitaret iratus: *Non permanebit,* inquit, *spiritus meus in hominibus, quoniam caro sunt.* Et quia vtique oẽs carne vestimur, & sine dubio in carne nõ sumus, qui non secundum carnem ambulamus, hinc etiam gignitur, vt non semper homo isto appellationis nomine censeatur. Nam pro virtutibus suis, aut vitiis, & formas sumit & nomina, Deniq; ait propheta. (Psal. 31.) *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Sunt ergo homines qui apud dominum sunt equi & muli. (Matth. 7.) Et dominus ait. *Nolite proijcere margaritas vestras ante porcos.* Sunt ergo homines & porci. Et iterum ipse Dominus. (Matth. 10.) *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Sunt ergo homines & lupi: & econtrario homines sunt & oues. (Ioan. 21.) Et ait adhuc dominus Petro. *Pasce oues meas:* & ipse prius. (Matth. 10.) *Veni post me, & faciam te piscatorem hominum* Sunt ergo homines & pisces: Sed hæc formæ actuum videntur esse, non corporum. Nam corporis nostri certus est status, vt omnium animantium: sed quoniam apud Deum non de statu corporis nostri, sed de vitæ meritis iudicamur, apparet omnem hominem mente sua sibipsi statum nomenq; formare. Quod vtique ex illius, D quem describimus, inuisibilis hominis aut culpa, aut virtute præstatur. Ipsius siquidem vitium est, si subiectus passus sit esse subiectus: si contra diuinam dispositionem sit in dominatu seruitus, & in seruitute dominatus. Sed ne videar (quoniam paululum deiecto velut pariete ad illum inuisibilem hominem disputatione perueni) corpus omnino destruere, quod adeo magni est sacramenti, vt in hoc ipso, id est, in nostro fragili & infirmo dominus venerit, non hoc egi, aut hoc ago: sed illud ostendere tentaui, huius exterioris vitam illius interioris vita consistere: iterum, interioris mortem descendere huius de morte: vbi propinatũ venenum per vitia fuerit, nihil habere istũ de vita: nisi ab illo irrigat⁹ fuerit, nihil tenere, alterumque in naturam alterius, vt dixi, aut infectum vitiis, aut deterium virtute transire. Igitur quoniam iam & vbi sit homo, & quid sit homo breuiter licet ostendi, quæ nunc eius hominis vita sit, videamus. Si. n. ista certè mundialis vita, quæ mala pro bonis habet, & bona pro malis, (E) quam totus orbis sequitur & colit, non hæc in affluentia diuitiarum est, non in fastigio potentiæ, non in iurisdictionis astu, non in pompositate facundiæ, non in viribus per prælia gloriosis, non in mercibus, pronunciarum mutatione & sui peregrinatione crescentibus, non in lenocinio formarum, non in ambitu munerum, non in his est deniq; omnibus quæ videmus: quoniam cuncta hæc occidunt, & sine istis beate, etiam iuxta seculum, viui solet. Sed illa est vita vera, vita veneranda, Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem, mundum in opifice mirari, interpellatorem contemnere, esse victu modico pro naturæ necessitate contentum, veste vili vel pro pudoris ratione, vel pro temporis iniuria communitum. Sic reliquam creaturam non ex sui copia, vel pro vitali ratione, sed pro adiumento huius lucis attingere. Quicquid enim amplius est, à malo est: omnem hominem amare quasi fratrem, nullum lædere, seruire omnibus, (F) formam serui sustinere cum domino, qui nobis præter ministeriũ, quod interius continetur, quotidie seruit in mundo, producendo solem, emittendo lucem, pluuias infundendo, tempora variando, fruges vel gignendo, vel maturando. Nobis enim in totius creaturæ facie, vel vbertate deseruit, quoniam pro nobis cuncta generauit. Sed vt ad hominis officia reuertamur, nudum tegere, alere esurientem, sitientem potare, infirmos visitare, tristibus condolere, mortuos sepelire, nihil apud se habere quasi suum, sed omnia sua cum omnibus iudicare communia, ac tunc magis sibi viuere, cum viuere æstimatur alijs, sibique recondere cum alijs creditur erogare. Et hæc tamen adhuc exterioris hominis liniamenta contingunt. Cæterum illa interioris hominis vita in diuinarum rerum cognitione consistit, non qua cœlum terræ parte voluatur, non an contrario cursu sydera rapiantur, non an oceano generet plenitudo lunaris augmentum, non an orbem mundi rotunditas ipsa suspendat, an quadriforma angulis prominentioribus astringat, an vnus ipse mundus sit, an plures sint. (G) Nam hæc ad animæ non tendunt vtilitatem, & apud Deum stulta iudicantur: sed in illis sanis cogitationibus, siquando versatur, tunc viuit & pascitur. Quæ sunt autem istæ sanæ cogitationes? Illæ sine dubio, cum mens nostra sui recordatur autoris, cum illum velut per quandam resipiscentiam sui opificem suum veneratur ac contuetur: cum eius opera ipsum in eius operibus visura miratur, dicente beato Paulo. (Rom. 1.) *Inuisibilia enim eius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Id est cum ex immensis visibilibus creaturæ ad vniuersitatem inuisibilis creatoris extendimur, & illum per hæc dum inæstimabilem discimus æstimamus, cum eius altitudinem per donum spiritus sancti euoluentes (quoniam ipse solus nos in ipsum, qui ex ipso est, intromittit omnia principia creaturæ surgentis) quasi facti ab ipso anteriores aspicimus, & cum ea quæ Deus fecit, qua- (H) si faciat adhuc intuemur, mundique totam originem transcurrentes, ceu antiquiores efficimur quam sumus ætate: & cum vniuersa prius quam nos essemus effecta sint naturam tamen omnium, quasi per nos genitam, dum autori inserimur reputamus, in quam non vt seruiremus, sed vt dominaremur, intrauimus. Separati itaque à sapientia mundiali, quæ vniuersa aut fortuitis, aut atomis asscribit, diuinis meditationibus sublimati, & ab illis qui aut materiam semper fuisse dixerunt, Deumque tantum artificem rerum voluerunt, separati per ipsius adiutorium: aut qui hæc ipsa pro diis elementa coluerunt: aut qui familias deorum per sexus, per ætates, per partes, velut per plebem aliquam subiectam sensibus introduxerunt, discreti per spiritum sanctum, & in altiora subducti vera vita viuentes, hoc est, veram sapiétiam sapientes, qua stultitia ita caret, recordemur quod mundus ex nihilo à Deo (Rom. 4.) factus est: & quod cuncta animalia per Deum verbo opifice vocata venerunt, quæ à natura non fuerunt: quoniam soli ipsi fas est vocare quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, quod ipsum hominem cui tanta possessio parabatur, ad imaginem suam non aliquis Prometheus ex fabula,

A sed ille conditor vniuersitatis manu quoque sua (ne qua pars eius vacaret in nobis) de limo terræ facere dignatus est, quæ cogitatio, vt dixi, vita est animæ: quoniam hæc prima est ratio viuendi, vt cui se debeat anima, non ignoret, ne alium præter hunc decepta veneretur, ne vitæ suæ ministeria velut vitæ autores adoret: ne in tantum elementa miretur, vt non digna iudicet quæ facta credantur, cum ille magis sit admirandus, qui tam miranda produxit. O quam angusta est hæc diuina cogitatio, & quam vitæ plena est. O quantum ipsum hominẽ ad omne studium probitatis accendit. O quantum illi maiestatem sui cõmendat autoris, cum aliud ille nihil in creatura omni præter se manu Dei formatum esse considerat, non terram, non maria, non cœlum, non denique sydera tam munda, tam pura, tam lucida: hominem solum cuiusdam limi & grauioris & sordidioris elementi, illa formatum esse dextera, cuius dexteræ palmus cœlum mensurat in mensura: cuius pugillus terræ spatia tam infinita iacentis includit, tanti fuit illum fuisse ulum. Videa-
B mus tamen quantum illi præterea applaudat benignitas creaturis, quæ non illum de syderibus effecit: quoniam si esset inde creatus, de materiæ potius claritate, quam de artificis dignatione polleret, cum minor ipse sui corporis origine videretur. Si de cœlestibus factus ad terrarum cultũ deduceretur ad terras, cui esset gloriosius mox futurum de humo excitatum syderibus imponi. Suum, inquam, Deus noster, suum propriè voluit esse quod sumus, nihil materiæ, nihil elementis, nihil quibuslibet principiis, vel magnis vel minimis nos debere. Quæ cuncta si retractet, & in se mens conuersa consideret, ex nostris fiunt moderatiora & angustiora primordiis. At vbi per contactum formari manus Dei desiuimus esse quod fuimus: & in nouam materiæ qualitatem subiacens, opifici suo per elementi conuersionem clarificata natura est, nouumque corporis nostri inter elementa, si fas est dici, esse cœpit elementum, statim omnibus mundi corporibus sublimiores sumus effecti, non naturæ substantia.
C sed potentia conditoris, per quam de subiacenti cæteris creatura ortum est, quod creaturis omnibus imperaret. Denique si metallum nostræ carnis & corporis intuearis, nihil humilius, nihil vilius, nihil inuenies omni iniuriæ passionique subiectius. Sola terra elementorum cæterorum videtur ancilla: sola in se cunctorum potentias non sine detrimento sui sentit, vel dum ventis puluerulenta dispergitur, vel dum fluctibus humefacta absorbetur, vel dum syderum ignibus cocta deuoratur: vt homo ex ea se esse non modo gloriari non queat, sed etiam possit erubescere. At verò si statum nostrum contemplemur, quoniam præstantior est cæteris animantibus, dũ ad suam imaginem Deus informatum inducit, inuenies terram ipsam semen esse nostri corporis. Si quis in ea sensus est, gaudere potuisset quod propter nos, in quibus imaginem & similitudinem creatoris accepit, felicior facta sit demutata, quam sit orta. Manus enim Dei contigit eam, cuius contactum sui causa dum fieret, ipsa non meruit. Quid
D enim hoc statu præclarius? quid poterimus nosse sublimius? Quid tam diligenter in membra digestum? quid tam decore per articulos inflexum? quid tam sublimiter in ora & oculos erectum? quid tam vocaliter in verba modulatum? quid in corde tam viuaciter animatum? quid in sensu ditius? quid in cogitatione secretius? quid in sermone effusios? quid in ingenio fortius? quid in dispositione instructius? quid in memoria tenacius? quid in affectu blandius? quid in cogitatu subtilius? Vt euidenter appareat quod illum protoplastum iam cum omnibus dignitatibus venustatum, immo statum filij sui, Dei nostri ad finem seculorum pro redemptione nostra venturi, in hoc corpus ornarit: cui paradisum etiam illo tempore velut amœnissimum prædium & vrbanis conuenustatum, & rusticis consitum, sub lege donatum, mortis ille præseminator inuidit, venenumque suum decipiendo primorum hominum credulam nouitatem in corpora nostra latenter immersit, & ex duabus substantiis vnicam hominis perfectamque naturam quadam diuisionis discordia dissecauit: vt cum nobis vna mens

esset, id est, illa quam germanitas animæ, & corporis gi- E
gnebat, aliam voluntatẽ per vitiatã naturam contra animã parturiret. Denique & Apostolus ait. *Video aliã legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* (Rom. 7.) Et alibi *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnẽ.* (Gal. 5.) Hæc inuicem aduersantur sibi, vt non quæcũque vultis, illa faciatis. Hinc etiam iste noster conditor, qui vel nos nobis, vel mundum pro nobis fecerat, à primis illis hominibus offensus, maledicta super singulos, prout criminis quantitas exigebat, effudit. Et quamuis iratus, mox tñ mysterium nostræ salutis vt pius pater ostendit. Neque æquum fuerat alio tempore de salutis nostræ remedio cogitare, nisi eo quod mors esset inuenta. Sic à prudentioribus prima fronte morbi adhibetur medicus, vt capite valetudinis deprehenso, facilius remedium salutare succurrat. Nõ ergo nunc tantum dominus ac saluator noster promissus est, cũ clamat Esaias: *Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filiũ.* (Esa. 7.) & tunc cum Abraham dictum est: *Ad hoc tẽpus veniam, & erit Saræ filius.* (Gen. 18.) Nam hoc erat penè iam sero, & F
tanta millia patriarcharum sine spe mortua videbantur quib. vsque vita esse non potuit, si dominum non sperauerũt esse venturũ, dicente Apostolo. *Spe enim salui facti sumus. Spes enim quæ videtur,* nõ est *spes,* sed quæ speratur. (Rom. 8.) Et qualiter spes esse potuit, si non fuit repromissa? Imò vt primo homini illa sapientior omnibus bestiis bestia mortem sapuit: ita oportuit illum dominum nostrum, veram sapientiam, iam tum illo tempore suffragium sapere vitale, quod & fecit. Neque destitit publicare, ne tanta eius factura vno inimici ariete propulsata, sine præsidio alicuius lapsui potius, quam decori generata videretur: simul ne & is validior haberetur, qui tantum opus alienæ virtutis obruere potuisset, quã ille si opus suum quod super omnes creaturas ineffabiliter fecit, aut seruare non potuisset, aut reparare noluisset. Defendit, inquam, ille se hac inuida. Defendit ille noster conditor & redẽptor, pariterque se & posse & velle mõstrauit: quoniã nec virtus potentiæ defuit, nec dignatio pietati. Hæc nobis ma-
gis adoranda, quod sub ipsa erroris nostri tempestate non G
substitit, maiorque etiam dum exacerbatur, erupit: dũ vbi pœnam merebamur, spes redemptionis ostenditur, & in naufragij acerbo discrimine portus salutis aperitur: vt nouo more quæ materia fuerat iracundiæ, esse cœperit origo clementiæ. Sic arcana operatione manifestans quod infirmitatem nostram argumentum suæ voluerit esse virtutis, quantumque nos amare, dum in ipsum peccauimus, ostenderet, quorum obliuisci etiam post errata non posset: imo quos pretiosius redimeret, quam fecisset. Quærat non humana crudelitas criminosis vel priuata ergastula, vel publicos carceres, cum manicis ferreis & duris rigida trabe compedibus irata suspiret, & in pœnas multimodas adinuentionum laxet ingenia: omnisq; iudex surrecti capitis castitatem propriæ mentis discrimine probet alieno, hoc magis amicus atrocitati, quo magis alienus est crimini. Ipsi enim solent truculentiores
esse in reos, qui sunt à reatu puriores. Hi studiosius male- H
ficia, vel criminosorum contagia persequentes, quo minus ac negligentius facinorum vitauere consortia. O miseros, & omni præditos cæcitate, qui bonum exornant malo, qui continentiam sub gestu crudelitatis attollunt, & crudelitatem propriam aliena infelicitate cõmendant quando virtutibus suis miserorum astipulantur exitio, & innocentiæ iudicantis noxiorum cruciamenta supplaudunt. Deus autem noster contra omnem spem, contra omnem pene fidem, ex diuitiis misericordiæ suæ in malo bonũ nactus, in iracundia generans confirmansque pietatem peccandi semen in fructum voluit euadere miserandi: & qui nos propter transgressionẽ perdere debuisset, propter suam misericordiam reparaturum se esse promisit. Et illo tempore quo supplicia merebamur, argumentum saluationis ostendit: vt intelligere possemus quantũ valeret præstare non læsus, qui tantum donaret iratus. In primo ergo homine, vt loquebatur, statim nobis iudiciarium spopondit auxilium, statim de bono thesauro bona produxit, statim ignotum ipsis angelis sacramentum,

quod

A quod implendum esset in nouissimo tempore, publica-
uit, & terreno Adæ Adam promisit è cœlo Nam cum ser-
pentem pro merito suo maledicto fulminaret, iubet eum
terram pro cibo habere, supra ventrē repere: & quoniam
Genes. 3. mortem illā ipse fecisset, addidit, dicens. *Et ponam inimi-*
citias inter te & mulierem, & inter semen tuū & semen mu-
lieris. Ipsa calcabit caput tuū, & tu eius obseruabis calcanea.
Gal. 4. Nonne consideras, nonne conspicis, quod eidem tunc mi-
nabatur in Christo? Aliud enim semen mulieris nullum
prorsus accipio, nisi illud quod Apostolus ait. *Factum ex*
Luc. 3. *muliere, factū sub lege.* Illud quod, vt euangelista ait, Ioseph
filius putabatur esse, sed non erat: illud vtique quod *Ver-*
bum caro factū est. Nam si generandi publicam istā & na-
turalem circunspicimus rationem, semina non habēt mu-
lieres. Denique nulla concipit sine viro, ac per hoc quo-
niam iam tunc in Adam semen humanæ generationis es-
set transgressione vitiatum, semen cœleste promittitur,
vt Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo:
quod cum caro fieret in muliere, etiam elementa illa cor-
B poreæ substantiæ: id est humoris & sanguinis, in ipso sibi
vasculo, in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter apta-
ter. Mater itaque domini nostri Iesu Christi in illa iam tūc
Genes. 3. muliere promissa est. Hæc inimicitiis opposita est serpen-
tis. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te & & mulierem* non
certe, pono dicit, ne ad Euam hoc pertinere videretur.
Verbū promissionis est, quod transmittitur in futurum.
Ponā, inquit, inimicitias inter te & mulierem. Illā vtique
mulierē, quæ Saluatorē parturiat, non quæ generet fra-
tricidā. Ponam, inquit, inimicitias inter te & mulierem,
id est, suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate cre-
dendi non solum te non audiat, si aut suauitatem pomo-
rum pro ad apertione monstraueris oculorum, aut diis si-
milem esse promiseris, sed etiam ipso Gabriele deferen-
Luc. 1. te verbum, rationem de promissionis exigat nouitate di-
cendo: *Quemadmodum erit istud, quoniam virum nō cogno-*
ui? Illam vtique quam ad visionem angeli pudor aureus
tremefecit: fidei tamen ardor & constantia labi nesciam,
ad inquirendam rationem reddidit audacem, & quæ ad-
uenienti præstitit de pudore quod tacuerit, hæc promit-
C tenti de admiratione non cessit. Nam & solicita de eo
quod annunciabatur, exquisiuit. Denique & angelus
non infidelitatem redarguit, vt in Zacharia: sed instituit
de diuinæ operationis nouitate, dicens: Spiritus San-
ctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit ti-
bi. Ecce istud semen mulieris, quod non per traducem
genitalium ministeriorum, commistione sexus vtriusque
infunderetur in vterum, sed claustro clauso indeflorata
virginis inueniretur in vtero. Denique rem nouam ple-
namque miraculi, nouo verbo propheta dum promittit,
Esa. 7. exequitur. *Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium:*
Quotidie certe de procreandi necessitate mulierum con-
ceptus & cernimus, & audimus: de nulla tamen dicitur.
In vtero concepit: quoniam substantia futuri hominis
fusa per virum coalescit in fœmina, vterusque mulieris
non principium est nascituri hominis, sed depositi nu-
trimentum. Maria autem non tam prima quam sola in
vtero concepit, cuius pudoris illibatio conceptum vte-
D ri sine damno virginitatis expressit: quæ sola nobis pe-
Ioan. 8. perit, quod non accepit ex nobis: dicente domino. *Vos*
de inferioribus estis, ego de superioribus sum. Quæ sola ma-
ter est filio, cum virgo sit marito: cuius conceptionem
ignorante virginitate partus agnouit: quæ sola mulier
dicta est non concipiendo, sed pariendo. Ex hac ergo
semen promissum est mulieris, quod secundum homi-
nem dominus Deus noster est, qui non infusus est in v-
tero, sed inuentus euangelista confirmante, cum dicit
Mat. 1. de Maria: *Inuenta est in vtero habens.* Ecce & ab ipso præ-
cedente prophetæ sermone non deuiat quod fuerat
nunciatum: Virgo in vtero concipiet: sed in mysterij no-
uitate, sermonis etiam parilitate concordat, eoque sti-
lo facti historia designatur, quo faciendum denunciat.
Esa. 7. Et prophetia ait Esaias. *Virgo in vtero concipiet:* Matthæus
refert, *inuenta est in vtero habens.* Verbo ipso promissionis
respondet effectus, quod non aliter loquitur euangeli-
sta quam vates: nec ad exprimendam operis nouitatem

inuentæ elocutionis difficultate confunditur. Vbi sunt E
grammatici? Vbi consiliarij? Quæ istos, vt extra consue-
tudinem loquantur, scola produxit? Quæ tam apertè
signatæ nouitatem monstrauit doctrinæ: Non iudicant
humano sensu: quoniam non opus humanum est quod
loquuntur. Et tamen rem nouam, nec antea factam sic
notant, vt intelligas cum mirabili opere & mirabilem
natum esse sermonem. Repetamus denique sanctas fœ-
minas patriarcharum, videamusque si sic de aliqua scri-
ptum est. Legimus de Sara. *Et dominus visitauit* Sarā *si-* Gen. 21.
cut dixit. Et, *fecit Deus Saræ sicut locutus est ei, & concepit* Ibid. 25.
& peperit Abrahæ filium. In Isaac diuina beneuolentia Ibid. 29.
monstratur his verbis. *Et exaudiuit illum Deus, & concepit*
Rebecca vxor eius. Denique & de Iacob vxoribus sic poni-
tur. *Et concepit Lia, & peperit filium Iacob,* &c. De nulla
certè harum scriptum est, In vtero concepit, quæ tamen
quicquid concipiebant, extra vterum concipere non po-
terant, sed quoniam de conuentu virili concipere se no-
uerant, quibus non proueniebat salua virginitate con- F
ceptus: sola vero Maria in vtero concepit, cum inreserato
aditu seminali clauso vtero concepit: ad huius con-
ceptionis semē, si rectè ratiocinabimur, & interius diui-
na tractauerimus, præcessit in figura pro tēpore illa sen-
tētia, quæ primogenita benedictionib. vel obligationib. Luc. 2.
obligauit, dicente dño: *Omne masculinū quod aperit vuluā,* Exod. 13.
sanctum domino vocabitur. Quod est istud masculinū quo
aperit vuluam, cum omnium fœminarum vuluas ape-
riat non puerperij necessitas, sed maritalis agnitio? De-
nique nulla virgo dicitur post maritum, quod nomen
clausis videtur futuris mysteriis conuenire. Et superius
de Rachel scripturam habere monstrauimus. *Et exau-*
diuit illam Deus, & aperuit eius vuluam, & concepit. Certè
non prius dixit, concepit: & post aperuit eius vuluam:
sed prius, aperuit: videlicet, vt maritus apertis vuluæ ia-
nuis velut seminaturus agrum paratum seminibus intra-
ret. Denique subiungit, & concepit. Nō itaque partu, sed
conceptione, immo conceptio patefacta est: nec illam
parturiendus dum nascitur, sed qui parturiendum semi-
naturus fuerat, designauit. Et si iam ante conceptum, G
quippe vt conciperet reserata est, non eam certè ille qui
natus est diu post poterat reserare, dum dicitur, nascitu-
rus: qui etiam concipi, dum esset illa clausa, non potuit.
omne masculinum, inquit, quod aperit vuluam, san-
ctum domino vocabitur. Quæ est ista ratio, quæ nec se-
cundum sensum videtur impleta? Iacob primi locum
fratris fraudulenter inuadit, nec nascendi ordine pro-
hibetur, nec dolositate damnatur. Ioseph filij per auum
præpostera secundum nascendi gradum benedictione
signantur: nec cæcitas errat futura prospicientis, nec
monitor filius dexteram parentis, quæ pinguioris bene-
dictionis succo minorem irrigabat, inflexit. Quæ vt-
que omnia sunt contraria, si putamus de his dictum esse:
Omne masculinum quod aperit vuluam, qui de virile semine 1. Reg. 16.
primi nascuntur ex fœminis. Sed quoniam aliud inte-
rius habet illa sententia, ideo istiusmodi primitiui ce-
dunt, & benedictiones perdunt. Iesse filius Dauid non
primus, aut secundus, aut tertius, sed omnium vltimus
vngitur à propheta, & despicabilior cunctis eligitur in H
regem. Nec illi primo, aut secundo contra Dauid senten-
tia legis de primitiuis promulgata blanditur, quia iudi-
casset vtique maximos, si ab his matrum vuluas meruisset
sei aperiri: quando hoc vtique, aut in qua dicimus imple-
tum, quod vtique non poterat non impleri. Quæ est ista,
cuius vuluam fœtus reserat, non maritus: quæ virgo con-
cipit, quæ non vt conciperet, virgo esse desiit? Non cer-
tè illa de qua scriptura dicit. *Cognouit Adam vxorem suā,* Genes. 4.
& peperit ei filium: sed illa de qua euangelista signat. *Et nō* Mat. 1.
cognouit eam Ioseph, donec peperit filium. Igitur in Maria
hoc sine dubitatione perfectum est, cuius vuluam non
deflorator virginitatis aperuit, sed partus effusus: quæ vir-
go peperit, quæ virgo concepit, quæ prius mater facta est,
quam maritata. De hac illud masculinum, quod verè
sanctum vocandum esset, exiit: quique vuluam secun-
dum promissionem partus editus, non secundum con-
suetudinem naturamque communem, dum concipitur

A viri semine, reseruauit. Sed quoniam diuites Dei sensus
velociter explicare non possumus, tantis se scriptorarum
molibus ad vnam speciem opponentibus, vt lassari sit
facilius quam euadi, quando omnis scriptura cunctorum
sensuum vnus torrens sit, quem humano sermone de-
currere se quis valebit, nec si angelicas pennas mortalium
linguis spiritus asscribat: redire ad propositum conuenit,
& paruo nauigio non in altum vela configere, ne in pe-
riculum curras audacia, sed pro infirmitatis solatio in
conspectu litoris nauigare, vt si quid formidinis oriatur,
vel spes, sit facile teneri posse quod cernitur. Dicebamus
semen mulieris dominum sanctum, quia secundum car-
nem patrem hominem non haberet, eumq; iam infestum
esse serpenti, quem in vtero virginis Dei spiritus, non ma-
terialis generasset humor. Denique quod sequitur, maio-
Eph. 4. rem ab homine virginis promittit effectum dicendo *Ipsa*
Gen. 2. *tuum conculcabit caput*; quis ambigit, quod præter dominum
Sa. 70. nostrum caput serpentis nemo calcauit? Ipse enim solus su-
per dracones & scorpiones ambulauit, ipse captiuam du-
B xit captiuitatem. Nam quod subditur: *Et tu eius obserua-
bis calcaneum*, ad quem alium credimus pertinere? Calca-
neus quidem pars extrema vestigij est. Et dominus post
Joannis Baptismum, post dierum quadraginta ieiunium,
cum ab eodem serpente tentatur tertiæ illius dolositatis
Mat. 4 iam victor exclamat? *Vade retro satana.* Quid aliud nisi à
tergo positum vel relictum, iubetur suum obseruare cal-
caneum? Hæc supra diximus, & inde ad hoc nos ipsa dedu-
xit oratio, quod homo ille interior eum cogitat non in
hoc mundo, sed supra ipsum mundum, cum illo opifice
Psal. 118. rerum ac suo viuere videtur, dicente Dauid. *Beati qui scru-
tantur testimonia eius*: vt pene hoc sit (si fas est dici) Deum
fieri, diuina meditari, illum dominum nostrum salutis
nostræ iam tunc prodidisse mysterium. Vnde & in psal-
Psal. 39. mis ait. *In capite libri scriptum est de me* Caput libri est Ge-
neseos principium, quoniam omnis scriptura vnus est li-
ber, & vnus de quo scriptus est Deus, & istam promissio-
nem de ipso esse videmus in capite, & caput vitæ nostræ
spes est, & ideo caput libri vitalis spes facta per Deum Il-
C lum, inquam, vt sæpe diximus, conditorem senescente iam
Psal. 23. mundo, quod in prima mundi ætate promiserat, præstitis-
se. Vnde propheta ait. *Virga tua & baculus tuus ipsa me
consolata sunt.* Virga mater est domini, ex qua baculus iste,
fesso iam per ætatem mundo, qui eum sustentaret exiit.
Illum ergo in virginis vterum delapsum, vt redemptionis
nostræ totam historiam retexamus, partu effectum ho-
minem, se exhibuisse pro homine, & creaturam suã se de
creatore fecisse. Illum formam serui accepisse, sed se exina-
nisse potestatis voluntate, non natura deitatis, per quam
non poterat non esse quod fuerat. Illum maledicta pro
salutaribus meruisse miraculis. Illum sputa, illum palmas,
illum coronam spineam, illum postremo crucem fuisse
perpessum, illum inferna penetrasse, illum tertia die se-
surrexisse in id corpus quod cruci fuerat affixum, illum ho-
minem post mortem Deum viuum cœlum petisse victo-
rem, sedere ad dexteram Dei, venturum suo tempore ad
iudicium faciendum, illum spiritu Dei per sanctorum suo-
rum ora quotidie celebrari. Hæc cogitasse vixisse est, hæc
D cogitatio pastus animæ est: in hæc relabi vel recurrere,
cum domino iungi est, & cum ipso per hæc humiliari, est
cum ipso pati, cum ipso mori, & cum ipso etiam suscita-
ri. Quid dicam de ipsa resurrectione, in qua cum ridea-
mur a gentibus, non separemur à Christo: licet & multi
qui se Christianos dicunt, resurrectionem carnis exclu-
dant. Sed sic sint illi sine corpore, quibus forte concedi-
tur (si fas est dici) aliter repræsentari domino, quam do-
minus remeauit ad patrem, nos vt credimus & loquamur.
Quid, inquam, hac cogitatione lætius? Quid hac spe esse
poterit erectius? fixumque magis in nostris animis inhære-
re debet, nos aliquando cum hinc exierimus, ad corpo-
ra nostra esse redituros, & animæ interim & corporis di-
uortium non id agere vt nihil simus omnino, sed vt meli-
ores per Dei spiritum reformemur: quoniam iam hic do-
minum id pignus nobis promisisse, accepimus. Et hoc
corpus, quod in sui natura caducum est, & merito pristi-
Gen. 2 næ transgressionis grauatum (vt maledictione diuina ferrur)
ad terrã ibit: id rursum post multa tempora, in fine secu-
lorum, cum minima pars fauillæ sit, aut forte iam nulla ab
eadem terra, quæ illud corrumpit, in nihilum (quoniam
ipsa liberanda est a seruitute corruptionis) in integritatẽ mẽ-
brorum suorum soliditatem, & in statum pulchritudinis E
decoremq; reuocandũ. Quem talis cogitatio non cum ad-
miratione delectet? Reliquias, inquam, corporũ nostrorũ
aut nullas, aut minimas certè, & quantulascunque attamẽ
sordidas & animi nunquã sine horrore inspectas, in suum
iterum hominem, non vt Pythagoras mentiens & delirãs
de Euphorbo esse credatur, sed in proprium suum corpus
& nomen per ossa, per neruos, per venas, per cuncta vita-
lia non modo artuatum, verum etiam articulatũ recompa-
ginandum. Hoc autem non est angustũ, cum omniũ vel
frugum, vel stirpium semina, maiora & pulchriora in gra-
minibus redeant, quam in terra, vel ab hominibus sata
sunt, vel sua sponte ceciderunt. Quis non seminari se in
terra (vt ita dixerim) lætetur, quæ nos meliores quam ac-
ceperat, reddet, dicente Apostolo. Resurrectio mortuo-
rum *seminatur in corruptione, surget autem in incorruptione.* 1 Cor 15.
Quæ possessio præsentium huic spei poterit comparari? F
Aut quid erit aliud quod ad contemptum mortis attollat,
quam hæc meditatio diuinis promissionibus & propheta-
rum vocibus excitata? Quid tale Cleombrotus Ambracio-
ta in Platonis libro disputante didicerat, qui homicida sui
esse non timuit, ac se altissimo præcipitauit è muro, dum
& nullum post mortem autumaret esse iudicium, & sine
discrimine meritorum aliquo, omnes animas post corpo-
ra æqualiter ferri arbitraretur ad cælum. Quod adeo om-
nes pro vero tenuerunt, & sic omnes illos seculi sapientes
vna nebula huius erroris inuoluit, vt & ipse tam laudabi-
lis (vt putant) doctor Socrates homicidam ipsum se pri-
uatim, ne publicè occideretur, occiderit. Aliud longe
Beatus Apostolus præmeditatum habebat & cognitum,
qui *non ab hominibus, sed per reuelationem domini nostri* Gal. 1
Iesu Christi, quod docebat, acceperat: nec Academiæ ne-
morosæ obscuris tectus vmbraculis, sed cœlesti illustratus
lumine: nec in ludo aliquo literatorio inter puerulos oscitã
tes, sed in tertio cœlo inter angelos corruscantes imbutus, G
in contemptũ vitæ præsentis exclamat. *Mihi viuere Chri-* Phil. 1.
stus est, & mori lucrum. Non certè mutum de quo se præci-
pitet ad mortem, sed Christum dominum, per quem hoc
mortale ab immortalitate absorbeatur inquirit. Etenim
intelligit ei lucrum esse mori, cum sit vita futura cũ Chri-
sto. Sine domino autẽ nihil prodest, etiamsi totum mun-
dum lucretur, animæ autem suæ detrimentum esse passu-
rum. Credebat igitur vir ille, vas electionis, se per Chri-
stum dominum nostrum de hac terrã, quæ nunquam sine
vsura reddit quod accipit, sed alia minore, alia plerumque
maiore cum fœnore, vt tricesimum & sexagesimũ & cen-
tesimum, domino ipso in euangelio geminat quæ plan- Mat. 13.
tauerat sic legente: de qua terra etiam veritas quam Pila-
tus ignorabat, quam nemo vtique principum huius seculi
vidit. *Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifi-
xissent*: de ipsa, inquam, se Apostolus transformatum cor- 1. Cor. 2.
pori claritatis domini in lucentia membra rediturum 2. Cor. 3.
ait: per Salomonem quoque istud sapientia promittente, H
eum dicit. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundi-* Sap. 3.
neto discurrent. Et ideo in hanc vocem: *Mihi viuere Chri-* Philip. 1.
stus est, & mori lucrum, securus erupit, in qua vtique quæ
fuerunt merita victura sunt: qui autem longe, vt igno-
rauerunt, ita & ignorabuntur. Nunc si videtur quid sen-
tentia illa Salomonica promiserit, inquiramus. Fulge-
bunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.
Quid est vt quibus flammarum claritas condonatur, his
tam humilis locus vbi discurrant, & abiectus offertus, vel
loci despectu decrescere videantur, qui corporum luce
creuerunt? Quid est, inquam, quod astris per arun-
dineta comparati volitabunt, & in syderis forma fulgo-
ris, stipes terrarum miserrimas permeabunt, cum
longè incongruè misceantur vel fulgores arundine-
tis, vel arundineta fulgoribus? Animaduerte, oro
te, diuini verba mysterij, cui vt non de bobus, ita
nec de arundineto cura est: aut in resurrectio-
ne arundineta quid faciunt, nisi quod nos per
omnium

A omnium formas vel pecudum, vel stirpium laborat ostē-
R.m.15. dere: ac per hoc, vt Apostolus ait, *pro nobis cuncta scri-
pta sunt? Intellige per arundineti imagines, infideles ho-
mines & incredulos demonstrari, eorumque corpora su-
perficie grata, & interius cassa virtutibus, quæ vbi pri-
mum spiritus vanitatis inflarit, sibila serpentis imiten-
tur, & sanos partus, viperarum progenies obsequantur.
Scintillæ, inquit, in arūdineto. Sancti ergo inter pecca-
tores, quoniā non omnis caro eadē caro. In arūdineto ait,
id est, vacua luce corpora, & alienis arsura fulgorib⁹, qui-
bus sanctorum claritas futura pro pœna est: quoniā Deus
ignis consumens est, & iusti in imaginem deitatis adue-
1.Thess.3. nient. Fecit enim *Deus hominem, ad imaginem suam fecit il-
lum: & Apostolus testatur credere se, quod illi similis sit
futurus. Necessariè. Si enim similis Deo fuit cum factus
est, & similis futurus est cum resurget: quoniam quic-
quid nunc in nobis dissimile videtur autori, id omne vi-
tio transgressionis impressum est: & viuam veritatis for-
mam artifex mendaciorum strumosis actib. deformauit,
suamque prauitatem nostris etiam membris, dum men-
tes corrupit, inscripsit, quæ per resurrectionis gloriam
B malè adiecta, aut imminuta diluentur: & id solum quod
autorem rerum tanquam in speculo reddat, emicabit, vt
interpolator opus suum se doleat perdidisse, & homo tan-
dem se integrum esse glorietur. Non tamen hoc omnes,
vt iam diximus, sed iusti tantum in luce erunt: quoniam
1.Thess.3. *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*
Discretionem enim faciet personarum diuersitas meri-
torum. Nam etsi inter ipsos sanctos erit aliqua de ope-
1.Cor.15. ratione distantia: dicente Apostolo: *Stella à stella differt in
claritate: quam diuersitatem vel de impiis, vel de pecca-
toribus sentiemus, quorum alij in iudicio, alij in sancto-
rum concilio resurgunt? Qui etsi resurrectionis ipsius
tempore segregantur, quid de habitu formaque dicemus?
Quæ, vt mihi videtur, non veste aliqua textili, neque
mulierum elaborata pensis, sed suis meritis, & oratio-
nibus erit inuenta, Beato Ioanne hoc in reuelatione mon-
Apoc.19. strante, qui sanctos ait indutos byssinum se vidisse. Et
ne fortè sub tegmina byssini, aut stamina quæreremus,
C & materiale, vel corruptibile ac fluxum aliquid exerceri
in cælestibus opinaremur, subdidit. Byssinum autem iu-
stificationes sanctorum sunt. Tunc ergo, vt intelligo, in
superficie corporis nostri venient, quæ nunc sunt tecta
sub corpore. Tunc vnicuique, miserum me, cōscientia sua
1.Cor.4. testis fiet. Tunc ea quæ de fundamento illo, quale aliud
non pōt poni ab vnoquoq; superædificata sunt, præemi-
nebunt, vt aut mercedem accipiat qui mansura consti-
tuit: aut detrimentum patiatur, qui ardora construxit. Iam
quid illa commemorem quæ sequūtur, quæ tota sancto-
rum sunt, carnem sine terra, corpus sine doloris sensu, a-
nimam sine metu, vitam sine hoc, ætatem sine tempore,
lucem sine nocte, beatitudinem sine fine? Video homi-
1.Cor.15. nē, & in homine Deū: quoniam *Deus omnia in omnibus
est. Totum quicquid nunc impossibile homini creditur,
id iam fieri per munificentiam perpetui regis velare &
D reuelare, liquescere ac resolidare, eumque heri quem &
intrare ad discipulos concreta & corporea parietum val-
uarumque non senserunt, & discipuli tamen stare om-
nes ante se intus conspexerunt: & omnia quæ sine hoc
corpore Dei spiritus fouebat, corpus cum Dei spiritu es-
se facturum. Satiari delectatione harum cogitationum
Christianitas non potest. Hæc illi requies, hoc oblecta-
mentum est, hæc voluptas, hæ deliciæ ire mente in sedem
Dei, ibique sibi locum & parē sedis nō sua præsumptio-
ne, sed diuinitatis pollicitatione vsurpare. Nec hoc illi
arduum videtur, postquam iam ibi in Christo domino
suum esse hominem cognoscit. Vendicat sibi æquum ius
de cognatione per Deum carnis assumptæ: quoniam de
Col.1. carne eius sumus, & de ossib. eius. Ipse.n. est caput corpo-
ris ecclesiæ, ipse principium omnis principatus & potesta-
Ibid. tum, euangelizatore sic Apostolo. *Ex quo totum corpus sic
*compactum & productum per coniunctionem & copulatum,
crescit in augmentum Dei. Quid ergo venturum iudiciū,
& diem domini piis optabilem, & impiis fugiendum:
quid illud igneum diluuium non aquarum fumante ter-
ra, fugiente mari, cœlo in libri speciem complicato, lo-
quar? Tristia hæc sunt diuitib. seculi, sed expectanda pau-
peribus Christi, pro quibus in psalmo dominus suspirat Psal.11.
dicens. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperū nunc
exurgam. Quid tribunal illud ex maiestate iudicantis im-
mensum, & duodecim sedibus adorandum, tantamque 1.Cor.6.
datam à filio potestatem, vt in iudicando habeant etiam
angelorum substantias, quasi eorum creator addictas,
dicente Apostolo: *Nescitis quoniam & Angelos iudicabi-
mus? Et quid erit quod non mancipandum illis esse creda-
tur, quibus & spiritualis illa nequitiarum natura subiiciē-
da est? Quid ergo tunc facient, qui nunc in honoribus glo- Esa.5.
riātur, qui per terribiles præfecturas, & fasces, & æternos
(vt existimant) consulatus, Deo se comparare nituntur
rapina, non natura? Quid faciet qui coniungit domum
ad domū? qui perturbata ciuitate, & cunctis quibus strin-
gebatur hinc inde limitibus fractis, mōtes, flumina, ma-
riaq; transiliens, quantum ad ipsum pertinet, vnam vult
possessionem esse, quæ cōmunis omnium terra est, & in- F
satiabili cupiditate latitudinem immensi orbis excedēs, in
in Alexandri Macedonis anxietatem, & innumerabiles
Epicureorum mundos diffunditur, acquisitisque per aui-
ditatem mundi huius angustiis, in alium credulus non
æstimata proprij corporis possibilitate accenditur, autu-
mans passurum se damnum esse de iure, si fidem non ad-
hibuerit de futuro? Quid hi facient, qui tanquam corre-
ptores morum domini familiam attentius castigatiusque
viuentem, aut in vestibus humili colore, aut in cibi ari-
da parcitate, aut in vigiliarum non otiosa sobrietate, ve-
lut aut indumentis mollioribus delicatam aut epulis co-
piosioribus saginatam, aut thoris calidioribus oscitantem
diuellunt ac vexant, nescientes quod in sanctis Dei mar-
tyribus confessoribusque oculi eius pupilla feriatur? Peri-
bunt sine dubio, peribunt in illa die omnes cogitationes
eorum: nec eos apud tribunal illud aut Lucius Crassus
defendet, aut M. Antonius, aut istis eloquentior Tullius:
quoniam omnis tūc seculi lingua obmutescet, & sola erit G
in rusticulis suis facunda iustitia, quæ infantium fecit ora
diserta, & mutorum linguas nouum soluit in canticum,
cœlestemque sibi harmoniam per sui misericordiam de
suis ouiculis acquisiuit. Ad cuius gloriam celebrandam,
etiam si hominum studia cessauerint, in confusionem
generis humani, lapides clamaturi monstrantur. Sed quo Luc.19.
ego à materia proposita velut mortalium improbitatem
increpaturus excessi? & vniformis mali tanquam publi-
cus accusator mundanis vitiis, dum me aliquorum mi-
seret, non peperci? cum etsi iudicandi tempus esset, lapi-
dem tamen mittere super adulteram non auderem: Etsi
ad innocentis iudicium purioris conscientiæ me armaret
autoritas, tempus tamen expectare debebam, docente
Apostolo, qui sanctis non iudicium sustulit, sed distulit.
Ait.n. *Nolite iudicare ante tēpus*. Illud nempe resurrectio- 1.Cor.4.
nis tempus innuens expectandum, quo per incorruptio-
nis gloriam rediuiua caro miranda assistet iudici, de æ-
ternitate iam manente constantia, cum absistet formi-
do de lapsu: non trepidabit nunc in alium ferre senten-
tiam, cum de se meruerit esse securus. Cæterum nunc
cuncta sunt dubia, cuncta nutabunda, dicente Apostolo. H
Considerans teipsum, ne & tu tenteris: qui aliū vtique sta- Gal.6.
tus tui nescius, facilè iudicas de ruina. Quid & si miseris
fiduciam vt beatis Deus det? præmia potius sanctorum,
id est, vera laudemus, quam improuidi, aut intempesti-
ui, vel de conscientia, vel de tempore denotemur. Re-
deamus ergo ad illas sanctorū nobilissimas & lætissimas
cogitationes: nam nihil lætius est, quam mortalē de pro-
missa sibi hæreditate meditari. Illum quidem, quem di-
ximus ante oculos collocemus: quando quidem securi-
us est vera celebrare, quam miserenda culpare: licet vera
felicia sine peccatorum non possint infelicitate narrari.
Cernamus vtique, vt cōstituimus, Dei sanctos cum facib.
per omnia volitare, & coruscantibus ad vindictam dex-
tris, ancipites gladios stringere. Hæc enim est gloria san-
ctorum Dei, hæc in hoc seculo despicabilis militia, hæc
linguis omnium in detractionibus dissipata. Hic tunc
patientiæ nostræ fructus, hæc sufferentiæ merces erit.

A Hæc præmia pro nomine blaſphematorum, ſubiectā ſibi habere omnē animā ſuperbam, & omnem extollentem hominem, potentiſſimos quondam reges mundi, & toto adoratos orbe cū manicis ferreis compedibuſque ſiſtendos, nobileſque eorum immanium pōdera catenarū collo & ceruicibus ſuſtinentes, (Luc. 1.) ante fulgorem illius auguſti tribunalis his, quos aliquando contempſeraot, deſpexerant, irriſerant, offerendos. Mutata ii. vice vt hoc ſeculum (Matt. 25. Luc 6.) lautorū fit, abud futurū credere miſerorum Væ enim diuitibus, quoniam perceperunt conſolationem ſuam: ſed illis diuitibus, quibus dicendū erit: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non potaſtis me* Illis vtique diuitibus qui de iniuſto mammona amicos facere noluerunt: qui meditati ſunt in cogitationibus ſuis exuberante fructu, quo neminem refrigerebant, noua immenſis fructib. receptacula moliri: qui vbi in craſtinum conderent ignorabant. (Ibid.) Anima eorum eo tempore expoſtulabatur, ſub vna nocte vana ſolicitudine occopata, cum theſaurizare nō ceſſauerint, nec defoſſis inuigilare opib. omiſerint. Hinc B Lazarus pauper cum eo patriarcha, qui peregrinus vixit in mundo, lætatur in cubili ſuo. At diues econtra, in æternis flagrat incendiis, & omni expoliatus dignitate atque ſubſtantia, deſpecti quondam inopis diuinum implorat auxilium, eiuſque vel minimo exoptat digitulo contingi, cuius egeſtatem inter opimas dapes ſuas, & copioſa conuiuia micis quidem de menſa decidentibus non ſuſtentabat. Cum itaque præſcriptum iudiciū per nos, id eſt, per ſanctos eſt celebrandum, nobis vindicta in nationes & in populos eſt donata. Quod cum cogitatur, quæ in nobis mens? quis ardor animi? quod deſiderium futurorum? quis præſentium contemptus? facilius ſentiri quam dici poteſt. (Philip. 1.) Aut quis eſt, qui non ad iſta feſtinans diſſolui ſe cupiat, & eſſe cum Chriſto? Aut quid magnum eſt, ſi pro (Mat. 10.) tantis ac talibus bonis mors contemnatur, pro quibus etiā hæc vita contēnenda eſt? quoniam pro his, *Qui perdiderit animam ſuam, ſaluat illam.* At contra, *qui hic ſaluauerit animam ſuam, perdet eam.* Etenim cum plerique in C hoc mundo velut furialibus flammis ita ſint animi ambitione ſuccenſi, vt non opibus conditis, nec patrimoniis, nec ipſis quoque filiis parcant, quos etiam de auaritia accuſati opponere conſueuerunt, dum præfecturas conſularitateſque mercentur, quas poteſtates & mors adimit, & ſucceſſor excludit: quæ dementia eſt non ea potius impenſis omnibus, & detrimento vitæ ipſius comparare, quæ promotos faciant, vel de vitæ æternitate ſecuros, vel de iudicij perpetua dignitate glorioſos? Tempus admonet, & locus ipſe ſuggerit, nec materia videtur aliena, (Deo meritis Sanctorum.) quoniam de meritis cœpimus tractare ſanctorum, vt infeliciſſimæ infelicitatis blaſphemias diluamus, quæ ad hanc videtur ſpeciem pertinere. Extiterunt enim qui virtutes egregias & cœleſtes per ſanctorum reliquias iam vtique prope noſtris temporibus operantes, maluerunt detractione mordere, quam veneratione ſuſcipere, antiquum illud venenum in Dei famulos Iudaicæ infidelitatis euomentes, quod illi quondam in ipſum dominum vipereis linguis & mortiferis ſibilis effuderunt, dicentes. D *In qua poteſtate hoc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem?* (Mat. 21.) Recitabantnāque nobis iuxta poſitis, quæ diuinis & beatiſſimis Geruaſio & Protaſio infidelitas ſtulta loquebatur, quos dum Papæ Ambroſio aliquid decerpere machinantur, violare ſacrilegis ſermonibus non timebaot, hoc modo rationem miraculorum conquirentes. Quid eſt iſtud, quod ex eo quod martyres ſunt, virtutum dona meruerunt? Cur tam tardè quod iam pridem illis conceſſum eſt, exercetur? Aut ſi ea tempeſtate cum paſſi ſunt, non oſtenderunt, quomodo nunc operati ſunt, quid eſt hoc, quod modo videntur oſtendere: Aut illos maiores reuelatione Ambroſius fecit, quam dignatio martyrij? Agnoſcitis ne aliis licet verbis ita mendaciter quod de domino prodidimus, martyribus ingeſtum: In qua poteſtate hoc facis, & quis tibi hanc dedit poteſtatem? Trepida, vt arbitror, conſolatio, & de liuore generata, quærere an diuinum ſit, quod videas eſſe diuinum: & rationem poſcere, cum credere ſit neceſſe. Et cum Apoſtolus dicat: (1. Cor. 13.) *Charitas omnia credit:* quis dubitat quod ſine charitate Dei ſunt, qui fidem tantis non applicuere virtutibus? E Negat autem fidem, qui quaſi tentator loquitur: Vnde hæc poteſtas? quaſi non manifeſtum ſit in ea ſanctos martyres nunc in ſpiritu miracula facere, in qua poteſtate aduerſarios ſuos prius in carne & in paſſione vicerunt. Conferamus pedē contra iſtos (ſi dici fas eſt) filios Iudæorū, & vt nuper eorū parentū, id eſt, Iudæū, qui ſe in ſacrilegio prudentem nimium putabat, dono deitatis oppreſſimus: ita & hanc ſub chriſtiano nomine blaſphemiarum ſobolem deſtruamus, per eum qui dixit. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo:* (1. Cor. 1.) vt & nos in triompho gemino per dominum gloriemur: & illi agnoſcant intelligentiam rerum diuinarum in fide catholica, non in ſapientia ſeculi conſtitutam, monente domino. *Niſi credideritis, non intelligetis:* (Eſa. 7.) vt manifeſtius conſtet & fidelibus patere infidelitatis obſcura, & ab infidelibus fidelitans etiam plana non cerni. Forſitan quæras pro tua ſolicitudine & vigilantia diligentiaque vitali, quæ fuerit F illa quæſtio, in qua trophæum nobis dominus de falſo Iſraelita donauit. Referam, nec tacebo: quoniam his rebus paginam tibi amas extendi. Etſi enim non congruè, necdum prioribus abſolutis alia cœpta videantur interſeri: tamen pro re malo aliqua etiam non ſuo ordine loqui, quam tuis mihi modo orationibus donata præterire. Quidā de inimicis crucis Chriſti, inter familiares Dei & quidem doctores, de ſcandalo illo gentis ſuæ, quod in dominum noſtrum ſuſceperunt, ſpiritu blaſphemiæ dominium pulſans protulit exempla de lege. Et vt quondam pater eius homicida in pinna templi dominum tentans, quid de ipſo promiſsū eſſet in lege improbus prædicabat: ita hic ne aut minus doctæ perfidiæ videretur, aut nudum pateret ſine maiori autoritate mendacium: Plura, ait, miracola propheta noſter fecit Heliſeus, quam dominus veſter Chriſtus. (Ioan. 11.) Nam cum pro magno Lazarum de morte in lucem reuocatum eſſe referatis, quid amplius dicere poteritis, quam à viuo mortuum reſuſcitarom? (4. Reg. 13.) Profero quod verum eſſe etiam veſtra confeſſione cenſetur. Heliſeus enim noſter iam mortuus appoſitis oſſibus eius mortuum (quem iuxta corpus eius pyratarum G fugiens aduentum, ſupremi officij deferens munus, turba proiecerat) exanimis animauit: & de frigidis oſſibus atque exangui corpore alienum cadauer vitali calore perfudit, nec quod habuit, dedit: ſed alij, quod ipſe tunc non habebat, indulſit. Hoc credo vobis maius cæteris virtutibus videatur, mortuum in auras vitales remiſſum eſſe per mortuum, & eo tempore quo ipſe eſſet naturali lege conſtrictus, alteri legem ſoluiſſe naturæ. Hoc ſi præſtat cunctis operationibus, cur hic potior non habeatur, quem tamen prophetam non dominum confitemur? aut ſi vel ſimile huic aliquid noſtris, edicite: vt honore præcellat, qui fuerit merito virtutis excellentior. Obſtupuere adhæc dicta proceres noſtri, & nullum referentes reſponſum, nec quod telum repercuteret producentes, pene ſub inani aduerſarij machina, inutilique ariete conciderunt: adeo vt ille qui profuga omnium, vt aiunt, eſſe debuiſſet, etiam victoris gloriam ſine certamine reportaret. H Quod vbi mihi eſt nunciatum, ingemui tantam nobis ineſſe negligentiam, vt nec veritatem poſſimus aſtruere, cum alij valeant inculcare pro veritate mendacium: rogatoque domino, quoniam nihil noſtrum eſt, vt ſuis arma ſuggeret, quo eius ignauiæ auferetur opprobrium. Cedo mihi, inquam iſtum magniloquū dicentem: *Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt?* (Pſal. 11.) Proferam profectò per eum qui diſperdit linguam magniloquam, vt intelligant domino famulum non æquandum: licet ipſi nouerint Iudæi, prophetas veteres nulla miracula propriis edidiſſe virtutibus. (4. Reg. 2.) Denique ipſe Heliſeus cum ſpiritu magiſtri hæreditatus, velut inſolentior donorum remuneratione veniſſet, ſcindere tamen aquas niſi ſub Dei inuocatione non potuit. Sed fateor ipſius hanc, quæ propoſita eſt, interim fuiſſe virtutem: vt maior gloria noſtræ fidei ſit, ſi tentatorem etiam dum credimus, opprimamus. Quid ais domini blaſphemator? Heliſeus, inquit, ipſe mortuus alium mortuum contactu ſui corporis ſuſcitauit. Hoc

loco

A loco plene, vt in omnibus, domino suo prophetæ virtus
assurgat, quæ in domino Iesu Christo cum sepulchrum
eius lapidibus infidelitas vestra muniret, lapidem milites
obsiderent, credo ne resurrectio eius idoneis testibus in-
digeret. Nam resurrecturum, si volebatis credere, no-
ueratis. Subito enim ille infernis terræ cardinibus con-
cussis, cum stupore militum, & ruina saxorum non alium
aliquem, sed se suscitauit in lucem. Helisæi hæc propria
dona si fuissent, sibi dare maluisset: nec præstare alij po-
terat, quo indigeret sibi. Denique hoc maius esse vestri
etiam prodiderunt maiores, dum dominum in cruce de-
riderent dicentes. *Alios saluos fecit, seipsum saluum faciat:*
Matt. 27. *descendat de cruce, & credimus ei.* Vestrorum ergo sen-
tentia vincimus. Vestri promiserunt se credituros esse, si
præstitisset sibi quod alijs præstare consueuisset. Cur non
creditis, quod esse præstantius non negatis? Nemo certé
hanc habuit potestatem. Denique & dominus dicit de a-
Ioan 10. nima sua. *Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem re-*
sumendi eam. Recense superbas maiorum tuorum imagi-
B nes, & patriarcharum retexe virtutes, & inueni quis ta-
lem habuit potestatem. Quare non ei credam, quod pos-
sit liberare animam meam, qui potuit & suam? Plura di-
cturo suggessit recordatio volumen crescere, & ideo cur-
sum huius quæstionis esse reuocandum: quoniam adhuc
prior illa astat in ianuis, cui æque sua spatia, & si habenis
restrictioribus, tamen adhuc illibata debentur. Et veré
non fuerunt necessario in hac parte multa dicenda, ne &
ille cresceret: si tamen magnum protulisse aliquid puta-
ret se, quod quæreret prolixa disputatione victoriam,
cuius non sapientiam, quæ nulla in eo erat, sed super-
biam, quæ abundabat, infregimus. Repudiato vero isto
Israëlita, vel ne pugnam se fecisse glorietur: quando-
quidem quæ diximus, ad instructionem nostrorum po-
tius, quam ad illorum certamen conflictumque protuli-
mus: qui non tunc vult credere cum vincitur. Ne autem
sanctum canibus impudenter dedisse, aut margaritas
porcis sparsisse iudicemur reuertendum est illuc, vnde ad
istum locum pene præcisis sensuum tramitibus deuiauit,
& oues domus Isrel diligentius circumeundæ sunt: quo-
C niam si charitas Dei in nobis est, *quis infirmatur, & ego*
Co. 11. *non infirmor?* quis scandalizatur, & ego non vror? Do-
cendique magis sunt, ne vsque ad blasphemias loquan-
tur, si forte aut non teneant, aut non intelligant prophe-
tata. Quærunt an diuina virtus sit quæ nunc cœpit in
martyribus apparere. Cuius legis homines hoc requi-
runt? Nempe Christianæ, quæ sic est prophetationibus
instructa, vt nihil tam nouum, tam inopinatum nostris
temporibus possit ingruere, quod fides aut admittetur
electior, aut blasphemetur infirmior. Omnia vsque ad
dominum, prophetæ veteres prædixerunt. Omnia post
dominum quæ deerant, Apostoli prophetarunt, Bea-
to Paulo per libertaté Sancti spiritus non tacente, qui ait.
1. Cor. 13. *Ex parte scimus, & ex parte prophetamus:* non quod om-
nia nesciat, aut omnia non prophetet, in quo præsertim
loquitur Christus: sed ex parte de toto prophetat, & ex
parte de toto scit. Prophetat nobis id quod scit illius tem-
poris esse, quod futurum erat. Quod vero prophetat,
D venturæ vtique prophetat ætati. Prophetat autem totum,
etsi prophetat, ex parte. Hæc enim prophetar quorum
apertione pars eius temporis, quæ vsque ad finé superest,
indigebat. Ex parte ergo prophetat, quoniam iam ex par-
Ibid. te fuerat prophetatú: & ideo propheta sciebat vétuta quæ
prophetarat: cuius vel prophetiæ particulas plenitudo (vt
ipse dixit) temporis aboleuit, hoc modo, *Cum venerit quod*
perfectum est, quod ex parte est destruetur, scil. cum in cóclu-
sione mundi nec scientia maior, nec prophetia vlterius
sit quærenda. Denique intelligentiæ istius virtutem, vt a-
pertius demonstraret, subiunxit. Videmus nunc per spe-
culú in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Per figurã
interim sunt vniuersa, & quibusdam imaginú lineis obú-
brata, vt infirmitas carnis nostræ, terrenaque substantia,
magis se ad spiritualium extenderet veritatem, vt ea illi
desiderium pulchritudinis suæ etiá per speculum tenuiter
ostensa faceret, quantaque ipsa esset in sua substantia nos
doceret, cum tam admirabilis etiam in repercussis luce
sua ænigmatib. appareret: & ideo nunc per speculum pul- E
licita conspicimus, nó tamen virtutú merita possidemus,
& osténsa adhuc miramur, non tradita tenemus. Tunc ve-
ro prophetia scientiaque cessabút, cum in ipsam promis-
sionum omnium virtutem, quæ promittebatur, erit in-
gressus. Hinc etiam prophetia semper obscura est, quod
alio tempore canitur, alio cernitur. Quod dicitur, dum
non videtur, quasi non prædictum non creditur. Denique
Esaias cum redemptionem nostram tanto ante in Virgi-
nis vtero meruisset agnoscere, eamque velut iá præsenté
populo demóstraret, dicés: *Ecce virgo concipiet, & pariet* Esa. 7.
filiú, & vocabitur nomen eius Emanuel: præsenté & futurá
infideliú Israelitarú turbauit ætaté. Ná & illi veteres pro-
tá suú, quoniá non viderent q ostédit, interemerunt: & hi
prophetatú sibi, quoniá prophetiam non receperunt, oc-
ciderunt. Quod nobis etiam vt non in Dei martyres ac-
cidat, præcauendum est, si eos quos prior ætas insequuta
est, nostra blasphemet. Et quonia (vt diximus) quod præ-
dictum fuerat, venit: venturum nihil est, quod non fuerit F
ante prædictú, domino ipso sic dicente. *Ecce prædixi vobis* Mat. 13.
omnia. Videamus potius si hæc aliquando maiorum au- 1. Cor 15.
ribus probantur inusia, quæ modo nostris oculis tanquam
impleta finguntur. Videamus si hæc omnia operatur vnus Gal 1.
atq; idé spiritus. Si denique nec angelus de cælo euange-
lizet, præterquam euangelizatú est nobis: licet ipse quæ
fiunt virtutes domini per dæmonum tormenta testérur,
quando Satanas non deuciat Satanam: quia vniformitas
nequitiæ indiuisa naturaliter societate conflata, similitu-
dinis accessione non detrimentum sui metuat, sed capiat
augmentum. Nam & multos in vnius formá legionis pra-
uitas spiritus, & iniquitatis viperinæ confœderatio con-
globauerat: nec sibi oberat multitudo, quæ sicut acqui-
rebat materiam sociata infirmitate virtutem: ita formida-
bat incurrere diuisa permistione inanis substantiæ vacui-
tatem. Sed hac parte interim argumentationis omissa, sic
vt proposuimus, ea quæ in ecclesijs domini, sanctorúque
cœmiterijs admiramur, credenda esse diuinitus fieri, si
prophetata fuerint, comprobemus. Atque in hac tá dura
difficiliq; materia, nec ab aliquo antea pertractata, dñm
consulere deberemus, si cessante merito repudiari nó ti- G
meremus præ audacia: quoniam quæ ipsius sunt, nemo
extra ipsum poterit explicare. Etenim mirum vnde mise-
ris tanta fiducia: vnde est interpellandi dominum fami-
liaritas tam amica, vt in hanc vocem audeamus erumpe-
re, *Osculetur me osculo oris sui:* Quis tantú concepit opta- Cant 1.
tum? Quis tam grandia vota, sui æstimator negligens su-
spirauit, vt ipsius os cominus concupiscat attingere? Atq;
vel vtinam nos eorum dignetur osculo, quos ipse digna-
tus est osculari: vt in secundis postremi tertijsque sisteres,
de eorum labiis aliquam ex parte scientiam trahere me-
reamur, qui totam sapientiæ plenitudinem de domini ip-
sius ore didicerunt. Quanquam, etsi magnorum meri-
torum priuilegiis fulciremur, posita erant in exéplis, velut
alta quædam repetita fundamina verecundiæ: ne quid
indeces & inordinatæ præsúptio leuitatis auderet. Quid
nam erectius Beato Petro? quid ad spem erectius? quid
liberius in fide, quem oris sui osculo dominus se osculatu-
rum esse promisit, dicens. *Tibi dabo claues regni cælorum?* Mat 16.
Et illud. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meá.* Tamen H
hic pódere se quodam pudoris incuruans, fiduciam quam
elatior habebat ex merito, verecundior ad interroganda
submittit, cum in cœna domini non per se quis dominum
esset traditurus inquirit, humiliterque pudibundus oscu-
lum domini ore petit alieno: quod illi etsi apud dominú
fiducia erat, vt subinde etiam homini inconcessa præsu-
meret, vt ibi, cum per maria gradientem dominum au-
det poscere, vt ipsum pariter, solidata sub vestigiis aqua-
rum terga sustentent, aliquid sibi diffidentior, sed consul-
tior nobis, quibus suo actu imitabiles formas tanquam
in speculo collocabat. Si per legatum præscientiam do-
mini cautus explorat, quid hac instructione dignius?
Quid hac consulendi arte subtilius? Quod nos facere de-
bemus, quibus cum fiducia nullus sit meriti, debet esse
saltem pudor exempli, imitantes vel in hac parte beatum
Petrum, qui non solum qua humilitate, verum etiam

A per quæ ad desiderata peruenire possimus, ostendit. Ab
illo absolutionem quæstionis huius, quem ipse non erubuit interrogare, quæramus. Ab illo, inquam, qui in ipso
domini pectore, velut super arcam noui veterisque testamenti recumbens, non modo ad vestibulum aliquorum diuinorum oraculorum diligens inquisitor accessit,
sed ipsum penetrale secretæ dispositionis tanquam familiaris sacerdos intrauit: & ideo solus vidit in principio
verbum, quando illi velut exterior sacrosancti templi ara,
sic interior metienda committitur. Ipse nos de eo libro,
quem septem signaculis clausum fleuit, reseratúque lætatus est, non per aliquem pseudotypum, sed per patentes
ianuas in suum pectus veritatis indicat. At qui nedum
consultur, imminoremur, præuenit inquirentes etiam præscientiæ compendio: quod trepidum aliquando nostris
mentibus futurum cernebat, illuminat. Reddit enim velut percunctatus responsa de Pathmos. De eo vtique loco vbi cœlorum secreta, præclusa Cæsari, non alienus intrauit, & angelorum sacramenta pulsus ab hominum con-
B uersatione cognouit. Ait enim. *Vidi sub ara Dei animas*
Apoc. 6. *occisorum martyrum propter verbum Dei, & testimonium
Iesu, quod habebant: & datæ sunt illis singulæ stolæ: & clamauerunt voce magna, dicentes. Vsquequo, domine, sanctus
& verus non vindicas sanguinem nostrum ab his qui in terris habitant? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, & dictum
est eis, vt requiescant adhuc paruo tempore donec compleatur
numerus conseruorum & fratrum eorum*, qui occidentur
postea exemplo eorum. O Apocalypsim vere diuinam,
& tanto Apostolo merito confessionis tempore patefactam, vt magis ad tolerantiam durarentur, cum illi passorum merita monstrarentur. Non ergo errandum est per
folia Sibyllarum, quarum vt paginæ incertis mundi malis spiritibus luctabantur: ita loca venns huius aëris turbabantur. Ecce euidentissimè Apostolus hoc quod habebat, enucleat: & obscurissimæ quæstioni lumen infert.
Senserat hæc aliquando dicenda, quæ nunc sinisterior
lingua tanquam oleo mollius arte sermonibus in audientium & suum iaculatur interitum. Et propterea vidi, in-
C quit, sub ara Dei animas occisorum martyrum. De fide
testis nullus ambigit: testimonium ventilerur, intelligentia responsi nutet, non dicentis autoritas. Ac primum istud est animaduertendum, quod animas occisorum martyrum Apostolus testatur se vidisse: ne quis, cum de muneribus disputare cœperimus, post resurrectionem dicat
tribuenda martyribus, quæ adhuc animis docentur indulta: præsertim cũ istud astipuletur nobis, quod de mora
iudicij conqueruntur, quam resurrecturus vtique, nõ qui
iam resurrexit, accusat: quoniam aliud est poscere vt teneas, aliud iam tenere. Stolæ autem martyrum donantur
exercitui, & tanquam tãtæ libertatis ingratus, magna cælum pulsat inuidia de tarditate vindictæ: quia non leui
pondere sermonis exprobrat, dicẽdo: Quousque domine:
hoc est dicere. Quousque nõ vindicas, quos statim vindicare debuisses? Quousque domine, hoc est dicere. Num-
D quid non vltra finem differs seculorum? Nam iam ad finem vsq; peruentum est, & de nostra vltione non loqueris. Quod cum dicunt, mirabiliter subiungunt: Non vindicas sanguinem nostrum ab his, qui in terris inhabitant?
Ergo nõ quousque, si adhuc illi mortales versantur in terris, qui domini famulos fuste, lapide, vngula, flagris,
plumbo, ferro, bestiis, igne sunt persequuti. Quousque.
n. imputatio est prolixioris ætatis, vt aut quoniq; sit sine
fine: sed adhuc persequutores morantur in carne, aut illi
vita excesserunt, etiamsi in terris habitant, si quousque
non fallit. Sed nihil falsum profertur à testibus veritatis:
& ideo magis interpretatio, non fides quærenda est, quæ
sub obscura elocutione non excluditur, sed velatur. Cum
ergo dicunt. Quousque domine sanctus & verus non
vindicas sanguinem nostrum, ab his qui in terris inhabitant, non eorum mortalium sanguinem mortésque
desiderant, qui in eos quondam, aut populari seditione
sæuierunt, aut tribunalibus suffulti, capitales sententias
promulgarunt, quoniam in terris adhuc inhabitant.
Act. 7. Nec fas est vt accusentur defuncti, qui dum viuerent
sunt defensi his verbis: Ne statuas illi domine hoc peccatum, ignorant enim quid faciunt. Quod si inter passionum tormenta, & amaros mortis dolores, tam piè
quilibet pro iniustis, pro impiis, pro cruentis, pro blasphemantibus supplicarunt: si eo denique tempore quo
ipse angustiarum sensus extrema patientium poterat excitare ad maledictum, precatio pro homine fusa est,
quis non intelligit, non mentes martyrum, sed persecutorum personas fuisse notatas, eosque appeti, quos in
terris adhuc inhabitare credendum est illo tempore,
quos quidem ignorantia non defendit: non eos, qui in
terris habitare iam per conditionem naturalis substantiæ desierunt, & olim ab ipsis martyribus sub ignoratione sunt excusati? Qui isti sunt non ignoramus. Spirituales sine dubio nequitiæ & tenebrarum potestates, quæ
& in terris adhuc inhabitant, & non eum ignorantia in
Dei famulos peccauerunt. Nam cum ipsi domino dixerint: *Quid venisti ante tempus torquere nos*: quomodo eius *Mat. 8.*
famulos nescierunt, quos nec persequuti essent, si eius
famulos ignorassent? Ergo cum persequuti sunt, scierunt F
quos per tormenta à domino sun detrahere conabantur. Ac inde eum beati martyres pro hominibus intercedunt, eosque ignorantiæ excusatione defendunt, sequitur vt scientes teneantur in crimine: quippe ipsas ignorantiæ tenebras hominibus suffuderunt, quorum
furor etiam impietates excusat humanas, quos non alios
dicere poterimus, quam qui etiam suis non amici sunt,
dum eis non permittunt esse quod bonum est, etiam Dei
famulis inimici sunt, dum eos quod bonum nesciunt,
persequuntur. Post harum sanctarum animarum querelam, sequentiã videamus. Et *datæ sunt*, ait, *eis singulæ stolæ* *Apoc. 6.*
albæ. Quid hoc est quod iterum vestiuntur? Nam prius
vt scriptum est: A Deo vestes sunt consequuti, & nunc
indumentis gemina libertate donantur. Quæ vtique vestimenta cum spiritualia sint, non possumus vereri, ne
illa quæ prius data sunt, extra videantur, nec sane querela generata est. Igitur quoniam diuersitas ipsorum &
significatio vestium, non sine mysterio est, intelligere debemus donorum varietates, & operationum diuitias:
quoniam omnia subministrat vnus atque idem spiritus.
Accipiunt ergo vestes prius, vbi per confessionem corpora posuerunt: credo vt vestiti, non nudi inuenirentur. G
Rursus accipiunt alia vestimenta post interpellationem,
imo post immutationem tam longæ patientiæ sustinentiæque. Quæ vtique cum accipiunt, quis non intelligit, vt
noua illos veste, ita virtute perfusos, qua nunc emicant
& apparent? Quod si aliud postulassent, aliud accepissent, aut dona respuerent, aut amplius quærerent tristi.
At cum nec irridere illos Dei sit quibus magna promisit,
& hi post secundam magnificentiam non quærantur,
dubitamus ne, ad consolationem querelarum eam speciem pertinere, quæ vindictam postulantibus est donata? Ac si ad consolationem, quæ maior consolatio poterit inueniri hac potestate, qua dæmones, id est, suos persequuntur inimicos? Nam si stolas istas ad speciem nostrarum vestium conferamus: alias quoque aliquas, ne in his
reponendis egeant, inquiramus. Sed hoc ridiculum est,
quod statim occurrit, quia à vera & necessaria interpre- *1. Cor. 1.*
tatione discedit. De vindictæ mora generata est querela. H
In finem vtique temporum, id est, nostrorũ: *in nos* enim
fines seculorum deuenerunt, vt mota credatur, ad hanc diluendam stolis animæ vestiuntur, ne omnino nudæ sine maiori protectione putarentur. Alia enim ratio animarum est corpore expoliatarum, alia hominum adhuc
in carne viuentium. Nobis ouium vellera & operatio
mulieris, indumenta procurant: & illis faciunt merita vestimentum. Cum ergo post querelam martyrum animæ
stolis amiciuntur, diuina protectione donantur, qua se
superuestiri etiam ille vas electionis optabat: quam vestem Adam cum amisisset, etiam in paradiso nudus inuẽtus est. Denique indicat operatio quid per stolas intelligere debeamus. Si postulasse vindictam martyres credimus: ergo ad consolationẽ credimus interim aliquid accepisse. Si propter stolas velut quasdam vestium largitiones, querela sedata est, cur non hæ & prima dona meruerũt? Sed quoniã, vt dixi, virtutum varietates, quibus diui-

nitus

A nitus præclaræ animæ muniuntur, in stolis sunt designatæ: ideo post secundam muniﬁcentiam, iuxta postulationis formam, in eos persecutores, qui in terris inhabitant, quod consequuti videantur, ostendunt: quid adhuc etiam habituri erunt, dum pari persecutione conseruos eorum, donec prædestinatus testium numerus impleatur, occident. Hic & istud non otiose est accipiendum, quod inter duo persecutionum tempora, hæc martyrum vox præcessit, vt designent illos blasphemare, qui eos nostro tempore noui aliquid consequutos fuisse mirantur. Nam & cum fuisse crudeles persecutiones videamus, & venturas credamus: medium ergo istud tempus quo martyres qui præcesserunt, remunerantur, hoc nostrũ est. Et ideo nunc operantur, non de merito quod semper habuerunt, sed de virtute quam nuper adepti sunt. Forsitan moueat aliquem, quid sit quod expectare iubeantur: si iam ad maturitatem pœna iudicium dæmonibus

B illatura virtus erupit, resurrectionem vt sustineant admonentur. (Psal. 149.) Cæterum hæc illis gloria & in Dauid carminibus fuerat promissa his verbis. *Lætabuntur in cubilibus suis.* Dum sepulti sunt, vtique lætabuntur. Cubilia posuit pro sepulcris, de quibus & resurrecturi sunt, cum voce archangeli & tuba Dei fuerint excitati. (1. Thess. 4.) Cubilia ergo vere dicuntur, in quibus nunc quiescunt. Et si lætabuntur in cubilibus suis, prius hoc futurum erat, nempe quam surgerent de quiete, surgerent de sepulcris. Quod adeo impletum est, vt in cubilibus suis illos sine dubitatione gaudere videamus. Nam quæ alia talis gratulatio animas illorum poterit intrare, quam cum ante ipsa cubilia, id est, vt diximus, sepulcra sanctorum, ibi eos inimici sui, quos se quondam occidisse credebant, nunc & viuere, & vlcisci se non sine tormentorum acerbitate profitentur? Hoc illis stolæ istæ, quas iteratæ specialis largitio contulerunt, per eas & qui non nominabantur, implorantur, & qui nesciebantur, celebrantur: & qui non videbantur, apparent. Has stolas, vt legimus, hucusque non habuerunt, sed nunc habere cœperunt. (Psal. 31.)

C In hac forma mulier illa in Salomone laudatur, quæ duplices vestes facit viro suo, vnam in patientia passionis: alteram in virtute vindictæ. Sic nobis legere sanctum atque pium est: alias nec loqui debemus, ne vel infidelitas nostra, vel ignorantia in tenebras gentilitatis blasphema disputatione descendat, cum prophetia ex eo præcesserit, vt venturis lumen inferret. Nunc superest, vt credenda fiunt diuinitus fieri quæ probauimus, & promissa: nec tantum promissa, quantum & postulata. Quod si & postulata sunt, & non aliis quam poscentibus attributa, quid mirum est, si aut quod postulauerunt, aut quod gaudent se ante accepisse, non occultant? Exigunt pœnas ab his, qui inhabitant in terris: quos accusatio comprehendit, hos virtus impugnat. Ipsi enim inhabitant in terris, qui possident mentes hominum terrena possidentium, quos cum martyres ad supplicia deposcunt, etiam pro his quos possederant deprecantur. Denique & ipsa mirabilia sua sic agunt, vt eos à terrena habitatione, id est, ab obsessis terrenis hominibus excludant. An calumniamur cur dæmones torquentur, & fauemus inimicis? Martyres contra ipsos pene inuidiosa indignatione insurgunt, & sustineri illos tanto seculorum spacio conqueruntur, & nos fingimus nos mirari quid istud sit, quasi non debeant vel nostro tempore soluere quod ab Adam merentur? Quod

D autem istud miraculum Mediolani videtur primum exortum, vel bono Ambrosio propter præ cæteris fuisse concessum, quis non videt fidem nostram propter Arianorum perfidiam diuinis testimoniis approbatam? Namque cum in Italia catholica fides intolerabilem tyrannidem sub Auxentio sustinuisset, tandem donante Domino libertatem veterem, & iam eo tempore, quo prædicto Ambrosius substitutus est, respirauit: huic tamen ipsi in aduersariorum confusionem & nostram spem scilicet, omnis cœlestium gloria, omnes etiam martyres consensere, qui cum iampridem apparandi haberent tempus, hominem cui se proderent, inquirebant, illum certe, cui sub ea, fide reuelarentur, qua martyria fecissent. Sic donatum est Ambrosio, quod Auxentio denegatũ est: quo-

E niam quæ Auxentius blasphemabat, Ambrosius prædicabat. Sed cum hæc virtus martyrum per omnes prouincias sit iterata (omnibus enim non Ambrosio soli sine personarum acceptione donanda est) necessario tamen primum in Italia processit, cui infidelitas Ariana fuerat dominata. Quoniam signa non fidelibus, sed infidelibus donata sunt. (1. Cor. 14.) Nam à Domino qui signum postulant, infideles sunt: scribæ postulant, pharisæi postulant: Apostoli tacent, & credunt & sequuntur. Et propterea non mirandum, quod diuina virtus operatur per sepulcra sanctorum, quod nec his remediis potuit hæretica mens curari, vt vel tandem episcopum eum sequeretur, cui communicare etiam martyres ipsa reuelatione suarum virtutum dignatione vidissent. Nunc ad meditationem perfecti hominis redeamus, ex qua cumulus iste prius quam mensura illius expleretur, excreuit. Et hæc disputatio est ipsarum meditationum, de quibus Dauid dicit. (Psal. 1.) Quoniã *beatus qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Et sane difficile est, syluam legis ingresso, singularum quæstionũ materiam segregare, cum altera alteram veluti ramulis

F quibusdam, ita societate præceptionis attingat, vt sine alterius inchoatione, cœpta non valeat explicari. Ecce hæc ipsa hominem illum nostrum nosse quam pulchrum est, solum quasi quibusdam fortuitis non moueri, distinguere operationum species. Et quia & ipsi dæmones operantur, intelligere naturas quæ vera sint, quæ falsa, quæ nouisse, est non decipi, non errare, non inimico assignare quæ Dei sunt, nec Deo adiudicare quæ sunt dæmonum, scire tempora, signa cognoscere, habere Domini cognitam voluntatem: & alia Dei mirabilia cum gratiarum actione venerari, alia cum digna execratione vitare. Talem virum etiam seculi homines laudauere, dicente Virgilio. Felix qui potuit rerum cognoscere causas. Bona sententia, si ad eam suo itinere venisset, vt appareat illũ ignorasse quod laudat: primis omissis, quæ sunt secunda celebrauit. Nã & ordine præpostero eriã sapientis vertit officium: dũ non rerum causæ, sed rerũ creator inquirendus est, per quem ad causas rerum, si ipsum didicerimus, intrabimus. Cæterum illo omisso, causas rerum qualiter cognitas habere poterimus, cum quis prius hæc fe-

G cerit, deinde quare fecerit, sit inquirendum. Verum reperto rerum autore, rerum quoque inueniemus & causas. Quod iste vsque adeo non vidit, vt principalem locum hunc, quo rerum causas potuisset agnoscere, prædicaret, secundum quod subiungit, qui deos tanquam minus opus exequens adorasset, vt quiuis agnoscat eos creatores rerum non fuisse, à quibus cognitio rerum, quasi aliena disiungitur: nec coli oportere, si hæc quæ laudantur vt prima præstare non possunt. Nesciunt autem ea, quorum opifices non fuerunt. Deniq; & inuentione illorum diis suis detracta, humano eam assignant ingenio, illis scilicet qui sapientia excellunt, quod idola non colunt: vt iam diis eorum homo sit potentior, si ad hæc quæ dij ipsorum ignorant, altiori cogitatione peruenerit. Ab his autem Deos præcipit coli, qui plenè præ stultitia rerum causas non queant inuenire, quorumque præcordia, vt ipsius verbis vtar, frigidus sanguis includit. Adhoc homo noster & Deum colere principalem, scit esse sapientiam, & rerum causas compertas habet, non quærit ex Syraco-

H sia ratione seculi sapientis eminere: sed illo docente quem colit, quem ante inquisiuit quam rerum causas: quoniã res ipsas rerum conditor antecedit, qui illum monuit, quæ quibus essent ventura temporibus, cuius dispositionem sine ipso qui disposuit, nullus agnouit: quoniam nemo scit quæ Dei sũt, nisi spiritus Dei. (1. Cor. 2.) *Nos vero* vt Apostolus ait: *Non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est*: & ideo quę ipsius sunt, non edocti humanę sapientiæ verbis, sed spiritu Dei, & eius superfusa nobis dignatione callemus. Hæc est illa stultitia secularium, hæc sapientia vocatorũ, cogitare semper in corde. (Psalm. 115.) *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ipsum habere semper in ore, quoniam verbum est: esurire eum, quoniã panis est. Ipsius spiritu etiã ebrios mente excedere, quia calix est noui testamenti, & vinum de vinea, quã de Ægypto ante transtulerat, quę vinea populus Israël

A fuit quorum partes, ex quibus Dominus Iesus Christus secundum carnem processit. Illum loqui omni tempore, quoniam linguas nobis nouas spiritus eius aduexit. Quæ sunt autem istæ linguæ nouæ, nisi istæ, in seculo esse, & sermonem de seculo non habere: aliis linguis loqui populo, quam loqui populus secum ipse consueuit? Præterea & istud est loqui aliis linguis, Deum confiteri vnum ab eo, qui plures Deos solitus erat confiteri & ipsum in nostra fide, nouis linguis vnum loqui & profiteri, & credere Trinitatem. Illum quoque amare, quia interpellat pro nobis: metuere, quia pater omne iudicium dedit filio. Illum momentis omnibus adorare, ab illo petere necessaria nobis & ipsi placita, qui peti se vult, adeo vt poscenti verba hæc demonstret. Qui, quod est no[illegible]um inter nos, solus petentes se amat. Qui etiam solus, quod mirabile est, irascitur nisi petatur. Infidelitas enim est nihil præsumpsisse de Deo. Nihil illum credit posse, qui quod iu-
B dicat posse, non poscit. Hæc est illa, fili delectissime, angusta via, hoc illud acus foramen, per quod non introeũt sarcinati, aut animalia ponderibus attributa. Quoniam angusti & pusilli aditus, non solum informia hæc cum oneribus iumenta non capiunt: verum etiam ipsum no-
Esaia. 54. strorum oculorum, si multimodis distrahatur, frustrantur obtutum. Vnde & Dominus per prophetam ait: *Vacate & videte*: & quando erit vt possit intrari, quod per occupationes seculi needum cœptum est inueniri? Impleuimus diuisionibus suis propositas quæstiones, exteriorem hominem interioremque monstrando, cum vitam quæ sit sancta, & in quo actu posita, quo studio teneatur, qua substantia vegetetur, ostendimus: totumque cursum eius breuiter, licet saltibus potius, si dici potest, quam passibus, præ festinatione ad finem vsque perduximus. Nunc quare non ab hominibus etiam istius mundi videatur, accipe rationem: quandoquidem te mea verbositas delectat, quam negligentius iudicas, dum attendis studiosius ad diuina. Cum ille qui primus nobis mortis semen inuexit, mundum istum, id est, passionem hominis, victo sibi homine subiugasset, regnumque illius ipso rege iam capto, sub pedibus suis & ditione cepisset, eaque omnia quæ in mundo sunt, velut suis peculiis, & victoriæ suę
C manubiis vteretur: ne quando homo amissam sapiẽtiam, an debitum sibi vitæ quæreret testamentum? sic cunctis fucis suæ artis infecit, vt & stultitiam sapientiæ colore vestiret, & mortem mentitæ vitæ lenocinis obumbraret, vt mala non fugerent, qui non cernerent opposita meliora. Denique ex illo tempore sic passim humanum genus graditur, stultitia pro sapientia habetur, dicente psalmista. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Tunc vita putatur esse quæ mors est: & sub specie boni mala decipiunt, cum ad intelligentiæ
Psal. 8. fraudem, dolo bonorum omnium virtus operitur. Nam diuitiæ non sequuturæ post hominis mortem amantur. Honor fascium qui per successorem exolescat, ambitur: iniuriam fecisse, virtutis est: aliena possidere, potentiæ est: innocentem circumuenire, astutiæ est: non Christum sapere, sapientis est: prophetam horrere, eloquentiæ est: sic plena sunt omnia erroribus, sic infusa per hominum mentes caligine, alium alio incursante mundus inuoluitur, & ad hoc vsque veritas obscuratur, vt in mortis gre-
D mio iacuisse beatitudo dicatur. Quod vbi ille Deus, nos semper cogitans & nostra, vidit per sapientiam mundi, qua sibi mundus collusor interpolatores inuenerat suam sapientiam fuisse desertam, placuit etiam ei econtrario aduersus astutiam veteratoris, sapientiæ suæ diuitiis innumerabilibus vti, & scientiæ altitudinem, quam nullus poterit inuestigare sicuti est, & suam sapientiam stultitia velare, & vitam suam mortis quadam obscuritate cælare, vt ad sapientiam peruenire non posset, qui in hoc seculo opinionem stultitiæ fugisset: & ad vitam eius non accederet, qui non contemptum mortis habuisset. Namque sic illum saluatorem nostrum misit in hominem, id est, sapientiam suam carne vestiuit, quod stultum est: vitam suam pati crucem fecit, quod mors est. Sic aduersis aduersa destruxit, & per dissimiles ante secula operationes ingenij artificis illius machinas elisit, vt partibus quibusdã salutaribus vestigiis, licet impressa, mortifera illius stigma- E
ta delerentur: Sed hoc studium nisi concupierimus, quoniam *quod stultum est Dei sapientius est hominibus*, sapien- 1. Cor. 1.
tiam eius non tenebimus. Hanc mortem, quod crux est, nisi amauerimus, quoniam quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, vitam eius non poterimus intrare. Quid igitur sequitur, nisi vt relicta seculi & sapientia & vita, & stultos nos haberi patiamur, & mori nos cũ Domino semper optemus, vt in spe aduẽtus eius, qui vtriusque rei erit reuelatio, partem aliquam habere mereamur? Tunc enim scissis omnibus velamentis, talia qualia sunt singula, cuncta cernentur, id est, & stultitia mundialis falsæ sapientiæ inuolucris denudata sistetur, & mors mentitæ beatitudinis de operta velamine, inhiante semper ore & patenti in profundum gutture, vitalium inimica prodetur. Tunc & cælestis sapientia, quæ seculariter stultitia nominatur interposita, altitudinem scientiæ Dei, sine alicuius labore elucubrationis intrabit, & vera vita nullis mortis tenebris obscurata lucebit, per Dominum nostrũ
Iesum Christum, cui est honor in secula seculorum. Amẽ. F
Vides, ô fili, qua valetudine laborat animus suspecti, qui ista non cogitat. Corpusculo adhibui palpamenta, quod si negligerem, anima plus valeret, quæ tunc infirmatur cum exterior roboratur. Sed istam quam dixi animam, morbo stultitiæ vitiatam, orationum tuarum frequentatu sanet, cuius anima seculi intemerata flagitiis potest aliis subuenire. Non enim æger salutis suæ adhibere potest medelam ægrotatione confossis: & anhelans altitudinem plagarum, vulneribus non medetur alienis. Sanus qui sit, certe curabit infirmum, oculatus cæcum per præcipitia non ducit. Tu itaque vt & sapiens Domino supplicia, vt quod non sapui sapiam, & tuis suffragiis velut quibusdam remediis me fac sanari. Reprehendat aliquis quod intantum delectabili disputatione processerim, vt meritorum meorum resipiscentiam non haberem, aut subito augustam Moysi cathedram indignus talium disputator Psalm. 49.
ascenderim. Sed vere amore id egi tuo, non vsurpatione G
mea. Nam ego dictum legeram peccatori, ne Domini auderet narrare iustitias per os suum. Quod si contra interdictum pro tua dilectione præsumpsi, in eo tua gratia compensare dignabitur vt literulas quæ ad plenum emẽdatæ non sunt (sicut ipsis apicibus quibus exarantur apparet) tam facile ad publicum non perducas: at si ego verecundus pro me esse non potui, vt debui, vel tua modestia verecundiæ parcat meæ. Et quia de me habent quod male scriptæ sunt, de te habeant quod cælentur. Vale, & nos in Domino dilige, in quo diligeris à nobis.

EPISTOLA VIII.

INSTITVIT AMICVM IN SCIENTIA Diuinæ Legis.

PRæsumptionem meam excusare conarer, si me non & tempus & causa simulque tuerentur & charitas: & si nunc propria magis verba quam diuina vellem tuis auribus intimare. Accedit insuper, quod exhortatio nostra habet ex simplicitate fiduciam, & ex veritate virtutem: quia non de immundiria est, neque de errore, neque de dolo. Hoc planè præmoneo, ne contemplatione mediocritatis meæ, Domini verba despicias, quæ pio affectu ti- H
bi nunc ecclesiæ paruulo, ad confouendam infantiæ nouitatem lactea interim porriguntur, donec aut per te postmodum, aut per alios eruditus, in virum perfectum, escis solidioribus roboreris. Ad plenum ergo te scire cupio, quod ex parte nosse te credo, ob hoc Dominum & Dei verbum descendisse de cœlis, vt assumpto naturæ nostræ homine, humanũ genus, quod ab Adam iacebat, erigeretur in Christo: tantumque nouo homini per obedientiam præstaretur salutis, quantum veteri per inobedientiam perditionis acciderat. Verum quoniam siue obedientia: siue inobedientia, vocabula illa vt mihi videtur incorporea sunt, non materiæ corporalis: & quia incorporalia ex corporalibus generari omnino non possunt, manifestum est incorporea ex incorporalibus nasci,

& si

A etsi obedientiam incorporalem, quæ inobedientiæ remedium est, ex incorporali anima gigni ratione probabile est, manifestum est obedientiam ex animi consilio, non ex corporis materia procedere. Qua ratione colligimus vocationem nostram, iuxta vocantis dignationem, etiam nostræ voluntatis stare consensu: ita vt lauacrum, quod corpus credentis acceperit, animæ magis beneficio consequatur, & vtriusque substantiæ purgationem, quæ in aqua constat & verbo, merito mentis debeat afferri. Verum vt ea quæ diximus, manifesta probatione firmemus, euidentia de scripturis exempla ponamus. Scriptum est in Apostulo. *Sic Christus dilexit ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt eam sanctificaret, mundás lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet, eam sibi gloriosam & immaculatam.* Per aquam & verbum mundari dixit ecclesiam. Ecclesia vtique nos sumus, si tamen sine vitio & macula, vt præcipitur, vixerimus: corporalia corporalibus, & spiritualia spiritualibus purgantur. Anima verbo & aqua, corpus aqua solummodo videtur ablutum. Animæ intrinsecus pristinis in sordibus & concupiscentiis residenti, Euangelistæ est timenda sententia, dicentis: *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est, vt fiat mundum & id quod foris est.* Et reuera si corpora nostra vasa sont animarum, tunc erunt vere munda, si intus syncerum habeant purumque liquorem. Cæterum, quamuis calix aureus sit, & ornatu gemmarum ac splendore pulcherrimus, si in se venena contineat, nonne preciositatem metallorum lætalis poculi virus obfuscat, & micantem specierum nitorem violabit? Sed ne à proposito longius meæ pollicitationis excedam, præfatiunculæ meæ verba, verbis dominicis probabo, vt hoc quod dico, non ex humano sensu inucutum, aut ingenio proprio excogitatum putetur, sed diuinis sententiis videatur esse constructum. In euangelio Ioannis Dominus ad discipulos ait: *Vos autem iam mundi estis propter sermonem meum quem audistis,* non dixit propter quod loti estis tantum: *sed propter sermonem meum quem audistis,* ideoque mundi estis. Omnes quidem sciebat lotos esse: sed non omnium interiora mū-

C da esse probabat, quia inter cæteros erat Iudas, qui post aquæ purgationē, animi malitia sordebat. Propter quod quamuis eum aliis lotus ante fuisset, immundus tamen Domini sententia perhibetur. Cuius exēplo euidēter manifesteque monstratur, illum in veritate Dei gratiam percipere, qui eam eo ordine quo scriptura docuerit, consequatur. Nam si aliquis corpore tenus renatum esse se credebat per aquam, & verbo non sit regeneratus in spiritu, is sua salute frustratur: quia cœlestis natiuitatis hæc causa est, vt corporis qualitate manente, homo vetus in nouam animi mutetur voluntatem. Cæterū quomodo corpus sordidum, si aqua non est ablutum, permanebit immundum: ita anima nisi verbo fuerit mundata diuino, sordibus vitiorum corrupta manebit. Ergo si eius consilio corpus aqua mundatur, qua ratione spernitur quod maius est, si quod minus est iam tenetur? Stultitia est si ex parte saluari cupit, qui ex toto periit: qui cum integram habebat in potestate salutem, media velit esse contentus,

D & contra iura naturæ, putet solo corpore se saluatum, cum possibilius, ante resurrectionis tempus animam sine corpore viuere, quam corpus sine anima stare. Si quis duobus oculis duobusque laboret pedibus, & vtriusque membri habeat in potestate medicinam, & vno pede, vel oculo vno sanato, ab alterius cura velit medicum prohibere, nonne vesanæ mentis, & medici iudicio, & omnium hominum erit sententia condemnandus? Sed dicet aliquis. Si totum ex nostro labore expectatur, ergo gratia nihil præstat. Nolo quisquam ignorantiæ titulo, gratiam Dei temere faciat ingratam, ne fidem suam vertat in scandalum, & fiat ei causa salutis, interitus & perditionis occasio: Cuius rei ratio, si cum moderatione quæratur, tum demum proficiet ad vitam, quæ per præsumptionem forte præcipitasset ad mortem. Sed gratia quidem gratis peccata dimittit, sed cum consensu & voluntate credentis. Sicut Philippus eunucho in Actibus apostolorum probat, dicens. Si credis ex toto corde, licet te baptizari. Quo testimonio intelligitur, non minus periculum esse, si baptizetur incredulus, quam si vere credenti baptismum denegetur. E Credens autem ille est iuxta scripturas, qui ex toto corde crediderit. Act. 8. Et si ex tota cordis arce credendum est, vt ex credulitatis merito baptismum fidei detur, aqua non sufficit baptizato, quæ credentis animum in corde non attingit. Et ne periclitetur, meritum cordis, verbum quo contingi & mundari cor possit, accipiat oportet. Quia si aqua contentus sit ille, qui credidisse se dicit, qua membra extrinsecus diluuntur, & verbum quo gloriatur anima non requirit, iam non videbitur ex corde vt debuit: sed ex corpore credidisse: quod nequaquam fieri posse ratione vlla conceditur, vt sine sententia mentis, solum corpus peculiare tu intelligentiam babere indicetur.

Vnde confidens de prudentia tua, quæ pro benignitate sibi insita, præposterum quicquam fieri, nec aliis homini pateretur, rogo vt ad institutionis plenitudinem verbum Domini, hoc est euangelium, diligentius legas: F ex quo scientiam ampliorem eius quam credidisti lucis excipias, vt possis in omnibus nosse quid facturus sis. Nā sine diuinæ legis & disciplinæ cœlestis scientia, difficile esse quenquam posse saluari, non meus, sed diuinus sermo probabit. Ait Esaias propheta. *Qui non didicerit iustitiam Dei, veritatem non faciet.* Esa. 16. Item de hoc ipso in libro Sapientiæ. *Et quis erit consummatus inter filios hominum? si abfuerit ab illo sapientia Dei, in nihilum computabitur.* Sap. 9. *Vani sunt enim omnes homines, quibus non est scientia legis Dei.* Vnde Dominus in euangelio ad eos qui aliter quam se veritas babeat, suspicantes erant, respondit. Matth. 22. *Erratis nescientes scripturas:* ostendens in summa rerum salutarium nebula & tenebris constitutos eos, qui spiritualem lucernam, id est, diuinæ legis scientiam, babere nollent accensam. Quam quidam repellentes, per propbetam, à Domino repelluntur, sicut scriptum est. Osee 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te.* Nullo igitur modo passim nos nostro iudicio committamus, ne nobis exclamet Esaias: Esa 5. *Væ qui prudentes sunt apud semetipsos, & in conspectu suo periti.* Vnde & Paulus Apostolus ait. *Si quis sibi videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens: Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum.* 1 Cor. 3. Propter quod ad regem Tyri dicitur, humana sapientia gloriantem. G Sapientes enim non erudient te, id est, doctrinæ cœlestes, & sapientia Dei. Est & sapientia hominum, non negamus: sed vna suadet ad vitam, alia impellit ad mortem: quia sapientia humana quæ stultitia reprehenditur, & ab Apostolo Spiritu sancto definitur, ianua mortis, & materia æterni interitus approbatur. Sicut scriptum est in propheta: *Simul insipiens & stultus peribunt.* Psal. 48. Insipiens qui dixit in corde suo, non est Deus: & stultus quamuis Deū ore fateatur in actione præsentis vitæ, in perpetuum non prospexit, sicut scriptum est. *Melior est puer pauper & sapiens, quam rex stultus & senex, qui nescit in posterum prouidere.* Eccl. 4. Bonum est quidem homini sapere, si iuxta scripturas ad hoc sapiat, vt prouidentiam habeat futurorum: mortalitatis statum, per quotidie morientium hominum exitus, & totius seculi paulatim per detrimenta labentis H ruinam considerans. Cæterum, si quis vsurpatæ semel intentionis ducatur intuitu, & sua se magis, quam Dei velit gubernari sententia, diuinaque lege postposita, propria consilia Dei consiliis anteponat, hanc prophetæ clamantis timeat vocem: *Væ despicientibus legem Domini,* timor, fouea & laqueus super eum. Iere 48. Sicut pluuia valida inutilis est, ita qui relinquunt legem laudant impietates. Qui autem diligunt legem: circundant sibi murum. *Beatus vir qui in lege Domini die noctuque meditatur,* Psal. 1. cuius animus aliud nescit, quam sermonis Dei eloquia retractare. Quāto à terrena cogitatione remotior est, tanto Deo vicinior & cœlo est, quem non immerito diuinus sermo & collaudat, & vere ditiorem diuitibus præfert, dicens: *Beatus homo qui inuenit sapientiam. Melius est enim eam mercari, quam auri & argenti thesauros: pretiosior est lapidibus pretiosis.* Prou. 3. Item, *omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum existimabitur argentum ab illa.* Sed dum in exhortatione sapientiæ diutius immo-

A tamur, ne quis forte existimet nos contra Apostolum, doctorem legis præferre factori, suo ordine respondebimus, oportere prius nosse quid iussum sit, quidve prohibitum, vt scientes vtrunque seruemus: alioquin ante scientiam mandati impossibile est nosse quid fiat. Temerarium satis est, si nostræ voluntatis legem nobis putemus posse sufficere, cum etiam Apostolum legamus fuisse sub lege, ipso dicente. (1.Cor. 9.) *His qui sine lege erant, quasi sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege Christi essem.* Et alibi: (Gal. 6.) *Inuicem onera vestra portate, & sic implebitis legem Christi.* Qui paterna pietate Christi passione redempti sunt, & qui ad hoc redempti sunt, vt redemptoris iura seruantes ad vitam se in cælo repositam præparent, ad quam redempti licet nullo modo peruenire dicantur, nisi ea quæ iubentur obsequiis competentibus exequantur, sicut scriptum est: (Matth. 19.) *Si vis ad vitam ingredi, serua præcepta*, hoc est, ab omni illicito quo prohiberis, recedas, & ad omne bonum quod iuberis, promptus accedas: ne B in pristinis vitiositatis concupiscentiis perseuerans, fidem qua credidisti, veteris peccati alicuius adhuc amore corrumpas, & agnitio Dei, quæ per nouam gratiam reuelata est, per delicta violetur? dicente propheta: Mendacium & non fides præualuit super terram? quia à malis ad mala transierunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnde & beatus Apostolus Ioannes paria testatur, dicẽs: (1.Ioan. 2.) *Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Et iterum. (1.Ioan. 3.) *Omnis qui peccat, non videt Deum, nec cognouit eum.* Et peccatum non in vno tantum mandatorum genere, sed in vtroque consistit. Peccat quidem ille qui imperata neglexerit, sed plus peccat qui interdicta non seruat. Sacrificia & vota reprobabuntur oblationum, nisi potus & sanctus fuerit animus offerentis: & immaculatam hostiam faciunt indignam præcordia maculata, dicente Domino: (Matth. 5.) *Si offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque illic munus tuum, &c.* Omni oblatione & hostia pretiosior est obtemperantia mandatorum, dicente propheta. (1.Reg. 15. Prou. 16.) *Ecce dico, obedientia melior est quam victima, & obaudire quam adeps arietum.* C Et alibi: *Initium bonæ viæ facere iussa, quæ accepta sunt apud Deum magis, quã immolare hostias.* Et alibi: (Eccl. 35.) Qui conseruat legẽ, multiplicat oblationẽ. Sacrificiũ salutare est, attẽdere mãdatis, & discedere ab omni iniquitate, & propitiationem litare sacrificij super iniustitia. Non nobis blandiri debemus in factis iustorum, si in prohibitorum transgressione peccemus, cum transgressionis crimen benefacti meritum tollat. Quod non mei sensus assertio, sed vtriusque testamenti exempla probant: vbi inuenimus etiam Dei amicos ob vnius contemptus errorem, bonorum retrosactorum munificentiam perdidisse. (Gen. 2.) Sic Adam cum diabolo facile credidit seducẽti: post familiaritatem & colloquium Dei, vnius pomi cupiditate superatus, perdidit paradisum: & quia per transgressionem vnum habere præsumpsit, multa simul bona amisit. Sic vxor (Gen. 19.) D Lot post angelorum obsequia, contra interdictum retro respiciens, in figmentum salis repente mutata est. Sic Sameias eadem die, qua mirabilia fecerat gratia prophetali, (3.Reg. 13.) à leone deiectus occiditur. Sic infelicissimus Iudas, cũm post electionis meritũ, post signorum gloriã, post apostolicam dignitatem, exiguæ stipis amore deceptus, cui (Matth. 27.) tribunal promittebatur in cælo, laqueo captus est in terra. Et ne nobis per alienarum solummodo rerum fraudulentiam periculum imminere putemus, reminiscamur Ananiam & Sapphiram, (Act. 5.) non de aliena appetita pecunia, sed de sua timide erogata damnatos. Rogo post tot documẽta, & tot mortes, vnde in nobis crescit impunitas delinquendi? Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, vt cum sanctos homines de leuibus etiam culpis videamus esse punitos, & nos quotidie in maioribus & pluribus delinquentes, æternos in media damnatione fore credamus. Quanquam leue nunquam sit, Deum etiam in exiguo contemnere: qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed ad personæ contemptum. Propter quod homini non solum intendendum est, quale sit quod iubetur, sed quantus sit ille

E qui iubet. Excluditur hoc loco vulgaris illa sententia quam mihi, suo iudicio religiosi, & qui sapientes sibimet videntur, dicere solent. Sufficit nobis vt nõ criminalia peccata & maiora faciamus, facilis est enim omissio minorum delictorum: qui dum animali sapientia occupant animos, spiritualem intelligentiam & consuetudinem diuinæ legis ignorant, quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis non videtur esse peccatum: & quæ illic pietatem facit, vbi nos opus impietatis ostendimus. Saul & Iosaphat reges fuerunt populi Israel, & dum misericordiam his quos Deus oderat præstiterunt, Dei offensam in opera pietatis incurrunt. E contrario Phinees, filiique Leui gratiam Dei humana cæde & suorum patricidio meruerunt. Vides quantum ab humanis sensibus per nostram imperitiam discrepat diuina sententia, vt nobis interdum cælestis iudicis dispensationem nescientibus, iniusta videãtur, quæ per causarum scientiam iustè satis & rectè facta probantur? Rursum ea quæ nostro iudicio bono probantur, apud Deum plerunque reproba & ingrata videntur? Quis hodie patris Abrahæ exemplo innoxium volens filium trucidare, humano iudicio non crederetur insanus? E contra, quis in tactu arcæ diuinæ imitatus Ozam, hominum sententia damnaretur? Episcopos Ephesiorum, angelus in Apocalypsi nuncupatus, qui causa nominis Christi passionum multarum merita intra conscientiam retinebat, quia in ipsis passionibus à primo conuersationis feruore tepuerat, cum calorem paululum temperasset, ad pœnitentiam reuocatur, dicente scriptura. F (Apoc. 2.) *Noui opera tua, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: sed habeo aduersus te pauca, quia charitatem tuam pristinam reliquisti. Memento vnde excideris, & age pœnitentiam.* Consideremus quantus casus sit temerè cõtemnentis, cum tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentis: vel quam damnationem excepturos credimus esse indeuotos, cum tantam reprobationem deuotus exceperit? Tepidum discipulum non amat Christus. (Matth. 16.) *Qui vult meus discipulus esse, ait, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* (Act. 14.) Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum cælorum. G *Beati estis cum vos maledixerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, gaudete & exultate,* (Matth. 5.) *quia merces vestra multa est in cælis.* Futuræ vitæ gloria præsentis vitæ incommodis comparatur. Christianis vexilla crucis sunt delitiæ: trophæa nostræ vitæ non pompis, sed miseriis reportantur. In nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare, non munera. Paupertati non nobilitati, futurorum beatitudo promittitur. Retrahit quidem verecundia senatorem, ne sequatur pauperem Christum, sed audiat à Christo. (Mar. 8.) *Qui me confusus fuerit, & mea verba in generatione hac adultera & peccatrice: & filius hominis confundet eum in gloria patris sui cum angelis sanctis.* Turpe est inter parentes, senatores, atque grammaticos, scholasticum pro Christo voluntaria humilitate deiectum, verbis simplicibus esse contentum. Displicet amicis si post ambitiosi habitus cultum, plebeia & ignobilia indumenta mutentur. H Sed si hominibus placere vellem, ait Apostolus, Christi seruus non essem. (Gal. 1.) Et propheta in psalmo. (Psal. 52.) *Quoniam Deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Quantum bona est humana offensio, per quam inuenitur seruitus Christi, tantum perniciosa est amicitia quæ Dei præstat offensam, sicut scriptum est. (Iac. 4.) *Qui voluerit amicus fieri huius mundi, inimicus Dei constituetur.* Dicat vnusquisq; quod velit: ego interim de me pro sensus mei paruitate iudicaui melius esse confundi coram peccatoribus super terram, quam coram angelis sanctis in cælo, vel vbicunque iudicium suum Dominus voluerit demõstrare. Esaias vir in sua gente nobilissimus, qui socer regis Ezechiæ fuisse refertur, iussu Dei deposito cilicio nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deterritus est, quo minus Dei imperium sequeretur: quia nihil honestius esse homini, quam creatori suo parere iudicabat. Ioannes quoque Baptista, nobilis & in carne & in spiritu natus, cilicium à pueritia in habitum, & locustas elegit in cibum, qui nec peccati conscientia, nec paupertatis inopia

A Rom. 8. inopia ad huius gloriam oneris, sed sola futuri seculi beatitudine trahebatur. Apostoli iam sperant, & adhuc stulti & inutiles & tenuis fidei arguuntur. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Inde Paulus oculo mentis futura contemplās dicebat. Ibidem *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius?* Illos pericula non separant, nos voluptates. Illi catenas baiulant innocentes, nos aurum circumferimus criminosi. Illi in carceribus vincti, nos in tricliniis delicati. Illi in neruo positi Deum puro corde & syncera cogitatione laudantes: nos in ipsa forte ecclesia de forensibus calumniis cogitamus, & cum omnibus æqualiter legia data sic gratia? gehenna seu cœli regna promissa sint, alij de diuitus alij de virtutibus meditantur. Matth. 4. Cumque dictum sit generaliter omnibus, *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies*, aliis innocentia, misericordia, castitate, ieiunio, Deo fideliter & sine cessatione seruientibus: nos nobis adulteros quibus seruire volumus, dominos eligimus. B Ioan. 8. Siquidem iuxta euangelij sententiam: *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*. Et reuera si amator pecuniæ sum, si gloriæ, si superbiæ, si ambitionis aut pompæ: dum illi omne studium meæ voluntatis impendo, Domino seruire non possum: Matth. 6. quia duobus Dominis neminem seruire posse, scriptum est. 1. Cor. 6. *Non estis vestri* dicit Apostolus: *empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*. Clementer Spiritus sanctus nostro iure uos conuenit, sciens hoc in vsu publico apud omnes homines custodiri, vt tanto seruus in opere Domini esset cautior, quanto maiore esset peculio comparatus, vt intelligamus quam strenui esse debeant in opere Dei, qui redempti sunt sanguine Christi: vel quam criminosi debeant iudicari, qui cum sciant pro pretio salutis Christi sanguinem datum, alteri qui nihil præstitit, magis præbeant seruitutem. Rogo, quo pudore obsequij C aut laboris sui mercedem sperabit in cœlo, cuius fuerit sollicitudo omnis in terra? Mercenarius seculi non potest accipere præmium Christi. Omnis miles in castris iure sperat annonam, qui fortiter in prælio pro ciuibus Luc. 10. 1. Tim. 5. laborauerit. *Dignus quidem est operarius mercede sua*: sed & hoc dignum est, vt inde præmium operis accipiat, vbi totius operam laboris impendit. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt placeat ei, cui se probauit*, Apostoli vox est. Vnde satis timeo ne forte in illa retributionis die, qua ante tribunal Christi vnicuique secundum sua facta reddendum est, his qui in terrenis magis negotiis, quam in cœlestibus laborauerunt, iosti iudicis responsione dicatur. Ite si potestis, & illic vbi tota deuotione seruiuistis, mercedem vestræ seruitutis exigite. Talis causa est virginum de euangelio quinque stultarū, quæ dū sollicitudine seculariū vanitatū se contra professionis suæ ordinem occuparunt, oleum vnde verum lumen accenderent non habentes, in tenebris remanserunt. Sed dicit aliquis, ista exempla ad paucos pertinent, quos Deus ad Matt. 22. D peculiare officium delegauit: quia scriptum est. *Multi sunt vocati pauci vero electi*. Hoc primum quærere à te & audire volo quisquis es qui ista proponis, si ipsius Dei electio est cuius est & vocatio, quid voluit plures vocare, qui paucos de pluribus erat electurus? Certe de duobus vocatis illum vis stare, quem Deus electione statuerit, & illum contra cedere quem Deus electionis virtute non muniat. Quod si ita est, nec bona ad nos pertinent hac ratione, nec mala: & sic erit, vt nec culpa pœnam habeat, Rom. 3. nec benefacta laudentur. Sed ad hæc respondit Apostolus. Si ita est, quomodo Deus, iudicabit hunc mundum? Deinde, si paucos quos dicis electos, solos sanctos existimas, qui vocati sunt, reprobos dicis: quomodo idem Apostolus Paulus in epistolarum suarum principiis vocatos sanctos vocat, sicut in fronte codicis ad Romanos loquitur, Rom. 1. dicens: *Omnibus qui sunt Romæ in charitate Dei vocatis sanctis*. Si pro paucis passus est Christus, iustum est vt pauci mandata Christi custodiant. Si autem indiscrete omnes qui credimus, sacramentum in baptismo passionis accipimus, si omnes æqualiter renūtiamus diabolo & mundo, si omnibus haud recte viuentibus gehen- E næ pœna promittitur, omnes debemus eadem diligentia & cauere prohibita, & explere præcepta. Scimus quidem multas esse apud patrem in cœlestibus mansiones: sed Ioan. 14. mansionum iustitia iustiores mansiones differre, sicut & 1. Cor. 15. stellam stella dixit Apostolus esse clariorem. Sed stellam cum stella, non lapidem comparauit: quia terrenus lapis inter cœlestes stellas esse non poterat, sicut nec peccator inter iustos in regno cœlorum. Sed sunt quidam gradus gloriæ inter iustos in cœlo, sicut & inter peccatores gradus pœnæ. Sed sicut alia eum qui fratrem fatuum dixerit, alia eum qui racha, tormenta cruciabunt: ita & in regno alia Paulum Apostolum, qui vt alios saluos faceret, omnia omnibus factus est alia eum qui se vix ædificare potuit, laicum gloria manebit. Sed vtinam consentiam paucos esse, qui Dei mandata custodiant: verum timeo, quia pauci sunt, qui Dei credant in veritate iudicium. Ecce si vmbrato repente de cœlo, solis claritas nostris aspectibus denegetur, & productis in nostram humilitatem nubibus, pluuiæ terris immineant: si commotis vt assolet elementis in rotam sui currus tonitrua concitentur, & inde hinc fulgurum iacula palpebris terribiliter obiecta corruscent, F quanquam & consuetudine ista contingant, pauemus, contremiscimus, & prona ad terram deposita superbia ceruices submittimus: quid faciemus in illa die miseri, quando reuoluto cœlo cum angelicis virtutibus igneus Dominus totus adueniet? quando cadentibus desuper stellis sol in tenebras, & in sanguinem luna mutabitur: quando montes sicut cera liquescent: quando terra ardebit, & arescent flumina, & maria siccabuntur, & contra rerum naturam consumpto diuinitus humore, ariditatem in aquis ignis operabitur: quādo peccatores dicent montibus, cadite super nos: & collibus, tegite nos? Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet: quando discrimina vertentur in vota, & quod semper oderunt homines, concupiscent: quando illud implebitur tempus, quod lugubri Hieremias prædicit affectu, dicēs: Hier. 4. G *Respexit in terram, & ecce nō erant luminaria. Vidi montes, & ecce erant trementes, & vniuersi colles turbati. Intendi aciē, & ecce non erat homo: & omnes volucres cœli pauebant. Vidi & ecce Carmelus desertus, & omnes ciuitates succensæ igni à facie domini, à facie iræ indignationis eius, & interierunt vniuersa*. Verum ne ex suggestione diaboli hæc ad terrorem non ad veritatem dicta crederemus, de præteritis futura probantur, quando talia in diluuio, in Sodomis, in Ægypto, in Hierosolymis sæpe ob delicta hominum facta referuntur. Et Apostoli qui hunc horrendum diem, impiis & peccatoribus præuidere meruerunt, humiles erant mortuos suscitantes: & nos supra omnes erigimur qui peccando quotidie nosmetipsos occidimus: non respicientes in nobis flebilem infirmamque naturam, quæ nec in aduersis fortis est, nec in prosperis aliquando secura. Si intemperate cibus sumptus, aut immoderatè potus acceptus, leuem corpori febriculam concitarit, H deiicimus animum, affligimur, suspiramus: nulla cura tunc est seculi, nulla villarum, nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro: omnes calumniæ, omnia lucra in periculis corporis conquiescunt. Curritur ad medicos, & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum, argentum: interdum etiam mancipia traduntur, & pene totum patrimonium aut negligitur, aut donatur, vt consulatur vitæ quandoque periturae: & pro æterna salute omnis admodum homo negligens est, omnis auarus illic, omnis frugalitas largitoris, animi tenacitate cōstringitur, vbi promptior voluntas & copiosior largitas deberet operari. Et cum scriptura dicat. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, 1. Ioan. 2. nos sic mundana concupiscimus, sic amamus, quasi aliquid nascentes intulerimus in seculum, aut recedentes de seculo nobiscum auferre possimus. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem, nemo considerat, nemo retractat vana esse omnia, quæ aliquo fine clauduntur. Si autem contigerit, vt inter cæteros largiorum visitantes, aut clericus, aut sacerdos, aut etiam laicus Dei seruus adueniat, rogatur vt oret, & qui sæpe pro nihilo contem-

A ptus fuerat, necessitatis tempore supplicatur, vt precibus suis commeatum vitæ longioris obtineat. Sic causa discriminis, quæ vicina timetur, dum despecta eliguntur, & pretiosa vilescunt, vitæ illius quæ post mortem est permutatio figuratur: vbi iam & Lazarus pauper recipitur in requiem, & diues in hac vita pomposus vexari fertur in pœnis. Et cum sic Dominus, aut sanctorum motus oraculis, aut creaturæ suæ beneficio, aut medici arte consertamisericordia restituat sanitatem, cito succedente obliuione, in contrarium omnia permutantur. Timor in insolentiam, gratia vertitur in contemptum: & quasi nihil vnquam incommodi senserimus, aut qui reuocari rursus ad talia nequeamus, rebellamus, efferimur, & concessum ad pœnitentiam vitæ spatium negligimus: nec pœnitendo pristina lacrymis peccata diluimus, sed peccata
Esa. 38. non pœnitendo cumulamus. Legamus Esaiam prophe-
B tam, & necessarium Ezechiæ regis aptū huic causæ quæramus exemplum, cui morituro anni quindecim ad superiorem vitam proprius fletibus, & prophetæ precibus augentur. Quique accepta tanti muneris gratia, non peccatis, non voluptatibus, non delitiis, sed soli Domino indultum vitæ spacium, humilis & sanctus exhibuit. Verum, quia tibi honorabilis & dilectissime parens, per nouam gratiam omnis lacrymarum causa detersa est, age, caue, curre, festina. Age, vt in spiritualitate proficias. Caue, ne quod accepisti bonum, incautus & negligens custos amittas. Curre, vt non negligas. Festina, vt celerius com-
Philip. 3 prehendas. Siquidem Paulus iam Christi catenam pro euangelij annunciatione circumferens, nondum se comprehendisse dicebat, quamuis hora sexta, hoc est, media ætate Domini vineam operaturus, quasi feruidus opifex & fidelis, aliorum longam dubietatem languidumq; vinceret teporem. Dum tempus habemus seminemus in spiritu, vt messem in spiritualibus colligamus. Nec attendamus ad paleas, quas ventilabrum Christi continuo separabit à tritico, donec, qui venturus est veniat: & iuxta prophetæ vaticinium, discernatur inter iustum & iniu-
C stum, & inter seruientem Deo & non seruientē. Sicut &
Esa 65. alibi Dominus dicit. *Ecce qui seruiunt mihi epulabuntur, vos vero esurietis. Ecce qui seruiunt mihi lætabuntur, vos autem contristabimini.* Non nos inertes, vindictæ dies & retributionis inueniat, qui imminens ac vicinus esse, & seculi ruinis vndique concurrentibus, & scripturarum contestatione probatur. Consideremus quod in hac terra hospites sumus, & peregrinorum more pro diebus nouis-
Ioan. 16. simis habitamus. *Vos enim de hoc mundo non estis*, dicitur nobis. Quid ergo in aliena satagimus? Quid turbamur? Nemo in deteriori & extranea patria plus eligit possidere, quam in sua. De his tantum sollicitudinem habere debemus & curam, quæ nobiscum transferre possumus. Ambiant terrena gentiles, quibus cœlestia non deben-
D tur. Concupiscant præsentia, qui futura non credunt. Christianis diuitiæ & hæreditas sit diuinitas Christi. Nec enim debent ægre ferre, quasi minus à cæteris habeant, qui autorem omnium perceperunt. Superest vt acceptum in corde Deum honorent obsequiis, operibus colant, sermone semper & cogitatione fateantur, vt in aduentu eius non cum contumacibus & contemptoribus puniantur, sed cum sanctis & Deum timentibus coronentur. Hoc sane prudentiam tuam precor, ne me putes hæc superstitionis alicuius persuasione dictasse. Ego te Christianum volo esse, non monachum dici, & virtutem propriæ laudis possidere magis quam nomen alienū: quod frustra à Latinis in turba commorantibus imponitur, cum à Græcis solitarie viuentibus legitime deputetur. Accipe ergo, fili, sermonem nostrum, ea simplicitate & veritate qua diximus. Quia non quærimus hominū gloriam (Deus testis est) nec ad hoc loquimur, vt humanas amicitias aucupemur, ne nostræ adulationis sermone & nos, & alios decipiamus: nec vt nos apud homines aliquid videamur, sed vt apud Deū homines magna mereantur. De quæstionibus autē tuis, vt pace tua loquar, quia turbulentius proponebas, ego simpliciter respondere nolebam, quia bellanti dexteram pacis dare non poteram: licet etiam præposterum forte videatur, inde aliquid in fi-

E ne epistolæ retractare. Sed quoniam apud Christianos nō tam ordo quæritur, quàm profectus: pauca quæ tibi reor fore necessaria, credidi subnectēda, donec de cæteris, quæ vt assolent, te mouent, præsens si iusseris cum præsente, remota omni animositatis contentione tractemus. Dixisti enim, ni fallor, hoc iure te mala malis reddere, & cum iurantibus iurare debere, quod aliquando iurauit Dominus, aut mala malis restituit. Scio primum non omnia nobis conuenire seruis quæ Domino conueniunt, ne in comparatione famulorum, Domini videatur iniuria, alioqui forsitan reclamare incipiamus: cur non de virginibus, sed de mulieribus generamur? Aut, cur mortui nostri die tertia non resurgunt? Iurauit, scio, sæpe Dominus, qui nos iurare prohibuit: nec statim ex hoc temere blasphemare debemus eum, qui alios vetuerit quod ipse faciebat: quia dici nobis potest, iurauit Dominus quasi Dominus, quē iurare nemo prohibebat: nobis quasi seruis iurare non li- F
cet, qui Domini nostri lege iurare vetamur. Verum ne in eius exemplo scandalum patiamur, ex quo tempore iurare nos noluit, nec ipse iurauit. Et qualiter de iuramenti causa breui sermone satisfactum est, ita etiam ad vindictæ negocium hunc eundem sensum facile prospicis posse sufficere: quia aliud nunc tempus gratiæ, in quo plenitudo perfectionis aduenit: aliud fuit legis, aliud prophe- *Matth. 5.*
tarum, dicente Domino. *Audistis quia dictum est antiquis, ne occideretis: ego autem* perfectiora præcipio, quæ in ordine euangelij digesta suo loco lector inueniet. Ex quo enim filius Dei filius hominis factus est: ex quo vetus fermentum Iudaicæ traditionis est factum noua conspersio: ex quo agnus non in figura, sed in veritate comeditur: ex quo secundum Apostolum *vetera transierunt, & facta* *2. Cor 5.*
sunt omnia noua: ex quo iussum est imaginem terreni hominis deponere, & assumere formam cœlestis, ex eo commortui viuimus, & virtutibus consurreximus in Christo.

G

EPISTOLA IX.
DE TRIBVS VIRTVTIBVS.

TRes quodammodo virtutes Dei assumens propheta, fortitudinem, sapientiam, atque prudētiam, vnicuique earum propria opera distribuit. Fortitudini terrā, sapientiæ orbem terrarū, prudentiæ cœlum. Audi quippe scripturæ ordinem: Dominus qui fecit terram in fortitudine sua, & erexit orbē in sapientia sua, & in prudentia extēdit cœlū. Et nos igitur in nostra terra (dictum est quip- *Gen 3.*
pe ad Adā, *Terra es*) necessariam habemus fortitudinem Dei, quia absq; ea impossibile est nobis id exequi, quod carni repugnat. Cum antē mortificata fuerint membra su- *Rom. 8.*
per terrā, tunc parent spiritus voluntati. *Siquidem* iuxta Apostolū, *spiritu gesta carnis mortificantur*: Dominus autē fecit terram in fortitudine sua. Si autē ad hanc terram venias, & consideres id quod in Iob scriptū est, iuxta emē- *Iob 26.*
datissima tamen exemplaria, quomodo statuerit eam super nihilum, inueniens fortitudinem Dei in medietate H
mundi, terræ libram sustinere. Veniam ergo ad orbē terrarum, qui Græce οἰκουμένη nuncupatur, id est, inhabitata. Scio animam inhabitatam, scio desertam. Si enim non habet Deum patrem, si non habet filiū dicentem: *Ego &* *Ioan. 14.*
pater veniemus ad eum, & mansionem apud eū faciemus: si non habet Spiritum sanctum, anima deserta est. Habitata autem est, quando plena est Deo patre, quando habet Christum filium & Spiritum sanctum. Verum hæc differenter & varie in scripturis dicuntur, in anima hominis Patrē & Filium & Spiritum sanctum commorari. Nā & Dauid in psalmo confessionis tres spiritus postulat dicēs. *Psal. 50.*
Spiritu principali confirma me: spiritum rectum innoua in visceribus meis: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Qui sunt isti tres spiritus? Principalis spiritus, Pater est: rectus spiritus, Christus est: Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est. Hoc in approbationem eius rei diximus, quod habitata, id est, orbis terrarum, in sapientia Dei fabricata sit. Sapientia quippe auxiliabitur iusto, super decem ciuita- *Prou 8.*
tates habenti potestatem. Sapientiam autem & disciplinam

A *Sap. 3.* nam qui abiicit, infelix est, & vana est spes eius, & labores eius insensati & sine fructu, & inutilia opera eius, ait sapientia, quæ titulo inscribitur Salomonis. Idcirco quãto possumus labore nitamur, vt habitata nostra, sapientia Dei erigatur. Cecidit quippe & de sublimi corruit, veniẽtibus nobis in locum istum miseriarum. Cecidit habitata *Psalm. 105.* nostra, postquam *peccauimus, inique fecimus, iniuste egimus, impie gessimus*, & post ruinam indiget erectione. Si autem non vis ista sententia adduci, communem totius orbis quæramus ruinam, & post casum eius consequenter Deus erigens prædicetur. Quicunque est in orbe isto, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, consequenter erigendus fuit. Nemo quippe sine casu subleuatur. Si autem erectus est, videamus quæ ruina præcesserit. Omnes corruimus per peccatum in orbe terrarum. Et dominus qui erigit elisos, eleuauit nos iacentes. In Adam omnes morimur, atque ita corruit orbis terrarum, & indiget erectione, vt in Christo omnes viuificemur. Igitur duplicem intellectum de orbe tradidimus. Vnum, quomodo B singulæ animæ vt habitatæ sint, aut desertæ: alterũ, quomodo vniuersus orbis pariter ceciderit, & in sua prudentia extendit cœlum. Non fortuito prudentia in cœli extensione assumpta est. Inuenies & in prouerbiis dictum. *Prou. 8.* *Dominus sapientia fundauit terram, præparauit autem cœlos prudentia.* Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo vt extra Christum requiras. Omnia quippe quæ Dei sunt, Christus est. Ipse sapientia eius, ipse fortitudo eius, ipse iustitia, ipse sanctitas & redemptio, ipse (vt ad præsens veniã) etiam prudentia. Sed cum sit idem in subiacenti, pro varietate sensuum, diuersis vocabulis nuncupatur. Aliud significat sapientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te diuinarum humanarumque rerum instituit. Quando iustitia, distributor & iudex meritorum significatur. Quando sanctitas; illa virtus describitur, quæ credentes Deo efficit sanctos. Ita ergo & mihi prudentiam eius intelligere doctrina est, & demonstratio bonarum, aut malarum rerum siue neutrum: atque in C hunc modum extendisse nunc dicitur cœlum in prudentia sua. quomodo autem extendatur cœlum, extendente eum prudentia, audi: quoniam extendit verba non attendentis: Asserit quipppe extensionem quandam esse verborum similiter, vt nunc dicitur cœli, iuxta illud *Psalm. 103.* quod in alio loco scriptum est. *Qui extendit cœlum vt pellem.* Extenditur autem & anima nostra, quæ prius fuerat contracta, vt possit capax esse sapientiæ Dei. Verum, vt ad propositum reuertamur, diximus de eo, quod prudentia cœlum factum sit, & nunc affirmamus eos, qui cœlestem hominem portant, esse cœlestes. Si enim ad *Gen. 3.* peccatorem dicitur. *Terra es, & in terram ibis*: quare non dicatur ad iustum, cuius est regnum cælorum: cælum es, & in cælum ibis? Aut si propter γήϊν., id est, terrenum, dicitur ei qui portat imaginem, γῆ εἶ, id est, terra es, & in terram ibis: cur propter cælestem, ei qui imaginem cælestis portat, non conuenit dici: Cælum es, & in cælum ibis? Vnusquisque autem nostrum, aut cælestia facta habet, aut terrena. Si terrena facta sunt, ad cognatam sibi terram deducunt eum, qui thesaurizat ea in terra, & D non cælo. Rursumque hæc quæ iuxta virtutẽ gesta sunt, *Psalm. 134.* thesaurizatorem suum appropinquaotem sibi ad cælorum regiones subuehunt. *Et eduxit nubes ab extremo terræ.* Istiusmodi disputatio in psalmo nuper incidit, & dictũ est à nobis, quomodo Deus eduxerit nubes ab extremo terræ: quod quidem nunc cogimur rursum tractare, vt & hi qui audierunt, plenissime eorum quæ scriunt reminiscantur: & hi qui aut non interfuerunt, aut obliti sunt, contextum sermonis agnoscant quem tunc prout valuimus exhibuimus. Diximus autem sanctos esse nubes. Etenim hoc quod scriptum est, *Veritas tua vsque ad nubes*, *Psalm. 35.* non potest referri ad inanimales nubes: sed veritas Dei vsque ad illas nubes est, quæ audiunt mandatum domini, & nouerũt quo pluuias deferant, & à quibus eas suspendãt. De his nubibus dictum est. *Et mandabo nubibus meis, ne* *Esai. 5.* *pluãt super eam imbrem.* De his enim quæ ex densato aëre constare dicuntur, si non fuerit pluuia, non præcipit dominus ne pluant super vineam, aut super quamcunque

E regionem, imbrem: sed omnino non apparent, vt in tertio Regum libro legimus, quando in tempore siccitatis nubes nulla apparuit, & postea iuxta prophetiam Heliæ *3. Reg. 18.* futuræ pluuiæ signum in vestigio hominis ostensum est, atque ita post nubẽ conglobatam imber descendit ad terras. Istis vero quasi subsistentibus nebulis, iubetur pluuiam continere, cum indigna fuerit anima imbre cælesti, & dicitur: Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. Itaque vnusquisque sanctorum nubes est. Moyses nubes erat, & quasi nubes loquebatur. *Attendite cœli quæ loquar & audiat terra sermones ex ore meo. Expe-* *Deut. 32.* *ctentur vt pluuia verba mea, & descendant vt ros eloquia mea.* Si non fuisset nubes, nunquã dixisset: *Expectentur vt pluuia verba mea, & descendant vt ros eloquia mea. Quasi nubes* dicebat, *vt imber super gramen, & pruina super fœnũ, quia nomen domini inuocaui.* Similiter & Esaias vt nubes loquebatur. *Audi cœlum, & auribus percipe terra, quia dominus locutus est.* *Esaia 1.* *Esaie 5.* Et quia nubes ipse erat, & sciebat alias nubes comprophetantes sibi, ideo vaticinans aiebat. *Mãdabo nubibus ne pluant super eam imbrem.* F Si autem iam didicimus qui sint nubes, videamus quomodo Deus *educat nubes ab extremo terræ.* *Esai 9.* Ait Saluator: *Qui vult in vobis esse* *1. Cor 4.* *primus, sit omnium nouissimus.* Seruauit hoc mandatum Paulus, & fuit nouissimus in hoc mundo, dicens. Puto enim Deus nos Apostolos nouissimos ostẽdit, quasi mortificatos: quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus. Si quis ergo sanctus custodiens præceptũ domini Saluatoris, factus fuerit in hac vita nouissimus, iste fit nubes. Et eduxit Deus nubes non à finibus terræ, non à consulibus, non à ducibus, non à diuitibus, sed ab extremis terræ. *Beati enim pauperes, quoniam vestrum est* *Matth. 5.* *regnum cælorum.* Vides quomodo ab extremis terræ educat Deus nubes & corporeas nebulas? Propterea, si volumus nubes fieri, ad quas peruenit veritas Dei, nouissimi omnium fiamus, & tam affectu quã opere dicamus. Puto enim nos Deus Apostolos nouissimos ostendit. Quod si non sum Apostolus, licet tamen mihi fieri extremum, vt educens nubes ab extremo terræ, educat & me, & fulgura in pluuiã faciat. Aiunt naturalium causarum scrutatores, G quia fulgura ex nubium collisione generentur more silicum duriorũ, quos cum complauseris, id est, colliseris sibi, medius ex his ignis extritus elabitur, atque ita cul fulgore pariter & tonitrua mugire, tonitruo, scilicet, sonituum indicante concursus, & fulgura excussi luminis claritate. Si intellexisti exemplum, considera nunc nubes rationales. Moyses nubes erat: Iesus Naue nubes erat. Isti si secum colloquantur, ex sermonibus eorum fulgura micant. Ieremias & Baruch nubes erant, sermocinentur inuicem, & videbis rutilare fulgura. Potes & tu ipse de scripturis sanctis in hunc modum nubium inuenire concursus, ex quibus ignes emittantur. Vt autem & ad nouum testamentum veniamus. Paulus & Siluanus duæ nubes in vnum conuenerunt, & ecce totum mundum epistolæ eorum fulgor illuminat. *Fulgura in pluuiã fecit, & eduxit ventos de thesauris suis.* *Psalm. 134.* Ergo ne hi venti qui super terrã perflant, in thesauris Dei sunt, & non horum natura manifesta est, quomodo & qua ratione subsistant? Sed sunt quidam ventorum thesauri, thesauri spirituum, spiritus H sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & virtutis, spiritus fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritus timoris domini, fortitudinis, dilectionis & charitatis. Potes & ipse de scripturis hos ventos congregare, & istorum spirituũ inuenire thesauros. Vbi sunt isti thesauri? Vtique in eo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* *Coloss. 2.* In Christo sedẽ habẽt: inde oriũtur hi spiritus, vt alius sapiẽs sit, alius fidelis, alius eruditus, & alius quodcũq; donorũ Dei possideat. *Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ iuxta eundẽ spiritum, alij fides in* *1. Cor. 12.* *eodem spiritu.* Eduxit ergo *nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit: & eduxit ventos de thesauris suis*, & nos iuxta misericordiã Dei ad hos thesauros occursuros putamus. Et quia plures sunt thesauri, forte iuxta ordinẽ resurgentium erit, & requies in thesauris Dei. Quod autem dico, istiusmodi est: resurrectio mortuorum in quibusdam ordinibus futura est. Ait quippe Apostolus. *Vnus-* *1. Cor. 15.*

A *quisque autem resurget in suo ordine*, & non vt libet misceatur ordines resurgentium. Alius ordo erit in illo & in illo thesauro Dei: alius ordo in alio & in alio thesauro Dei. Isti autem omnes thesauri vnum habent thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiæ absconditi. Et quomodo possideo vnā pretiosissimā margaritam per plures alias margaritas: sic venio ad thesaurū thesaurorū,
Isa. 10. & dominū dominorū, & regem regum, cum dignus fuero spiritibus in Dei thesauro commorantibus. *Eduxit* enim *ventos de thesauris suis, infatuatus est omnis homo à scientia.* Si omnis homo infatuatus est à scientia, & Paulus homo est, Paulus infatuatus est à scientia. *Ex parte e-*
1.Cor.13. *nim*, ait, *cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Infatuatus est à scientia, videns per speculum, & in ænigmate, portiunculam quandam videns, & si sic expedit dicere, ipsius quoque portiunculæ partem minimam recognoscens. Econtrario autem intellige quid sit: infatuatus est omnis homo à scientia. Comparatione peccatorum Hierusalem, Sodomorum peccatum iustitia est: *iustificata est*
Ezech. 16. enim ait *Sodoma ex te.* Quomodo enim non habent iu-
B stitiam Sodomorum peccata per se, sed ad collationem maiorum scelerum iustificantur: sic econtrario scientia Pauli ad illam cælestem scientiam, ad illum consummatū electionis intellectum, stultitia reputatur. Infatuatus est idcirco omnis homo à scientia. Tale quiddā Ecclesiastes, vt arbitror, deprehendens effatus est. *Dixi sapiens efficiar,*
Eccl. 7. *& ipsa elongauit se à me longius quam erat, & alta profunditas, quis inueniet eam?* Volumus quiddam audenter licet dicere: quoniam hoc quod descēdit in mundum, euacuauit seipsum, vt euacuatione eius mundus completetur. Si hoc autem quod descendit in mundum, euacuauit se, euacuatio ipsa insipientia est: quoniam quod fatuum est Dei, sapientius est hominibus. Si ego dixissem fatuum
1 Cor. 1. Dei, quomodo aucupes sermonum meorum, & semper deditι ad criminandum, venenatas in me linguas vibrarent? Nunc vero Paulus sapiens, & potestatem habens Apostolicam, ausus est dicere, omnem sapientiam terrenam, quæ in se, quæ in Petro, quæ in cæteris Apostolis e-
C rat, quæ in istum mundum descenderat, stultitiam esse
1 Cor. 3. Dei. Ad comparationem quippe illius sapientiæ, quam terrenus non capit locus, ad illam sapientiam quæ cælestis est, quæ mundi limitem excedit, hoc quod descendit ad homines fatuum Dei est. Verum id ipsum fatuum Dei, sapientius est hominibus. Quibus hominibus? Non vtique stultis, sed sapientibus: dicas licet, sapientes huius seculi, siue principes, siue vates. Istis sapientibus seculi, hoc quod nos exposuimus fatuum Dei sapientius est. Mirabile quiddam volumus inserere: quoniam sapientia mundi stultitia est apud Deum, & infatuauit Deus sapientiam mundi: non in sapientia sua infatuauit mundi sapientiam, vt esse stultitia arguatur. Neque enim dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam conuincendam tota descendere, sed potius modicum, hoc est incarnationis sacramentum. Quid necessarium fuit, quod fatuum Dei erat, vt hoc paruo & fatuo Dei, infatuaretur seculi sapientia? Non enim valebat seculi sapientia magnitudi-
D nem in se venientis sapientiæ sustinere. Verum exemplum interponam, vt perspicue possit intelligi, quomodo fatuum Dei, stultam fecerit sapientiam mundi. Fingamus paulisper me, qui aliquid puto nosse, cum insipiente aliquo & ineruditο conferre sermonem, qui nihil intelligat, nihil acutæ disputationis interroget: nunquid opus mihi est ad istius stultitiam coarguendam dialecticæ artis calliditatem, & profundorum sensuum acumen adhibere? Nonne ad vnius sermonis iactum vilis & modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum eum & insipientem esse conuincam? Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam, non est opus sapientiam Dei descendere, & cum ea colluctari, quæ deorsum est sapientia, sed sufficit fatuum Dei: quoniam sapientius est hominibus, & infirmum Dei, fortius est hominibus: & omnia contraria Saluator meus & dominus assumpsit, vt contrariis dissoluat contraria, & confirmetur ab infirmitate eius, & sapientes efficiamur à fatuo eius: & in hoc introducti possimus ascendere ad sapientiam & virtutem Dei Christum Iesum, cui est gloria & virtus & imperium E
in secula seculorum.

EPISTOLA X.

AD PAVLAM ET EVSTOCHIVM de Assumptione B. Mariæ Virginis sermo, qui Sophronij esse creditur.

COgitis me, ô Paula & Eustochium immo charitas Christi me compellit, qui vobis dudum tractatibus loqui consueueram, vt nouo loquendi genere, sanctis quæ vobiscum degunt virginibus, Latino vtens eloquio, exhortationis gratia sermonem faciam de Assumptione beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, more eorum qui declamatorie in ecclesiis solent loqui ad populum, quod vtique genus dicendi necdum attigeram. Sed quia negare nequeo quicquid iniungitis, nimia vestra deuictus dilectione, experiar quæ hortamini affectu infantium F
more balbutientium, qui quæcunque audierint, fari gestiunt, cum necdum possint ad plenum verba formare: maxime, quia propter simpliciores quasq; id me depromere compellitis, vt habeat sanctum collegium vestrum sermone Latino, quibus se occupet laudibus eadem die, quibusue diuinis vacet lectionibus: præsertim cum & eadem in multis festiuitatibus, multorum sanctorum patrum studia, miro cuderint eloquio, quæ de hac quidem vberius vbique in scripturis diuinis prædicata leguntur. Quid enim aliud sonant Euangelia, nisi dominum nascētem ex Maria virgine? & omnia eius incrementa quousque fuit in mundo duntaxat, diuinis efferunt præconiis. Porro ab exordio sancti Euangelij Gabrielem Archangelum colloquentem Mariæ didicistis, & deinceps reliqua omnia plenius legistis. Ad præsepe quoque ô Paula, te teste, nato puero inter crepundia noui partus, & querelas nescij ploratus, pro fescenninis, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ volūtatis, multitudinē Angelorum cantantium audiuisti, & radiantem stellam vidisti. Pastoribus insuper euangelizantibus credidisti. Magos propterea tria deferentes munera, in visione beatis oculis conspexisti, ipsa eadem munera bene intelligendo G
votis omnibus fide Deo obtulisti. Nam & cum eisdē Magis Deum puerum in præsepio adorasti. Sed forte cōquesta me delatorem, quod te prodiderim clamabis. Ad quod ego. Si celatum esse volebas teste conscientia, mihi narrare ante præsepium, vbi plurimum lacrymata es, nō debueras: quod vt verum fatear, Christi præconia, etiam si voluero adiuratus, neq; tuas laudes omnino tacere queo. Idcirco tuæ te interrogē filiæ, quas lacte nutris: tu ea melius reserabis: quæ nescio si per speciem aliquam, aut certe in spiritu vidisti. Vnde vos ô filiæ, pulsate matrem precibus pulsate ad ostium inuitantis amici, si quo modo tandem vobis aperiantur, quæ reserata sunt matri. Verūtamen de his quid plura dicam? Omnia Saluatoris gesta & beatæ Mariæ obsequia, necnon actus vitæ ex Euangelio didicistis. Et nunc quid superest, vt ab aliquo Doctorum requiratis? De Assumptione eiusdē tamē Beatæ Dei genitricis semperq; virginis Mariæ, qualiter assumpta est, H
quia vestra id deposcit oratio, præsentia absens scribere vobis curaui, quæ absentia præsens deuotus obtuli, vt habeat sanctum collegium vestrum in die tantæ solennitatis munus Latini sermonis, in quo discat tenera infantia lactis experiri dulcedinem, & de exiguis eximia cogitare: qualiter fauēte Deo per singulos annos tota hæc dies expendatur in laudem, & cum gaudio celebretur, ne forte si venerit in manus vestras illud apocryphū de Trāsitu eiusdem Virginis dubia pro certis recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore, studio legendi charius amplectūtur, præsertim cū ex his nihil aliud experiri possit pro certo, nisi quod hodierna die gloriosa migrauit à corpore. Mōstratur autem sepulcrum eius cernentib. nobis vsque ad præsens in vallis Iosaphat medio, quę vallis est inter montem Sion & montē Oliueti posita: quā tu ô Paula oculis aspexisti, vbi in eius honore fabricata est Ecclesia miro

A miru lapide tabulata, in qua sepulta fuisse (vt scire potestis) ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum
esse Mausoleum cernentibus ostenditur. Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, vtrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore.
Quomodo autem vel quo tempore, aut à quibus personis sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, vel vbi transpositum, vtrum ne resurrexerit, nescitur: quamuis
nonnulli astruere velint eam iam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cælestibus vestiri. Quod
& de B. Ioanne Euangelista eius ministro, cui virgini à Christo virgo commissa est, plurimi asseuerant, quia in
sepulcro eius (vt fertur) non nisi manna inuenitur, quod & scaturire cernitur. Veruntamen quid horum verius
censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam vt aliquid temere
B definire velimus autoritate nostra, quod non probemus: sicuti & de his, quos cum domino (Euangelio teste)
resurrexisse credimus. Sed vtrum redierint in puluerem terræ, certũ non habemus, nisi quod legimus. *Quia mul-*
Matth. 27. *ta corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, ac venerunt in sanctam ciuitatem*, scilicet Hierusalem, & apparuerunt multis. De quibus profecto nõnulli Doctorum senserunt, & etiam in suis reliquerunt scriptis, quod iam in
illis perpetua sit completa resurrectio. Fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & vera eorum esset resurrectio. Vnde & B. Petrus dixisse legitur, cum de Dauid
Act. 2. loqueretur in testimonium. *Et sepulcrum*, inquit, *eius apud nos est*: quasi non sit ausus dicere, quod ipse, aut corpus eius apud nos est, sed tantum sepulcrum quo conditus fuerat, hinc aiunt resurrexisse, & eum cum cæteris
sanctis: & ideo vacuum remansisse mausoleum, vt nunc B. Mariæ cernunt. Quod sane factum & de aliis quibuslibet locis scripturarum affirmare conantur, quod hi iam
cum Christo regnẽt resuscitati in æterna societate. Quod (quia Deo nihil est impossibile) nec nos de beata Maria
C virgine factum abnuimus: quamquam propter cautelã (salua fide) pio magis desiderio opinari oporteat, quam
inconsulte definire quod sine periculo nescitur. Vnde de his ex quibus certi sumus, tantisper loquamur ad exhortationem vestram qualicunque sermone, ad ædificationem & laudem nominis Dei, vt & religio conseruetur
pro famulatu, & deuotio augeatur pro affectu: quoniam hæc est Virgo quæ sola interemit vniuersam hæreticam
prauitatem: sola post Deum, quæ nos confirmet in omni veritate, suisque commendet meritis, & precibus auxilietur, vt & ipsi digni inueniamur in eius laudibus. Quod
si quæritur post ascensionem domini quid egerit: vnum pro certo est, quia Virgo sancta corpore ac mente permansit, quam sane Angelus Gabriel, ac si cælestis paranymphus, intactam custodiuit. Et Ioannes Apostolus
atque Euangelista, cui Christus eam de cruce commisit, virgo virginem seruauit, suisque ei deseruiuit obsequiis:
non quod eximius ille sanctorum chorus Apostolorum deseruerit eam, inter quos post resurrectionem intrans
& exiens, familiarius contulit de Christi incarnatione: tanto siquidem verius, quanto ab initio plenius per Spiri-
D tum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa: licet & Apostoli per eundem Spiritum sanctũ omnia cognouerint, & in omnem edocti peruenerint veritatem. Quam sane beatam Virginem, & si omnes venerati sunt discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen amplius ac specialius vsque in finem
Ioan. 19. vitæ, qui sibi commissam accepit in suam, quasi matrem filius, cui benignus magister de cruce, *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus*: Ad discipulum autem, *Ecce mater tua*: vt virgo virgini cohæreret & deseruiret officiosissime cura adoptionis. Non enim pudicissima virginitas alicui discipulorũ tectius quam virgini commendatur, vt esset ad inuicem grata societas, & floridus aspectus, necnon & venustas conuersandi vernans, alternatim pudicitiarum splendore decoratus. Vna siquidẽ virtus virginitatis in ambobus, sed altera proportio in Maria: altera quidem, quia fœcundior, sed ipsa. Ipsa vero, sed altera: quia etsi ipsa eademque incorruptio, tamen fœcunditas integritatis lon-

ge gloriosior quam virginitas. Idcirco & fœcunditas in E
illa tota deifica est & virginitas. Alioqui nusquam secundum naturam nascendi virginitas, vbi fœcunditas prædicatur: neque fœcunditas, vbi virginitas integra conseruatur. Ideoque totum superexcellit de illa quæ dicuntur:
quia sunt diuina atque ineffabilia. Vnde virginitas & fœcunditas prolis supereminens nouitas est, quamquam
humanum cernatur ex carne quod nascitur. Veruntamen etsi magnificentior multum virginitas in Maria propter
gratiæ excellentiam, vna tamen integritas carnis, & vna virtus, quæ ad inuicem tanquam cognata sociatur. Hinc
quoque Ioannes, quicquid est quod Maria genuit euangelizando, suo commendat eloquio. *Verbum*, inquit, *in*
principio erat, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Ioan. 1.
Hoc quippe verbum quod in principio, & apud Deũ erat, & Deus erat, ipsum genuit beata & gloriosa virgo
Maria ex se carnem factum. Idcirco & virginitas longe sacratior, & fœcunditas (vt ita dicam) multo ineffabilior,
quam suo potuerit ille explicare eloquio. Veruntamen quanto virginitas cognatior virginitati, tanto beatus e- F
uangelista cæteris excellentior & vicinior verbo. Ideo quicquid est quod Virgo genuit, totum prout potuit homo per Spiritum sanctum nobis reserauit manifestius
& docuit. Cæterum ad exemplũ humanæ vitæ, conuersatio eius post ascensionem Christi generaliter cum Apostolis fuit quousque disperguntur: sicut Lucas meminit,
dicens. *Quod regressi quidem à monte Oliueti, Hierosolymã*
venerunt, & ascenderunt in cænaculum, vbi manebant Pe- Act. 1.
trus & Ioãnes & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes, inquit, *erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius.* Ecce Iesu ascendẽte cum
quibus Virgo vacat in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt ipsa sit forma disciplinæ Christi & exemplum perfectionis virginibus. Cõuersatur autem cum testibus sanctæ resurrectionis & ipsa testis. Cõuersatur cum senatoribus cæli intra curiam paradisi, sub
Spiritus sancti disciplina & magisterio totius diuinæ maiestatis. Inuenitur prima beata Maria inter primas summi
regis cohortes: quorum vita iam nõ erat de terris, in qui- G
bus Christus præliabatur, sed de cælis. Hinc ascendisse leguntur in cænaculum, in quo pascha dignissime celebrabatur, ibi quippe manebant cum Maria matre Iesu vnanimiter aspirati in charitate, perseuerantes in oratione,
dunec induerentur virtute ex alto. Cœperant enim iam orare qui dudum cum domino conuersantes virtutibus &
miraculis pascebãtur. Et bene perseuerabant in oratione nihil hæsitantes, donec acciperent munera Spiritus sancti
quæ poscebant. Quos & vos ô filiæ imitamini, quæ in schola Christi permanere vouistis, perseuerate in orationibus vnanimiter viuentes, donec intrare possitis gaudia
æternæ vitæ, quo beata Virgo feliciter hodie introiuit, alternantibus hymnidicis Angelorum choris intra pascua æternæ viriditatis: vbi vna societas ciuium supernorum, vbi dulcis solemnitas Angelorum, vbi post labores
& ærumnas felix & suauis refectio animarum. Hodie gloriosa namque semper virgo Maria cœlos ascendit, rogo
gaudete: quia (vt ita fatear) ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in æternum. Regina mundi hodie de ter- H
ris & de presenti seculo nequam eripitur: iterum dico gaudete, quia secura de sua immarcessibili gloria ad cæli iam
peruenit palatium. Exultate inquam & gaudete, & lætetur omnis orbis, quia hodie nobis omnibus eius interuenientibus meritis salus aucta est. Vobis quoque diligẽtibus eam, honor & virtus vna cum reliquis sacris virginibus amplior pręstatur & gratia. Idcirco dilectissimæ lætamini & laudate, quia si Deum ore prophetico in sanctis
suis laudare iubemur: multo magis eum in hac celebritate B. Mariæ virginis matris eius oportet cum hymnis &
cãticis diligẽtius extollere: & dignis Deo iubilare præconiis, ac mysticis honorare muneribus. Nulli enim dubiũ
quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quicquid digne genitrici suæ impensum fuerit, atque solenniter
attributum. Ex quo timeo satis, & valde pertimesco, dum

A vestris cupio parere profectibus, ne forte sicut improbus
ita & indignus laudator inueniar. Profectò cum nec san-
ctitas vel facundia suppeditet vt beatam & gloriosam
virginem Mariam digne laudare queam: quoniam, vt ve-
rum fatear (quicquid humanis dici potest verbis, minus
est à laude cœli: quia diuinis est & angelicis excellentius
prædicata & laudata præconiis. A prophetis quidem
prænunciata, à patriarchis figuris & ænigmatibus præsi-
gnata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelo
venerabiliter atque officiosissime salutata. Præterea,
qualis & quanta esset, ab eodem diuinitus declaratur,
Luc. 1. cum dicitur: Aue gratia plena, dominus tecum, benedi-
cta tu in mulieribus. Talibus namque decebat virginem
oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit
cælis gloriam, terris dominum, pacemque refudit, fidem
gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus discipli-
nam. Et bene Angelus ad virginem Mariam mittitur:
quia semper est Angelis cognata virginitas. Profectò in
carne, præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cæ-
lestis. Vnde in carne Angelicam vitam acquirere, maius
est meritum quam habere. Esse enim Angelũ, felicitatis
est: esse vero virginem, virtutis: dum hoc obtinere viribus
B Virgo nititur cum gratia, quod habet Angelus ex natu-
ra. Vtrumque tamen & esse virginem & Angelum, diuini
muneris est officium, non humani. Aue, inquit, gratia
plena, & bene plena, quia cæteris per partes præstatur.
Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc
Psalm. 71. quippe est quod Dauid canit. *Descendet sicut pluuia in vel-
lus.* Vellus itaque cum sit de corpore, nescit corporis pas-
sionem. Sic & virginitas cum sit in carne, nescit vitia car-
nis. Cælestis pluuia imber in virgineum vellus, placido se
infudit illapsu: & tota diuinitatis vnda se contulit in car-
nem, quando Verbũ caro factum est: ac deinde per crucis
patibulum expressum, terris omnibus salutis pluuiam ef-
fudit, & stillicidia gratiæ, humanis præstitit mẽtibus. Do-
minus, inquit, tecum. Mira res, & iam cum virgine erat,
qui ad virginem mittebat Angelum: & præcessit nunciũ
suum Deus, sed à Deo non recessit, nec teneri potuit lo-
cis, qui omnibus habetur in locis: & totus vbique est, si-
ne quo nihil totum. Ergo verbum patris nunquam à pa-
tre discedens, homo pro nobis fieri dignatus est, secreto
suo mysterio quod ipse nouit: qui quoniam totum susce-
C pit quod est hominis, homo totus est: & totum retinens
quod Dei est, omnino aliud quam Deus (qui natus est ex
Maria) esse non potuit. Scit enim Deus omnia & potest.
Propterea quia ita est, sciuit se ac potuit in vtero virginis
sine sui corruptione miscere atque vnire, vt vnus esset
Christus Deus & homo, vna persona, vnaque substantia.
Ob quod Dei genitrix electa & prælecta iure ab Ange-
lo salutatur, & prædicatur gratia plena. Vere plena, per
quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis
creatura. Et ideo satis eam deuotissime primum Angelus
veneratur & salutat. Miratur itaque & ipse qualis, aut
quanta sit quam salutat: non enim simplex, fateor, vel
consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna.
Siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris,
famulatus obsequij. Quia etsi in sanctis patribus & pro-
phetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In
Mariam vero totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo
D venit, quamquam aliter. Et ideo inquit: *Benedicta tu in
Luc. 1. mulieribus*, id est, plus benedicta quam omnes mulieres.
Ac per hoc quicquid maledictionis infusum est per E-
uam, totum abstulit benedictio Mariæ. Insuper gratiam
refudit Christi ortus, quam non habuit prius omnis mũ-
dus. Igitur quod natura non habuit, vsus nesciuit, igno-
rauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet
terra, creatura omnis etiam cælestis miratur: hoc totum
est, quod per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur, &
per Christum adimpletur. Qua de causa de tali tanta-
que loqui me indignum fateor: sed & puto quod & ne-
mo sit qui præsumat, nisi qui quanta sint quæ pandun-
tur, penitus ignorat. Tamen etsi ad hæc nemo idoneus
inuenitur, votis omnibus cessare non debet etiam quili-
bet peccator à laudibus, quamuis explere nõ queat quod
sentit. Vnde sermo diuinus cum de peccatore ageret in
psalmis: *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me*: proti- F
nus addidit, *Et illic iter est quo ostendam illi salutare Dei*: ac Psalm. 49.
si patenter dicat. Illic iter est laudis ad æternam laudem si-
ne fine mansuram: sed nemo apprehendet illud, nisi ego
præmonstrauero. Propterea charissimæ quia iter salutis
nostræ in laudibus est Saluatoris, hortor vos & commo-
neo in hac sacra solennitate genitricis Dei Mariæ, nolite
cessare à laudibus. Quod si virgo es, gaude quia meruisti
esse & tu quod laudas: tantum cura vt sis, quæ digne lau-
dare possis. Quod si continens & casta es, venerare &
lauda, quia non aliunde constat, vt possis esse casta quam
ex gratia Christi, quæ fuit plenissime in Maria quam lau-
das. Quod si coniugata certe, aut peccatrix, nihilominus
confitere & lauda, quoniam inde misericordia omnibus
profluxit & gratia vt laudent. Et quamuis non sit specio-
sa laus in ore peccatoris, noli cessare à laude, quia inde
tibi promittitur venia vnde & omnibus, vt laudes. Alio-
qui nisi iuxta modulum ingenij nostri Deum laudare in
sanctis suis studeamus, quomodo eum, secundum quod F
canimus, iuxta multitudinem magnitudinis eius lau-
dare poterimus? Omnino quippe prætermittendum
non est, quod impleturi sumus quandoque, secundum
quod dicitur. *Beati qui habitant in domo tua domine in se-* Psalm. 83.
cula seculorum laudabunt te. Interdum vero quia immen-
sus est, quod voce non possumus, nec facundia valemus,
exequamur votis & medullis cordis: quia magnus & bo-
nus est atque immensus, tantus ac talis, quantum ac
qualem ipse se nouit, ore ac spiritu confiteamur ad iusti-
tiam & salutem. Hinc rogo omnes pariter festiuitatem
gloriosæ semper virginis Mariæ deuotissime celebre-
mus: quia hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari
super choros Angelorum, & peruenire vltra quam no-
stræ humanitatis est natura. Vbi non substantia tollitur,
sed gloriæ magnitudo monstratur, cum eleuatur in dex-
teram patris, vbi Christus pro nobis introiuit pontifex
factus in æternum ad cœli palatium. Hæc est in quã dies,
in qua vsque ad throni celsitudinem intemerata mater &
virgo processit, atque in regni solio sublimata, post Chri-
stum gloriosa resedit. Sic itaque vbique confidenter san-
cta Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas
est credere, vt vltra Angelorum & Archangelorum di-
gnitatem merito transcenderit: quia & si similitudo re- G
promittitur sanctis, veritas tamen negatur. Hoc quippe
priuilegium non naturæ est sed gratiæ beatæ virginis Ma-
riæ, de qua natus est ipse Deus & homo. Idcirco & ipsa
plus est meritis, & non natura, quam virgo & homo. Vn-
de & si cæteræ virgines imitantur illam vsque ad conce-
ptum partus, & Gabrielis nouæ salutationis obsequium,
deinceps totũ diuinũ est, quod operatũ est in ea, teste An-
gelo. Quia Spiritus sanctus & virtus altissimi obumbrabit
te. Ante hoc ipsum sane vterus virginis quamuis mũdus,
quãuis impollutus & alienus à contagione peccati, quã-
uis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur,
vt ita dicam, ac si lana candidissima, suoque colore deal-
bata: ad quam sane cum accessisset Spiritus sanctus, quasi
ipsa eademque lana cum inficitur sanguine conchilij vel
muricis, vertitur in purpuram, versa est & ipsa sine coitu
in matrem, vt non sit iam amodo quod fuerat, sed purpu-
ra verissima ad indumentũ & gloriam summi regis diui-
nitus aptissime dedicata, vt nulli deinceps ea vti vsu fe-
mineo licuerit nisi Deo. Quippe (vt ita loquar) beata & H
gloriosa virgo Maria eo modo, quamuis dudũ incompa-
rabilis esset vniuersis quæ sub cęlo sunt virginibus, vt de-
center posset in se suscipere diuinitatis admistionem, sal-
ua vtraq; natura, tamen cum gratia repletur, cum Spiritu
sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur:
fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigiis, pulchrior
sanctitate, gloriosior suorum prærogatiuis meritorum:
ita vt nullis iam vsibus sit ipsa eademq; mancipanda, nisi
diuinis. Vnde ô sanctissimæ virgines, etsi imitari oportet
tantam ac talem virginem, tamque præclaram venerari:
multũ tamen conuenit, & vltra angelicam quodammo-
do dignitatem, quantũ fas est, cum gaudio laudibus eam
dignissimis efferre: quæ, vt diximus, non temere per Chri-
sti gratiam super choros Angelorum exaltata deuotissi-
mè

A mè hodiè prædicatur: quia præcessit eam dominus & Saluator noster ex ea vera fide genitus ad cœlestia: vt pararet ei, sicut ipse suis repromisit discipulis, in æthereis mansionibus locum. Hinc quoque Dauid propheta olim gratulabundus Christo canit: *A summo*, inquit, *cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius*. (Psal. 18) Ascendit ergo eandem gloriam resumpturus, licet non amiserit quã prius habuerat antequam mundus fieret. Ascendit & præparauit huic sanctissimæ & gloriosissimæ virgini locum immortalitatis, vt cum eo regnare posset in perpetuum. Et hæc est huius præsentis diei festiuitas, in qua gloriosa & felix ad æthereum peruenit thalamum. Quæ profecto festiuitas, sicuti beata Maria incomparabilis est virginibus cæteris, ita incomparabilis est omnium sanctorum festiuitatibus: & admiranda est etiam Angelicis virtutibus. Propter quod ex persona supernorum ciuium in eius Ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus*. (Can. 3.) Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendiu pij amoris, & de- B siderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus: nimirum quia multis repleta est virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiam spiritibus Angelicis. Ascendebat autem Dei genitrix de deserto præsentis sæculi, virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animæ præ gaudio, quænam esset quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem Spiritus sanctus in eisdem Canticis. *Quæ est ista quæ ascendit*, inquit *quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* (Cant. 6.) Admiratur autem Spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius virginis admirantes facit, quod quasi noui diluculi aurora rutilans, ascensu suo resplendeat, multis freta & vallata sanctorum agminibus. Vnde dicitur terribilis, vt castrorũ acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus: vt castrorum acies admodum ordinata, hincinde Angelorum sanctorum fulta præsidiis: pulchra vt luna, imo pulchrior quam luna, quia C tam sine defectu sui coruscat, cœlestibus illustrata fulgoribus. Electa vt sol, fulgore virtutum, quia ipse elegit eam sol iustitiæ, vt nasceretur ex ea. Ad cuius profecto exequias (quantum fas est credere) famulabantur Angeli, & vniuersæ cœlorum congratulabantur curiæ. Nec mirum quia honor maternus eius est, qui est natus ex ea, quem omnis cœlorum ordo veneratur & adorat super se eleuatum cum patre in sede maiestatis domini. Legimus enim quam sæpe ad funera, & ad sepulturas quorumlibet sanctorum Angelos aduenisse, & exequiis eorum obsequia præstitisse, necnon & animas electorum vsque ad cœlos, cum hymnis & laudibus detulisse, vbi & vtriusque sexus chori commemorantur frequenter auditi, laudesque cecinisse, tutetea & quod perspicacius est, multo nonnunquam lumine eosdem resplẽduisse, insuper & adhuc viuentes in carne, ibidem miri odoris fragantiam diutius persensisse. Quod si ad recreandam D spem dilectissimæ filiæ, & corroborandam fidem interdum astantium, Saluator noster Iesus Christus ob merita suorum amplius comprobanda, talia & tanta dignatus est exhibere per suos cœli ministros circa defunctos: quanto magis credendum est hodierna die militiam cælorum cum suis agminibus festine obuiam venisse genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum olim sibi etiam ante mundi constitutionem paratum eum laudibus & canticis spiritualibus perduxisse? Nulli dubium, omnem illam cælestem Hierusalem, tunc exultasse ineffabili lætitia, tunc iucundatam esse inestimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione iubilasse: quoniam festiuitas hæc quæ nobis hodie reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua. Nec immerito: Creditur enim quod saluator omnium ipse, quãtum datur intelligi, per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Alias autẽ quomodo impleuisse creditur quod in lege ipse præcipit. *Honora patrem tuum & matrem tuam*? (Matth. 15.) Porro quod patrem

honorauerit, ipse sibi testis est, cũ ad Iudæos ait. *Ego gloriã meã nõ quæro, est qui quærat & iudicet*, (E) (Ioan. 8) sed ego honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. De matre vero Euangelista, cum rediret: *Veniens*, ait, *Nazareth, erat subditus illis*. (Luc. 2.) Sed alia est natura qua Deus pater secundum se honoratur: alia qua idem parentibus subditur. In vtraque tamen vnus idemque Christus recte creditur, eo quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vnus Emanuel, quod est, nobiscum Deus. Hanc quippe vnionem diuinitatis atque humanitatis inconfusam atque indiuisam fides Catholica seruat, quam sane intelligendo cognosci naturalis, atque secundum substantiam conuenino vnitatis, vt neque conuersio in alterutram duarum substantiarum partem recipiatur, nec diuisio. Sic namque credere, honorare est matrem domini, quæ & Deum nobis genuit & hominem, neque hominem sine Deo, neque sine homine Deum, sed Deum & hominem vnum & verum IesumChristum, alioqui Dei genitrix dici non posset (quod multi hæreticorum negare conati sunt) nisi Deum vere genuisset incarnatum, & propterea duas in Christo recte confitemur natiuitates. Vnam videlicet de patre sine initio, & sine tempore sempiternam (F) & coæternam Deo patri. Alteram de matre cum tempore, quando miserationem induens & misericordiam, spontanea voluntate ad nos descendit homo natus Deus: ac per hoc iuxta veritatem & matris gestatur vtero, qui semper Deus agnoscitur. Hinc etiam theotocon eam veraciter confitemur, Dei scilicet genitricem, necnon & Christotocon, non quod Verbum carnem secum detulerit, neque olim præfatæ carni copulatum sit; sed tunc quando Verbum caro factum est ex carne Virginis, diuinitatis atque humanitatis substantia in vtero ita inconfuse vnitur, vt vna persona sit Deus & homo Christus. Ex duabus siquidem naturis sine confusione alterius, non nisi vnus inuenitur Iesus dominus, manens Deus in forma Dei, *qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*, manens vnus idemque in forma serui quam suscepit, (Philip. 2.) totus quippe Deus in carne Virginis de qua natus est, & totus homo. Hinc quoque Apostolus: *In quo habitat*, inquit, *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. (Colos. 2.) Quapropter, (Matth. 10.) ô filiæ, estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, vt ex prudentia perfectæ intelligentiæ, annulũ (G) fidei vestræ & margaritam pro qua omnia reliquistis, integram inuiolatamque seruetis, ne dotem simul & arram Spiritus sancti (quod absit) perdatis. Diligentius itaque procurate, si quo modo simplicitas columbæ quæ fuit in Maria, illæsa inuiolataque in vobis custodiatur: de qua Salomon in Canticis quasi in laudem eius. *Veni*, inquit, *columba mea, immaculata mea. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit*. (Cant. 2. & 4.) Ac deinde inquit. *Veni de Libano, veni coronaberis*. Non immerito igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim cãdidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue cãdidior Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quoniam quicquid in eam gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totũ misericordia & iustitia, quæ de cælo prospexit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Circũdedit enim virum in vtero, sicut Hieremias sanctus testatur, & non aliunde accepit. *Faciet*, inquit, *dominus nouum* (H) *super terram, & mulier circumdabit virum*. (Hier. 31.) Vere nouum & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis vt viuere possit) sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset: & sic exiuit inde, vt esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omnino clausa. Vnde canitur in eisdẽ canticis de ea. *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus*. (Cant. 4.) Vere hortus delitiarum, in quo cõsita sunt vniuersa florum genera & odoramenta virtutum, sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen: quia, iuxta Ioannem, *Ipse est qui illuminat omnẽ hominem venientem in hunc mundum*, cuius pro- (Ioan. 1.)

A fecto emissio veteri, supernorum ciuium omnium est paradisus. De isto namque veteris agro patriarcha Isaac longe odorans, aiebat dicens. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus*: (Gen. 17.) quamuis putent parum intelligentes, quod priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, cum & ipsi eadem saluati sint gratia. Vnde constat tempus non præiudicasse sacramento vnitii hominis ac Dei: ita vt iam esset in illo per vnitatem personæ ab initio seculi, qui nondum erat natus de Maria virgine, quod multis scripturarum declaratur indiciis. Vnde dominus ad Iudæos. *Antequam Abraham fieret*, inquit, *ego sum*. (Ioan. 8.) Quibus vtique verbis ostendit, eum qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio vnitatis, quam vt commendaret, Antequam Abraham fieret, inquit, ego sum. Nam Abraham antequam fieret, humanitatis est breuitas. Ego autem sum, æternitas naturæ declaratur: in qua nimirum æternitate iam se fuisse qui loquebatur per sacramentum suæ incarnationis insinuat. Quod Apostolus Iudas volens apertius dilucidare: *Iesus*, inquit, *populum ex Ægypto saluãt, secundo eos qui non crediderunt perdidit*. B Et alibi Paulus. *Neque tentemus Christum sicut quidã eorum tentauerunt*, (Iudæ 1. 1.Cor. 10.) non quod iam esset Iesus aut Christus natus ex Maria, sed quia in illo vnico filio Dei iam vnitas personæ commendabatur, quæ occulta erat in mysterio. Quod & alibi euidenter. *Qui elegit nos*, inquit, *ante mundi constitutionem in ipso*: (Ephes. 1.) quia profecto quicquid Deus fecit ab initio, Christus fecit totum per vnitatem sacramẽti. Et ideo iam Iesus erat in filio, qui populũ educebat, & Christus in eo qui tentabatur: quoniam semper per sacramenti vnitatem in Deo fuisse non dubitatur. Alioqui nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino aut contra prophetam Deus recens esse videbitur. Sed ne talibus quatiamur calumniis, scrutandæ sunt scripturæ, in quib. vnitas in Christo commendatur personæ, quoniam non præiudicat tempus ne vnus semper dicatur. Hinc quoque B. Petrus loquens de patribus, ait. *Per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodũ & illi*. (Act. 15.) C Nãque illos dominus solus ducebat: & non erat cum eis Deus alienus: vnde nec nobiscum Deus recens: quia vnus idẽque est qui & eorum ductor fuit, & noster per passionẽ carnis suæ redemptor: vnus siquidem sua in carne, vnus in sacramẽto, atque vnus in spiritu: nec admittit ratio, vt alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur. Qui nec tempore præscribitur, nec passione separatur, sed totus Deus in Christum, & Christus in Deum transiit: vt quicquid Dei filius est, Christus dicatur: & quicquid in carne Christus pertulit, id Deos pertulisse recte credatur: alioqui si ad rationẽ respiciamus, & ad sensus humanos, nequaquam ita hactenus potuerunt inter se conuenire deitas & humana conditio, conuenerunt tamen in Christo, & vnus est ex ambobus Emmanuel. Vnde mihi videtur quod altitudinem tanti mysterij diligenter intelligere & videre non potuerunt, qui aut duos filios certe, aut aliud Christum quam Dei filium existimauere. Quapropter nec nos hominem seorsum colimus, quod nefas est, nec D adoramus: sed Deum magis incarnatum, qui propriũ sibi corpus animatum vniuit, ita vt Deus verbum caro fieret, & non alium quemlibet, sed in semetipsum caderet vnitas, qui vnus & verus Dei filius semper erat. Idcirco non alium quam eundem, ipsumque Dei filium & colimus & adoramus. Qui nihil ipse pro assumpto homine est auctus, nihilque quod verbum caro factum est imminutus vel immutatus est: & ideo vnus idemque semper cum Deo patre filius adoratur, non nouus, non recens ex tempore, non alienus à natura vel genere. Quod si tibi nouũ videtur quod pro te hominem assumpsit, noueris quod hoc semper cum eo & in eius consilio fuit vt sic fieret, & nunc quando plenitudo temporis venit, id factum est quod in Christo semper factum fuit. Talibus quippe priores sancti diuinitus afficiebantur adoramentis, talibus inspirabantur de Christo præsagiis, quod nasciturus esset in mundo, in quo esset omnium salus, & benedictio æternæ hæreditatis. Istæ siquidem suot fidei vestes, istæ quibus priores sancti vestiebantur. istæ quas Rebecca, imo Spiritus sanctus secum domi habuit, quib. induit Iacob filium suum. Alias autem nisi à Spiritu sancto seruatę domi & prolatæ essent, quid miri odoris in eisdem pater Isaac hauriret: ita vt diceret, cum præsensisset vestimentorum fragrantiã, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus*? (Gen. 27.) Sed forte dicturus est aliquis Quid ad Rebeccam Spiritus sanctus pertinet, cum multis in locis personæ pro Deo figuratæ accipiantur? Veruntamen & Spiritus in Hebræo רוח ruah feminino genere dicitur, non quod sexus in Deo monstretur, imo ne forte suspicetur, sub regula trium linguarum Spiritus sanctus diuerse accipitur: in Hebræo scilicet, vt dixi, fœminino genere legitur, in Græco vero ne sexus in eo credatur, πνεῦμα neutro nomine, & in Latino masculinum esse decernitur. Qui omnium Spiritus sanctus bene per Rebeccam intelligitur: & ideo totum est in mysterio quod geritur, vt per vestimentorum fragrantiam Christus annuncietur, quem nos omnes quicunque baptizati sumus induimur, in quo benedixit nos non qualicũque, sed omni (vt ait Apostolus) benedictione spirituali in cœlestibus. Vnde & Angelus Mariæ loquens, a benedictione exorsus ait. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. F (Ephes. 1. Luc. 1.) Cuius profecto in spiritu longe odorẽ trahens pater Isaac benedicebat filium, in quo cælestis omnis benedictio mundo effloruit. Et bene ab eo plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum virgo Maria pronunciatur, de cuius vtero credentibus fructus vitæ effulsit. *Et nos* (inquit Euangelista) *omnes de plenitudine eius accepimus, gratiam pro gratia*. (Ioan. 1.) Quapropter obsecro vos ô filiæ, talem ac tantam gratiã ne in vacuum recipiatis, quæ est in Christo Iesu, in quo est Deus & homo, sic vnitus in vna eademque persona, vt legatur quam sæpe in scripturis diuinus homo Deo coæternus propter vnionem substãtiæ ac deinde Deus homini videatur compassus, cum nec mortalis sit homo, nec passibilis Deus: tamen sic vnitus est Deus suo corpori, vt nullã patiatur fieri inter Deum & hominem humana opinione distantiam: ne forte (quod absit) alius filius Dei, & alius filius hominis credatur: præsertim quia scriptura diuina sic connectit & concorporat Deum & hominem, vt nec in tempore hominem admodum quis à Deo, nec in passione possit ab homine Deum G discernere. Vnde si ad tempus respicias, inuenies quidem procerto semper filium hominis cum filio Dei. Si ad passionẽ, inuenies semper cum filio hominis eundem Dei filium ita vnitũ & indiuiduum, quantũ ad vocem scripturæ pertinet, vt nec homo separari à Deo tempore, nec ab homine Deus valeat passione. Siquidem (vt hæc apertius intelligatis) ipsius Christi verba discutite. *Nemo ascendit*, inquit, *in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo*. (Ioan. 3.) Quis quæso est qui loquitur? Christus vtique. Vbi rogo tunc erat, quando hæc loquebatur? In terra scilicet. Et quomodo se de cœlo antequam nasceretur descẽdisse testatur? Etiam & cum loquitur in cœlo se esse fatetur, eundemque se filium hominis dicit: cum vtique de cœlo, nisi Deus descendere non potuerit: & cum in terris loquitur, non nisi vnus idemque Christus fuit. Et hæc est mira & admirabilis nouitas, imo omnium nouitatum supereminens nouitas vnitatis. H Quam nisi diligenter prudens virgo ab exordio sancti Euangelij animaduertas, magis errare in omni scriptura videberis diuina quã intelligere veritatẽ. Constat igitur vnum eundemque Christum secundum vtrasque formas operatum, humanitatis scilicet ac diuinitatis, ac per hoc duas exercuisse operationes. Operata est enim vtraque forma vel natura cum alterius communione quod proprium habuit, verbo siquidem operante quod verbi est: & carne exequente quę carnis erant, communicante ei siquidem verbo in eadem operatione, dum & idem Deus atque homo in vna substantia vel persona, sine diuisione aut commistione creditur, & præcognita vna identitas prædicatur. Veruntamen Deus verbum est & non caro, quanquam carnẽ rationabiliter animatam assumpserit, hancque sibi vnione naturali & secundum substantiam coniunxit. Similiter & caro est animata, & non verbũ: licet verbi Dei caro conspecta sit ac visa. Vnde & Ioannes. *Quod fuit ab initio, & quod audiuimus*, inquit, *& vidimus, & perspeximus, & manus* (1. Ioan. 1.)

nostræ

A *nostræ tractauerunt de verbo vitæ* : cum perfectò nemo
Deum verũ videre aut tractare possit manibus, nisi per
sacramentum sibi vniti hominis. Quæ nimirum vnitio
inita est, vt discerni nequeat. Alioquin quod fuit ab ini-
tio verbum, quomodo rectè dicitur hoc totum esse
quod apostoli audierant, quod viderant, quod manibus
tractarant, nisi quia Christus vnus idemque erat? Ac per
hoc quod audierant, quod viderant, quod tractarant,
verbum vitæ erat, & nihil aliud ex duabus naturis, quam
vnum iuxta subsistentiam vel personam. Hinc est quod
vnus idemque manens filius vnigenitus, indisseparatus
in vtrisque naturis conspicitur, & quæ sunt vtriusque
substantiæ naturaliter operabatur, secundum vnicuique
vel insitam essentialem qualitatem, vel naturalẽ proprie-
tatem: quæ si naturam haberet singularem & inconiun-
ctam, non ageret vtique. Nunc autem Emanuel dum v-
nus est, & in eo ipso vtraque, id est, Deus & homo, quæ
vtriusque naturæ sunt, veraciter gessit, secundum aliud
& aliud quæ gesta sunt operans. Ergo secundum quod
Deus, ipse idem egit quæ diuina sunt: secundũ quòd ho-
mo idẽ ipse quæ humana sunt seipsum volens ostendere,
B quòd Deus idem ipse & homo sit. Et ideo idem ipse tam
quæ diuina sunt agit, quàm quæ humana similiter: &
non alius quidem miracula operatus est, alius perpetrauit
humana, passionesque sustinuit, sed vnus idemq; Christus
filius Dei atque hominis filius, qui & diuina gessit & hu-
mana, siquidem inseparabiliter atque indiuise cõmunes
Christus habuit actiones. Sed intelligendæ sunt ipsorum
operum qualitates, contemplandumque semper ad quæ
proueheatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitu-
do diuinitatis: ita vt per omnem textum sancti euangelij
videatur nihil caro sine verbo agere, neque verbum sine
carne quicquam efficere. Vnde quod concipit & parit
virgo, sicut non sine potentia verbi est, ita non sine veri-
tate carnis non nascitur, quòd pannorum fasciis iacet
Matth. 2. inuolutum, & in præsepio reclinatur. Porro quod stella
duce à Magis adoratur, sicut deitatis est, ita & humanita-
tis, cum in Ægyptum per fugam ne capiatur adducitur.
C Sic itaque omnia virtutum opera consideranda sunt, vt
reddamus Deo quæ Dei sunt, & homini quæ sunt homi-
nis. Quoniam sicut est vnus qui Lazarum verbo potentię
suę vocat, vt exeat foras à monumento: sic idem ipse vnus
est qui fleuit humanitatis affectu. Sic quippe cuncta o-
portet considerare, quatenus & plena diuinitas in Chri-
sto intelligatur homini vnita, & plena humanitas in Deũ
assumpta. Hæc idcirco diximus tantisper de fide incar-
nationis Christi, charissimæ: quia quod plures Orien-
talium circumeunt suis fecibus obuoluti, moneri debui-
stis, ne suo obnubilare vos velint obscuritatis eloquio, vel
Græco turbine Latinã confundere puritatem. Sunt enim
& prudentes virgines, sunt & fatuæ. Et ideo, dilectissimæ,
imitamini, quam amatis beatam & gloriosam Virginem,
cuius hodie in terris festa colitis, de qua dicitur. *Maria*
Luc. 2. *autem conseruabat omnia verba hæc* (quæ de Christo dice-
bantur scilicet) *conferens in corde suo*. Conferte ergo & vos
D in cordibus vestris, charissimæ, quæ de ipso eodẽque do-
mino catholicè dicuntur, vt & fidem integram seruare
possitis, & matrem eius debite venerari. Quoniam nullus
honor eius est alius, nisi cum ille iure honoratur, qui nas-
ci dignatus ex ea. Cæterũ rogo quæcunque estis filiæ, quę-
cunque matres, cogitate attentius, & perpendite diligen-
tius, quibus afficiebatur beata & intemerata virgo Maria
doloribus. post Christi ad cœlos ascensum, expletis omni-
bus quæ de ipso erant ab angelis prædicata, & à prophetis
multifariè multisq; modis præsignata, diuinis declarata
oraculis, virtutibus exhibita, & quæ humanitatis sunt o-
stensa præsagiis. Quæso si qua sunt in vobis viscera pieta-
tis, considerate quo cruciabatur amore, quove desiderio
æstuabat hæc virgo, dum reuolueret animo cuncta quæ
audierat, quæ viderat, quæ cognouerat. Puto quod quic-
quid cordis est, quicquid mentis, quicquid virtutis hu-
manæ, si totum adhibeas, non sufficiat vt cogitare valeas,
quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris: quã-
tis mouebatur repleta Spiritu sancto cœlestium secreto-
rum incitamentis: quia etsi diligebat Christum ex toto

corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, nouis tamen E
quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum
affectibus: tanto siquidem validius, quanto diuinis illu-
strabatur intus visitationibus, quam totam repleuerat
Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuinus
amor, ita vt in ea nihil esset mundanus quod violaret af-
fectus, sed ardor continuus & ebrietas perfusi amoris.
Nam & Christus ab omnibus est amandus ex toto corde,
& ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus. maxi-
mè tamen ab ea ardentius, cuius & dominus erat & filius.
Fortassis ergo præ nimio amore, in loco quo sepultus di-
citur interdũ habitasse eam credimus, quatenus piis pa-
sceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus me-
dius est hinc inde constitutus vt adire posset ascensionis
eius vestigia, & locũ sepulturæ ac resurrectionis, & om-
nia in quibus passus est loca inuisere, non quod iam vi-
uentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur
aspectibus. Hoc quippe habet impatiens amor, vt quæ
desiderat, semper inuenire se credat. Ignorat siquidem iu-
dicium, ratione multoties caret, modum nescit, nec aliud
cogitare potest quam quod diligit. Amor non accipit de
impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium.
Quæ scilicet beata virgo Maria, quamuis iam in spiritu F
esset, tamen dum in carne vixit, carnalibus mouebatur
sensibus: & ideo quàm sæpe locorum recreabatur visi-
tationibus, & quẽ genuerat, mentis complectebatur am-
plexibus. Deniq; amor Christi, desiderium pariebat, desi-
deriũ vero gliscẽs, quasi nouis reparabatur ardoribus, in-
tantum vt credam nonnunquam, quod omnia etiam &
semetipsam transcenderet: quia omnino amor impatiens
quod amat non potest non videre. Hinc est, charissimæ,
quod omnes sancti omnia quæ meruerẽt pro paruis du-
xere, si dominum quem amauerant non viderent: sicuti
& venerabilis beata virgo Maria, non indignum pro in-
numeris & immensis beneficiis reddebat, interdum ob-
sequium sanctuaris, dum beneficiorum in terris posita
non poterat videre largitorem: & ideo hodie dilectissimę
eleuatur super choros angelorum, vt possit speciem vul-
tumque videre saluatoris, quem amauerat, quẽ cupierat
ex toto desiderio cordis. Quod si gaudium fit in cœlo de
quolibet peccatore conuerso, multo magis putandum G
pro tantæ Virginis exaltatione & gloria, quod exultatio
fiat in supernis: cuius nimirum festiuitas, omnium super-
norum ciuium est gratulatio, præsertim quia eius celebri-
tas laus & fauor est saluatoris. Vnde credimus (vt supra
dictum est) quod non hunc tantum diem solennem du-
cunt pro eius honore annuum, verum etiam continuum
& æternum iucunditatis & lætitiæ ac venerationis obse-
quio, cum omni colunt tripudio amoris & gaudij. Nec
immerito igitur omnis illa cœlestis ciuitas cõgratulatur
& veneratur matrem, cuius super se adorat filium regem,
ante quem tremunt potestates, & curuatur omne genu.
De huius nimirum ad cœlos ascensione, multo admiran-
tis intuitu secretorum contemplator cœlestium in Cãti-
cis. Vidi, inquit, speciosam ascendentẽ, quasi columbam,
desuper riuos aquarum. Et verè speciosa quasi columba:
quia illius speciem columbæ ac simplicitatẽ demonstra-
bat, quæ super dominum venit & docuit Ioannem, quod
hic est qui baptizat. Et bene desuper riuos aquarum: quia
super aquã refectionis educauerat eam dominus & nutri- H
uerat: ex qua multi deducti riui, omnẽ irrigant terrã de-
litiarũ, & infũdunt hortum voluptatis, ex quibus quoti- Psalm. 22.
die lota & perfusa beata Dei genitrix ascendit hodierna
die, speciosa valde & admirabilis, cuius odor inæstimabi-
lis erat nimis, & ideo ineffabilis. Ad cuius profectò fra-
grantiam odoris, omnis illa cœlestis Hierusalem læta de-
currit, quam circundabãt flores rosarum & lilia conual-
liũ: eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ, eã æternæ
dilectionis cõplectuntur amplexib. & virginitatis splen-
dore cãdidatæ, ac si lilia in valle humilitatis enutritæ cir-
cundãt eam venerationis gratia obsequentes. Rectè igi-
tur beata Dei genitrix & martyr & virgo fuit: quãuis in
pace vitã finierit. Hinc quoq; quod verè passa sit, testa-
tur Symeon propheta, loquens ad eã. *Et tuam, inquit, ip-*
sius animã pertransibit gladius. Ex quo constat quo supra Luc. 2.

A martyrem fuerit. Alij namque sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima (quia immortalis est) pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur: ideo (vt ita fatear) quia spiritualiter & atrocius passa est gladio passionis Christi, plus quam martyr fuit, vnde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente passa est, plus quàm martyr fuit. Nimirum & eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit: quia mortem Christi suam fecit. Nunc autem circumdant eam flores rosarum, indesinenter eius admirantes pulchritudinem ioter filias Hierusalem, in qua posuit rex thronum suum: quia concupiuit eius speciem ac decorem: fuit enim plena charitate & dilectione, idcirco sequitur post eam purpuratorum exercitus, & candidatorum grex. Quam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris gloriæque, quod ex ea non resplendeat. Et ideo bene circundant eam flores rosarum, & lilia con-
B uallium, vt virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur. Nam omnis splendor & gloria, quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet præstantior claritate quorumlibet subiectorum, & eximior prædicatur. Sic & beata Dei genitrix, cuius plantatio ac si rosæ in Hiericho, specialius resulsit, & candor virginitatis splendidius emicuit: cum circundata officio charitatis, submittitur illi sanctorum claritas: vt eius amplius splendor & gloria commendetur, quæ super angelorum choros eleuata, iam beata prædicatur, & iam beatissima. Nam angelorum quamuis celsior natura sit, non tamen gratia maior: quia & ipsi gratuita gratia ne corruerent sunt saluati. Vnde Dauid. *Verbo domini*, inquit, *cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Quod si spiritu oris eius omnis virtus eorum subsistit: constat beatam & gloriosam virginem Mariam, in quam superuenit Spiritus sanctus, & Deus totus illapsus portatur nouem mensibus in vtero (vt credendum est) ampliora promeruisse virtutum priuilegia, & percepisse gratiam ab angelis, etiam collaudatam. Vnde & si mirabilis est eo-
C rum virtus, & firmitas perpetuitatis mirabilior, tamen in Maria quam obumbrauit virtus altissimi, vt vltra omnem virtutem sit angelicam, quod factum est in ea, & admirabile cunctis seculis sacramentum. Ac per hoc etiam angelis exinde maior præstatur gratia, cum instaurantur ab ea omnia, quæ venerantur & adorant super se Christum regem dominum suarum ea eadem Virgine. Hinc & Maria cunctis tanto venerabilior quanto gratiosior, & quanto virtute altissimi extollitur ad sublimia, tanto clarior resultat in gloria. Plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, non potest non possidere plenè gloriam claritatis æternæ, quam plenissimè accepit, vt mater fieret saluatoris. Quam viderunt omnes filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt, ac reginæ laudauerunt eam: quoniam tantam eam viderunt, quantam nullus narrando expleuit mortalium, quanto magis Deum qui talem ac tantam fecit eam, vt ipse fieret per eam. Vnde Dauid:
Psal. 86. *Et homo*, inquit, *natus est in ea & ipse fundauit eam altissimus*. Beata igitur talis ac tanta natiuitas, beata & supernorum ciuium societas, & admirabilis charitatis eorum
D vnanimitas: vbi nemo angelorum, nemo archágelorum, non dico beatæ virginis Mariæ, verùm neque alicuius sanctorum inuidet gloriam, sed totum in altero vnusquisque possidet, quod gratis præstatur omnibus: vt de omnibus, & in omnibus glorificetur Deus, honoretur & adoretur ab omnibus: vbi non sexus, non ætas, non dignitas generis, sed meritorum qualitas sola discernitur: vbi plurimum *stella à stella differt claritate*, quamuis om-
1. Cor. 15. nes in suo sint ordine suscitandi. Quòd si est alia claritas solis, & alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, vna tamen claritas est, qua illustrantur omnia: idcirco beata Dei genitrix, quæ adhuc tantis in terra prædicatur laudibus, non immeritò creditur hodierna die exaltata & glorificata, necnon & clarificata, quantum nouit ille qui eam elegit in sua sapientia, qua disposuit omnia. Quod si

Cant. 5. [margin]

Psal. 32. [margin]

in domo patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem matri hodie filium præstitisse, quam sibi olim ædificauit domum, subnixam columnis septem: in qua domo nimirum parantur nuptiæ ecclesiarum Dei, & E fœderantur terrenis cœlestia. In eo namque vtero Virginis, sponso immortali virginitas consecratur, vt sit totum cœleste commercium. Et ideo charissimæ celebrate solenniter Virginis festum, quæ cœlestem vobis vitam in terris ostendit: quoniam qui non nubent neque nubentur, erunt sicut angeli in cœlo. Nec mirum si angelis cōparatur virginitas, quæ angelorum domino, fœdere copulatur nuptiarum. Et si quælibet virginitas tantum erigitur, vt angelis comparetur, multo magis beata & gloriosa virgo Maria, quæ singulari commendatur priuilegio, & immenso ditatur matrimonio. Idcirco dilectissimæ, amate quam colitis, & colite quam amatis: quia tunc eam verè colitis & amatis, si imitari velitis de toto corde quam laudatis. Hæc namque vita vobis de cœlo fluxit, quam professæ estis: supra vsum naturæ hæc vita est, quam tenetis: de cælis venit sponsus, quem sequi vnà cum matre debetis: nec immeritò viuendi vsum de cælo F quæsistis, quæ vobis de cælo sponsum petistis. Ideo vestra conuersatio in cælis sit semper, quoniam verbum Dei quod amatis, non nisi in sinu patris inuenitur. Licet igitur vbique totus sit, & non longè ab vnoquoque nostrum, tamen non nisi casto rursus hauritur pectore. *Prope est enim*, inquit Moyses, *verbum in corde tuo & in ore* Deut. 30. *tuo*, tantum eum recto si quæsieris corde. *Vnguentum exi-* Rom. 10. *nanitum est nomen eius*, propterea adolescentulæ diligite domino, quod pro vobis effusum est. Habetis namque sanctæ virgines sponsum virginem, virginitatis & castitatis amatorem, qui matrem virginem ideo elegit, vt ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut in speculo refulget forma virtutis. Habetis igitur in ea magisteria probitatis expressa, quid primum eligere, quid respuere, quid sequi debeatis. Prima eius virtus est fundamentum omnium virtutum & custos, humilitas ipsa, de qua glo- Luc. 1. riatur. *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Ergo primum discendi incitamentum, nobilitas est magistri: deinde merces laboris optimi, fructus beatitudinis. Quid igitur nobilius matre domini: quid splendidius ea, quam splendor elegit paternæ gloriæ? Quid castius ea, quæ corpus Christi sine contagione corporis generauit? & tamen G in ea solum humilitatem respexisse dominum profitetur, quæ custos est cæterarum virtutum: Collocauerat enim in tuto stationis portu, sublimia meritorum suorum exercitia: & ideo diuinitus illustratur, Vnde dominus ait. *Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum, ac tremen-* Esa. 66. *tem sermones meos?* Fecit enim quod promiserat, & respexit humilitatem ancillæ suæ: vnde & beata iam ab omni seculo prædicatur. Idcirco & vos ô filiæ, si verè virgines esse vultis, humilitatem sectamini, & matrē domini quæ se ancillam vocat, cordis amore imitari procurate, quæ didicit ab ipso sponso, cui vos deuouistis humilitatem, quam vos ex se docuit. Vnde ait idem. *Discite à me quia* Matth. 11. *mitis sum & humilis corde*. Non ergo beata Dei genitrix à filio suo domino nostro didicit cælos fabricare, nō angelos creare, non miracula deitatis insignia operari: sed tantum humiliari, cæteraque virtutum documenta intra humilitatis custodiam aggregare. Vnde cum ea semper singularum virtutum pudicitia comes irremota mansit: quia omnino pudor indiuiduus virginitati esse debet, sine quo rectè castitas vera seruari non potest. Nunquam H igitur beata virgo Maria sine pudoris sui custode processit. Et ideo si placet vobis charissimæ, talis ac tanta virgo, placeat & opus virtutis: cuius vita omnium est disciplina, cuius mores instituta sunt ecclesiarum, quæ præcellit cunctos, supereminet vniuersis. Propterea quæcunque virgo sibi ab ea optat præmium, & implorat auxilium, debet imitari exemplum. Rogo vos ô virgines, rogo & viduæ, imitamini Paulam viduam matrem, exemplar continentiæ & castitatis. Imitamini Eustochium, quam habetis vobiscum virginem, & formam perfectæ integritatis. Quod si minus in eis est, quam in matre domini,

imò

A imo quia est, habetis prolem fœcundam & virginem perpetuam: quia sicut in comparatione Dei nemo bonus: ita & in comparatione matris domini nulla inuenitur perfecta, quamuis virtutibus eximiis comprobetur. Vnus est pater noster, qui in cælis est, vnus & magister: vna est forma virginitatis in Maria, cui vos omnes vt imaginem teformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculpturam Spiritus sancti: quoniam hæc est *hortus*
Cant. 4. *conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium*, ad quam nulli potuerũt doli irrumpere: nec præualuit fraus inimici, sed permansit sancta mente & corpore, multis donorum priuilegiis sublimata. Idcirco hanc imitamini moribus, sequimini castitate, huius implorate auxilium. Quod si me, quia ita loquor, præsumptionis velit arguere inuidorum aliquis, quod vobis scripserim, arguat charitatem atque dilectionem: quia rogantibus vobis ne hoc quidem inexpertus iudicaui negandum. Malui enim ex-
B cipere ruborem pudoris, quam non exequi iussionem vestram, quarum precibus nonnunquam Deus noster obedire videtur, præsertim cum habeatis vobiscum, quas imitari virtutis est, cum quibus discere potestis, affectum à me potius quàm magisterium ad laudem huius diei requisistis. Vnde excusare non debui propter obseruantiam grauitatis ne impartirem deuotioni vestræ quæ mandastis. Quod si docere nequiui, saltem ad laudem tantæ virginis exhortari omnino curaui, quatenus non deessem vobis quem diligitis in die tantæ festiuitatis, sed iungerer precibus, iungerer votis, si quo modo mente ad ea vobiscum eleuari merear vestris suffragantibus meritis, ad quæ peruenit beata & intemerata virgo Maria. Ecce hodierna die ad illum præclarum & splendidum thronum archangelorum, ipsa per humilitatem & per integritatem carnis ascendit, vnde intemperantia olim eximios archangelorum & superbia deiecit. Quapropter gaudete, gaudete inquam: quia vobis via patefacta est cælorum. Quamuis enim nobis eadem promittantur: vobis tamen iam præsto sunt, quæ cum angelis incorruptionem seruatis. Quæ licet de hoc mundo sitis, ta-
G men fauente Deo, iam in hoc mundo non estis: quia etsi seculum vos habere meruit, tenere omnino non potuit. Beata itaque Maria hodie iam ab omnibus gentibus lõgè lateque prædicatur, & vobis quæ secutæ estis exemplum tantæ virginis, beatitudo condonatur cœlestis. Quas non illecebræ solicitant corporis, non colluuio præcipitat voluptatis, non æstus inflammat incentiuæ carnis, imo angelica imitatio delectat integritatis, quorũ in futuro æqualitas repromittitur in cœlis. Beatæ igitur estis filiæ, sed & beatæ viduæ quæ cælibem in Christo vobiscum ducunt vitam: quia secundum Apostolum liberatæ à lege viri, sic permanserunt. Beatior, inquit, erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Puto enim, ait, quod & ego spiritum Dei habeo, euidenter volens exprimere, quid intersit inter eam, quæ adhuc est iuncta lege viro, & inter eam, quæ iam soluta vinculo beatior prædicatur. Quod si vtraque beata, quia in Christo, beatior tamen quæcunque iam soluta est vinculo & cælestia sectatur. Ideo viduę semper virginibus benè copulantur,
D vt ait Apostolus. *Mulier innupta & virgo, cogitat quæ sunt*
1. Cor. 7. *domini, vt sit sancta corpore & spiritu*: quodamodo enim magisterium virginitatis, viduarum gliscit & confortatur exemplis, quæ cum viris castum seruauerint connubium, docent integritatem magis virginibus Deo seruãdam, & quod propemodum non inferioris virtutis est, à coniugio abstinere, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij delectamenta nescire. In vtroque siquidem gradu fortitudo laudatur, & cœlestis vitæ prædicatur virtus. Idcirco cognationem iam cum Christo vterque ordo
Matth. 12. sortitur. Vnde dominus. Si *quis*, inquit, *fecerit voluntatẽ patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*: vbi non sexus, non ætas, non conditio discernitur, sed qui fecerit, inquit, voluntatem patris mei qui in cælis est. Vnde quia libera facultas cunctis præstatur, estote, charissimæ, id ad quod vos Christi gratia vocauit, estote matres Christi ac sponsæ. estote sorores ac propinquæ, quia quod carne non potuistis, gratia totum condonatum est

E vobis. Et ideo diligite matrem domini, quæ vobis sponsum genuit immortalem, cuius & vobiscum soror est ipsa: quia voluntatem patris fecit vt esset mater. Propinqua quidem vobis non carne, sed spiritu, vt vnitas commẽdetur ecclesiæ, & societas corporis Christi intelligatur. Ex quo dominus. *Volo pater*, inquit, *quia ego & tu vnum su-* Ioan. 17.
mus, vt & ipsi in nobis vnum sint. Quæ profectò vnitas per vnum mediatorem Dei & hominum efficitur. Facite ergo voluntatem patris & vos, vt vnum esse possitis. Ornate lampades vestras, occurrite sponso: quia iam ad ostiũ pulsat, & matrem, si eam diligitis, sequimini. Intus autem parate & ornate lãpades vestras: quia filiæ regis estis. Omnis enim gloria vestra ab intus sit, & intus habere quod foris luceat, ne fortè inter has solennitates prius quam sponsus veniat, vestræ lampades extinguantur. Nam celebritas huius diei, non nisi accensis lampadibus intus & foris rectè colitur: ideo emendum est oleum dum vacat, ne cum sponsus venerit, quod absit, vacuæ inueniamini. Propterea quę sursum sunt sapite, vbi beata peruenit vir-
F go, & non quæ super terram: quia vestra conuersatio (si estis iam quod vouistis) in cœlis fore debet. Illuc dirigite Coloss. 2.
mentem, illuc abscondite vitam vestram, donec pertranseat furor domini, quo beata Dei genitrix hodie peruenit. Ibi namque habetis sponsum, ibi pontificem, ibi omnia quæcunque quæsitis. Illuc dirigite mentẽ, vt cum Christus virginis filius apparuerit in fine seculi, cum ipso & vos appareatis in gloria. Amen.

EPISTOLA XI.

DE ASSVMPTIONE BEATÆ virginis Mariæ Sermo.

SCientes fratres dilectissimi autori nostro multum nos debere conditos, plus redemptos, redemptionis nostræ commercium veneremur, & illum sacratissimum vterum, ex quo homini Deus vnitus apparuit: & si nequi-
G mus meritis, saltem celebremus obsequiis, scientes erroris nostri tenebras, partim eius fulgore dispersas: quia quæ homines per protoplastorum negligentiam, primæ matris contumaci tam arrogantia, quam gula perdiderant, huius sacræ Virginis partus, non solum restaurauit diruta, sed dona contulit sempiterna: & ideo cunctis præconijs veneremur salutis auctricem, quæ dum autorem suum concepit ex cœlo, nobis redemptorem ostendit in seculo: & quia ad vicem eius, matris nostræ ecclesiæ forma constituitur, ipsa eam inter procellas seculi frequenter aspiciat, ipsa inter incursus mundiales continua oratione confoueat. Neque enim dubium est illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse impartiri suffragium libertatis, nostra inter hæc oratio iugis ad dominum dirigatur, vt qui pro honore nominis sui, viscera illa quæ sanctificauerat intrauit, quæ etiam nos ipsi sedulitate debita veneramur, prosit nobis ad remedium, quòd per eam se nobis dedit pretium. Meritò igitur beata Maria singulari à nobis præconio attollitur, quæ singulare commercium mundo præbuit: merito inter fœminas tunc etiam lætabatur, cum singularem medicinam pudico aluo gestabat. Sciebat qui- H
dem pondera ventris, quæ pudorem non perdiderat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla nouerat viri contagia, O benè fœcunda virginitas, quæ nouo inauditoque genere & mater dici posset & virgo. Peperit enim à quo concepit, portauit à quo creata extitit. Siquidem ipse est autor Mariæ, qui est ortus ex Maria. Sic inenarrabiliter beata Maria mater & virgo est, quæ dum fructum prægnationis extulit, integritatis dispendium non incurrit: apud quam ita cœlestis prouidentia negotij ipsius conditionem disposuit, vt magis obedientiam exhiberet in mandato, cum honorificentiam suam cognosceret ex angelo. Neque enim fidem derogat nuncij, quæ dignitatem intelligit nunciantis, angelo ei dicẽte. *Spiritus sãctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vo-* Luc. 1.
cabitur filius Dei. Credidit admonita quod audiuit, meruit

A sanctificata quod credidit. Denique tantum sese ad cæli fastigium subleuauit, vt verbum in principio apud Deũ, id est, Dei filium, de summa cæli arce susciperet. Cumque se per mysticum diuinitatis arcanum carni nostræ fragilitatique commisceret, latuit in homine diuinitas, vt diuinitate humanitas non periret: & sub velamento assumptæ carnis absconditus, pretiosius redemit perditos, quàm si defensaret ab imminente hoste captiuos. Immensa pietas, & supra quam fari possit prædicanda maiestas, viscera puellæ antea sancti Spiritus implebantur, innupta virginis vulua, verbi semine crescente, turgebat. Replebantur, inquam, arcana viscerum sacri spiritus fœcunditate repleta, & erat spes in partu: quia non erat voluptas in coitu. Stupebat pretiosissima genitrix, & apud fe tacita rerum bonitate mitabatur. Vrebatur æstu cogi-
B tationis ab igne, & perculsa rerum nouitate obstupescebat mirabiliter. Sciens enim suam integritatem, mirabatur ventris vbertatem felix Maria. O genitrix gloriosa, ô puerpera sublimis, cuius visceribus autor cœli terræque committitur, felicia oscula labiis impressa lactentibus, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, vtpote verus ex te filius tibi mater alluderet, cum verus ex parte dominus imperaret. Nam autorem tuum ipsa concipiens, edidisti in tempore puberem, quem habueras ante tempora conditorem. Felix puerperium, lætabile angelis, expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis: qui post multas assumptæ carnis iniurias, ad vltimum verberatus flagellis, potatus felle, patibulo affixus. Vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta monstrauit. Tu ergo beata gloriosaque Maria, inter ista & propter ista laudabilis, quæ sic meruisti donum fœcunditatis, quæ virginitatis non amisisti suffragium. Tu es enim benedicta inter mulieres. Tu prærogata cunctis virginum cateruis. Tu sequeris agnum quocunque perrexerit. Tu virgineos choros & ab incentiuæ carnis illecebris alienos, per albentia lilia rosasque
C vernantes, ad fontem perennis vitæ inuitas. Tu in illa beatorum felicissima regione, primi ordinis dignitatem adepta es, plantis roscidis oberrans, inter paradisi amœnitates, & gramineos choros tenero poplite pergens, felicique palma violas immarcescibiles carpis. Tu concinentibus sine fine angelis coniuncta, archangelisque sociata, indefessa clamitare voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, non desinis. Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero minus perfecto est quam dignitas tua meretur? Si matrem vocem gentium, præcellis: si formam Dei appellem, digna existis: si nutricem cœlestis panis vocitem, lactis dulcedine reples. Lacta ergo mater cibum nostrum, lacta cibum angelorum, lacta eum qui talem te fecit, vt ipse fieret in te: qui tibi munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus: qui prius quam nasceretur; te matrem creauit ex qua nasceretur, vt illinc procederet, tanquam sponsus de thalamo suo, quo mortalibus oculis posset videri. Quanta fuit hæc dignatio, vt crearetur ex te, quam creauit: portaretur manibus, quas formauit: sugeret tua
D vbera, quæ ipse impleuit? Quas itaque laudes charitati Dei dicemus, quas gratias ei agemus? qui nos ita dilexit, vt propter nos homo fieret, vt matrem hominis eligeret, vt vterum nostræ conditionis intraret, vt contumelias nat. infantis subiret, atque cuncta humanitatis necessaria sustineret. Agentes ergo quantum sufficimus creatori nostro gratias, Assumptionem gloriosissimæ Dei genitricis cum gaudio celebremus. Dignum namque est cum summa ei gratulatione famulari, per quam insignia virginitatis pullularunt. Siquidem ipsa virgo extitit ante coniugium, virgo in coniugio, virgo prægnans, virgo pariens, virgo lactans: & dicta merito mater, non de marito. Sanctæ quippe matri omnipotens filius nullo modo natus virginitatem abstulit, quam nasciturus elegit. Exultent ergo virgines, virgo peperit Christum: nihil ex eo quod vouerunt putent exterminatum, quia mansit virgo post partum. Exultent viduæ festum Virginis celebrantes: Anna vidua virginem matrem agnouit. Exultent coniugatæ solennia beatæ matris frequentantes; Elisabeth coniugata à Virgine matre salutata est domini. E
Exultent & pueri continentiam vouentes pueri. Ipse in[illegible] tegritatem pueritiæ consecrauit, qui [illegible] matri sic [illegible] tatem attulit, virginitatem non abstulit. Ipsi glori[a] per infinita secula seculorum, Amen.

EPISTOLA XII.

DE HONORANDIS Parentibus.

PArentum meritis subiugans filios omnipotens Deus, seruiendi legem in officiis posteris dedit, vt hoc diuino cogantur facere imperio quod debuit pietas suadere: dicente illo in libro Exodi, in quo ita scriptum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi dominus, vt benè sit tibi, & sis longæ vitæ super terrã, Exod. 20.
quam dominus Deus tuus dabit tibi. Audite filij salutiferam institutionem, & præcepta legis affectu debiti amoris implete. Seruite patribus futuri patres, & matres vestras tenera diligite pietate, vt & vestræ coniuges mereantur matrum nomine nuncupari. Nemo patrem asperis verbis lædat, non fiat amara dulcedo. Hoc sit inter parentes F
& filios, quod iubente domino natura constituit. Affectum sonet quicquid linguæ dixerint liberorum. Inter charas coniunctasque personas, pietatis iura seruentur. Hoc filiorum ora loquantur, quod parentes delectat audire. Præbeatur patribus amori mista formido, qui primi nobis sunt causa nascendi. Exhibete patribus filij quod vos potestas paterni nominis cogit, quæ adeo est eorum meritis attributa, vt ipsa de vobis exigat, quod natura iubere non potuit. Matribus quoque debitam impendite reuerentiam, quæ vobis vteri labore seruientes, pondus vestri corporis tolerant: atque ignotam portantes infantiam, famulatum quendam exhibent nascituris. Illo tempore non sibi tantum mater esurit, nec acceptos sola digerit cibos. Materno victu alitur & ille qui latet, eiusque membra alterius comestione pascuntur, vt homo futurus, alienis morsibus saturetur. Quid ipsa memorem nutrimenta, & teneræ infantiæ dulces iniurias, G
quas nutricis affectus de suis paruulis sumit? Quid cibos in matre confectos, qui fœmineis manantes ex membris, lacteum soluuntur in succum, & fauces inualidas liquido sapore perfundunt. Cogente natura sumunt infantes de matr[e q]uod bibant, & dente nondum nato, hoc sibi currentibus labiis eliciunt, quod non sit necesse mordere. Seruiunt materna posteris pectora, seruiunt ipsis incunabulis, manus & terga membris deuota lactentium gratos artus accipiunt. Optat mater paruulum crescere, optat citò videre maiorem, eumque numeris iuuenum miscere festinat, nunquam sibi forsitan seruiturum. His tot tantisque præcedentibus factis, parẽtibus, matri tota debet alacritate seruiri. Reddatur naturæ debitum, reddatur & posteris quod debetur. Exolue sib quod debes, & officia debita qualicũque exhibe famulatu: quia parentibus nemo potest reddere quod debetur. Humilitas talibus oblata personis, viuendi tempus extendit: & morte dilata, multum nostram prorogat vitam: vicemq; II
facientibus reddens, officia nostra domino iubente commendat, qui intantum nomen parentum diligit, vt seipsum patrem iusserit dici. Irreuerens autem filius, quid de domino ipse mereatur, Salomonis dicta testantur. *Contumelijs afficiens patrem, & contemnens senectam matris, confundetur, & in opprobriis erit. Filius derelinquens custodire disciplinam patris, meditabitur sermones malitiæ. Maledicenti patrem & matrem extinguetur lumen, & pupillæ oculorum eius videbunt tenebras. Audi fili patrẽ qui te genuit, nec contempseris quia senuit mater tua.* Pareat patri lingua quam genuit, & matrem suam nemo crudeli verbo percutiat. Sic te rapiat fili iuuenilis ætatis autoritas, vt noueris vnde sis natus. Memento scripturæ sententiæ, vbi Spiritu sancto loquente dictum est. quia *qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Memento ergo parentum esse quod talis es, quorum manibus crementa sumpsisti. Fauces tuæ nec dum lacteum perdiderunt saporem, Prou. 20. Leuit. 20.

A quem tibi pia mater infundens, linguam istam pauit pastu corporis. Impende debitum patri matrique seruitium; qui nunquam tuos vagitus horrentes, totum in te lambebant osculis corpus. Sit tibi grata salus ipsorum, quibus charior est tua vita quàm propria. Redde amoris vicem colendę pietatis. Facta parentum tuis eunabulis cômoda, officijs proprijs exulue. Parentes enim adeo debent haberi dulciores, quia per filios reparari nô possunt: & cum eos lex naturæ subtraxerit, nec patrem tibi alterum poteris inuenire, nec matrem. Mutato coniugio nec vitricus pater est, nec nouerca potest nomen matris implere. Nullus igitur filiorum autorem lucis suæ cædat iniuriis. Nemo parentibus optet aduersa, qui liberos suæ saluti anteponunt. Intolerabile nefas est, ex illo ore proteruum audire sermonem, aut illis pulsari manibus, quas amor diligit. Oculorum vestrorum timete sententiam, quam dominus promisit ingratis. Meretur enim cæcitatis suæ subire supplicium, qui parentum vultus vel toruo visu despexerit, & elatis oculis læserit pietatem. Si quicquam sapitis filij eo animo videte venerabiles facies, quo vos ipsæ conspiciunt, & eorum labiis dulcibus osculis inhærete: quia eorum oscula adhuc habetis in mêbris. Senibus

B seruire perfacile est, quos nemo putat, nemo nutrit succo corporis sui. Foueatur itaque parentum senectus, & factis eorum vicissitudo reddatur. Habet enim quandã senectus infantiam. Videant liberi vestri quid faciatis, vobis vicem similem reddituri. Imitamini filium Machabæum, 2 Mac 7. qui matri mortem suadenti seruiuit, & durum imperium gratanter aggressus est, ne offenderet genitricem. Maluit fratrum sociari funeribus, quã voluntati matris obsistere. Ita enim matris suadentis voluntas perfecta est, vt Deo filium faceret martyrem, & fratrum coronis comparticipẽ. Denique obsequiũ suum melius morte probans, suasionem sermonis matris impleuit: & lucem istam moriẽdo contemnens, consors martyrum factus est, vt illa germanitas æterno collegio firmaretur. Ecce quid præstitit animus matri subiectus. Deuotus filius obediendo promotus est, qui nolens maternam aliqualiter lædere pietatem, perpetuam vitam passione suscepit, qui dominum confitendo, meretur cum fratribus à domino coram angelis coronari.

EPISTOLA XIII.

C

DE SEPTEM GRADIBVS ECCLESIÆ, ad Rusticum Narbonensem Episcopum.

SVfficere quidem fidei tuæ arbitror, conuersationem sanctam, quam habes in Christo Iesu, ad sacerdotalis ordinis dignitatem, arctam tibi & angustam intellectus viam in domino reserare: quia præcedentibus meritis ac virtutis insignibus, ad hoc officium electus à Deo es. Licet in multis gratia Christi sine operibus comprobetur, & cessante merito conuersationis ac vitæ, sola Dei dona fructificent, tamen quia tu præ cæteris electus à Deo ob hoc comprobaris, qui & legis opera imples, & commoraris in gratia vsque ad supereminentem scientiæ charitatem, intellectu Dei tecum loquente festinanter existentibus cogitationibus insignibus, hoc vis nosse quod factus

D es. Totius tibi ecclesiæ prout præcipis sacramenta reserabo, doctrinæ ordinem & locum custodiens, & quid qualiter obseruare debeas docens: si modo ad iniuriam non reuoces nouelli exhortatoris industriam, ac te non pudeat paulisper minorem esse dum discis: quia seposito, vt vides, priuilegio dignitatis, habes de nobis amplius quod quæras. Et id quod iam pridem in consecratione consecutum te esse credis, restat vt capias: ne minor inueniaris in Christo, quàm in mundo interim nominaris, ac si falsi vocabuli inutilis pastor existas, cum hæc quæ in domino latent sacramenta nescires. Nos tamen tenentes in omni disputatione rationem, ac tecum simpliciter fabulantes, verum te episcopum animarum debere esse monstrabimus, vt factus tibi ipse iudex, hoc quod loquimur, implere festines: & nobis consentiens, verecundia & confusione reiecta, eligas abiectus esse in domu Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Sic enim Iesus ait:

E *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, domini vocantur: vos autem non sic, sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor: & qui princeps est, fiat sicut minister.* Luc. 22. Quis enim maior est, qui recumbit, an qui ministrat? In gentibus quidem qui discumbit, maior est: inter vos autem non sic, sed qui ministrat. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Et vos quia estis permanentes mecum in tentationibus meis: ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et alibi. *Rectorem posuerunt te, noli extolli, sed esto tanquam vnus ex ipsis.* Eccl. 32. Et alibi. *Non vt domineris clero, sed vt forma sis omnibus.* 1 Pet. 5. Et alibi. *Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 3. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula: vnus enim Deus noster & pater domini nostri Iesu Christi, ex quo omnia, & nos in ipso: & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia.* Rom. 11. 1. Cor. 8. F *Cæcitas enim contingit ex parte in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Conclusit ergo Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.* Rom. 11. Ante omnia humilitatem dilige: quia superbia apostatare facit à Deo: *& initium omnis peccati, superbia est.* Phil. 2. Deus enim noster *formam serui accipiens, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Omnes Scripturas mente percurre, totum canonem lege, atque habens ante oculos exempla Sanctorum, imitare quod bonum est, æmulare quod sanctum est, factusque tibi Hierosolyma cœlestis, Deo vota restitue. Domum in te & templum Salomonis ædifica, tabernaculum fabrica, & diligentius exornare festina. Intra Sancta sanctorum, indeficiens lumen accẽde, perfectionem in omnibus tene. Pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis. Non des in tentatio-

G nem animam tuam, & non obdormiet qui custodit te: Exalta vocem tuam, & dic. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: verbum autem domini manet in æternum.* Esa. 40. Sacerdos enim domini qui de ore suo profert iustitiam, & exquirentibus annuntiat veritatem, angelus Dei omnipotentis est. In omnibus causis serua iustitiam. Peregrinantem, & orphanum, & viduam, & pauperem, vel pupillum vacuo gremio non dimittas, ibique thesaurum suum, vbi & cor tuum est, conde. Cum omnibus fratribus tuis, sicut scriptum est, pacem habe. Concilia impiorum fuge, ne dum iudicas condemneris. Sic enim scriptum est: *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Psalm. 1. Potentum personas, diuitum notitias, salutantium obsequia ita accipe, vt pauperem non contristes, nec vlli fastidium excusationis inducas. Non recedat liber legis, vt scriptum est, de manu tua sed meditare in eo die ac nocte. Sic enim scriptum est. *Sine offensione estote Iudæis &*

H *Græcis, & ecclesiæ Dei, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.* Iosue 1. 1. Cor. 10. Prius quam audias ne iudices quenquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem à sua communione suspendas: quia non statim qui accusatur reus est, sed qui conuincitur criminosus. Nec præstandum odijs singulorum est, vt innocentium fratrum dominetur iniuria: quinimo timor domini ante oculos semper est habendus, & totum quod agitur, Deo & Christo scias esse præstandum, non tempori. Nam *præterit figura huius mundi, & Deo magis obedire conuenit quàm hominibus,* 1. Cor. 7. Act. 5. qui scit præterita, & de futuris æstimat. Vno enim sermone tota lex adimpletur. Omne *quod tibi fieri nolueris, alij ne feceris.* Matth. 7. Domi si fieri potest, postposita personæ tuæ cura officiũque reuerentia, seruum seruis esse te conuenit: atque ita Israël in omnibus perdocere, vt quicunque te audiunt, conuersatione tua

A Coloss. 4. magis quam sermone proficiant. Sic enim scriptum est. *Io sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* Non te extollat salutatio plurimorũ. Munera diuitum & obsequia te nõ vincant: quia munera vt scriptum est, excæcant oculos iudicũ. Nec plus sit apud te matrona nobilis & diues, quã professa pauper atque mendica: aut vidua maritali auxilio destituta, æqualis ei quæ habet virũ potentẽ in sæculo videatur. Alienum te à personis omniũ reddendũ iudica: ac propter iniustitiã in iudicio pauperẽ non defendas: nec propter gratiam diuiti indecenter assistas. Aut si hoc non potes facere, cognitionẽ respue causarũ. Sola esto tibi lectione & oratione contentus. *Neminem enim* vt scriptum est, *diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat*, ac nullũ Eccl. 4. lædit. Ista si feceris, Deo vtilis in omnibus comprobaris, perfectum sacerdotium in te retentabis. Expelle de templo Christi, oues & boues & colũbas vendentes, & nummulariorum euerte mensas: quia domus patris nostri, do- B mus negotiationis esse non debet, sed orationis. Et quod iudicio Dei proiicitur, desiderari propter dãnationis sententiam non oportet, ne reprobi inueniamur in Christo. Sicque fiet vt in veritate consistens, septiformis ecclesiæ sacramentum nosse merearis, quod in omnipotentia Dei cum sua veneratione consistit, id est, in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto, in archangelis, in angelis, in sapientia, in hominibus. Quæ omnia si diligenter aspicias, totius in his dispositionibus ecclesiæ catholicæ fundamenta cognosces. Et per hos gradus, si vniuersa obseruaueris quæ scripta sunt, Deus erit in memoria tua, & tu in domum tuam reuerteris.

De primo gradu ecclesiæ, qui Fossariorum ordo est.

PRimus igitur in clericis Fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti, sepelire mortuos admo- C nentur, vt eadhibentes visibilium rerum curam, ad inuisibilium festinent: & resurrectionem carnis credentes in domino, totum quod faciunt Deo se præstare, non mortuis cognoscant. Tales ergo Fossarios esse ecclesiæ conuenit, qualis Tobias propheta fuit: eiusdem fidei, eiusdem sanctitatis, eiusdem scientiæ atque virtutis. Non ergo putes paruum esse officium Fossariorum: aut sicut cęteri sacerdotes in famulis Dei despicias sacramentum, ac plus diuersorum seruis deferas vel amicis, quam Christi in templo, cui preces fundis, cuius membra veneraris: cum omnibus participare te conuenit, non solum in altari, sed & domi, cum omnibus esse conuiuam, atque inter domesticos parietes simpliciter residere. Si amas Tobiam prophetam, & si eius imitaris exemplum, si imples Matth. 10. quod scriptũ est. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*: caue ne huic officio per superbiã tuam aliqua irrogetur iniuria, quam laicus qui minor est Tobia, non meretur. Te enim ita de Dei membris oportet habere iudicium, vt intelligas ecclesiæ sacramentum. Religionis enim & sanctitatis est, quod episcopus diceris, non Romani consulatus aut iuris. Si hoc vis esse quod factus es, serua ordinem tuum, locumque custodi. Defer prophetæ, vt propheta seruiat tibi. Dilige mysteria Dei, vt ameris à Christo. Noli aliquem contristare illicitè, aut iniusto odio prosequaris: quia sicut tu Christi es, D sic & illi Christi sunt: & nemo potens est in hoc seculo, qui aliquem seruorum suorum velit ab aliis conculcari. Tu ipse quoque, si libenter accipias quod dicturus sum, cunctorum famulis propter eos quibus seruiunt, honorem defers, atque vnumquemque prout potens est eius dominus, veneraris. Dic mihi quæso, quis maior est Christo? aut cui tantum debes, qui pro te sanguinem suum fudit, & qui te ecclesiæ suæ præposuit, & qui te honorauit in cunctis, qui omnium tibi diuinorum sacramenta concessit? Nunquid meretur dominus Deus tuus, vt cum hæc præstiterit propter bonitatem & misericordiã suam, conseruos tuos deprimas, deroges Christo, ac nullum nisi te solum putes ad dominum pertinere: tibi tantum existimes reuerentiam deferendam, ac famulos Christi in conseruatione tibi creditos, non in ministerio vt liberos habeas, sed vt seruos in dominatione polliceas? Hæc enim præ cæteris Deus damnat, & nihil grauius fert, quam vt cum scias hominibus deferendum, Deo ipse non deferas: cum seruum principis atque eius E militiæ deputatum prosequi & lacessere non audeas, eos qui veri Dei serui sunt, & vero Christi charactere censiti, ac per baptismi gratiam liberi, & per clericatus officium militantes, abiectioni putes & ignominiæ deputandos, vt plus interdum apud conscientiam tuam, si iniuriam non faciat nostra correptio, seruis quam clericis parcas, & in his aliquem vernaculum diligas, illos velut alienos despicias, & malis mundo placere, quam Christo. Pro fide, pro religione, pro proposito sanctitatis deferre interdum clericus seruo cogitur: & ad ignominiam non ferendam, vilis indicatur in mundo, qui summus in cælo est. Rectè hæc repudias, rectè ista non seruas, si episcopus esse non vis, si cœlorum regna contemnis, si nullum cum Deo cupias habere consortium. Certè si electum te à Deo gratularis: si factum te pastorem gregis, si creatum sacerdotem clericis te recognoscis, laborare debebis, ne tibi tua membra displiceant, ne id quod Christi est reprobe- F rent. Sic enim ait Apostolus. *Numquid potest caput pedibus dicere: non desidero opera vestra? Vnum enim corpus* 1. Cor. 12. *& multa sunt membra.* Si tu caput es, pedum tibi officia necessaria sunt: pertinere ad honorem tuum atq; ad substantiam corporalem pedes, ipse cognoscis: sine his, vt ipse nosti, ambulare non potes. Hi te sustinent, hi totum corpus promouent, hi dirigunt caput, hi primum te esse faciunt. Perditis his, contemneris à cunctis fidelibus, ac tibi ipse odibilis factus, amaram vitam in seculo retentabis.

De secundo gradu ecclesiæ, qui Ostiariorum ordo est.

SEcundus Ostiariorum locus est, qui claues regni cælorum tenent, quæ Patriarchis dantur, quoniã præsunt portis Hierusalem, atque inter bonum & malum habentes iudicium, aperiunt quod nemo claudit, & claudunt quod nemo aperit: Iam hîc considerare te conuenit, quæ circa Ostiarios Dei debet esse diligentia, quanta his membris atque officiis reuerentia per te deferenda sit. Intrare G templum nisi per hos non potes. Hi enim sunt ordinati per vices suas, vt omnia quæ intus sunt extraque custodiant, atque perfecti in omnibus fideles recipiant, respuant infideles.

De tertio gradu ecclesiæ, qui Lectorum ordo est.

TErtius Lectorum ordo est, qui Deo, Christo & prophetis datur, secundum quod scriptum est. Exalta vocem tuam, & dic. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis sicut flos fœni: aruit fœnum & flos decidit, verbum* Esa. 40. *autem domini manet in æternum.* Denique dominus noster legens in templo, formam lectoris assumpsit. Hi sunt ergo Lectores, qui cantant canticum Moysi & agni: hi sunt qui sequuntur immaculatum agnum quocunque ierit, Apoc. 14 & 15. qui cum mulieribus se non coinquinauerunt, virgines enim sunt. Horum numerus est angelorum: & nomen an- H geli conuenienter sacerdoti adaptatur, qui vsque adeo æquales tibi sunt per hæc officia sanctitatis, sicut scriptum legis: Sacerdos quidem ore suo profert iustitiam, & exqui- Malach. 2. rentibus annuntiat veritatem, angelus omnipotentis Dei est.

De quarto gradu ecclesiæ, qui Subdiaconorum ordo est.

QVartus ecclesiasticæ dispositionis in Subdiacono est ordo, qui in Ezdra Nathinnei appellantur, in humi- 1. Esdr. 2. litate domino seruiẽtes. Propter hoc in euãgelio Ioãnis Iesus ad Nathanael ait. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Cui respõdẽs Nathanael dixit. Magister vnde me nosti? Et ait Iesus. Antequã Philippus te vocaret, cũ esses sub ficu no-* Ioan. 1. *ui te.* Quod propterea scriptũ est, vt tu eius locum dispositionemque cognoscas. Propterea dominus noster formam

A mam serui accipiens, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod semper genu flexo (Luc. 14) orare mandamur. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.* Propter hoc Ægyptus cō-petentibus plagis percutitur à domino. Hæc dies profe-ctionis ex Ægypto, pascha domini nuncupatur, vt quia (1 Cor. 5) pascha nostrum immolatus est Christus, plenitudinem totius mysterij atque sacramenti, in rerum officiis recognoscas, nec per arrogantiam non ferendam, despicias eos qui aut oblationes in templo Dei suscipiūt, aut secretorum omnium testes participes etiam passionū sunt, &c. Hi enim primi desideria nostra suscipiunt, hi probant in nobis optimas voluntates, hi repudiant malas, hi vt à Deo suscipiamur assistunt, quorum tibi sicut visibiliter ministeria adesse cognoscis: ita etiam inuisibiliter pacem & concordiam vtilem esse perpende, ne conficere corpus Christi ac sanguinem vltra non possis, si venturus ad altarium Dei, ecclesiæ membra neglexeris.

B *De quinto gradu Ecclesiæ, qui Leuitarum, seu Diaconorum ordo est.*

QVintus in Diaconibus ordo sacramenti est, quorum sors Deus est, qui recedere de templo domini die ac nocte prohibentur, qui columna & fundamentum veritatis sunt, qui ecclesias Dei sustinent, qui altare Christi sunt, in quo conficiuntur Sacramenta, in quo offertur oblatio. Quid ergo in templo Dei, vt ipse nostri, venerabilius altari esse potest? quis non se ad mensam domini accessurus humiliet? Et hi sunt, quos in Apocalypsi (Apoc. 1) legimus, septem angeli ecclesiarum: hi sunt septem candelabra aurea, hi voces tonitruorum, hi in similitudinem Noë sacramentorum iustitiæ præcones, non habentes in se maculam aut rugam, atque in candorem lucis effecti, in omni Israel Deum valent prospicere, puri mentibus, animabus candidi, virtutum operatione præclari (C) humilitate prædíti, quieti, humiles, euangelizantes pacem, annuntiantes bona, dissentiones & rixas & scandala resecantes, soli Deo colloquentes, in templo nihil de mundo penitus cogitantes, dicentes patri & matri non nouimus vos, & filios suos non agnoscentes. De- (Deut. 10. Luc. 22.) nique & Leui, vt scriptum legimus, sacerdotalis tribus est, & caput omnium sacerdotum, sine hoc sacerdos nomen non habet, ortum non habet, officium non habet, hic minister Dei dicitur, quia scriptum est. *Quis maior est, qui ministrat, an cui ministratur?* Et sicut in sacerdote consecratio: ita in ministro est sacramenti dispensatio. Illi orare huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à diacono, vt præcedente ministerio sanctitatis, humiliatus paulisper post consecrationem, dum ministro reuerentiam exhibet, quantam ministerio Dei debeat recognoscat. Ita enim Deus noster omnipotens vniuersa disposuit, vt qui maiorem se esse crediderit, minor sit: & qui videretur minor, maior D existeret. Denique quam hoc verum sit, ipse perpende. Leuitæ inferunt oblationes in altari. Leuitæ componunt mensam domini. Leuitæ cum sacerdotibus, dum sacramenta benedicuntur, assistunt. Leuitæ ante sacerdotes orant, vt si distinctio locorum creditur in mundo, etiam in altari Dei videant sibi episcopi, si superbi sunt, diaconos anteponi. Si humilitatem diligunt, maiores se esse in eo quod sunt humiles cognoscant. Tunc deinde vt aures habeamus ad dominum, diaconus acclamat, ipse prædicat, ipse hortatur, ipse commonet astantibus sacerdotibus, ne leuiter hanc vocem, quæ loquitur hæc, & pacem annuntiat, aut negligenter aspicias, aut contemnendam putes. Sufficit huic ordini tantum per dominum fuisse concessum, vt non solus Sacerdos in tēplo Dei totū agere & implere videatur. Eget officio diaconi sacerdos, sicut & Diaconus Sacerdotis: nec diues sine paupere, nec pauper sine diuite esse potest. Post consecrationem enim omnium sacramentorum, post orationes, post recitationes nominum, post omnia mysteria deitatis, perfectio rursus Leuitis in altari datur. Diaconus, vt superius dixi, ca- E licem tradit, testis passionis, testis dispensationis, testis humilitatis, ne elatus in superbiam is qui obtulit, nihil sperandum sibi à diacono recognoscat. Ideo Leuita in consecratione perfectus est, nec vltra iam sicut laicus benedicitur: quia perfectam se habere iubetur domini sanctitatem. Denique ex omnibus tribubus in Iesu Naue li- (Iosue 21.) bro, Leuitæ ciuitates accipiunt, vt tu intelligas nullum esse hominum genus, nullam terram, nullum locum, nullam gentem, quæ non huic propter dominum seruire iubeatur. De Leuitis autem decimas decimarum accipiūt (Num. 18.) sacerdotes, nec dare ipsis, sed accipere mandantur. Nunc autem ex quo in ecclesiis sicut in Romano imperio creuit auaritia, *periit lex de sacerdote, & visio de propheta.* Singuli quique pro potentia episcopalis nominis, quam sibi-ipsi illicite absque ecclesia vendicauerunt, totum quod Leuitarum est, in vsus suos redigunt: nec hoc sibi quod F scriptum est vendicant, sed cunctis auferunt vniuersa. Mendicat infelix clericus in plateis, & ciuili opere mancipatus, publicam à quolibet deposcit alimoniam: & quidem ex eo despicitur à cunctis sacerdotale officium, dum misericordia desolatus, iuste putatur ad hanc ignominiam deuenisse. Eget in sede Presbyter, in altari Leuita, in secretario Subdiaconus, in lectione Lector, & in templo Ostiarius, in sepultura Fossarius: moriuntur fame, qui alios sepelire mandantur: poscunt misericordiam, qui misereri aliis sunt præcepti. Et dum ista fiunt, Sacerdos qui hoc non fecerit condemnatur. Solus incubat diuitiis, solus ministerio vtitur, solus vniuersa sibi vendicat, solus partes inuadit alienas, solus occidit vniuersos. Nam si secundum diuinos libros omnia faceremus, nec deesse quicquam visibiliter poterat cunctis, & sola in Christi ecclesia sanctitas abundaret. Hinc propter sacerdotum G auaritiam odia consurgunt, hinc Episcopi accusantur à clericis, hinc principum lites, hinc desolationum causæ, hinc origo criminis. Etenim si vnusquisque ita hunc mūdum visibiliter possidere mandatur, vt sua tantum possessione contentus sit, ac res non inuadat alienas, non agrum pauperi tollat, non vineam, non subiectorum aliquod, non famulos, non fructus: quanto magis qui ecclesiæ Dei præest, debet ita in omnibus seruare iustitiam, vt sibi hoc tantum vendicet, quod sui iuris esse cognoscit? Aliena non contingat, aliena non rapiat, æqualem se cæteris faciat: & sicut sine his in ecclesia non fuit, ita & sine his in ecclesiæ ministerij dispēsatione nō viuat. Certe, vt ipse nosti, qui visibiliter in hoc mundo ius inuadit alienum, accusatur à paupere, damnatur à iudice. Ita & in ecclesia Dei cum vnusquisque stipendia sua perdit, clamat ad Deum, exauditur à Christo, nec differtur in hac parte vltionis sententia, si non redduntur vniuersa. Moderatio enim Dei, ac pietas solum nostrum reditum quærit, ac nos quærit sua bonitate Saluari. Sed si non conuertimur, si duri corde sumus, si in peccatis vsque ad mor- H tem illicitè perduramus. Assidue peccanti, sicut scriptum est, Deus non miseretur.

De sexto gradu Ecclesiæ, qui Sacerdotum ordo est.

SExtus seniorum ordo est, qui Sacerdotibus datur, qui Presbyteri dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi Sacramenta conficiunt. Hi autem in benedictione cum Episcopis consortes ministeriorum sunt. Nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter eos & Episcopos credenda distantia est: & Eucharistiam iam pridem per Presbyteros benedictam, si vsus exegerit, Episcopi accipere debent, ac se Christo, ac plenitudini eius communicare cognoscere. Nam si quis ad iniuriam reuocet, aut putet se accipere non debere Eucharistiam quam Presbyter benedixit, is profecto peruersus est, credens dominum duo corpora habuisse, vnum maius, & vnum minus: maius quod Episcopus conficit, quod Presbyter minus. Hic Christum diuidit, eique facit iniuriam. Ergo inter Baptismum & Baptismum potest esse distantia, vt sanctior iudicetur, quem baptizauit

A

Episcopus, quā is quem Leuita: sicut in Actibus apostolorum legis Eunuchum à Philippo Diacono baptizatum fuisse, vt scriptum est: *Ecce aqua, quis probibet me baptizari?*

Act. 8

Et ille ait: Nihil, si credis. Fides enim est quæ facit mūdum: & quia non est dantis, sed accipientis, ita credendum est in omni anima baptismum esse perfectum, & in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum. Qui non communicat Eucharistiæ Presbyterorum, non communicat Christo, nec Eucharistiam ipse benedicit, quia in eo in quo iudicat, condemnatur: atque in similitudinem Iudæ traditoris tradens dominum, nullo cogente ipse sibi infert manus ac suspendio perit, quia superbia peccat in Deum. Nec ego dico præsentibus Episcopis atque astantibus altari Presbyteros posse sacramenta conficere. Sed si forte vsus exegerit, vt venientes ad ecclesiam sacerdotes eisdem horis, quibus aut oblatio parata non sit, aut non possit offerri, non debere Episcopum repudiare Eucharistiam Presbyterorum, si ponatur in altari, quam

B

accipi oportet propter Christum: quoniam corpus Christi est sicut enim scriptum est. *Vos enim estis corpus Christi, & membra ex parte. Charitas enim cooperit multitudinem peccatorum. Fides, spes, charitas, tria hæc, maior his est charitas. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non perperam agit: omnia credit, omnia sustinet: charitas nunquam excidit.* Et quia scriptum est.

1. Cor. 5. 1. Pet. 4. 1. Cor. 13.

Presbyteri duplici honore honorentur, maxime qui laborant in verbo domini: prædicare eos decet, vtile est benedicere, congruum confirmare, conuenit reddere communionem, necesse est visitare infirmos, orare pro inualidis, atque omnia Dei sacramenta complere, præsertim cum in Oriente eam cōsuetudinē, & in Illyrico, & in Italia, atq; in Africa omnib. in locis, tēporib. Apostolorū fuisse manifestū sit. Ac sola propter autoritatem summo sacerdoti clericorum ordinatio, & virginum consecratio reseruata sit, cum basilicæ altaris & chrismatis dedicatione, vel sanctificatione, ne à multis disciplina ecclesiæ vendicata concordiam sacerdotum solueret, scandala generaret.

1. Tim. 5. C, ecce ego. Dist. 95.

C

Propter hoc & nuper Episcopalis electio ad Metropolitanum remissa est: & cum huic summa datur potestas, aliis adimitur hæc facultas: & incipiūt etiam summi sacerdotes nati, non ex iure, sed necessitate alium sacerdotem.

C, ecce ego. Dist. 95.

Nemo hinc Episcoporum inuidia diabolicæ tentationis inflatus irascatur in templo, si Presbyteri interdum exhortentur plebem, si in ecclesiis prædicent, si plebibus, vt scriptum est, benedicant: etenim abnuentibus mihi ista sic dicam, qui non vult Presbyteros facere quæ iubentur à Deo, dicat, quis maior est Christo? aut quid corpori eius, aut sanguini poterit anteponi? Si Presbyter Christum consecrat, cum in altario Dei sacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Christum etiam meruit consecrare? Virgines etiam Dei, licet Apostolus dicat. *De virginibus præceptum domini non habeo,* tamen hoc ratione faciente, si vsus exegerit, per eum benedici, si necesse est, manifestum est: quia Maria mater domini Christi, soror est virginum, & Eucharistia Christi est corpus, & minor Maria quam dominus: tamen credendum est summi sacerdotis iudicio, & hoc faciendum quod iusserit circa laicos & mulieres.

1. Cor. 7.

D

Iubentibus vobis iniustissime sacerdotibus, non recte Presbyter Dei, benedictionis perdit officium, amittit linguæ opus, non habet confidentiam prædicandi truncatus est omni parte virtutum, solum Presbyteri nomen habet, plenitudinem ac perfectionem, quæ consecrationi eius competit, non retentat. Quis hic, rogo, ô sacerdotes honor vester est, vt damna gregibus inferatis? quoniam cum pastoribus per potentiam vestram aufertur Deo digna diligentia, contagium quoddam & calamitas crescit in gregibus, ac dominici patrimonij sui damna conquiritis, dum soli vultis in ecclesiis potentari. Denique & chrismatis ea ratio est, atque hic ordo legitimus consecrandi, baptizatum dominum & in similitudine columbæ in specie chrismatis à patre vnctum fuisse, manifestum est, ac plenitudo sacramenti, corpus eius & sanguis ostensus. Quæ cum offerre licet, etiam reliqua, quæ in eo sunt consecrare:

C, ecce ego. Dist. 95.

E

quia in Christo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Presbyteri ergo, si necesse est, possunt chrisma conficere, quia in corpore eius chrisma est. Siquidem hæc regula etiam nunc seruatur à plurimis, atque in ecclesiis multis sic ista faciunt: tamen meæ hoc scio esse sententiæ, nulli Episcopo super hoc iniuriam esse faciendam, nec legem à me opponendam esse ei qui lex est Presbyteri. Ab initio, vt legimus, negotiorum iudices esse mandati sunt Presbyteri interesse sacerdotum consilio: quoniam & ipsi Presbyteri, vt legimus, Episcopi nuncupantur, secundum quod scriptum est ad Titum. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui,* &c.

C. ecce ego. dist. 95. § presbyt. Ad Tit. 1

Vides ergo Presbyterum Episcopum dici, & apostoli Pauli esse sententiam: Et alibi ad Timotheum de ecclesiæ ordine. *Fidelis sermo. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c.* Vides ergo hic Presbyteri non fieri mentionem, sed hunc esse locum quem Episcopatum vocat.

1. Tim. 3

F

Et alibi ad Timotheum Episcopum. Præcipe hæc & doce: nemo adolescentiam tuam contemnat, sed forma esto fidelium in sermone, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate &c. Intelligis ergo in Presbytero summam sacerdotij collocari? Et alibi ad maiores natu. *Qui vos posuit Episcopos regere ecclesiam suam.* Philippis, Cretæ vna Macedoniæ ciuitas est. Et cum ibi Paulus Episcopis & Diaconibus scripsit, quid nisi eos qui præsunt Presbyteri, Episcopos vocat? Denique & Apostolus Ioannes episcopus scribit. *Senior electæ dominæ, quam diligo in veritate.* Nam Presbyter ætatis est nomen, Episcopus dignitatis. Salomon quoque ait. *Presbytero humilia animam tuam.*

1. Tim. 4. Act. 20. Phil. 1. Ioan. 2. Eccl. 4.

Sed uderunt hoc sacerdotes superbi in Presbyteris nomen, qui nolunt esse hoc quod Christus, qui discipulorum pedes lauit, qui baptizatus est à Ioanne, licet baptizandum se Ioannes à domino proclamaret. Propterea hæc scribo, vt si præteriti temporis error non potest iam reuocari, vel ad præsens in ecclesiis seruetur humilitas, vt Presbyteri hoc in ecclesiis suis faciant quod Romæ, siue quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis vbi humilitas perseuerat, quod in cœlis fit, quod maius est, vbi sedes eorum legis esse dispositas, vt terrena contemnas, vt nihil tibi de mūdi istius conuersatione præsumas.

G

Respice Hierusalem matrem omnium sanctorum, ornatam patriarchis, prophetis, apostolis, & angelis Dei: ipsius consuetudinem sequere, ipsius sacramenta custodi. Nihil tibi sit commune cum cæteris, qui errorem suum illicita præsumptione defendunt, & consuetudinis dicunt esse quod voti est. Nam si aliquis nostrum præteriti temporis consuetudinem possit agnoscere, probarem tibi hoc quod loquor, ab initio semper cum apostoli prædicarent in ecclesiis fuisse seruatum, & postmodum odio singulorum vitiata aliqua, aliqua præsumpta.

H

Sed nemo damnandus est, nemo iudicandus, imo omnes in mansuetudine & charitate spiritus amplectendi, vt dum nobiscum bonitatis Christi fundamenta cognoscunt, ad ædificium Dei spontanea voluntate conueniant, vt in culmine templi nobiscum manere mereantur.

De septimo & præcipuo gradu Ecclesiæ, qui ordo Episcopalis, seu Episcoporum est.

SEptimus autem in his dispositionibus Episcopalis ordo est, & qui primus & perfectus in cunctis est: qui omnipotentiæ Dei, & in Christo donatur, ex quo processus omnium gloriarum & plenitudo est virtutum, ex quo omnia, in quo omnia. Ipse enim ordinat sacerdotes, ipse Leuitas, ipse Subdiaconos, ipse Lectores, ipse Ostiarios, ipse Fossarios, ipse arundinem tenens metitur Hierusalem, ipse fabricæ Dei præest, ipse quod vnusquisque facere debet ostendit: ipse damnat, ipse recipit, ipse

A ipſe ligat, ipſe ligata ſoluit, ipſe claues regni cœlorum ha-
bet, ipſe thronum Dei reſerat & claudit, ſupra ſe nihil ha-
bens. Si humilis & bonus ſit, ſi perfectus, vt ſcriptum eſt.
Matth. 5 *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt*: ſi obſeruat
omnia, ſi hoſpitalis, ſi ſine crimine, ſi habens teſtimoniũ
bonum, ſi vnius mulieris vir eſt, id eſt, ſua tantum carne
contentus, alieni corporis illecebras non requirat, filios
habens ſubditos in caſtitate & ſobrietate: quia peccare
in operibus non debet, qui in electione perfectus eſt. Hu-
ius ſacerdotalis veſtis eſt perfecta Dei gloria. Ad hunc
pertinet chriſma: quia ipſe Chriſtus Chriſtorum eſt, id
eſt, Sanctus Sanctorum, & Epiſcopus animarum, ſecun-
Pſal. 104. dum quod ſcriptum eſt. *Nolite tangere Chriſtos meos, &
in prophetis meis nolite malignari*. Huic ſumma à cunctis
clericis atque ab omni populo deferenda reuerentia eſt:
Rom. 9 quia non dicit *figmentum ei qui ſe finxit. Vt quid me finxi-*
B *ſti ſic? Aut non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſ-
ſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliã?*
Huic non cogitare de craſtino pro perfectione mãdatur.
Huic de veſtimento & victu ſollicitus eſſe prohibetur.
Hic per omnia ſimilis Deo eſt, ſi non recedat à Chriſto,
Pſal. 109. ſecundum quod ſcriptum eſt. *Tu es ſacerdos in æternum
ſecundum ordinem Melchiſedech*. Hic in carne ambulans,
non ſecundum carnem militat. Hic non vult eſſe niſi
cum Ieſu. Hic neminem damnat. Hic ipſi etiam Iudæ,
ſciens eum talem eſſe, in paſſione pacificus eſt. Huic oſcu-
lum ei dat, à quo tradendus eſt. Hic pro cunctis patitur.
Hic ſaluat vniuerſos. De hoc officio amplius diſputare
nihil poſſum: quoniam quod in clericis conſecratum eſſe
prædidiciſti, Epiſcopum ſolum habere manifeſtum eſt.
In illis eſſe partes & membra virtutum, in Epiſcopo ple-
nitudinem diuinitatis habitare corporaliter. Atque ita
eſt, vt in Epiſcopis dominum, in Presbyteris apoſtolos,
qui & ipſi ſunt, recognoſcas. Sed quia ſcriptum eſt: *Non*
Ioan. 10. *vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: ſummus ſacerdos qui e-
legit dicitur, qui vero electi ſunt, ſacerdotes. Omnem
Exod. 7. enim ſuam poteſtatẽ Deus diſcipulis ſuis dedit, & Moy-
C ſen Deum dici voluit Pharaonis. Atque ipſe homo IESVS
Chriſtus maior in eo quod in carne apparuit, fuit. Et hoc
eſt myſterium eccleſiæ, quod Ezdras deſcripſit, quod in
quinque gradibus collocatum, ſenſus noſtri capitis te-
net. Namque viſui Epiſcopatus & Presbyteria dantur,
Ezech. 3. ſecundum quod ſcriptum eſt. *Speculatorem te poſui domui
Iſrael*. Leuitæ odoratui: quia ipſi ſacerdotibus iuncti, co-
lumnæ & fundamentum veritatis ſunt: ipſi ſpiritus for-
ma, puris mentibus odor vitæ in vitam ſunt, & per ma-
nus eorum odor ſacrificij aſcendit in conſpectu Dei. Na-
thinnei auditui: vt audiant vniuerſi diuinis verbis ac præ-
ceptis ſacerdotum & officiis Leuitarum. Sacri cantores
ſermoni, quod eſt linguæ. Oſtiarij, ſiue Foſſarij ori, ſi-
Pſal. 140. cut ſcriptum eſt. *Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium
circumſtantiæ labiis meis*. Ex verbis enim noſtris iuſtifica-
bimur, & ex verbis noſtris condemnabimur. In ore e-
nim hominis vita & mors: ideo in Foſſariis ſpiritus pro-
phetarum prophetis ſubiectus eſt: in Oſtiariis doctores,
in Lectoribus prophetæ, in Subdiaconis angeli, in Dia-
D conibus archangeli, in Presbyteris apoſtoli, in Epiſcopis
1. Cor. 12. Deus. Denique ſcriptum eſt *Primo apoſtolos, ſecundo pro-
phetas, tertio doctores*: & ideo de Epiſcopo vſque ad Dia-
conum ſpiritus diſpoſitio eſt. De Subdiaconibus vſque ad
Oſtiarios animæ, in Foſſariis corporis. Sicque has om-
nes diſpoſitiones in eccleſia Chriſti quaſi vnum hominem
Deo ſeruientem eſſe cognoſce, ſecundum quod ſcriptum
1. Cor 3. eſt. *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis.
Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Tem-
plum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos*. Prædica autem
1. Tim. 4. verbum Dei cunctis, vt ſcriptum eſt, Exhortare omnes.
*Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſuperbe ſapere, neque ſpe-
rare in incerto diuitiarum: ſed diuites eſſe in operibus bonis*.
Ioſue 1. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Non recedat liber le-
gis de manu tua, ſed meditaberis die ac nocte in eo*. Ante
omnia curam habe pauperum: quia propter nos Chri-
ſtus pauper factus eſt, cum eſſet diues, vt inopia illius di-
taremur. Profeſſas & eas quæ vere viduæ ſunt, require:

E egentibus neceſſaria ſubminiſtra: nec in quo quam pere-
grinationis nomen horreſcas. Quoniam quam diu ſumus
in carne, peregrinamur à domino. *Iuniores autem viduas*
ſicut dicit Apoſtolus *deuita, cum enim luxuriatæ fuerint,* 1. Tim. 5.
in Chriſto nubere volunt. Vxori tuæ propter antiquã con-
ſuetudinem ac periculum ſacerdotij, nõ des animam tuã
in poteſtatem, ne forte in ſimilitudinem Adæ in paradiſo
poſitus confundaris, atque acceptam legem ſi peccaue-
ris perdas: ac nuditatis tuæ conſcius, confuſionem men-
tis excipias, & locum conſecrationis amittas. Amanda
quidem vxor eſt, ſed ſicut eccleſia, aut templum Dei: orã-
dum cum ea, legendum, abſtinendum, communicandum
in altario, non in opere: ſpiritu, non carne viuendum.
Venerari autem & te propter coniunctionem legis debet,
non deſiderare propter conſuetudinem delinquendi:
quia aperte tibi vſum coniugij interdictum eſſe perpen-
dis, cum te Epiſcopum eſſe cognoſcis. Habere ſe & illa
ex hoc Chriſtum gaudeat, non maritum: eſſe cum Deo,
non habitare cum coniuge: poſſidere intra domeſticos
parietes vernaculam ſanctitatem: exultet in domino, gra-
tias agat Deo, quod de corruptione liberata eſt: tibi quo-
que debitrix ſit, quod ad hoc officium volaſti, qua con-
ſentiente electus es à domino, quod prius de omnibus
cum tuis, vt decuit, tranſegiſti, quam Epiſcopatum roga-
tus acciperes, & ſeparatus à coniuge in eccleſia permane-
tes. Certus autem ſum exẽplo bonæ vitæ tuæ omnes hæc
eſſe facturos, vt in adoleſcentia credentes Deos, dum cõ-
temnunt terrena, diuina percipiant, & emendati in om- F
nibus domino conſectentur, vt doctores plebium facti,
poſt emendationem ſui prædicent vniuerſis, & ſalus om-
nium nuncupentur. Seculares autem viros ad miniſte-
rium non aſſumas eccleſiæ: ſic enim legis. *Manus temerè
nemini impoſueris*. Et iterum. *Hi primum comprobentur,* 1. Tim. 5.
& ſic miniſtrent ſine crimine conſtituti. Sunt enim multi 1. Tim. 3.
qui ſequentes vota populorum, diſciplinam eccleſiæ non
obſeruant, ac ſine experimento bonæ vitæ, eligunt non
conuerſos. Atque vt conſuetudinem reprehendam pec-
cantes nobilitatem potius quam mores optimos benedi-
cunt: & ante regni cœleſtis gubernacula tradunt, quam
de terrena conuerſatione ſecuri ſint, quaſi vero Deo
deficiant ſacerdotes, aut clericatus officium poſſit im-
plere, qui necdum caſtus didicit eſſe abſtinendo. Taceo
de reliquis vitæ documentis, quod ignorat libros, quod
conſuetudinem neſcit: & prius doctor gentium dicitur
vel miniſter, quam diſcat aliquid imperitus, alieno iu-
dicio in poſterum viuens, non Dei, ſed cuiuſcunque fa- G
cit in omnibus voluntatem. Dum enim inſtruenti ſe
obedientiam debet, cedit ad tempus, & inuitus diſcipu-
li nomen accipit in magiſtro, minorque fit minimo.
Concurrunt ad eccleſiam populi, à ſacerdote nouo ali-
quid auditur, quod ædificet cunctus, quod ſaluet vni-
uerſos, & vltra ſolitum morem fortè nihil dicitur: ceras
nectit, paginas ignotas cunctis verſat in pectore? &
delicta omnia recognoſcens, ſola impudentia vtitur ex-
cuſantis, & hoc ipſum quod rogatur, iraſcitur. Quale
tunc erit, quæſo, epiſcope iudicium tuum, cum interro-
gatus nihil dixeris, ac mulieres laicoſque pro ſcientia
agnitionis vitæ intrare eccleſiam recognoueris? Sacra-
mentorum vero hæc ratio eſt, atque hic ordo omnium
naſcentium, qui in carne deſcendimus, vt qui venien-
tes in mundum venundamur ſub peccato, idolis ſeruien-
tes primitus nuncupemur. Quis enim à quo ſuperatur,
eius ſeruus adiicitur, & eius operi mancipatur, præſtat H
officium, cuius deſiderium geſtat in ſenſu: præualente
enim ignorantia, regnat auaritia, quæ radix omnium
malorum eſt, & inquiſitio idolorum: & hoc eſt malum
quod difficile ſuperatur, qui non aut habendi volunta-
te, aut paupertatis timore teneatur. Sed quia primi-
tus in exhortatione prophetiæ ſermo prædicandus eſt,
neceſſe eſt vt in illis vnus Deus auidius & loquatur &
nominetur, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Dominus Deus* Deut. 6
tuus vnus eſt. Hi ſunt quos cathecumenos nominamus,
& ſubiacentes caſtigationi, & liberum ad Chriſtum ha-
bentes arbitrium: quia principium ſanctitatis eſt do-

A Rom. 10. minum Iesum Christum Dei filium confiteri, secundum quod scriptum est. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Secundus confitentium locus est, qui ad Dei gratiam festinantes, aliquid amplius quam fuerint esse desiderant. Qui ideo competentes dicuntur, id est, poscentes Dei gratiam, Deo iam vtiles, & per desiderium voluntatum competentes cœlorum regna, ac volentes iuri suo per misericordiam principalem hæreditatem, Deum vendicare: ab omnibus abstinentes, sperantes lauacrum, casti atque synceri, & præsentis vitæ positum sibi terminum recognoscunt, & ordinem futuræ conuersationis aspiciunt, qui antequam accipiant, seruiunt Christo, post acceptam fidem Dei dona non perdant, aut irritam faciant gratiam, cui seruire voluerunt.
Gal. 3. Tertius baptizatorum ordo est, in quibus iam Christus est, dicente Apostolo. *Nescitis quoniam quicunque baptizati estis in Christo, Christum induistis?* Et ideo cum cogiB tamus aliquid boni, liberati à gentilitate catechumeni sumus, cum volumus quod sanctum est competentes: cum operamur bona, baptizamur & commorimur Christo. Sed si fortè hoc impugnante diabolo quacunque peccati maculatione violamur, pœnitentia competit, quæ in similitudinem diuini fontis, ipsa peccata mortificet, ac nos saluet in corpore: qua completa, quartus reconciliationis locus est, vt caput corporis nostri Christum esse credamus, quia ecclesiæ suæ vir, caput mulieris, id est, omnium animarum quæ Deum tota mente perquirunt. Sal autem propterea catechumenis datur in mysterio, vt nos esse sal terræ, id est, sapientiam Dei noscaRom. 1. mus. *Inuisibilia* enim *eius* (vt ait Apostolus) *à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles, &c.* Baptismus vero aqua est, quæ tempore passionis de latere Christi exiuit: & nullum aliud elementum est, quod in hoc mundo purificet vniuersa, quod omnium poculum sit, quod viuificet cuncta. Et ideo spiritus vitæ in aqua est, & congregatio aquarum, maria noC men accepit. Christo enim renascitur, qui baptizatur in fonte. Fons enim origo omnium gratiarum est, in quo septem gradus sunt, tres in descensu, & tres in ascensu: septimus vero est, qui & quartus, id est, similis filio hominis, extinguens fornacem ignis ardentis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Oleum vero & chrisma esse sanctorum, silentium ipsius & pinguedinis natura demonstrat. Corpus domini panis verus & cœlestis è Ioan. 16. cœlo est. Sanguis eius, hoc est quod scriptum est. *Ego sum vitis vera, vos autem sarmenta.* Et quia multa membra, vnum autem corpus, totius mundi natura contrita est inuisibilibus speciebus in candorem lucis effectum, atque per baptismum aquæ in veritate: cum semper secundum speciem corporis, & puritas & veritas voluntatis apparet probata per ignem, vt his omnibus impletis alimentis, nihil desit visibilitati, nihil desit mysterio Dei, D ac resurrectio carnis apertissime comprobetur: cum hæc quæ visibilia sunt, sanctificata per verbum & orationem, Christi corpus effecta sunt. Quæ omnia, si in veritate complecteris, intelligens Deum, opus vitæ agis, & comPsal 109. motatis in Christo. *Tu es sacerdos in æternum secundum orPsal 64. dinem Melchisedech. Te decet hymnus Deus in Sion, vt reddas vota in Hierusalem.* Tibi conuiuium Christus est, gaudium Christus est, cogitatio Christus est, desiderium Christus est, lectio Christus est, quies Christus est, atque imperans mundo Pharaonis Deus es, postquam vniuersa vicisti. Hæc cunctis plebibus tuis, si dignaris vt moneam, prout putes semper insinua, memoriam mei habens in orationibus tuis sanctis, vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, vt remissionem consequar peccatorum. Certus sum enim ego, quia supra quàm dico facies: debitorem enim te mihi esse cognoscis, vt pro me Deum rogare non desinas: quoniam sicut iubere dignatus es, officium disputationis impendi. Nec tibi legem quam sequi debeas posui, sed qualis esse iam debeas, stilo fauente descripsi. Vnum tamen illud præ cæteris rogo, vt quia multa secundum consuetudinem tuam, noua tibi videntur esse conscripta, præsumptioni meæ dare veniã E dignetis. Nec putes nos peruersitatem aut nouitatem aliquam, sed solam (si dici fas est) diuersarum prouinciarum consuetudinem publicare: sed sicut reprehendi neminem, ita & damnandum nullum descripsi, præsertim cum omnes ecclesias Deus fecerit, & in omnibus apostoli prædicauerint: nec deceat quemquam studere discordiæ, vbi pro omnium pace seruanda, in disceptatione ecclesiasticæ disciplinæ vincit ille qui vincitur, ac se victum gratulatur. Ego tamen in omnibus vobis cedo, qui omne quod facitis laudo, & in æmulationem bonæ rei istud vestris sensibus derelinquo, vt vnus alterum exhortans, inuicem vos de consuetudine nostra, & de contemplatione doceat: mihi hoc solum peculiarius relaxetis, vt pro me orare dignemini, qui ad emendationem omnium quę conscripta sunt obedientiam gerens, ita libenter habeo mihi aliquid imputare, vt mei primitus sciaris esse iudicij, hoc tantum iussi ab omnibus condemnandum, quod aut consuetudo ecclesiarum, aut diuinorum librorum scripta non retinent.

EPISTOLA XIV. F

VIRGINITATIS LAVS, AD Mauritij filiam.

QVantam in cœlestibus beatitudinem virginitas sancta possideat, post scripturarum testimonia, ecclesiæ etiam consuetudine edocemur, qua discimus peculiare illi subsistere meritum, cuius specialis est consecratio. Nam cum vniuersa turba credentium paria dona gratiæ percipiat, & iidem omnes sacramẽtorum benedictionibus glorientur, istæ aliquid proprium præ cæteris habent, cum de illo sancto & immaculato ecclesiæ grege, quasi sanctiores purioresque hostiæ, pro voluntatis suæ meritis à sancto spiritu eliguntur, & per summum sacerdotem Dei offeruntur altario. Digna reuera domino hostia tam pretiosi animalis oblatio, & nullius magis, quàm suæ imaginis, hostia placitura. De huiusmodi etiam A- G postolum dixisse reor. *Obsecro autem vos fratres per mi-* Rom. 12. *sericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Possidet ergo virginitas, & quod alij habent, & quod alij non habent, dum & communem & peculiarem obtinet gratiam, & proprio (vt ita dixerim) consecrationis priuilegio gaudet. Nam & Christi sponsas virgines dicere, ecclesiastica nobis permittit autoritas, dum in sponsarum modum eas consecrat domino: velut ostendens eas vel maximè habituras spirituale connubium, quæ subterfugerint carnale consortium, & digne Deo per matrimonij copulationem spiritualiter copulantur, quæ eius causa dilectionis, humana connubia spreuerunt. In his quam maximè illud impletur Apostoli. *Qui autem adhæret domino vnus spiritus est.* Grande est & immortale, & pene vltra naturam cor- 1. Cor 6. poream frenare luxuriam, & concupiscentiæ flammam adolescentiæ facibus æstuantem, animi virtute restinguere: & spirituali conatu, vim genuinæ oblectationis excludere, viuereque contra humani generis legem, de- H spicere coniugij solatia, dulcedinem contemnere liberorum, & quæcunque præsentis vitæ commoda sunt, pro nihilo spe futuræ beatitudinis computare. Magna hæc, vt dixi, & admirabilis virtus est, & non immerito pro magnitudine laboris sui ingenti præmio destinatur. *Dabo* inquit Dominus, *spadonibus meis in domo mea, & in muro* Esaia 56. *meo locum nominatum meliorem à filiis & filiabus* Israel: *nomen æternum dabo illis, quod non deficiet.* De quibus spadonibus dominus in euangelio repetit, dicens. *Sunt enim spadones, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Matth 19. Magnus quidem est pudicitiæ labor, sed maius præmium: temporalis custodia, sed remuneratio æterna est. De his & beatus Ioannes Apostolus loquitur: quod *sequuntur agnum quocunque ierit.* Quod ita intelligendum puto, nullum eis locum in cœlesti aula claudendum, Apoc 14.

& cun-

A & cuncta eis diuinarum mansionum habitacula referanda. Sed vt illustrius virginitatis meritum clareat, & quam Deo digna sit, manifestius intelligi possit: illud cogitetur, quod dominus & Saluator noster Deus, cum propter humani generis salutem hominem dignaretur assumere, non alium quam virginalem elegerit vterum. Et vt huiusmodi plurimum sibi placere monstraret, & pudicitiæ bonum vtrique sexui intimaretur, virginem habuit matrem, virgo mansurus. In se viris, & in matre fœminis præbuit virginitatis exemplum, quo demonstraretur in vtroque sexu beatam integritatem diuinitatis haberi: & plenitudinem meruisse, dum totum in matre fuit, quicquid habebatur in filio. Sed quid ego satago excellens ac sublime pudicitiæ meritū reuelare, & gloriosæ virginitatis bonum ostendere, cum de hac re plerosque perorasse non nesciam, & eius beatitudinem manifestissimis rationibus comprobasse: & nulli sapienti venire in dubium posse, eam rem maioris esse meriti quæ sit amplioris laboris? Quisquis etiam pudicitiam aut nullius præmij, aut parui existimat, certum est illud aut ignorare, aut non

B voluntarium ferre laborem. Inde illi semper castitati derogant, qui eam aut non habent aut habere coguntur inuiti. Nunc itaque quoniam paucis licet, tam laborem, quam meritum integritatis ostendimus, ne res quæ grandi virtute constat, ingenti præmio destinata, carere fructu suo possit, diligentius excubandum est. Quanto enim quæcunque species pretiosior fuerit, tanto maiore sollicitudine custoditur. Et quoniam multa sunt, quæ bono proprio carent, nisi aliarum rerum iuuentur auxilio, vt est mellis species, nisi cerarum custodia & fauorum cellulis consectetur (& vt verius dixerim) nutriatur, naturalem gratiam perdit, & subsistere per seipsam non potest. Sicut & vini species, quod nisi boni odoris vas sit, & reparatis crebro picibus foueatur, germanæ suauitatis vim amittit. Attentius ergo prouidendum est, ne forte & virginitati aliqua sint necessaria, sine quibus nequaquam afferre fructum sufficiat, & tantus nihil proderit labor, dum vane prodesse creditur, quod absque viribus necessariis possidetur. Nisi enim fallor, ob cœlestis regni præmiū, pudicitiæ seruatur integritas, quod sine vitæ æter-

C næ merito, neminem consequi posse satis certum est. Æterna vero vita non nisi per omnem diuinorum præceptorum custodiam prouenire potest, scriptura dicente: Math. 19 *Si vis ad vitam venire, serua mandata.* Vitam ergo æternam non habet, nisi qui cuncta mandata legis seruauerit: & qui vitam non habuerit, cœlestis regni non potest esse possessor, in quo non mortui, sed viui quique regnabunt. Nihil enim virginitas sola proficiet quæ cœlestis regni gloriam sperat, nisi & aliud habuerit, cui promittatur perpetua vita, per quam cœlestis regni præmium possidetur. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque seruantibus, & eius remunerationem à Dei æquitate sperantibus, mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis & continentiæ labor in irritum deducatur. Supra mandatum vel præceptum esse virginitatem, sapiens ex lege nullus ignorat, Apostolo dicente.

D 1. Cor. 7. *De virginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autem do.* Cum ergo obtinendæ virginitatis consilium dat, non præceptum statuit supra mandatum, vel præceptum eam esse professus est. Quicunque ergo virginitatem seruant, magis faciunt quam præceptum sit. Tūc enim proderit magis fecisse quam iussum est, si quod iussum est feceris. Nam quomodo plus fecisse gloriaberis, si minus aliquid non facias? Cupiens diuinum implere consilium, ante omnia serua mandatum. Volens virginitatis præmium consequi, amplectere meritū vitæ, vt tua castitas remunerari possit. Nam vt vitam præstat obseruatio mandatorum, ita è contrario generat præuaricatio mortem. Et qui per præuaricationem in mortem fuerit deputatus, virginitatis coronam sperare non poterit, neque pudicitiæ præmium expectare constitutus in pœna. Tres enim sunt species, per quas regni cœlestis possessio introitur. Prima est pudicitia, secunda mundi contemptus, tertia vero iustitia: quæ vt coniunctæ plurimum se possidentibus præstant, ita possunt diuisæ difficile pro-

E desse, dum vnaquæque earum non propter se tantum, sed propter aliam affligitatur. In primis igitur quæritur pudicitia, vt facilius subsequatur mundi contemptus: quia ab illis mundus contemni leuius potest, qui matrimonij nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, vt iustitia conseruetur, quam difficile implere possunt, qui secularium bonorum cupiditatibus, & mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, & secundam quæ est mundi contemptus, non obtinet: pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæsita est prima. Si primam & secundam habet, cui tertia quæ est iustitia desit, frustra laborat: quoniam superiores duæ propter tertiam præcipuè requiruntur. Quid enim propter mundi contemptum prodest pudicitiam habere, & propter quod eam habeas non habere? Vel cur res mundi contemnas, si iustitiam propter quam pudicitiam & mundi contemptum habere te conuenit, non custodias? Quia vt prima species propter secundam est, ita prima & secunda propter tertiam: quæ si non fuerit, nec prima, nec secunda proficiet. Dicas forsitan, doce me ergo quid sit iustitia, vt eam si cognouerim facilius implere sufficiam. Dicam breuiter, vt valeo, & verborum vtar simplicitate communium: quia causa de qua agimus talis est, quæ disertioribus facundiæ sermonibus nequaquam debeat obscurari, sed simplicioribus eloquentiæ

F narrationibus pandi. Omnibus enim in commune necessaria, communi debent sermone demonstrari. Iustitia ergo non est aliud quam non peccare. Non peccare autem legis præcepta seruare. Præceptorum vero obseruatio duplici genere custoditur, vt nihil eorum quæ prohibentur facias, & cuncta quæ iubentur implere contendas. Hoc est quod dicit. *Recede à malo & fac bonum.* Non Psal. 33. enim ut hoc putes constare iustitiam, vt malum non facias, cum & bonum non facere malum sit, & in vtroque legis præuaricatio committatur. Quoniam qui dicit, Recede à malo: & ipse dicit, fac bonum. Si à malo recesseris & non feceris bonum, transgressor es legis, quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed in bonorum operum perfectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, vt vestitum non spolies suis indumentis, sed vt spoliatos operias tuis vestimentis. Neque vt habenti panem non auferas suum, sed vt non habenti

G tuum libenter impertias. Neque vt pauperem non repellas hospitio suo, sed vt pulsum & non habentem recipias tuo. Præceptum est enim nobis flere cum flentibus. Quomodo cum illis flemus, si in nullo eorum necessitatibus participamus, nec aliquid eis in his propter quas lacrymantur causas præbeamus auxilium? Neque enim fletuum nostrorum Deus infructuosum humorem quærit: sed quia lacrymæ doloris indicium sunt, vult te ita alterius angustias sentire vt tuas: & quomodo tibi in tali tribulatione si esses, subueniri cuperes, ita alteri ipse subuenias, propter illud. *Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis similiter.* Matth. 7. Nam cum flente flere, & nihil cum possis flenti conferre, subsannationis, non pietatis indicium est. Denique Saluator noster

H cum Maria & Martha Lazari sororibus fleuit, & immensæ misericordiæ affectum, lacrymarum contestatione monstrauit, & veræ pietatis indicia mox opera subsequuta sunt, cum suscitatus Lazarus, cuius causa lacrymæ fundebantur, sororibus viuus redditur. Et hoc fuit pie flere cum flentibus, occasiones fletus auferre. Sed quasi potēs, inquies, fecit: sed nec tibi aliquid impossibile imperatur. Impleuit omnia, qui quod potuit fecit. Sed vt dicere cœperamus, non sufficit Christiano à malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Quod illo vel maximè testimonio comprobatur, quo comminatur dominus æterni ignis reos fore, qui quamuis nihil mali gesserint, non fecerint omne quod bonum est, dicens. *Tunc dicet rex his qui ad sinistram sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Matth. 25. Non dicit: Discedite à me maledicti, quia homicidium fecistis, quia adulterium perpetrastis, aut quia fur-

A tum fecistis: non enim quia malum fecerunt, sed quia bona non fecerunt, condemnantur, & æternæ gehennæ incendiis addicuntur. Nec quia quæ prohibita erant, admiserunt: sed quia quæ præcepta erant, noluerunt implere. Vnde aduertendum est, quam spem habere possint, qui adhuc aliquid eorum faciunt quæ prohibentur, cum etiam illi æterni ignis rei sunt, qui non fecerunt quæ iubentur. Nolo enim in hoc tibi blandiaris, si aliqua non feceris, cum scriptum sit. Qui vniuersam legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omnium reus. Adam enim semel peccauit, & mortuus est: & tu te viuere posse existimas illud sæpè committens. quod alium cum semel perpetrasset, occidit? An grande illum commisisse crimen putas, vnde merito pœna damnatus sit acriori? Videamus ergo quid fecerit contra mandatum. De fructu arboris edit. Quid ergo? propter arboris fructum Deus hominem morte mulctauit? Non propter arboris fru-
B ctum, sed propter mandati contemptum, Ergo non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Et qui dixit Adæ, de fructu arboris non ederet: ipse tibi præcepit vt non maledicas, non mentiaris, non detrahas, nec detrahentem auscultes, vt omnino non iures, non concupiscas, non inuideas, non sis tepidus, non sis auarus: vt nulli malum pro malo reddas, vt inimicos tuos diligas, vt pro maledicentibus & persecutoribus ores, vt percutienti maxillam alteram præbeas, vt in iudicio seculari non litiges, vt si quis tua voluerit auferre, gratanter dimittas, vt nec iracundiæ, nec zeli, nec liuoris malum intra pectus admittas, vt crimen auaritiæ fugias. vt omnis iactantiæ ac superbiæ malum caueas, & humilis & mitis Christi exemplo viuas: malorum consortia immundum deuitans, vt cum fornicatoribus atque auaris, aut maledicentibus, aut inuidis aut detractoribus, aut ebriosis, aut rapacibus cibum non capias. Quem si aliquo contempseris, si pepercit Adæ, parcet & tibi: imo illi magis parcendum fuerat, qui nouellus erat adhuc & rudis, & nullius ante peccantis, & propter peccatum suum morientis retrahebatur exemplo. Tibi vero post tanta documenta, post legem, post prophetas, post euangelia, post apostolos, si delinquere volueris, quomodo
C indulgeri possit, ignoro. An tibi de virginitatis prærogatiua blandiris? Memento Adam & Euam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. Virgo quæ peccat, Euæ, non Mariæ, comparanda est. Non negamus in præsenti tempore remedium pœnitentiæ: sed hortamur magis præmium sperare debere quam veniam. Turpe est enim illis delicti indulgentiam postulare, quæ palmam virginitatis expectant: & illicitum aliquid incurrere, quæ se etiam à licitis castrauerunt. Licitum quippe est matrimonij consortium inire: & vt laudandæ sunt, quæ propter Christi amorem, & cœlestis regni gloriam, copulam contempserunt nuptiarum, ita damnandæ non sunt, quæ propter incontinentiæ voluptatem, nondum Deo deuotæ remedio apostolico abutuntur. Ergo (vt diximus) quæ connubia deserunt, non illicita, sed licita spernunt: eiusmodi autem, si iurent, si maledicant, si cupiunt aliena, si detrahentes patiuntur au-
D dire, si malum pro malo reddant, si auaritiæ in alienis aut propriis incurrant crimen, si zeli, si liuoris venena possideant, si contra legalia & apostolica instituta indecena aliquid aut loquantur, aut cogitent: si in carne placendi studio comptè & ornate procedant, & alia, quæcunque (vt solet fieri) illicitè faciant, qoid proderit eis spreuisse quod licuit, & exercere quod non licet? Si vis prodesse tibi quod licita contempsisti, vide ne quid eorum quæ non licent facias. Stultum est enim timuisse quod minus est, & non timere quod maius est: aut ab his non vitari quæ prohibentur, si subterfugerint quæ conceduntur. Dicit A-
1 Cor 7. postolus. *Innupta cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autē nupta est, cogitat quæ sunt huius mundi, quomodo placeat viro.* Nuptam viro placere asserit cogitando quæ mundi sunt: innuptam vero Deo, eo quod nulla illi cura sit seculi. Dicat ergo mihi quæ virum non habet, & tamen quæ mundi sunt

E cogitat, cui placere desiderat: nonne incipiet illi nupta præponi? quia illa cogitando quæ mundi sunt, complacet vel marito: ista vero nec marito, quem non habet, potest placere, nec Deo. Sed nec illud silentio præterire non conuenit, quod dicit, Innupta cogitat quæ domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ Dei sunt, inquit, cogitat, non quæ seculi: non quæ hominum, sed quæ Dei sunt cogitat. Quæ sunt ergo do-
Philip. 4. mini, dicat Apostolus. *Quæcunque enim sancta, quæcunque iusta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ*, ista sunt domini: quæ sanctæ & veræ & apostolicę virgines die noctuque sine vllo temporis interuallo meditantur & cogitant. Domini est etiā regnum cœlorum, domini est resurrectio mortuorum, domini est immortalis incorruptio, domini est splendor solis, qui sanctis promittitur: sicut in euangelio scriptum
Matth. 13. est. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Do-
F mini sunt plures iustorum in cœlestibus mansiones, domini est fructus tricesimus, & sexagesimus, & centesimus. Hæc cogitant, & quibus possint operibus promereri quæ domini sunt, cogitant. Domini est etiam lex noui & veteris testamenti, in quibus oris eius eloquia sancta refulgent. Quæ si quæ virgines sine intermissione meditantur: quæ domini sunt cogitant, vt impleatur in eis propheticum illud. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata domini in corde mulieris sanctæ. Se-
Eccl. 26. quitur: *Quomodo placeat Deo*, Deo, inquā, nō hominibus,
1 Cor. *vt sit sancta corpore & spiritu.* Non dixit, vt sit sancta membro, aut corpore tantùm, sed vt sit sancta corpore & spiritu. Membrum enim vna corporis pars est: corpus verò omnium compago est membrorum. Cum ergo dixit, *vt sit sancta corpore*, omnibus membris eam sanctificari debere testatur: quia non proderit sanctificatio cæterorum membrorum, si inueniatur in vno corruptio. Etiam non erit sancta corpore, quod ex omnibus constat membris, quæ vel vnius fuerit coinquinatione polluta. Sed vt quod dico, manifestius & lucidius fiat. Esto sit omnium membrorum purgata sanctificatione & lingua tantummodo peccet, qua aut blasphemet, aut testimonium falsum dicat, nunquid liberabunt omnia membra vnum? an
G propter vnum iudicabuntur & cætera? Ergo si sine aliorum membrorum sanctificatione pudicitia nihil proderit, cum in vno sit vitium: quanto magis si diuersorum flagitio peccatorum omnia corrumpantur, vnius nihil proderit integritas? Vnde quæso te virgo, ne in sola tibi pudicitia blandiaris, neque in vnius membri integritate confidas: sed secundum Apostolum, totius conserua corporis castitatem. Munda ab omnibus inquinamentis caput: quia crimen est illud post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius cuiuslibet pigmenti suco, vel puluere sordidari: aut auro, aut gemmis, vel cuiuscunque terrenæ creaturæ specie comi, quod iam cœlestis ornatus splendore refulget. Grandis quippe est diuinitati contumelia, mundani & secularis ornamenti prælatio. Munda frontem, vt humana, non di-
H uina opera erubescat, & illam confusionem recipiat, quæ non peccatum, sed gratiam Dei parit, scriptura di-
Eccl. 4. uina dicente. *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens Dei gratiam.* Munda collum, vt non aureā tencula capillus portet, & suspensa monilia, sed potius illa ornamenta circumferat de quibus scriptura dicit. *Mi-*
Prou. 3. *sericordia & veritas non deficient à te.* Suspende autem
Ser. 70. illas in corde velut in collo tuo. Munda oculos, dum eos
Sap 2. ab omni concupiscentia retrahis, & ab intuitu pauperum nunquam auertis, & ab omnibus fucis liberos, ad ea quæ Dei sunt facta custodias. Munda linguam à mendacio: quia os quod mentitur, occidit animam. Munda eam à detractione, iuramento, ac periurio. Nolo præposterum ordinem putes, quod prius à iuramento quam à periurio linguam dixi debere mundari: quia tunc periurium facilius fugies, si in toto non iures, vt
Psal. 33. impleatur in te illa sententia. *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Et memor esto, di-
Rom. 12. cente Apostolo. *Benedicite, & nolite maledicere.* Sed & illius

A illius crebrius recordare. *Videte ne quis aliqui malum pro*
1. Thess. 5 *malo reddat, neq; maledictũ pro maledicto, sed econtrario be-*
nedicentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæredi-
Iaco. 3 *tate possideatis*. Et illud. *Si quis autem in verbo non offendit*
fratrem, hic perfectus est. Nefas est.n. vt labia illa, quib. do-
minum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicuius pol-
luantur sorde peccati. Nescio qua conscientia & lingua
quis dominum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit,
aut detrahit. Labia sancta exaudit dominus, & ipsis an-
nuit cito precibus, quas lingua immacolata pronuntiat.
Munda aures, vt non nisi sermonibus sanctis & veris au-
ditum præbeant, vt nunquam obscœna, aut turpia, secu-
lariaque verba suscipiant, aut aliquem de altero audiát
Eccl. 28 detrogantem, propter illud quod scriptum est. *Sepi aures*
tuas spinis, & noli audire linguam nequam, vt cum eo ha-
2. Pet. 2. bere partem possis de quo dicitur. *Quoniam auditu & vi-*
Eccl. 4. *su iustus erat*, hoc est, nec aure, nec oculis deliquebat.
Munda manus, ne porrectæ ad accipiendum sint, ad dandũ au-
tem collectæ, nec ad feriendũ paratæ, sed ad omnia miseri-
B cordiæ & pietatis opera satis promptæ. Munda pedes, ne
latam & spaciosam viam pergant, quæ ducit ad splendida
seculi & pretiosa conuiuia: sed ad arduum magis & an-
gustum gradiantur iter, quod tendit ad cœlum, quia scri-
Prou. 4. ptum est. *Iter rectum facite pedibus vestris*. Agnosce tibi à
Deo artifice non ad vitia, sed ad virtutes mẽbra formata.
Et cum vniuersos artus mundaueris ab omni sorde pec-
cati, & toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castita-
tem intelligas profuturam, & cum omni fiducia palmam
virginitatis expectes. Quid sit sanctam esse corpore, bre-
uiter quidem, sed plane exposuisse me arbitror. Nunc
quod sequitur, & spiritu, nosse debemus, hoc est, vt quod
opere nefas est fieri, nec cogitatione concipere. Illa enim
est tam sancta corpore quam spiritu, quæ nec mente, nec
corpore delinquit, sciens etiam cordis speculatorem esse
Deum. Et idcirco satagit, vt omnino etiam animam cum
corpore mundam habeat à peccato, sciens scriptum esse.
Omni custodia serua cor tuum. Et iterum. *Diligit dominus*
Prou. 4. *sancta corda: accepti sunt autem ei omnes immaculati* Et ali-
Matt. 5 bi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Quod
C de illis dici arbitror, quos conscientia in nulla redarguit
culpa peccati. De quibus & Ioannem in epistola sua di-
Ioan. 1. xisse reor. Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam
habemus ad Deum, & quæcunque petierimus, accipie-
mus ab eo. Nolo existimes te peccati crimen fugisse, si vo-
Matt. 5 luntatem non sequatur effectus, cum scriptum sit. *Qui-*
cunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœ-
chatus est eam in corde suo. Nec dicas. Cogitaui quidem &
non feci, quia etiam concupiscere nefas est, quod fieri cri-
1. Pet. 1. men est. Vnde & beatus Petrus præcipit, dicens. *Animas*
vestras castificantes. Qui si nullam animæ constuprationẽ
Apoc. 14 nosset, nec castificari ipsam desiderasset. Sed & illum locũ
quo continetur: *Hi sunt qui cum mulieribus se non coinqui-*
nauerunt, virgines enim permanserunt, hi sequuntur agnum
quocumque ierit, attentius considerare debemus & ani-
maduertere, si solius integritatis ac pudicitiæ merito isti
diuino comitatui copulentur, & per omnia cœlorum ta-
D bernacola discurrant: an & alia sint, quibus adiuncta vir-
ginitas, tantæ beatitudinis gloriam consequatur. Sed vn-
de hoc scire poterimus? Ex consequentibus (nisi fallor)
in quibus scriptum est. Hi empti sunt ex omnibus pri-
mitiæ Deo & agno, & in ore ipsorum non est inuentum
mendacium: sine macula enim sunt. Vides ergo quod
non in vno virgines tantum membrorum, dominicis re-
ferantur inhærere vestigiis: sed illi qui præter virginita-
tem ab omni contagione peccati immaculatam gerunt
vitam. Idcirco vel maxime virgo nuptias spernit, vt dum
securior est, facilius quod etiam à nubentibus quæritur,
ab omni se delicto custodiat, & vniuersa legis mandata
perficiat. Nam si non nubat, & ea nihilominus faciat, à
quibus & nuptæ esse iubentur immunes, non nupsisse
quid proderit? Quanquam enim nulli Christianorum
peccare liceat, & omnes quicumque spiritualis lauacri
sanctificatione purgantur, immaculatam decurrere con-
ueniat vitam, vt Ecclesiæ (quæ sine macula, sine ruga, sine
aliquo eiusmodi esse describitur) possint visceribus inti-
mari, multo magis tamen hoc virginem implere necesse E
est, cui nec mariti, nec filiorum, nec alterius necessitatis
causa prohibet, quo minus diuinam scripturam perficiat:
nec si peccet, aliqua poterit excusatione defendi. O vir-
go serua propositum tibi magno præmio destinatum.
Præclara est apud Deum virginitatis & pudicitiæ virtus,
si non aliis peccatorum & malorum lapsibus infirmetur.
Agnosce statum tuum, agnosce locum, agnosce proposi-
tum. Christi sponsa diceris, vide ne quid indignum ei,
cui desponsata esse videris, admittas. Cito scribit repo-
dium, si in te vel vnum videat adulterium. Quæcun-
que ergo humanorum sponsaliorum pignoribus subar-
ratur, statim à domesticis, à familiaribus, ab amicis, & ser-
uulis sponsi solicite & diligenter requirit, quales iuuenis
habeat mores, interrogat quid potissimum diligat, quid
accipiat libenter, quo vsu viuat, qua se consuetudine re-
gat, quibus vtatur dapibus, in quibus maxime rebus de-
lectetur & gaudeat. Quæ cum didicerit, ita se in omnibus
temperat, vt sponsi moribus suum obsequium, sua dile- F
ctio, sua iucunditas, sua vita, sua diligentia concordet. Et
tu quoque CHRISTVM sponsum habens, à do-
mesticis ac familiaribus eius, sponsi tui mores interroga,
& strenue ac solerter inquire, in quibus præcipue dele-
ctetur. Qualem in te compositionem vestium diligat,
cuiusmodi concupiscat ornatum, dicat tibi eius familia-
rissimus Petrus, qui ne nuptis quidem corporalem, sed
spiritualem permittit ornatum, sicut in epistola sua scri-
psit. *Mulieres similiter subiectæ sint viris suis, vt si qui non* 1. Pet. 3.
credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lu-
crificentur, considerantes in timore castam conuersationem
vestram, quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circun-
datio auri, aut indumenti vestimentorumque cultus, sed qui
absconsus est cordis homo in incorruptibilitate, quieti & mo-
desti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Dicat & alius
Apostolus beatus Paulus, qui ad Timotheum scribens e-
pistolam, eadem de fidelium feminarum disciplina testa- 1 Tim. 2.
tur. *Mulieres similiter in habitu ornato, cum verecundia &*
sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, auro, aut mar- G
garitis, aut veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittẽ-
tes castitatem per bonam conuersationem. Sed fortasse dicas,
cur hæc iidem Apostoli virginibus non iusserunt? Quia
non necessarium iudicabant, ne talis virginibus commo-
nitio potius iniuria, quam emendatio videretur. Sed nec
eas vnquam tantæ temeritatis fore crediderunt, vt ne nu-
ptis quidem concessa carnalia ornamenta & terrena præ-
sumerent. Reuera ornare se & componere virgo debet.
Nam quomodo sponso suo placere poterit, nisi composita
& ornata processerit? Ornetur plane, sed interioribus
ornamentis spiritualiter, non corporaliter componatur:
quia dominus non corporis, sed animæ decorem in illa
desiderat. Ergo & tu quæcumque animam tuam dili-
gi & habitari à CHRISTO concupiscis, omni eam
diligentia compone, & spiritualibus indumentis ex-
orna. Nihil in ea indecorum, nihil fœdum appa-
reat. Resplendeat auro iustitiæ, & gemmis refulgeat san-
ctitatis, ac pretiosissima pudicitiæ margarita coruscet, &
pietatis tunica vestiatur. Pro bysso & serico castitatis H
& misericordiæ tunica vestiantur & induantur, secundum
quod scriptum est. Induite vos sicut electi Dei, sancti Coloss. 3.
& dilecti, viscera misericordiæ, humilitatem, &c. Non
decorem cerussæ, aut alterius pigmenti quærat, sed in-
nocentiæ simplicitatisque candorem habeat. Roseum
verecundiæ colorem, & pudorem ruboris pudorisque
possideat, cœlestis abluatur nitro doctrinæ, & lauamen-
tis spiritualibus emundetur. Nulla in ea malitiæ, nulla
delicti macula relinquatur, & ne quando malo redoleat
odore peccati, vnguento suauissimo sapientiæ & scien-
tiæ perfundatur. Huiusmodi Deus quærit ornamen-
tum, & animam taliter compositam concupiscit.
Memento te esse filiam, secundum quod ait. Audi
filia & vide. Sed & tu ipsa quotiescunque Deum pa-
trem nominas, te Dei filiam esse testans. Ergo si filia
Dei es, vide ne quid eorum facias quæ Deo patri incon-
grua sint, sed age omnia quasi filia Dei. Cogno-
sce quomodo huius seculi filiæ nobilium se gerant,

[A] quibus assuescant moribus, quibusue se disciplinis instituant. Tanta in quibusdam est verecundia, tãta grauitas, tanta modestia, vt cæterorum hominum ritum intuitu humanæ ingenuitatis excedant, & nequaquam honestis parentibus suis per lapsum suum infamiæ inurant notã, alteram sibi quodammodo inter homines consuetudinis fecere naturam. Et in originem tuam respice, genus intuere, gloriam nobilitatis aduerte, ac non hominis tantum esse sed Dei filiam, & diuinæ natiuitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe, vt in te cœlestis natiuitas appareat: & vt diuina ingenuitas clarescat, sit vitæ nouæ grauitas, honestas admirabilis, & stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus, vt qui te viderit, admiretur & dicat. Quæ est hæc noua inter homines grauitas? Quæ pudoris verecundia? Quæ honestatis modestia? Quæ maturitas sapientiæ? Non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis. Cœleste [B] hic aliquid in corpore humano refulget. Puto quod habitet in quibusdam hominibus Deus. Et cum te filiam Christi cognouerit, maiore stupore tenebitur, & cogitabit aliquis iste dominus sit, cuius talis ancilla est. Si vis ergo partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo viuendum est, qui ab omni malitia & nequitia ita fuit extraneus, vt ne inimicis quidem vicem redderet, quin potius pro ipsis orabat. Nolo enim vt eas animas christianas existimes esse, quæ aut fratres, aut sorores non dico oderunt, sed etiam proximos toto corde conscientiæ coram Dei testimonio non diligunt, cum christiana Christi similitudine inimicos etiam amare necesse habeat. Si sanctorum cupis habere consortium, à malitiæ & nequitiæ cogitatu pectus emunda. Nemo te circumueniat, nemo fallaci sermone seducat: non nisi sanctos & iustos, & simplices, & innocentes, & puros cœlestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet locum malitia. Ab omni nequitia & dolo mundum necesse est esse qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, [C] quam aliquem odisse vel lædere velle. Nihil tam probabile, quam omnes amare. Quod propheta prospiciens [Psal 69.] testatur, dicens. *Qui diligitis Deum, odite malũ.* Vide ne aliquam humanam gloriam diligas, ne & tua inter eos por- [Ioan 5.] tio computetur, quibus dictum est. *Quomodo vos potestis* [Esa 45.] *credere, gloriã ab inuicem quærentes?* Et de quibus propheta dicit. *Auge eis mala, auge mala gloriosis terræ, vt cõfundamini à gloriatione vestra, & opprobriũ fiatis in cõspectu* Dei. Nolo enim illas respicias, quæ seculi, non domini sunt virgines: quæ propositi sui & professionis immemores, gaudent in delitiis, in opibus delectantur, & corporeæ nobilitatis origine gloriantur. Quæ profecto si Dei filias se esse crederent, nunquam post diuinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in quolibet patre honorato. Si patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris, & complaces? Duos homines ab exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis sylua descendit. Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstat, sed cupiditatis ambitio. Certe omnes per diuini la- [D] uacri gratiam æquales efficimur, vt nulla inter eos discretio esse possit, quos natiuitas secunda generauit, per quam tam diues quam pauper, tam seruus quam liber, tam nobilis quam ignobilis Dei efficitur filius, & terrena nobilitas splendore gloriæ cœlestis adumbratur, & nusquam omnino iam comparet: dum quæ retro in secularib. honoribus impares fuerant, cœlestis & diuinæ gloriæ nobilitate restituuntur æqualiter. Nullus ibi iam ignobilitatis locus, nec degener quisquam est, quem diuinæ natiuitatis ornat nobilitas, nisi apud illos qui non putant humanis cœlestia præponenda. Aut si putant, quam vanum est vt se illis in minoribus præferant, quos sibi maioribus pares esse sentiunt? & quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi in cœlestibus æquales crediderint? Tu autem quæ Christi, non seculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, vt omne quod in futuro promittitur consequaris. Contentionum verba & animositatis causas euita. Discordiarum quoque & litium occasiones subterfuge. Nam si (iuxta Apostoli doctrinam) *seruum Dei* [E] [1 Tim. 2.] *litigare non decet*, quãto magis ancillam Dei non expedit? Cuius quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam à maliloquio cohibe, & ori tuo legis frenos impone, vt tunc si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, caueas ne quid quod in reprehensionem veniat, dicas. Lapis emissus est sermo prolatus. Quapropter diu antequam proferatur, cogitandus est. Beata quippe labia sunt, quæ nunquam quod reuocare velint, emittunt. Pudicæ mentis debet etiam sermo esse pudicus, qui ædificet semper magis quam aliquem destruat audientem: secundum hoc quod Apostolus præcipit, dicens *Om-* [Eph. 4.] *nis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Pretiosa Deo lingua est, quæ non nisi in diuinis rebus nouit verba construere: & sanctum est os, vnde cœlestia semper eloquia proferuntur. Absentium obtrectatores quasi malignos scripturæ autoritate deterre: quia etiam hoc inter [F] perfecti virtutes hominis propheta commemorat. Si ante conspectũ iusti malignus ad nihilum deducatur, qui cõtra proximum non probanda protulerit, non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, quæ nec ab aliis optas recipi tuam. Iniustum quippe est, quicquid contra Christi Euangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inferri. Linguam semper tuam de bonis eloquiis assuesce, & auditum tuum magis ad bonorum laudem, quam ad malorum vituperationem accommoda. Vide quod omnia quæcunque bene facis, propter Deum facias, sciens eius rei tantum te à domino recepturam esse mercedem, quod eius timoris & amoris causa perfeceris. Sancta magis esse quam videri stude, quia nihil prodest æstimari quod non sit: & duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, & quod non habeas simulare. In ieiuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo, Deo seruiens ieiuniis & orationibus die ac nocte. Et si vidua quidem Iudæa talis erat, qualem nunc virginem decet esse Christi? Diuinæ magis lectionis conuiuium di- [G] lige, spiritualibus te satiari dapibus concupisce. Illos potius require cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis & vini species, quasi caloris fomenta, & libidinis incitamenta fuge. Et tunc si forte vino vteris exiguo, cum stomachi dolore nimio corporis compellit infirmitas, iracundiam vince, animositatem cohibe. Quicquid illud est, quod post factam pœnitentiam ruborem ingerit proximo, vt criminis abominationem deuita. Satis tranquillam, satis quietam esse conuenit mentem, & ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat, qui per prophetam testatur, dicens. *Super quem alium requiescam, nisi super humilem &* [Esa 66.] *quietum, & trementem sermones meos?* Omnium operum & cogitationum tuarum speculatorem Deũ crede; & caue ne quid quod diuinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe, quasi quæ sis cum Deo loquutura. Quando psalmum dicis, cuius verba loqueris, agnosce: & in cõpunctione magis cordis, quam in tinnulæ vocis dulcedi- [H] ne delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis, quã vocis gratiam approbat. Sicut propheta dicit. *Seruite do-* [Psal 2.] *mino in timore & exultate ei cũ tremore.* Vbi timor & tremor est, ibi non vocis elatio, sed animus flebilis & lacrymosa deiectio. Omnibus actibus tuis diligentiam adhibe. quia scriptũ est. *Maledictus homo qui facit opus Dei ne-* [Hier. 48.] *gligenter* Crescat tibi cum annis gratia, crescat cum ætate iustitia, & fides eo perfectior videatur esse, quo senior. Quia dominus noster Iesus Christus, qui nobis exemplum viuendi reliquit, proficiebat, non ætate tantum corporea, sed sapientia & gratia spirituali coram Deo & hominibus. Omne tempus in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem vsque conserua: quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virtus est. Sicut in Euangelio dominus ait. *Qui autẽ perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus* [Mat 10.] *erit.* Caue ergo, ne cui concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est. Criminosior est enim adul-

A adultera Christi quam mariti. Vnde pulchre Romana,
Ecclesia, Apostolico sine dubio, cuius sedem obtinet
spiritu animata, tam seueram nuper de huiusmodi sen-
tentiam statuit, vt vix vel pœnitentia dignam iudicaret,
quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatio-
ne violasset. Esto ergo viuendi omnibus forma, esto exē-
plum, præcede & in actu, quos in castitatis sanctificatio-
ne præcurris. Virginem te in omnibus exhibe, nihil cor-
ruptionis obiiciatur capiti tuo, cuius corpus integrum
est, vt & tua sit inuiolabilis conuersatio. Et quoniam si-
cut in exordio epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium
factam, quod vtique sanctificationem suam etiam aliis
impertit. & quisquis ex eo digne sumpserit, sanctificatio-
nis & ipse sit particeps. Ita ergo per te, quasi per diuinam
hostiam sanctificentur cæteræ, cum quibus te ita in om-
nibus exhibeas, vt quisquis vitam tuam, aut visu, aut au-
ditu contigerit, sanctificationis vim sentiat: & tantum
sibi intelligat gratiæ ex tua conuersatione transfundi, vt
B dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio & ipse sit di-
gnus.

EPISTOLA XV.

DE HIS QVÆ DEO IN SCRIPTVRIS sanctis attribuuntur.

OMnipotēs Deus pater, & filius, & Spiritus sanctus,
vnus atq; trinus: vnus videlicet in natura, trinus in
personis, solus inuisibilis, solus immensus atque incom-
prehensibilis, solus incircunscriptus, solus incorporeus
& immortalis: vbique præsens, sed latens: vbique totus,
sed immensus. Inuisibilis est, quia in essentia sua videri
1 Tim 6. non potest, Apostolo testante, qui ait. *Quem vidit nullus*
Ioan 1. *hominum, sed nec videri potest* Et in Euangelio. *Deum nemo*
vidit vnquam. Incorporeus est, quia nullis membrorum
Ioan 4. lineamentis compositus est, siue compactus existit, sicut
C veritas in Euangelio dicit. *Spiritus est Deus, & qui adorat*
eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Immensus est,
3 Reg 8 quia quantitas eius, vel qualitas à nullo metiri potest. Cui
Salomon in sua oratione supplicans ait. *Si cæli & cæli cæ-*
lorum te non capiunt, quanto magis domus ista quam ædifi-
caui? Incircunscriptus est, quia circunscribi nō potest. Il-
localis est, quia de loco ad locum nequaquam transit, nec
Esa 66. quolibet definitur, ipso de se per Esaiam testimonium
Hier 23. perhibente. *Cælum sedes mea est, terra scabellum pedū meo-*
rum. Et per Hieremiam. *Nunquid non cælum & terram ego*
Psalm 137 *impleo?* Cuius immensitatem propheta in psalmis confi-
Iob 11. tens ait. *Si ascendero in cælum, tu illic es, &c.* De cuius im-
mensitate adhuc in libro Iob scriptum est. Excelsior cæ-
lo est, & quid facies? Profundior est inferno, & vnde a-
gnoscis? Longior est terra: immensitas eius latior est ma-
ri. Qui cælum & terram implet, proculdubio nullus lo-
cus est ab eius præsentia absens. Super omnia quippe est
regendo atque imperando: subtus est omnia sustinendo
atque portando, non pondere laboris, sed infatigabili
D virtute. Immutabilis est, quia ab eo quod est, omnino
mutari non potest, ipso dicente per Malachiam prophe-
Malach. 3. tam. *Ego dominus & non mutor*. Ideo Deus immutabilis
dicitur, quia misericordia, ira, furor, pœnitentia, obliuio,
recordatio, & alia his similia ei non accidunt. Simplex
enim natura est, & immutabilis, & imperturbata, neque
aliud est ipse, & aliud quod habet, sed ipsum est quod
habet, & quod est. Immortalis est, quia mori non potest,
1. Tim. 6. Apostolo dicente *Qui solus immortalitatem habet, & lucē*
habitat inaccessibilē, quem nullus hominū vidit: sed nec vide-
re potest. Vbicunque autem sacra scriptura sparsim per di-
uinos libros in Deo motus animæ, seu humana membra
describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures,
nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vterum, manum
dexteram, sinistram, digitos siue digitum, brachium, alas,
scapulas, posteriora, pedes: item motus animæ, iram, fu-
rorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & his
similia, non carnaliter iuxta historiam à recte intelligen-
tibus sumenda sunt, sicut à Iudæis & plerisque hæreti-
cis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque E
localem opinantur: sed spiritualiter omnia de eo in-
telligenda & contuenda sunt. Si quis enim Deo huma-
na membra, seu motus animæ more humano inesse cre-
dit, proculdubio in corde suo idola fabricat: cum, vt
dictum est, figuraliter in Deo caput legimus, ipsam es-
sentiam diuinitatis eius, quæ omnia præcedit, & cui om-
nia sunt subiecta, intelligere debemus. Capillos vero ca-
pitis eius sanctos Angelos seu vniuersos electos accipi
oportet. De quo quidē sacramento in libro Danielis scri- Dan. 7.
ptum est. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus*
dierum sedit: vestimentum eius, quasi nix candidum, & capil-
li capitis eius, quasi lana munda. Hoc enim significat per
vestimenta candida Dei, quod & per capillos capitis eius,
sanctos videlicet Angelos, & multitudinem sanctorum
dealbatorum. Vel certe ideo capilli eius, lanæ mundæ
comparantur, vt per hoc antiquus dierum credatur esse.
Oculos Deus dicitur habere, pro eo quod omnia videt, &
nihil eum latet. In cuius conspectu, ait Apostolus, nulla F
creatura inuisibilis est. *Omnia enim & nuda aperta sunt* Heb. 4.
oculis eius. Aliter vero oculi, respectus gratiæ eius intelli-
guntur, vt est illud in psalmo. *Oculi domini super iustos, &* Esa. 33.
aures eius in preces eorum. Item domini oculi præcepta
eius, per quæ lumen nobis scientiæ subministrat, mystice
intelliguntur, vt est illud in psalmo: *Præceptum domini lu-* Psalm. 18.
cidum illuminans oculos. Palpebræ domini, occulta & in-
cōprehensibilia iudicia, siue spiritalis in diuinis libris eius
locutio innuitur, de quibus occultis & incomprehensibi-
libus sacramentis atque iudiciis in psalmo legitur. *Palpe-* Psalm. 10.
bræ eius interrogant filios hominum, id est, probant. Aures
dicitur habere dominus propterea quia omnia audit: ni-
hil eum sub silentio latet, de quo in libro Sapientiæ di-
citur. *Auris Zeli audit omnia, & tumultus murmurationum* Sap. 1.
non absconditur. Nares Dei, inspiratio eius in corde fi-
delium, vt est illud in libro Regum. *Ascendit fumus de na-* Reg. 22.
ribus eius, id est, lacrymosa compunctio pœnitentium de
inspiratione eius. Facies Dei, cognitio veritatis, seu co-
gnitio diuinitatis eius ad homines. De qua cognitione
in psalmo scriptum est. *Ostende nobis domine faciem tuam*, G
hoc est, dona nobis cognitionem tuam, quæ cognitio Psal 79.
per filium omnibus hominibus innotuit, ipso dicente
in euangelio. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui vo- Math: 11.
luerit filius reuelare. Aliter vero facies Dei significat in-
uisibilem essentiam diuinitatis filij Dei, de qua ipse do-
minus ad Moysen per ipsum Angelum respondit. *Poste-* Exod. 33.
riora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.
Os vero Dei, filius Dei patris, id est, Christus dominus de
quo Esaias propheta ex Iudæorum persona affatus ait.
Quia os eius ad iracundiam prouocauimus. Aliter vero
os domini, sermo eius, siue visio accipitur. De quo ser-
mone Dei Esaias propheta ait: Os domini loquutum est,
hoc est, verbum filius Dei patris, per quem omnia facta
sunt, de quo in psalmo dicitur. Verbo domini cœli firmati
sunt. Et alibi. Misit verbum suum, & saturauit eos. Et in
Euangelio. In principio erat verbum. Lingua Dei, mysti-
ce significat spiritum sanctum, per quem Deus pater se-
cretum suum manifestauit hominibus. Vnde in psalmo.
Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Labia Dei, Psal. 44.
mystice vtriusque testamenti consonantia intelliguntur, H
de quibus duobus testamentis in Prouerbiis dicitur *Et di-* Prou 16.
uinatio in labiis eius, in iudicio non errauit os eius. Brachium
vel brachia Dei patris, filius eius & spiritus sanctus intel-
ligitur, sicut est illud in Esaia. *Et brachia mea populos iudi-* Isa. 51.
cabunt. Brachium Dei patris singulariter, filius eius accipi-
tur, de quo Hieremias ad ipsum ait. *Et nunc domine Deus,* Hier 32.
qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, &
brachio extento. Ideo autem filius Dei brachium dicitur,
qui creatura electa ab ipso continetur. Dextera Dei pa-
tris, vnigenitus filius accipitur, de qua in psalmo ex per-
sona hominis assumpti dicitur. *Dextera domini fecit virtu-* Psal. 117.
tem, dextera domini exaltauit me. Aliter vero dextera
domini, gloriam & patris æternam beatitudinem signi-
ficat: de quo in psalmo ex persona patris dicitur ad filium.
Sede à dextris meis. Dicitur autem dextera Dei omnis Psal. 109.
electa creatura in cœlo & in terra, sicut per sinistram eius

A intelligitur reproba creatura, id est, dæmones & omnes impij, qui ad leuam positi, æterna supplicia sustinebunt. Esa.66. Manus Dei patris, filius eius accipitur, pro eo quod per ipsum omnia facta sunt, sicut est illud in Esaia. *Omnia hæc manus mea fecit, & per manū domini facta sunt omnia.* Hier.18. Aliter vero manus Dei potestas intelligitur, de qua potestate in libro Hieremiæ dicitur. *Sicut lutū in manu figuli, ita vos* Soph.2. *in manu mea domus Israel.* Item nonnunquam manus domini flagellum accipitur, de cuius percussione in Sophonia propheta scriptum est. *Extendam manum meam super Iudam, & super habitantes Hierusalem, & disperdam de* Iob.19. *loco reliquias Baal,* de qua domini percussione beatus Iob de seipso ait. *Manus domini tetigit me.* Digitus domini singulariter, Spiritus sanctus accipitur, à quo Spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis scripta narratur in monte Sinai. *Ipse* enim scripsit, qui scribenda dictauit, id est, Spiritus sanctus, de quo Spiritu sancto dominus in Euangelio. *Ego in digito Dei eiicio dæmonia*: quod alius Euange- Luc.11. lista aperte declarans ait. *Si ego in spiritu Dei eiicio dæmo-* B *nia.* Sicut enim digitus cum manu vel brachio, manus vero vel brachium cum corpore sunt in natura vnum, ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres quidem sunt in personis, vna vero substantia diuinitatis. Digiti Dei pluraliter, sancti intelliguntur prophetæ, per quos sanctus Spiritus legis ac prophetarum libros, sua inspiratione de- Psal.8. scribit, de quibus in psalmo dicitur. *Videbo cælos tuos, opera digitorū tuorum.* Per cælos enim libros legis & prophetarum, per digitos vero sanctos (vt dictum est) prophetas mystice insinuauit. *Imago* Dei patris inuisibilis, dupliciter intelligitur. Aliter namque est imago Dei patris in filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est, ex substantia sua, & per omnia sibi similem & æqualem genuit. Aliter vero in anima hominis quam non ex se, id est, de substantia sua (sicut plerique hæretici opinati sunt) genuit, sed ex nihilo creauit. Sicut aliter est imago cuiusque regis in filio eius, quem ex semetipso sibi similem genuit, id est, hominem: aliter vero in anulo siue in cera imago est impressa, quæ non est quod ipse, sicut fi- C lius, qui naturaliter hoc est, quod & pater Cor Dei patris, est arcanum eius sapientiæ mysticæ: ex quo Verbum, id est, filium suum impassibiliter sine initio genuit, ipso di- Psal 44. cente. *Eructauit cor meū verbū bonum.* Alas Deus dicitur habere pro eo quod more auis electos suos tanquam pullos sub se colligit, fouet, & ab insidiis diaboli & ma- Psal.16. lorum hominum protegit. Vnde propheta. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Scapulas habere dicitur, quia in- Psal 90. firma membra Ecclesiæ, quasi in scapulis portat, sicut in Psal.109. psalmo dicitur. *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Venter Dei, secreta origo substātiæ eius accipitur. Vnde in psalmo. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Aliter, venter Dei, incomprehensibilia iudicia eius, quæ rimari nequeunt insinuatur mystice. De quo occulto iudicio eius in libro Iob scri- Psalm.38. ptum est. *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit?* Posteriora filij Dei, incarnatio ei⁹ accipitur, de Exod.33. qua posterioritate filius in mōte Sinai ad Moysen per An- D gelū loquens ait. *Posteriora mea videbis, faciem autem meā videre non potes.* Pedes Dei, stabilimentum & virtus eius est, eo quod vbique præsens est, & vniuersa ei subiecta Esa 66. sunt, illo ipso dicente per Esaiam prophetam. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedū meorum.* Aliter, pedes filij Dei incarnatio intelligitur, quæ diuinitati subiecta est, tamquam capiti pedes. Sicut enim per caput diuinitas, ita per pedes eius, humanitas eius exprimitur. De qua Exod.24. in Exodo scriptum est. Viderunt dominum, hoc est, Moyses, Aaron, & Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus populi, *sub pedib. eius, quasi lapis sapphirus, & quasi cælum cum serenum est.* Sicut autem per lapidem saphirū, cælestes naturas vel sanctos Angelos, ita per cælum serenum, sanctam Ecclesiam electorum ex hominibus assumptam figuraliter demonstrare voluit, super quas duas creaturas homo assumptus filius Dei in perpetuum re- Psalm.8. gnat. De quo in psalmo dicitur. *Omnia subiecisti sub pedib. eius.* Aliter autem per Dei pedes, id est, Iesu Christi, signi- Deut 33. ficati sunt sancti prædicatores: de quibus in Deuteronomio scriptū est. *Qui appropinquant pedibus eius, accipiēt de* E *doctrina eius.* Vestimentum filij Dei, aliquando caro eius, quæ à diuinitate est assumpta, in diuinis libris figuraliter accipitur, de quo indumento carnis Esaias ait. *Quis est iste* Esa.63. *qui venit de Edom, tinctis vestib. de Bosra?* Rursus vestimenta eiusdem domini, sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidē & dilectionem ei coniuncta est: de qua dicitur in psalmo. Psalm 92. *Dominus regnauit, decorem induit.* Et in psalmo alio ad Psal.103. ipsum dominum: *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Pallium iam dicta eius Ecclesia in- Gen.49. telligitur: de quo in libro Genesis scriptū est *Lauit in vino stolam suam,* hoc est, in passione carnem suam: *& in sanguine vuæ palliū suum,* id est, Ecclesiam suam. Calceamenta domini nostri Iesu Christi, mystice significant incarnationem eius, quam ex mortalitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse per Psalm.59. prophetā in psalmo ait. *In Idumæam extendam calceamentum meum,* id est, in plebe gentilium manifestabo incarnationem meam. Gressus Dei, aduentus filij Dei in mun- F dum: & regressus ad patrem: de quibus psalmista ait. *Visi* Psal 67. *sunt gressus tui Deus, gressus Dei mei & regis mei,* id est, ip- Sec.Greg. sius de cælo, qui venit in vterum virginis. De vtero vero nascendo positus est in præsepio: postquam omnia impleuit pro quibus à patre missus venerat, appēsus est in ligno crucis: de cruce autem depositus, secundum corpus sepultus est, & secundum animam ad infernum descendit. Tertia autem die per potentiam suæ diuinitatis carnem suam de sepulcro suscitauit. Et post diem resurrectionis, quadragesimo die videntibus Apostolis ascendit in cælum, & sedet ad dexteram patris, id est, ad gloriam eius. Hi sunt enim gressus filij Dei: iste descensus & ascensus eius, qui frequenter in sacris scripturis legitur. Ascendere dicitur Deus, cum filius carnem ex nobis assumptam in cælum velut captiuam euexit, sicut in psalmo illud. Psal 67. *Ascendit in cælum, captiuam duxit captiuitatem*: quia naturam humani generis, quæ à diabolo in mundo captiua retinebatur, assumens secum in cælum, vbi nunquam ante fuerat, tanquam captiuam deportauit. Abscondere fa- G ciem suam Deus legitur, cum hominibus quibusdam, eorum exigentibus culpis, cognitionem suam abscondit, sicut in populo Iudæorum nunc impletum videmus: quia negantes filium Dei, Dei scientiam Iudæi ita perdiderunt, vt similes fierent gentibus quæ Deum non cognouerant. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ quibus vult, scilicet electis suis, se ipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit. Sedere dicitur Deus, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam regnando præsidere, vnde est il- Psal.46. lud in psalmo *Regnabit dominus super omnes gentes: Deus sedet super sanctam sedem suam.* Sedere autem Deus dicitur super cherubim (quod interpretatur plenitudo scientiæ) per quod significantur sancti Angeli, siue mentes spiritualium virorum, in quibus Deus inuisibiliter præsidet & regnat. *In* illis enim sedet, qui scientia eius & dilectione pleni sunt. In prouerbiis quippe Salomonis scriptum Sap 7. est. Anima iusti sedes est sapientiæ. Sapientia vero Dei H patris Christus est, qui in animabus sanctorum Dei sedere dicitur. Descendere Deus in mundum dicitur, quando aliquid nouum, quod ante non fecerat, in creatura humana operatur: sicut filius Dei patris descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria virgine propter redemptionem nostram suscepit, & Deus homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat. De cuius descensione, id est, incarnatio- Psal.17. ne, in psalmo scriptum est *Inclinauit cælos & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Cælos inclinauit, qui aduentum suum prænuncians, Angelus siue prophetas misit, qui aduentum eius hominibus nunciarent. Caligo sub pedibus eius, quia impij homines ob suam malitiam incarnationem eius agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, id est, suam creaturam ad pœnitentiam & conuersionem patienter sustinet, vt est illud in Habacuc propheta. *Stetit & mēsus* Habacuc 3. *est terram, & dissoluit gentes,* id est, stetit ad subueniendū, & dissoluit credentes in se à vinculis peccatorum. Transire

A ire dicitur Deus, cum de cordibus quorundam hominum, in quibus antea per fidem condebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, & ad alios transit: quemadmodum de Iudæis ad gentes, de hæreticis ad Catholicos, seu de quibuslibet irreligiosis & negligentibus pro vitio suo recedere dicitur, & ad alios transire: quod non localiter, aut visibiliter, sed inuisibiliter occulto iustoque iudicio facere consueuit. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere, sed ambulatio eius est in cordib. sanctorum delectatio, sicut scriptum est *Et inhabitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus.* (Leui. 26. 2. Cor. 6.) Vel certe Dei ambulare, est in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locũ transire. Loqui Dei est inuisibiliter sine voce vel quolibet strepitu in mentibus sanctorum voluntatem suam atque rectũ intellectum inspirare, seu futura sicut in sanctis prophetis reuelare. Quæ locutio Dei, vt quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subiectam creaturam: sicut ad Moysen in tubo & igne apparuit. B Vel sicut ad Abraham atque Iacob & cæteros sanctos, quibus in Angelis apparuit. Secundo vero modo in somnis: sicut ad Iacob & ad Zachariã prophetam, & ad Ioseph sponsum Mariæ, & aliis sanctis, quibus secreta reuelare voluit. Tertio autem modo, neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione inuisibiliter corda eorum tangendo afficit, sicut in libris prophetarum scriptum est, cum ipsi prophetæ subito afflati Spiritu sancto, exclamãt dicentes. Hæc dicit dominus. Videre Dei, est bona acta probare, sicut est illud in Genesi. (Gen. 1.) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, id est intelligentibus esse bona demonstrauit. Aliter videre Dei, est mala hominum scienter reprobare, sicut est illud in Esaia propheta. (Esa. 59.) *Et vidit Deus, & apparuit malum in oculis eius.* Item aliter videre Dei, est nos vidẽtes facere, vt est illud in psalmo. (Psal. 138.) *Proba me domine, & scito cor meum.* Modus iste locutionis in libro Iob similiter reperitur, vbi de sapientia C Dei patris post quam plurima insignia locutus est, de Deo patre adiunxit. *Tunc vidit illam & enarrauit, & inuestigauit, & imperauit*, id est, videntes fecit atq; prædicantes, & inuestigantes, atque aliis nunciantes. Cognoscere Dei, est cognoscentes facere, sicut ait ad Abraham. (Gen. 22.) *Nunc cognoui quod timeas Deum.* Neque enim in tẽpore nouit qui scit omnia antequam fiant, sed cognoscere dicitur Deus cognoscentes facere, vt qui prius de se quales essent incogniti erant, per eius interrogationem & probationem quales essent sibimetipsis cogniti fierent: tale est illud in lege Moysi de populo Israelitico. (Exod. 16. Luc. 13.) *Tentabo*, inquit, *eos vtrũ custodiant mandatum meum, an non.* Nescire Dei, est reprobare, sicut in Euangelio dicitur. Nescio vnde sitis, recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Zelare Dei dicitur, cum creaturam suam quam non vult perire sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando adducit ad se. Vel zelare Dei dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus est enim, & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi: quia vt dictum est, nihil impunitum patitur impunitum. Irasci dicitur Deus, non animæ motu, vel quauis alia perturbatione, quæ omnino illi D accidere non potest, sed creaturæ delinquenti, id est, hominibus impiis & peccatoribus, iustam dicitur inferre vltionem, hoc est redere illis quæ merentur, & hæc est vltio diuina, iste furor eius dicitur. Pœnitere Deus dicitur, non quod more hominum de transactis operibus pœniteat: qui enim omnia nouit ante quam fiãt, pro suis præteritis actibus pœnitere non potest: sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius aliter incohatum est, in aliud mutare, id est, de bono, exigentibus culpis, in malum. Sicut de Saule legitur pœnituisse Deum, quod constituit eum regem. Vel sicut nunc videmus in populo Iudæorum, qui cum esset populus Dei, ob impietatem suam factus est synagoga satanæ. De malo vero in bonũ, sicut accidit in populo gentium, qui cum prius non esset populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei factus est. Hoc quippe modo, occulto Dei iudicio, Iudas Christi proditor de Apostolatus lapsus gradu, in inferni barathro demersus est. Latro vero post crimen raE pacitatis de cruce ad paradisum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, vt dictum est, siue de malo ad bonum: quia occulto iustoque Dei iudicio per seueritatem iustitiæ suæ, siue per misericordiam eius fit, pœnitentiã Dei dicimus, sicut expressius in libro Hieremiæ scriptum est. (Hier. 26.) Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare. Vnde est illud in psalmo. (Psal. 109.) *Iurauit dominus & non pœnitebit eum*, id est pater ad filiũ *Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedec.* Sacerdos enim Dei patris dictus est filius Dei, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile sacrificium Deo patri obtulit, vt ipse esset sacerdos qui & sacrificium. Obliuisci dicitur Deus, cum quibusdam impiis & peccatoribus non miseretur: quod vtique non facit propter crudelitatem quæ in Deo non est, sed per occultum iustumque iudicium suum. Indurare dicitur Deus quorundam corda malorum, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est, F non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere, sed exigentibus eorum culpis, cum duritia cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriunt, non aufertur: quasi illos ipse induret, quos iusto iudicio induratos sinit. Dormire Dei, est cum vnigenitus Dei patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est, cuius mors recte dulcis fuisse prædicatur, ipso dicente per Hieremiam prophetam. (Hier. 31.) *Ideo quasi à somno excitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi.* Aliter dormire Deus dicitur, cum fides eius inter prosperitates huius mundi, in quorundam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitationem ipse significauit, cum in mari inter fluctus maris dormiuit. Vel certe dormire Dei, est anxiis tarde subuenire, sicut est illud in psalmo. (Psal. 43.) *Exurge, quare obdormis domine?* Vigilare Dei, est in defensione suorum electorum, & vltione inimicorum suorum manifeste se demonstrare.

EPISTOLA XVI.

DAMASI SYMBOLVM.

G CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christũ Filium Dei, & in Spiritum sanctum: Deum, non tres deos, sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnum Deum colimus & confitemur: non sic vnum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & Filius, sed Patrem esse qui genuit, & Filiũ esse qui genitus sit Spiritum vero sanctum, non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de Patre Filioque procedentem, Patri & Filio coæternum & coæqualem & cooperatorẽ: quia scriptum est. (Psal. 32. Psal. 103.) *Verbo domini cœli firmati sunt*, id est, à Filio Dei: & Spiritu oris eius omnis virtus eorũ. Et alibi. *Emitte spiritũ tuum & creabuntur, & renouabis faciẽ terræ.* Ideoque in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti vnum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, nõ proprietatis. Proprium nomen est patri, pater: & propriũ nomen est filio, filius: & propriũ nomen Spiritui sancto, Spiritus sanctus. H In hac trinitate vnum Deum colimus, quia ex vno Patre quod est, vnius cum Patre naturæ est, vnius substantiæ, & vnius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed natura. Filius vltimo tempore ad nos saluandos, & adimplendas scripturas descendit à Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre Et conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex Virgine, carnẽ & animam & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem, nec amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat, ita tamen vt perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est operatur vt Deus· & qui operatur vt Deus, vt homo moritur: & qui vt homo moritur vt Deus resurgit. Qui deuicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus & passus & mortuus fuerat, & resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit & habet. In huius morte & sanguine credimus emundatos nos, & ab eo resuscitandos die no-

A uiſſimo in hac carne qua nunc viuimus: & habemus ſpem nos conſecuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni ſupplicij. Hæc lege, hæc crede, hæc retine: huic fidei animam tuam ſubiuga, & vitam conſequeris & præmium à Chriſto.

EPISTOLA XVII.

SYMBOLI EXPLANATIO Ad Damaſum.

CRedimus in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum, viſibilium & inuiſibilium conditorem. Credimus in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem creata ſunt omnia: verum Deum vnigenitum, & verum Dei Filium: non factum aut adoptiuum, ſed genitum, & vnius cum patre ſubſtantiæ, quod Græci dicunt *ὁμοούσιον*, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, vt nec B tempore, nec gradu, nec poteſtate poſſit eſſe inferior: tantumque confitemur eſſe illum qui eſt genitus, quantus eſt ille qui genuit. Non autem quia dicimus genitum à patre filium diuina & ineffabili generatione, aliquod ei tempus aſſcribimus: ſed nec Patrem aliquando cœpiſſe, nec Filium. Nec enim aliter confiteri poſſumus æternum Patrem, niſi confiteamur etiam coæternum Filium. Ex filio enim pater dicitur, & qui ſemper pater fuit, ſemper Filium habuit. Credimus & in Spiritum ſanctum, verum Deum, ex patre procedentem, æqualem per omnia patri & filio, voluntate, poteſtate, æternitate, ſubſtantia. Nec eſt prorſus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius ſuperiuſue dici poſſit: ſed tota deitas ſui perfectione æqualis eſt, vt exceptis vocabulis, quæ proprietatem perſonarum indicant, quicquid de vna perſona dicitur, de tribus digniſſime poſſit intelligi. Atque vt confundentes Arium, vnam eandemque dicimus Trinitatis eſſe ſubſtantiam, & vnum in tribus perſonis fatemur Deum, ita impietatem Sabellij declinantes, tres perſonas expreſ- C ſas ſub proprietate diſtinguimus, non ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi Spiritum ſanctum eſſe dicentes: ſed aliam Patris, aliam Filij, aliam Spiritusſancti eſſe perſonam. Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates, id eſt, perſonas veluti Græci exprimunt hypoſtaſes, hoc eſt, ſubſiſtentias confitemur. Nec pater filij, aut Spiritus ſancti perſonam aliquando excludit: nec rurſus filius, aut Spiritus ſanctus, patris nomen perſonamque recipit, ſed Pater ſemper Pater eſt. Filius ſemper Filius eſt, Spiritus ſanctus ſemper Spiritus ſanctus eſt. Itaque ſubſtantia vnum ſunt, perſonis ac nominibus diſtinguuntur. Ipſum autem Dei Filium qui abſque initio æternitatem cum Patre & Spiritu ſancto poſſidet, dicimus in fine ſeculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper Virgine, & Verbum carnem eſſe factum aſſumendo hominem, non permutando deitatem: nec, vt quidam ſceleratiſſime opinantur Spiritum ſanctum dicimus fuiſſe pro ſemine, ſed poten- D tia ac virtute creatoris operatum. Sic autem confitemur in Chriſto vnam filij eſſe perſonam, vt dicamus duas eſſe perfectas atque integras ſubſtantias, id eſt, deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. Atque vt condemnamus Photinum, qui ſolum & nudum in Chriſto hominem confitetur: ita anathematizamus Apollinarem & eius ſimiles, qui dicunt Dei Filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura: & vel in carne, vel in anima, vel in ſenſu aſſumptum hominem, his propter quos aſſumptus eſt, fuiſſe diſſimilem, quem abſque ſola peccati macula, quæ naturalis non eſt nobis confitemur fuiſſe conformem. Illorum quoque ſimiliter execramur blaſphemiam, qui nouo ſenſu aſſerere conantur, à tempore ſuſceptæ carnis omnia quæ erant deitatis in hominē demigraſſe, & rurſum quæ erant humanitatis in Deum eſſe transfuſa, vt quod nulla vnquam hæreſis dicere auſa eſt, videatur hac confuſione vtraque exinanita, ſubſtantia deitatis ſcilicet & humanitatis, & à proprio ſtatu in aliud eſſe mutata, qui tam Deum imperfectum in filio, quam hominem confitentur, vt nec Deum verum, nec hominem tenere credantur. E Nos autem dicimus ſuſceptum ita à Dei Filio paſſibile noſtrum, vt deitas impaſſibilis permaneret. Paſſus eſt enim Dei Filius non putatiue, ſed vere, omnia quæ ſcriptura teſtatur, id eſt, eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cætera huiuſmodi. Secundum illud paſſus eſt, quod pati poterat, id eſt, non ſecundum illam ſubſtantiam quæ aſſumpſit, ſed ſecundum illam quæ aſſumpta eſt. Ipſe enim Dei Filius ſecundum ſuam deitatem impaſſibilis eſt vt pater, incomprehenſibilis vt pater, inuiſibilis vt pater, inconuertibilis vt pater: & quamuis propria perſona filij, id eſt, Dei verbum ſuſcepit paſſibilem hominem, ita tamen eius habitatione ſecundum ſuam ſubſtantiam deitas verbi nihil paſſa eſt, vt tota trinitas, quam impaſſibilem confiteri neceſſe eſt. Mortuus eſt ergo Dei filius ſecundum ſcripturas, iuxta illud quod mori poterat. Reſurrexit tertia die. Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris, manente ea natura carnis, in qua natus & paſſus eſt, in qua etiam reſurrexit. Non enim exinanita eſt humanitatis ſubſtantia, ſed glorificata, & in æternum cum deitate manſura. Accepta ergo à patre omnium poteſtate quæ in cœlo ſunt & in terra, venturus eſt ad iudicium viuorum F & mortuorũ, vt & iuſtos remuneret, & puniat peccatores. Reſurrectionem etiam carnis confitemur & credimus, vt dicamus nos in eadem, in qua nunc ſumus, veritate membrorum eſſe reparandos, qualeſque ſemel poſt reſurrectionem fuerimus affecti, in perpetuum permanſuros. Vnam eſſe vitam ſanctorum omnium, ſed præmia pro labore diuerſa. E cõtrario pro modo delictorum, peccatorum quoque eſſe ſupplica. Baptiſma vnum tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus, aſſerimus eſſe celebrandũ. Hominem ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, per pœnitentiam credimus poſſe ſaluari. Nouum & vetus teſtamentum recipimus in eo librorum numero, quem ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ tradit autoritas. Animas à Deo dari credimus, quas ab ipſo factas dicimus, anathematizantes eos, qui animas quaſi partem diuinæ dicunt eſſe ſubſtantiæ. Eorum quoque condemnamus errorem, qui eas ante peccaſſe, vel in cœlis conuerſatas fuiſſe dicunt, quam in corpora mitterentur. Execramur etiam eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo præceptum eſſe: & G mandata Dei, non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſeruari: vel qui primas nuptias cum Manichæo, aut ſecundas cum Cataphrygis damnant. Anathematizamus etiam illos, qui Dei Filium neceſſitate carnis mentitum eſſe dicunt, & eum propter aſſumptum hominem, non omnia facere potuiſſe quæ voluit. Iouiniani quoque damnamus hæreſim, qui dicit nullam in futuro meritorum eſſe diſtantiam, noſque eas ibi habituros eſſe virtutes, quas hic habere neglexerimus. Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe, quam illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Vterq; enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus hominem ſemper & peccare & non peccare poſſe, vt ſemper nos liberi confiteamur eſſe arbitrij. Hæc fides eſt Papa beatiſſime, quã in Eccleſia Catholica didicimus, quamque ſemper tenuimus & tenemus. In qua ſi minus perite, aut H parum caute aliquid forte poſitum eſt, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & ſedem tenes. Sin autem hæc noſtra confeſſio, Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, ſe imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.

EPISTOLA XVIII.

EXPLANATIO FIDEI AD Cyrillum.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium, viſibilium & inuiſibilium creatorem: & in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium

eius

A eius, natum de substantia Dei patris, quod Græce dicitur *ὁμοούσιον*, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, sicut hæretici dicunt: per quem omnia, visibilia & inuisibilia facta sunt, tam in cœlis quam in terra, qui propter nos homines & nostram salutem incarnatus, homo factus, passus, resurrexit tertia die: ascendit in cœlos: venturus inde iudicare viuos & mortuos: & in Spiritum sanctum, qui de patre procedit proprie, & Deus est verus sicut filius. Hos autem qui dicūt, erat tempus quando non erat Filius natus, & prius quam nasceretur non erat, aut quod ex nihilo factus sit, aut natus sit, aut mutabilem aut conuertibilem Filium Dei dicunt esse, hos anathematizat catholica & apostolica ecclesia, quod fides inuisibilium rerum est, non visibilium. Vnde Ariani Saluatorem videntes in carne, putauerunt eius diuinitatem talem esse qualem & carnem, passibilem, mutabilem, conuertibilem, com-

B prehensibilem, & quasi formidantem, & quasi nescientem omnia, & proficientem ætate & sapientia, & nihil facientem ex se, & subiectum & orantem ad patrem, & gratias agentem, & edentem, & patientem, & lacrymātem, & gemētem, & quiescentem & postremo quæ sunt creaturæ propria, hæc carnis creatæ Saluatoris asscribenda sunt vtiq;, non diuinitati, quia dicitur in scriptura Deus & homo. Quia ergo propter nos & homo dicitur, nō debemus quæ sunt carnis Deo asscribere, & quæ sunt Dei carnis æstimare propria. Siquid igitur minus, aut inæquale, aut impotens dicitur in scriptura, aut subiectum, aut humile, carnis eius est assumptæ. Quia vero natus est de carne, & quia cum hominibus triginta & plus annos conuersatus est, & vere habebat pati, ideo & verus homo propter carnem accipitur, & verus Deus incarnatus est, in carne passus natura passibili non deitatis. Hæc enim quæ pati debuerat caro hominis transgressoris, pro hominibus pati dignatus est Deus per carnem passibilem, vt & diuinitatis eius inenarrandam potentiam in te visi-

C bili prædictam sentiamus, & bonitatis eius diuitias, id est, per passionem remissionem peccatorum credentes in eum consequamur. Quale est igitur malum hoc, vt audeat quis gratiam domini nostri Iesu Christi, quam pro nobis fecit se humilians, vt nos exaltemur, humanis sensibus & voce hæretica, non solum intelligere, insuper etiam periculosis blasphemiis, & ad irritum eam adducere atque vltrò ei aduersari, dicente scriptura. *Scitote*

2 Cor. 8. *enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam diues cum esset propter nos pauper factus est, vt nos eius paupertate diuites existamus?* Absit igitur in filio Dei aliquid plus minusve, aut in loco, aut in tempore, aut in potentia, aut in scientia, aut in æqualitate, aut in subiectione, cum dicitur, hæc vt diuinitati eius, non carni asscribantur. Si enim plus minusve aut tale aliquid inuenitur, excepto hoc, quod genuit Pater Filium, & excepto hoc, quod Filius non à semetipso natus est, sed de Patre natus est proprie,

D non in tempore, sed semper: non aliunde, sed de sua substantia, forte secundum verbum eorum, aut inuidens, aut impotens pater putatur, insuper etiam & temporalis agnoscitur. Et cum aperte hoc vetet scriptura & execretur, quomodo temporalem Deum, quemadmodum gentiles venerantur, ipsi etiam similiter adorant? Nam si temporalis est, nec verus potest esse: & si non verus, nec potens omnia. Et quid iam huic tali Deo credendum

Psal. 80. est, qui erat aliquando quando non erat, & ex nihilo natus est, dicente scriptura. *Si audieris me Israel, non erit in te DEVS recens?* Si ergo Deus recens, non debet verus credi. Si autem sempiternus, quippe hic sempiternus Deus erat, qui loquebatur in omnibus sanctis, & legem dedit Moysi in monte Sina, & omnia potens, & omnia sciens, & Adæ in paradiso visus est, & in prædestinatione carnali futura enuncians ei, & cum Iacob luctatus est: & quemadmodum humana fragilitas capere poterat condescendens infirmitatibus omnium, diuersorum genera approbat, aliis in gloria timoris omnium causa, aliis in humilitate eminentis eius bonitatis agnoscendæ. Si ergo sempiternus filius de patre est genitus, quippe & omnia sciens, & omnia potens, & omnia sal-

E uans, omnia continens, omnia iudicans, creans cum patre semper & Spiritu sancto, accipe igitur quod creatura Deus verus non potest esse, neque creatura creaturam saluare, dicente scriptura. *Et coluerunt & ser-* Rom. 1.
uierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus DEVS in secula. Vides igitur, quod paganitatis est hoc magis, quàm Christianitatis? Et quod non in tempore est natus, sed semper natus erat de patre, dicit Apostolus beatus. *Inuisibilia enim eius à creatura mundi per ea* Ibid.
quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Vides igitur quod CHRISTVS filius Dei est, non temporalis, sed sempiternus? Quod de substantia diuina patris natus est semper, ipse ait Ioan. 3.
Saluator in euangelio. *Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est, quoniam DEVS spiri-* Ibid.
tus est. Et quod verus est Filius Dei, dicit scriptura. *Erat* Ioan. 1.
lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in Ibid.
hunc mundum. Et iterum ipse Euangelista beatus Ioannes: Hic est IESVS CHRISTVS DEVS verus. Et

F quod semper erat, ait ipse. *In principio erat verbum, & verbum erat apud DEVM, & DEVS erat verbū.* Et quod omnipotens est filius omnium creator, ait ipse euangelista beatus *Omnia per ipsum facta sunt.* Si ergo omnia per ipsum facta sunt, visibilia & inuisibilia: quomodo dicit ante passionem Saluator, quod de die & hora nemo nouit, neque angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi Pater? Attendens igitur vides quod propter vtilitatem hominum dixit se nescientem præfinitionem, ne negligentiores efficiantur homines. Nam & humilitatis suæ causa hoc dixit propter carnem passibilem, quia quasi homo hominibus videbatur, & causa vtilitatis omnium tacuit, res quidem gerendas in seculo eis annuncians atque enumerans, diem autem & horam non eis aperiens. Quod ergo pro vtilitate nostra tacuit & se humiliauit, non debemus vltrò ei esse ingrati, & non solum non intelligentes, insuper etiam Iudaico more

G & hominem æstimantes, eiusdem ætatis & ignorantiæ & impotentiæ participem iudicantes quomodo Iudæi. Quod non diuinitas naturaliter patiebatur sed caro, ipse ostendit Iudæis, dicens. *Soluite hoc templum, & in* Ioan. 2.
tribus diebus ego suscitabo illud. Et cui hoc dubium est quod Deus hoc dicebat, id est, filius Dei æternus, verbum viuens patris, & sapientia Dei & virtus Dei æterna & sempiterna, & imago Dei inuisibilis, ab inuisibili natus non factus? Facta autem est caro & plasmata, in qua Deus erat, quam & indutus erat propter inuisibilitatem & impossibilitatem visionis nostræ. Neque enim intrinsecus erat solum, sed extrinsecus & intrinsecus, & in cœlis & in terra, & omnia continens, implensque omnia. Nihil ergo imperfectum in filio Dei, nihil inæquale, nihil impotens: nihil temporale, nihil incognitum, omnia vera, omnia possibilia, omnia ingentia, omnia æ- Matt. 11.
qualia patri, dicente Saluatore. *Nemo nouit filium nisi pater, & nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius*

H *reuelare.* Vides æqualitatem filij ad patrem? Cum ergo patrem nouit filius inenarrandum, & incomprehensum, diem nescit & horam quam ipse fecit? Absit à sensib. nostris hoc. Iterum ipse Saluator dicit. *Da illis pater, vt hono-* Ioan. 5.
rificent filium, sicut honorificant patrem. Æqualis igitur Deo est filius deitate, dicente Apostulo. *Qui cum in forma* Philip. 2.
Dei esset, non rapinam arbitratus est, cum esset æqualis DEO, sed semetipsum exinaniuit formā serui accipiens, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autē crucis. Vides quod vtrunque scriptura non abneget in filio Dei, & quod Dei est virtus omnipotentis, omnia scientis, omnia complentis, omnia continentis, omnia habentis, omnia dantis, iudicantis, saluantis, creantis, & quod creatæ naturæ est, id carnis eius, & patiētis & plorantis, & quasi nesciētis, & quasi nō potentis omnia quasi subiecti, & cætera huic similia? Non ergo debet esse cōfusio rerum, quāuis cōiunctim res mortalis immortali Deo coniuncta est propter nostram salutem, & ita creditur, & post passionem corporis, in quo apparuit in eo etiam permanens in perpetuum, vt & illi qui crucifixerunt eum aspiciant, & impassibilem suis conspectibus eius naturæ diuinæ per

F

A materiam eunspicabilem contueantur, & iudicium visi-
bihter terminetur, & mysteriis secreti scientia reueletur,
& potentiæ eius maiestas & bonitas à cunctis hominibus
cognoscatur. Quid quod & Spiritum sanctum verum
Deum inuenimus in scriptura, & de patre propriè esse, &
cum Patre & Filio semper: sed & regnare, & creare, & v-
bique esse, & saluare, & viuificare, & peccata dimittere, &
omnia implere, & sanctificare, & iudicare, & docere, &
omnia scire, & inhabitare: & quemadmodum filius Dei,
ita & Spiritus sanctus, persona tertia sicut filij & patris?
Tres enim personæ sunt quibus credimus, væré æquales,
diuinæ, vniusque substantiæ, id est, de patre filius, & Spi-
ritus sanctus propriè & verè de patre filioque procedit.
Psalm.32. Primum igitur accipe quod de patre est propriè Spiritus
sanctus, dicente scriptura Verbo Domini cœli firmati
Ioan 14. sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et Saluator
ait, *Cum autem venerit paracletus spiritus veritatis, qui de*
B *patre procedit, ille de meo accipiet, quoniam ipse me glorifi-*
cabit, & veniens annunciabit vobis. Et soluit statim inter-
pretans Dominus, ostendens primum quidem quod per-
sona sit Spiritus sanctus dicens. Ille de meo accipiet. Et
vt ne sicuti seruum aut creaturam, aut patrem putemus,
sed vt monstret patri non imparem, soluit interpretans &
dicit. Ideo autem vobis dixi, quoniam ille de meo acci-
piet: quia omnia quæ patris sunt, mea sunt. Si igitur
ea quæ Patris ea filij sunt, & omnia quæ Filij sunt, ea om-
nia Spiritus sancti sunt, nihil ergo in omnibus deest fi-
lio, quod non attineat ad eius potestatem, nihil quod
non ab eo factum sit, & eius nutu ac moderamine non
regatur.

Cum ergo omnia filius habeat in potestate, in omnibus
nihil ei deest. Horum igitur omnium habet potestatem
& Spiritus sanctus, quorum & filius. Sic enim dicit de
Ioan 16. Spiritu sancto saluator. *Ille iudicabit mundum & conuin-*
cet, & docebit de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De pec-
cato quidem, quod non crediderunt in me: de iustitia autem,
C *quoniam vado ad patrem meum: de iudicio autem, quod*
princeps huius mundi iam iudicatus est. Vides igitur quod
Spiritus sanctus annunciat Filium, & docet de filio: & fi-
lius de patre, & Spiritu sancto: & Spiritus sanctus docet
de patre & de filio? Trinitas igitur quia vera est, inenarrā-
da est, inuisibilis est, omnipotens est, sese prædicat, sese an-
nunciat dignanter omni creaturæ, visibili & inuisibili non
valente dignanter aut narrare, aut mirari, aut compre-
hendere, aut inuestigare, aut quemadmodum est huma-
nis eam sensibus occupare. Constat igitur infirmari ho-
minem, sanctæ venerandæque trinitatis inenarranda glo-
ria, maiestate, aut potētia Huius igitur vim trinitatis nar-
ratio gloriæ si excedit, quāto magis frustrabūtur, qui au-
dent inter Patrē & Filium & Spiritum sanctum, aut lo-
cum, aut tempus, aut aliquam causam humanam ponere:
qui non solum quid sit Deus non intellexerunt, sed nec
etiā quid sit homo attendere potuerūt? Nihil ergo in tri-
D nitate subitaneum, nihil nuperrimum, nihil tēporale, ni-
hil impotēs, nihil minus, nihil inæquale: Trinitas venerā-
da, deprecanda trinitas inenarranda, inuestiganda, incō-
Heb 1. prehēdenda. Et quod inuisibilium rerum fides est, nobis
dicit Apostolus. *Est autem fides sperandarum substantia re-*
Ioan 1. *rum inuisibilium examinatrix*. In hac enim testimonium
Ioan 3 meruerunt seniores. Et iterum in euangelio. *DEVM nemo*
Act 5 *vidit vnquam*. Et iterum. *Spiritus vbi vult spirat, & vocē*
eius audis, sed nescis vnde veniat, & quo vadat. Quod Deus
est spiritus dicit Beatus Petrus Apostolus. *Vt quid mētitus*
Psalm 138. *es Spiritui sancto Anania? Non es mentitus hominibus, sed*
Deo. Non dixit Patri & Filio, sed Spiritui sancto. Vides
igitur quod Deus est Spiritus sanctus. Et quod vbique est,
Sap 1. dicit sanctus propheta. *Quo fugiam à spiritu tuo Domine?*
Act 13. *aut à facie tua quo vadam?* Et quod omnia complet spiritus
& 15. sicut Filius, ait propheta. *Spiritus Domini repleuit orbem*
terrarum Et ita in actis apostolorū. Hæc dicit spiritus iu-
bens *Separate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod*
Osee 8 *vocaui eos*. Et iterum Apostoli. *Placuit Spiritui sancto, &*
& 14 *nobis*. Et in Osee dicit Deus in Iudæos. *Regnauerunt non*
per me, neque per Spiritū meum. Et in prophetis ita Domi-
nus. *Israel concitauit spiritū Domini*. Et quod habitet in ho-
mine Spiritus sanctus quomodo filius, dicit Apostolus. 1. Cor. 6.
Quoniam membra vestra templum sunt Spiritui sancti, qui 1. Cor. 12.
habitat in vobis. Et iterum. *Nescitis quoniam tēplum Dei*
estis, & spiritus Dei habitat in vobis: Et quod omnia noue-
rit spiritus, dicit sanctus Apostolus ita. *Alij datur per spi-*
ritum verbum sapientiæ, alij verbum scientiæ in eo spiritu, a-
lij fides, alij linguarum genera, alij interpretationes in eo spi-
ritu, alij gubernatio. Hæc autem omnia operatur vnus atque
idem spiritus, diuidens singulis sicut vult. Non dixit, sicut
iubetur, sed sicut vult, ostendens non creaturam, sed verū
Deum spiritum de Deo esse, & omnia posse sicut filium.
Vnde ait statim Apostolus. *Quemadmodum nemo nouit ho-* Ibid.
minum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in eo:
sic & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus qui de Deo est.
Spiritus enim Dei perscrutatur etiam alta Dei. Vides, quē-
admodum omnia scientem Spiritum sanctum, & omnia
potentem, vbique esse & omnia creasse & omnia saluare,
sancta nobis scriptura annunciat. Vnde & Saluator in e- F
uangelio, blasphemiam Spiritus sancti, neque hic neque Mat. 3.
in futuro hominibus statuit dimittendam, dicens. *Ideo dico* Luc. 12.
vobis. quod omnis blasphemia, & omne peccatum dimittetur
hominibus: blasphemia autem spiritus sancti, neque hic, neque
in futuro hominibus dimittetur: non vtique blasphemiam
dicebant aliam Spiritus sancti Iudæi, nisi hoc quod Deus
non erat, aut de Deo propriè non est. Nam inuenimus
quoniam Iudæi non audent denegare spiritum: sed in scri-
pturis sicubi legentes, aut creaturam accipiunt, sicut an-
gelum: aut ipsum patrem existimant, & tertiam personam
accipiunt: aut cōpositum arbitrantur Deum patrem, cum
sit propriæ naturæ spiritus pater. Ex his etiam spiritū al-
terum putant eum consistere, & verbo, cum sit hoc magis
rei composititiæ & crealis, quam veræ diuinæ, incorpo-
reæ, simplicisque. Solet à Iudæis hoc sic intelligi, & à pa-
ganis interdum. Nobis igitur vnus Pater, & vnus Filius e-
ius verus Deus, & vnus Spiritus sanctus verus Deus, &
hi tres vnum sunt, vna diuinitas & potentia & regnum.
Sunt autem tres personæ: non duæ, non vna, non secun-
dum reuelationem, aut collectionem, aut confusionem,
sed semper manentibus personis diuinis. Harum fides da-
tur in baptismo, ab his & remissio datur peccanti, & vita G
æterna sine aliqua dubitatione speratur. Huic Trinitati
credentes verè sancti & beati Patriarchæ, Prophetæ, A-
postoli, Martyres, & martyrij gloriam meruerunt, & spem
vitæ perennis adepti sunt, & regnūm cœlorum hæredi-
tatione non ambigua sortiti sunt.

EPISTOLA XIX.

SYMBOLVM RVFFINI AD LAVRENTIUM Episcopum.

MIhi quidem fidelissime papa Laurenti ad scriben-
dum animus tam non est cupidus quam nec ido-
neus, scienti non esse absque periculo, multorum iudi-
cus ingenium tenue & exile committere.

Sed quoniam, vt cum venia tui dixerim, id temerè H
in epistola tua per Christi me sacramenta, quæ à nobis
maxima cum reuerentia suscipiuntur astringis, vt ali-
quid tibi de fide secundum symboli traditionemque
componam? quamuis supra vires nostras sit pondus
præcepti (non enim me latet illa sententia sapientum,
quæ probè admodum dicit, quia de Deo etiam
vera dicere periculosum est) tamen si petitionis à
te impositæ necessitatem orationibus iuues, dicere
aliqua obedientiæ magis reuerentia, quam ingenij
præsumptione tentabimus: quæ quidem non tam
perfectorum exercitiis digna videantur, quam quæ
ad paruulorum in CHRISTO & incipientium blren-
tur auditum. Equidem comperi nonnullos illustrium
tractatorum aliqua de his piè & breuiter edidisse. Fo-
tinum vero hæreticum scio eatenus scripsisse, non vt
rationem dictorum audiētibus explanaret, sed vt simpli-
citer fideliterque dicta, ad argumentū sui dogmatis tra-
heret, cū in his verbis sanctus Spiritus prouiderit, nil ambi-

A Rom. 9. guum, nil obscurum, nil à reliquis dissonans poni: quia in his vere completur prophetia quæ dicit. *Verbum enim consummans & breuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram* Nos ergo simplicitatem Act. 2. suam: vel verbis apostolicis reddere & signare tentabimus: vel quæ omissa videntur à prioribus, adimplere. Sed vt manifestius fiat argumentum verbi huius, vt diximus, breuiati, causam qua hac traditio ecclesiis data est, ab origine repetemus. Tradunt maiores nostri, quod post ascensionem Domini, cum per aduentum Spiritus sancti, supra singulos quosque apostolos igneæ linguæ sedissent, vt loquelis diuersis variisque loquerentur, per quod eis nulla gens extranea, nulla linguæ barbaries inaccessa videretur & inuia: præceptum eis à Domino datum hoc, ad prædicandum Dei verbum ad singulas quemque proficisci nationes. Discessuri itaque ab inuicem, normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alij alio adducti, diuersum aliquid his B qui ad fidem Christi inuitabantur, exponerent. Omnes igitur in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ sibi, vt diximus, prædicationis iudicium, in vnum conferendo quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis ex causis appellari noluerunt. Symbolum enim græce & indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt apostoli, in his sermonibus in vnum conferendo, quod vnusquisque sensit. Indicium 1. Cor. 11. autem vel signum idcirco dicitur: quia in illo tempore, Act. 15. sicut Paulus Apostolus dicit, & in Actibus apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Iudæis simulabant se esse apostolos Christi, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco istud indicium posuerunt, per quod agnosceretur is qui Christum vere secundum apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obser-C uari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi: ne qua doli surreptio fiat, symbola distincta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latine signa vel indicia nuncupantur, vt si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat si sit hostis vel socius. Idcirco denique hæc non scribi chartulis aut membranis, sed retineri credentium cordibus tradiderunt, vt certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex aposto-Gen. 11. lorum traditione didicisse. Discessuri igitur vt diximus ad prædicandum, istud vnanimitatis & fidei suæ apostoli indicium posuere, non sicut filij Noë discessuri ab alterutrum turrim ex latere cocto & bitumine construentes, cuius cacumen vsque ad cœlum pertingeret: sed monumenta fidei, quæ starent aduersus faciem inimici, è lapidibus viuis & margaritis dominicis ædificantes: quam neque venti impellerent, neque fulmina subruerent, neque tempestatum ac procellarum turbines permoue-D rent. Meritò igitur illi ab inuicem separandi, turrim superbiæ ædificantes, linguarum confusione damnati sunt, ne vnusquisque posset aduertere proximi sui loquelam. Isti verò qui turrim fidei construebant, omnium linguarum scientia & agnitione donati sunt, vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium. Sed iam vobis etiam de ipsis aliquid tractandum est margaritis, in quibus primo in loco fons & origo omnium ponitur, cum dicitur. *Credo in Deum patrem omnipotentem*. Verùm prius quam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto, quod in diuersis ecclesiis aliqua in his verbis inueniuntur adiecta. In ecclesia tamen vrbis Romæ hoc non deprehendimr factum: quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordium: & mos inibi seruatur antiquus, eos qui gratiam baptismi susceperint sunt, publice, id est, fidelium populo audiente, symbolum reddere: & vtique adiectionem huius saltem sermonis eorum qui præcesserunt in fide non admittit auditum. In cæteris autem locis, quantum intel- E ligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ nouellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem sequimur, quem in Aquileiensi ecclesia lauacri gratia suscepimus. Credo igitur primò omnium ponitur, sicut Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit. *Credere* enim primò omnium Heb. 11. *accedentem ad Deum oportet, quia est: & credentib. remunerator sit.* Sed & propheta dicit: *Nisi credideritis non intelli-* Esa. 7. *getis* Vt ergo intelligentiæ tibi aditus patescat, rectè primo omnium te credere profiteris: quia nec mare quis ingreditur, & liquido ac profundo sese committit elemento, nisi se prius credat posse saluari: nec agicola semina sulcis obruit & fruges spargit in terram: nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque solis teporem, quibus terra consota, segetes multiplicata fruge producat, ac ventis spirantibus nutriat! Nihil denique est quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid igitur mirum, si accedentes ad Deum credere nos primo F omnium profitemur, cum sine hoc ne ipsa exigi possit vita communis. Hæc autem idcirco in principiis præmisimus, quia pagani nobis obiicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat: & ideo ostendimus, nec agi, nec stare aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi. Denique & matrimonia contrahuntur, quia creditur successura posteritas: & pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina: & imperij insignia vnus suscipit, dum credit sibi populos & vrbes & armatum etiam exercitum pariturum. Quod si hæc singula, nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur? Sed videamus, quid iam breuialis hic sermo symboli proponat. *Credo*, inquit, *DEVM Patrem omnipotentem*. Orientales ecclesiæ omnes pene ita tradunt, *Credo in vnum DEVM Patrem omnipotentē*. Et rursum in sequenti sermone, vbi nos dicimus: *Et in CHRISTVM IESVM vnicum Filiū eius DOMINVM nostrū*: G illi tradunt. *Et in vnū DOMINVM nostrū IESVM CHRISTVM vnicum Filium eius*, vnum scilicet Deum & vnum Dominum, secundum autoritatem Pauli Apostoli profitentes. Sed de hoc in sequentibus locis repetemus: nunc 1 Cor. 8 interim quod ait, in Deum patrem omnipotentem, videamus. Deus secundum quod opinari potest humana mens, naturæ ipsius vel substantiæ, quæ est super omnia, appellatio est. Pater arcani & ineffabilis sacramenti vocabulum est. Deum cum audis, substantiam intellige sine initio, sine fine, simplicem, sine vlla admistione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, in quo nihil adiunctum, nihil creatum sit. Sine autore est cum ille, qui est omnino omnium autor. Patrem cum audis, filij intellige patrem, qui filius supradictæ sit imago substantiæ. Sicut enim nemo dicitur Dominus, nisi habeat vel possessionem, vel seruum cui dominetur, & sicut nemo magister dicitur, nisi discipulum habeat: ita & pater nullo pacto quis dici potest, nisi filium habens. H Hoc igitur ipso nomine quo Deus pater appellatur, cum patre pariter subsistere etiam filius demonstratur. Quomodo autem Deus pater genuerit filium, nolo discutias, nec te curiosius ingeras in profundo arcani, ne forte dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum, qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectum. Aut si putas in hoc omni indagationis genere vtendum, prius tibi propone quæ nostra sunt: quæ si consequenter valueris expedire, tunc à terrestribus ad cœlestia, & à visibilibus ad inuisibilia properato. Expedi primò si potes, quomodo mens, quæ intra te est, generet verbum, & qui sit in ea memoriæ spiritus: quomodo hæc cum diuersa sint rebus & actibus: vnum tamen sint vel substantia vel natura, & cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separentur. Et si hæc, quamuis in nobis, & animæ nostræ substantia habeantur: tamen tanto nobis occulta videntur, quanto aspectui corporeo inuisibilia. De apertioribus requiramus. Fons quomodo ex se generat fluuium,

A quo aotera spiritu rapidus fertur in fluentum. Quid est quod dum vnum & inseparabile sit fluuius & fons: nec fluuius fons, nec fons fluuius intelligi aut appellari potest: & tamen qui viderit fluuium, videt & fontem. Exerce te prius in horum explanatione, & discute si potes quæ habentur in manibus, & tunc ad horum sublimiora venies. Nec putes quod te statim de terra ascendere suadeam super cœlos, sed prius te si placet ad istud firmamentum, quod oculis videtur educam, & ibi si potes naturam huius visibilis luminis discute, quomodo ignis iste cœlestis generet ex semetipso splendorem lucis: quomodo etiam producat vaporem, & cum tria sint in rebus, vnum tamen sunt in substantia. Quod & si hæc singula inuestigare potueris, scito adhuc diuinæ generationis mysterium tanto esse differentius & eminentius, quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere suo præstantior, quanto ille qui semper est, eo qui ex B nihilo cœpit esse, nobilior est. Credendus est ergo Deus esse pater vnici filij sui Domini nostri, non discutiendus. Neque enim fas est seruo de natalibus Domini disputare. Contestatus est pater de cœlis, dicens. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Pater ipsum dicit esse filium suum, & ipsum audiri iubet. Filius dicit. *Qui videt me, videt me, videt & patrem meũ. Ego & pater vnum sumus: & ego ab eo exiui, & veni in hunc mundum.* Quis est qui inter has patris & filij voces medius se discussor interserat, & deitatem diuidat, affectum separet, substantiam rumpat, spiritum secet, neget esse verum, quod veritas dicit? Est ergo Deus pater verus, tanquam veritatis pater non extrinsecus creans, sed ex eo quod ipse est filium generans, id est, quia sapiens sapiẽtiam: quia iustus iustitiam, quia sempiternus sempiternum, quia immortalis immortalem, quia inuisibilis inuisibilem, quia lux splendorem, quia mens verbum. Quod autem diximus, Orientis ecclesias tradere vnum verum C Deum patrem omnipotentem, & vnum Dominum: hoc non intelligendum est vnum numero dici, sed vniuersitate. Verbi gratia. Si quis dicat vnum hominem, aut vnum equum, hic vnum pro numero posuit: potest enim & alius homo esse & tertius, vel equus. Vbi autem alius vel tertius non potest iungi, vnus si dicatur non vnitatis, sed vniuersitatis est nomen. Vt si, exempli causa, dicamus vnum solem: hic vnus ita dicitur, vt vel alius, vel tertius addi non possit: vnus est enim sol. Multo magis ergo Deus cum vnus dicitur, vnus non numeri, sed vniuersitatis vocabulo nuncupatur, id est, qui propterea vnus dicitur, quod alius non sit. Similiter & de Domino accipiendum est, quod vnus sit Dominus IESVS CHRISTVS, per quem Deus pater dominatum omnium tenet. Vnde & sequens sermo omnipotentem pronunciat Deum. Omnipotens autem ab eo dicitur, quod omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, sicut & Apostolus dicit: quia *per ipsum creata sunt omnia visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates.* Et iterum D ad Hebræos scribens dicit. *Quia per ipsum secula instituit, & ipsum constituit hæredem vniuersorum.* Quod si per ipsum secula instituit pater, & per ipsum creata sunt omnia, & ipse est hæres omnium, per ipsum ergo & potentatum omnium tenet. Quia sicut lux de luce, & veritas de veritate, ita de omnipotente omnipotens natus est, vt in Apocalypsi Ioannis scriptum est. *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes Sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEVS sabaoth, qui erat, & qui est, & qui venturus est omnipotens.* Omnipotens ergo dicitur, qui venturus est: & quis est alius qui venturus est, nisi Christus filius Dei? His additur inuisibilem & impassibilem. Sciendum quod duo isti sermones in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habentur. Constat autem apud nos additos, hæreseos causa Sabellij illius profectò, quæ à nostris Patripassiana appellatur, id est, quæ & patrem ipsum, vel ex virgine natum dicit, & visibilem factum esse vel passum affirmat in carne. Vt ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur hæc addidisse maiores, & inuisibilem patrem atque impassibilem dixisse. Constat

Matt.17. Luc 9. Ioan 8. Rom.10. Coloss.1. eb.1. Apocal.4

E enim filium, non patrem incarnatum, & ex carne natũ: & ex natiuitate carnis, filium visibilem & passibilem factũ. Quantum autem spectat ad illam deitatis immortalem substantiam, quæ vna ei eademque cum patre est: ibi neque pater, neque filius, neque Spiritus sanctus visibilis, aut passibilis creditur. Secundum dignationem verò carnis assumptæ, filius visus & passus est in carne. Quod & propheta prædixerat, vbi ait. *Hic Deus noster non reputabitur alter ad eum, qui inuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: post hæc in terris visus est, & inter homines conuersatus est.* Sequitur post hoc. *Et in IESVM CHRISTVM, vnicum filium eius Dominum nostrum.* Iesus Hebræi vocabuli est nomen, quod apud nos Saluator dicitur. Christus à Chrismate, id est, ab vnctione appellatur. Legimus enim in libris Moysi, quod Auses Nauæ filius, cum electus esset dux populi, commutato nomine de Ause Iesus cognominatus sit, F quo scilicet ostenderetur hoc esse nomen, quod principibus & ducibus conueniret, his dumtaxat qui salutem sequentibus se populis darent. Itaque & ille Iesus appellatus est, qui eductum de terra Ægypti populum, & de erroribus eremi liberatum in terram repromissionis induxit. Et hic Iesus, qui populum de ignorantiæ tenebris eductum, & de mundi erroribus reuocatum, introduxit ad regna cœlorum. Christus quoque vel pontificale vel regium nomen est. Nam prius & pontifices vnguento chrismatis consecrabantur & reges. Sed illi veluti mortales & corruptibiles, vnguento materiæ corruptibilis vngebantur: hic verò Sancto spiritu perunctus Christus efficitur, sicut scriptura de eo dicit. *Quem vnxit pater spiritu sancto misso de cœlis.* Et Esaias præfigurauerat, dicens ex persona filij. *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare misit me pauperibus.* Quia ergo ostendimus quid sit Iesus qui populum saluet, & quid G sit CHRISTVS, qui pontifex factus sit in æternum, nunc ex consequentibus, de quo dicantur ista videamus. *Vnicum filium* inquit, *eius Dominum nostrum.* Post hoc docet nos quia Iesus iste, de quo diximus, & Christus de quo exposuimus, vnicus filius Dei & noster Dominus sit, ne fortè putes quod humana ista vocabula, terrenum te aliquid doceant, ideo subiungit. Vnicum hunc esse filium Dei Dominum nostrum. Vnus enim de vno nascitur: quia & splendor vnius est lucis, & vnum est verbum cordis: nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in diuisionẽ cadit, vbi qui nascitur nequaquã à generante separatur. Vnicus est vt menti sensus, vt cordi verbum, vt forti virtus, vt sapientia sapienti. Nam sicut solus sapiens pater ab Apostolo dicitur: ita & solus filius sapientia nominatur. Vnicus ergo filius est: & cum sit gloria, sempiternitate, virtute, regno, potestate hoc quod pater est: omnia tamen hæc non sine autore sunt patre: sed ex patre tanquam filius habet: cumque sit ipse omnium caput, ipsius tamen caput pater est. Sic enim scriptum est. Quia *caput Christi Deus est.* Filium sanè cum audis, nolo generationem carnalis natiuitatis assumas, sed memento hoc de incorporea dici substantia & naturæ simplicis. Si enim, vt supra iam diximus, vel id eo quod cor H generat verbum, vel mens sensum, vel lux ex se parit splendorem, nihil horum requiritur, nec vlla in tali generatione fragilitas cogitatur: quanto purius & sacratius de horum omnium creatore censendum est? Sed fortasse dicas, ista quam memoras in substantia est generatio: neque enim lux substantiuum facit splendorem, aut cor substantiuum generat verbum: filius autem Dei substantialiter asseritur generatus.

Ad hæc primò omnium illud dicimus, cum etiam in cæteris proferantur exempla, non per omnia tamen similitudinem seruare possunt rei illius, cui præbere putantur exemplum: sed vnius alicuius partis pro qua videntur assumpta, similitudinem tenent, Verbi gratia, vt cum in euangelio dicitur. *Simile est regnum cœlorum fermento quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus.* Nunquid nam putabimus regnum cœlorum per omnia simile esse fermento, vt substantia illa ita palpabilis sit ac fragilis,

Baruch.3. Act.10. Esa.61. 1.Cor.11. Matt.13.

A fragilis, vt & acida fieri possit & corrupta? Sed ad hoc solum exemplum istud videtur assumi, vt ostenderetur ex parua prædicatione verbi Dei humanas mentes fidei fer-
ibid. mento posse coalescere. Similiter & cum dicitur. *Simile est regnum cælorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium abstrahit.* Et in hoc nunquid putandum est, quod naturæ lini quo rete operantur, ac nodis quibus maculæ nectuntur, regni cœlorum substantia per omnia conferatur? Sed ad hoc solum videtur assumpta comparatio, vt ostenderetur: quia sicut rete de profundo maris pisces adducit ad litus, ita de profundo seculi huius errore, humanæ animæ regni cœlorum prædicatione liberantur. Ex quibus constant exempla non in omnibus his, quorum exempla sunt, esse similia: alioqui si eadem essent omnia, iam non exempla dicerentur, sed ipsæ potius res, de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum est, quod nulla creatura
B talis esse potest, qualis creator eius: & ideo sicut sine exemplo est diuina substantia, ita & sine exemplo est diuinitas. Tum etiam illud addimus, quia omnis creatura ex nihilo est. Si ergo in substantia scintilla, quæ ignis est, ex se creaturam quæ ex nihilo facta est gignit, & conditionem in hoc seruat originis suæ, cur illius æternæ lucis substantia, quæ semper fuit, quia insubstantiuum in se nihil habuit, insubstantiuum ex se splendorem proferre non potuit? Et ideo rectè vnicus dicitur filius. Vnicus enim & solus est, qui ita natus est, nec comparationem aliquam potest habere quod vnicum est: nec similitudinem in substantia cum facturis habere potest ille, qui factor est omnium. Hic est ergo Christus Iesus vnicus Dei, qui est & Dominus noster. Vnicus & ad filium referri & ad Dominum potest. Vnicus est enim & vere filius, & vnus Dominus Iesus Christus. Cæteri quippe filij, licet filij dicantur, adoptionis tamen gratia dicuntur, non veritate naturæ. Et si dicuntur alij Domini, concessa tamen non ingenita potestate dicuntur. Hic verò solus est vnicus filius, & solus vnicus Dominus: si-
1. Cor. 8.
C cut & Apostolus ait, *Et vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia.* Ideo postea quàm propositus ordo fidei ineffabile sacramentum filij de natiuitate patris exposuit, nunc ad humanæ salutis dignationem dispensationemque descendit: & hunc quem supra dixit vnicum filium Dei, & Dominum nostrum, nunc dicit. *Qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine.* Hæc enim inter homines dispensationis natiuitas est, illa diuinæ substantiæ: hæc dignationis est, illa naturæ. De Spiritu sancto ex virgine nascitur: & iam in hoc loco mundior auditus requiritur & purior sensus. Hunc enim quem dudum de patre natum ineffabiliter didicisti, huic à Spiritu sancto templum fabricatum intra secreta vteri virginalis intellige: & sicut in sanctificatione Sancti spiritus nulla sentienda est fragilitas, ita & in partu virginis nulla intelligenda est corruptio. Nouus enim huic seculo datus est hic partus, nec immerito. Qui enim in cælis vnicus filius est, consequenter & in terra vnicus est,
Esa. 7. & vnice nascitur. Nota sunt omnibus & in euangelijs
D decantata de hoc scripta prophetarũ, quæ dicunt, Quod *virgo concipiet, & pariet filium.* Sed & partus ipsius mirabilem modum Ezechiel propheta ante formauerat Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam scilicet Dominus ingressus est mundum. Dicit ergo hoc
Ezech. 44. modo. *Porta autem quæ respicit ad Orientem clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam, & clausa erit.* Quid tam euidens de conseruatione virginis dici poterat? Clausa fuit ea virginitatis porta, per ipsam in hunc mundum de vtero virginis processit, & in æternum porta virginis clausa, seruata virginitate permansit. Igitur Sanctus spiritus refertur dominicæ carnis, & templi eius creator. Incipe iam hinc intelligere etiam Spiritus sancti maiestatem. Contestatur enim & euangelicus sermo de ipso, quod cum loquenti angelo ad virgi-
Matt. 1. nem & dicenti. Quia *paries filium, & vocabis nomen eius IESVM:* hic enim saluum faciet populum à peccatis suis, illam respondisse. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non*

cognosco? & dixerit angelus ei: Spiritus sanctus veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & ideo quod E
nascetur ex te sanctum, vocabitur filius DEI. Vide ergo cooperantem sibi inuicem trinitatem. Spiritus sanctus venire dicitur super virginem, & virtus altissimi obumbrare ei. Quæ est autem virtus altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus & Dei sapientia? Cuius autem hæc virtus est? Altissimi inquit. Adest ergo altissimus, adest & virtus altissimi, adest & Spiritus sanctus. Hæc est trinitas vbique latens, & vbique apparens, vocabulis personisque discreta, inseparabilis verò substantia deitatis: & quamuis solus filius nascatur ex virgine, adest tamen & altissimus: adest & Spiritus sanctus, vt & conceptus virginis sanctificetur & partus. Verum hæc quia ex scripturis propheticis asseruntur, possunt forte Iudæos, quamuis sint infideles & increduli, confutare. Sed pagani solent irridere nos, cum audiunt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis eorum ob- F
trectationibus respondendum est. Omnis partus ex tribus (vt opinor) constat, si adultæ ætatis sit femina, si virum adeat, si non sit illius vulua vitio sterilitatis occlusa. Ex his tribus in hoc partu quem prædicamus vnum defuit, vir scilicet: & hanc partem (quia qui nascebatur non erat terrenus homo, sed cœlestis) per spiritum cœlestem dicimus salua virginis incorruptione completam. Et tamen quid mirum videtur, si virgo concepit, cum Orientis autē quem Phœnicem vocant, in tantum sine coniuge nasci vel renasci constet, vt semper vna sit, & semper sibiipsi nascendo, vel renascendo succedat? Apes certe nescire cōiugia nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est. Sed & alia non nulla deprehenduntur sub huiuscemodi sorte nascendi. Hoc ergo incredibile videbitur diuina virtute ad totius mundi reintegrationem factum, cuius exempla etiam in animalium natiuitate cernuntur? Et tamen mirandum est cur hoc gentilibus impossibile videatur, qui credunt Mineruam suam de cerebro Iouis natam. Quid ad credendum
difficilius, aut quid magis contra naturam est? Hic femina est, hic naturæ ordo seruatur, hic conceptus, hic partus temporibus suis editur: ibi nusquam femineus sexus, sed vir solus & partus. Qui illa credit, cur ista miratur? Sed & Liberum patrem dicunt de fœmore eius natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque, quam Aphroditen vocant, de spuma maris, sicut & omnis eius compositio ostendit, credunt esse progenitam. De ouo natum Castorem Pollucemque confirmant: & ex formica Myrmidones: & alia mille sunt, quæ quamuis contra naturam rerum venientia, ipsis tamen sunt visa credibilia, vt Deucalionis & Pyrrhæ lapides iactos, & hominum ex his segetem natam. Et cum hæc tot & talia figmenta crediderint, vnum eis impossibile videtur, quòd adolescens femina diuinum germen, non hominis vitio, sed Deo spirante conceperit. Qui vtique si ad credendum difficiles sunt, illis tot & tam turpibus monstris fidem nequaquam commodare debuerant. Si verò faciles sunt ad creden- H
dum, multo promptius hæc nostra tam honesta & tam sancta recipere, quam illa tam indigna & tam fœda credere debuissent. Sed dicunt fortassis, quia possibile si fuerat DEO vt virgo conciperet, possibile etiam fuerat vt pareret: sed indignum eis videri, vt tanta illa maiestas per genitales fœminæ transiret egressus: vbi quamuis nulla fuerit ex viri commistione contagio, fuit tamen ipsius puerperij obscœnæ attrectationis iniuria. Pro quo paulisper eis secundum sensum suum respondeamus. Si quis videat paruulum in profundo cœni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremum (vt ita dixerim) ingrediatur cœnum, vt paruulum liberet morientem, pollutusne à te accusabitur hic vir, qui paululum calcauerit luti, an vt misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed hæc etiam de communi homine dicta sint. Redeamus nunc ad naturam eius qui natus est. Quantum putas natura solis illo inferior est? quantum creatura sine dubio creatore. Intuere nunc, si solis radius in cœni alicuius voraginem

A demittatur, nunquid nam aliquid inde pollutionis acquirit? aut obscœnorum illustrano, solis ducitur in iniuriam? Ignis quoque quanto natura est inferior his de quibus sermo est, & nulla materia, vel obscœna, vel turpis adhibita ei, ignem polluisse creditur? Cum hæc ita esse in rebus materialibus constet, tu in illa superemioenti & incorporea natura, quæ super omnem ignem, & super omne lumen est, pollutionis aliquid putas ac obscœnitatis incidere? Tunc deinde etiam ad illud aduerte. Nos hominem à Deo creatum de terræ limo dicimus. Quod si obscœnitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscœna transierit, cũ non possis dicere, cur obscœna cõdiderit. Et à deo obscœna hæc esse, non natura, sed obseruatia docuit. Cæterum omnia quæ sunt in corpore, ex vno eodemque luto formata, vsibus tantum & officiis natu-
B ralibus distinguuntur. Sed ne illud quidem absolutione vacare huius quæstionis omittamus, quod substantia Dei quæ omnino est incorporea inseri corporibus vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua sit media substantia spiritualis, quæ capax diuini spiritus possit esse. Verbi gratia, vt si dicamus, lux omnia quidem membra corporis illustrare potest, à nullo tamen eorum nisi à solo oculo capi potest. Solus est enim oculus qui capax est lucis. Et filius ergo Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed in anima inter carnem Deumque media generatur. Anima ergo media & in secreta rationabilis spiritus arce verbum Dei capiente, absque vlla quam suspicaris iniuria DEVS est natus ex virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, vbi sanctificatio spiritus inerat: & anima quæ erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi ducas impossibile, vbi aderat virtus altissimi.
C Nihil de humana fragilitate cogites, vbi plenitudo inerat diuinitatis. *Crucifixus sub Pontio Pilato, & sepultus: de-* Ephes 1. Ephes 3. *scendit ad inferna.* Docet Apostolus Paulus illuminatos esse debere oculos cordis nostri, ad intelligendum *quæ sit altitudo* diuinitatis, *latitudo & profundum.* Altitudo ergo & latitudo & profundum, descriptio crucis est: cuius eam partem quæ in terra defixa est, profundum appellauit. Altitudinem verò illam quæ super terram porrecta sublimis erigitur. Latitudinem quoque illam, quæ distenta in dexteram læuamque manus protenditur. Cum ergo tot species mortis sint, quibus de hac vita exitus dari hominibus solet, quid vult nos Apostolus illuminato corde scire rationem, cur ex his omnibus crucis potius species ad mortem delecta sit saluatoris? Vnde sciendum est, quod crux ista triumphus erat. Trophæum enim insigne: triumphus autem deuicti hostis indicium est. Quia ergo adueniens CHRISTVS (sicut Apostolus dicit) tria pariter sibi regna subiecit, hoc enim indicat vbi ait: *Quia in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferorum:* & hæc omnia sua morte vincebat: Conue-
Philip 2. D niens mysterio mors quæsita est, vt in aëre sublimatus & aëris subiugans potestates, victoriam de his superois & cœlestibus traderet. Expansas autem manus tota die, sanctus propheta dicit eum tetendisse ad populum qui est in terra, vt incredulos contestaretur, & inuitaret credentes. Ea vero parte, quæ sub terram demergitur, inferni sibi regna subiiceret. Etenim (vt breuiter aliqua etiam de secretioribus perstringamus) ab initio DEVS cum fecisset mundum, perfecit ei & præposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus tegeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat in Deuteronomij cantico, vbi dicit: *Cum diuideret excelsus gentes, statuit*
Deut 32. *terminos gentium secundum numerum angelorum DEI.* Sed & horum nonnulli, sicut & ipse qui princeps appellatus est mundi, datam sibi à DEO potestatem, non his quibus acceperant legibus temperarunt: nec humanum genus diuinis obedire præceptis, sed suis parere præuaricationibus docuerunt, & hinc aduersus nos peccatorum chirographa scripta sunt: quia vt propheta dicit. Peccatis nostris venundati sumus. Pretium namque E Esa 50. animæ suæ vnusquisque consequitur, cum concupiscentiæ satisfecerit. Per istud ergo vnusquisque chirographum illis rectoribus pessimis tenebatur, quod Christus detraxit adueniens, & hac eos potestate denudauit. Idque sub ingenti mysterio Paulus indicat, cum dicit de eo. *Delens quod aduersus nos erat chirographum, & affigens illud cru-* Coloss 2. *ci suæ, traducit principatus & potestates, triumphans eas in semetipso.* Rectores ergo illi quos humano generi præfecerat Deus, in tyrannidis contumaciam, versi impugnare commissos sibi homines aggressi sunt, & peccati prælijs debellare: sicut Ezechiel propheta mysticis designat eloquiis, cum dicit. *In illa die procedent angeli festinantes exterminare Aethiopiam, eritque inter eos perturbatio in die* Ezech 30. *Aegypti, quoniã rectitudo venit.* Ergo omnipotentia eorũ nudata, CHRISTVS dicitur triumphasse, ablatamque Luc 10. ab eis potestatem hominibus tradidisse: sicut ad discipulos suos dicit ipse in euangelio. *Ecce dedi vobis potestatem* F *calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Illos itaque qui accepta potestate male abusi sunt, subiectis quondam suis subiecit crux Christi. Nos vero, hoc est, humanum genus edocet primò omnium vsque ad mortem resistere aduersus peccatum, & libenter interitum pro pietate suscipere. Tunc deinde obedientiæ nobis in hac eadem cruce proponit exemplũ, sicut in illis qui aliquando rectores nostri fuerant, posuit contumaciæ pœnas. Audi ergo quomodo Apostolus vult per crucem Christi obedientiam nos docere. *Hoc inquit, sentite in vobis, quod in CHRISTO IESV:* Philip 2. *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu repertus vt homo, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Quia ergo ille magnus magister est qui fecerit & docuerit, ideo obedientiam, quæ pus etiam suscepta morte seruanda est, docuit ipse pro hac prius mo- G riendo seruari. Sed fortasse terretur aliquis in huiuscemodi ductrina, quod quem paulo ante cum Deo patre diximus sempiternum, ac de eius substantia esse progenitum: quemque regno, maiestate, æternitate, vnum cum Deo patre esse docuimus, nunc de eius morte tractamus. Sed nolo terrearis ô fidelis auditor: paulò post istum quem audis mortuum rursum immortalem videbis. Mors enim ab eo mortem spoliatura suscipitur. Nam sacramentum illud susceptæ carnis, quod supra exposuimus, hanc habet causam, vt diuina filij Dei virtus velut hamus quidam, habitu humanæ Ibid. carnis obtectus, & (sicut Apostolus Paulus ante dixit) *habitu inuentus vt homo*, principem mundi inuitare possit ad agonem: cui ipse carnem suam velut escam traderet, hamo eum diuinitatis intrinsecus teneret insertus, ex profusione immaculati sanguinis. Solus enim qui peccati maculam nescit, omnium peccata deleuit: eorum dumtaxat, qui sanguine eius postes fidei suæ signassent. Sicut ergo hamum esca contectum, si piscis rapiat, non H modò escam ab hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca alius futurus educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in morte corpus IESV, non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum: sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & diruptis inferni claustris, velut de profundo extractus trahitur, vt esca cæteris fiat. Quod ita futurum sub hac eadem figura Ezechiel dudum propheta significauerat, dicens. *Et extraham te* Ezech 32. *te in hamo meo, & extendam te super terram. Campi implebuntur de te, & constituam super te omnes volucres cœli, & saturabo ex te omnes volucres cœli, & saturabo ex te omnes bestias terræ.* Sed & propheta Dauid dicit. *Dedit* Psal 73. *eum in escam populis Aethiopum.* Et Iob de eodem my- Iob 40. sterio similiter protestatur: ait enim ex persona Domini loquentis ad se. *Aut adduces draconem in hamo, aut pones capistrum circa nares eius.* Non ergo damno aliquo, aut iniuria diuinitatis CHRISTVS in carne patitur: sed vt per infirmitatem carnis operaretur salutem, diuina natura in mortem descendit, nõ vt lege mortalium detineretur à morte, sed vt per se se resurrecturus,

A ctiurus ianuas mortis aperiret; velut si quis rex pergat ad carcerem, & ingressus aperiat ianuas, resoluat catenas, vincula, seras & claostra comminuat, & educat vinctos in remissionem, & eos qui sedent in tenebris & in vmbra mortis, luci ac vitæ restituat: dicitur ergo rex fuisse quidem in carcere, non tamen ea conditione qua fuerāt cæteri qui tenebantur in carcere: sed illi quidem vt pœnas soluerent, hic vero vt absolueret, pœnas. Caotissime autem qui symholum tradiderunt, etiam tempus quo hæc sub Pontio Pilato gesta sunt designarunt, ne ex aliqua parte velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret. Sciendum sane est, quod in ecclesiæ Romanæ symbolo non babetur additum, *Descendit ad inferna*: sed neque in Orientis ecclesiis habetur hic sermo, vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur. Sed quoniam erga scripturas tibi diuinas amor & studium subiacet, sine dubio dicis mihi, oportere hæc magis euidentibus diuinæ scripturæ testimoniis approbari. Quanto enim maiora sunt quæ credenda sunt, tanto idoneis magis & indubitatis testibus indigent. Vera quippe est & consequens hæc propositio. Sed nos tanquam scientibus legem loquentes, testimoniorum syluam breuitatis causa derelinquimus. Pauca tamen ex multis etiamsi hoc re-

B quirtur, adhibeamus, scientes studiosis quibusque in scripturis diuinis latissimum testimoniorum pelagus patere. Primo ergo omnium sciendum est, quod ipsa ratio crucis non omnibus vna eademque est: sed aliud gentibus, aliud Iudæis, aliud credentibus sapit: sicut & Apo-

1. Cor. 1. stolus dicit. *Nos autem Christum prædicamus crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis*

Ibidem. *vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Et ibidem *Verbum enim crucis pereūtibus stultitia est, his vero qui salui fiunt*, id est, *nobis, virtus Dei est.* Iudæi autem quibus ex lege traditum fuerat, Christum in æternum mansurum, scandalum patiebantur de cruce eius, quia resurrectionem eius recipere noluerunt. Gentibus autem stultitia videbatur Deum mortem suscepisse, quia ignorabant mysterium carnis assumptæ. Fideles

C vero qui & natum & passum in carne susceperant, & à mortuis resurrexisse, merito virtutem Dei credebant esse, quæ vicerat mortem. Primo ergo hoc ipsum quod Iudæi quibus prophetæ hæc prædixerant non essent credituri, sed illi qui nunquam hæc à prophetis audierant: audi quomodo per Esaiam prophetico sermone signatur.

Isa. 52. *Quibus non est*, inquit, *annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt intelligent.* Quod autem his qui meditabātur legem Dei, à pueritia vsque in senectutem non credētibus, ad gentes esset omne mysterium transferendum i-

Esa. 25. dem Esaias hoc modo prædicit. *Et faciet*, inquit, *dominus Deus sabaoth omnibus gentibus, in monte isto bibent lætitiam, bibent vinum, vngentur vnguento in mōte isto.* Tradet hæc omnia gentibus: hoc enim consilium omnipotentis super omnes gentes. Sed dicent fortasse nobis illi qui se iactant in scientia legis: blasphematis, qui dicitis dominū corruptioni mortis & passioni crucis fuisse subiectum. Legite ergo quod scriptum habetis in lamenta-

Thren. 4 tionibus Hieremiæ, vbi dicit. *Spiritus vultus nostri Chri-*

D *stus dominus comprehensus est in corruptionibus nostris, in quo diximus: sub vmbra eius viuemus in gentibus.* Audis quomodo propheta Christum dominum comprehensum esse dicit, & pro nobis, id est, pro peccatis nostris corruptioni traditum: in cuius vmbra (quoniam populus ille Iudæorum permansit incredulus) gentilem subiectum esse dicit: quia viuimus non in Israël, sed in gentib. Quod si operosum non videtur, quam possumus breuiter singula quæ in euangelius referuntur, qualiter in prophetis prædicta sint, designemus, vt hi qui prima fidei elementa suscipiunt, testimonia hæc babeant in corde descripta: ne vlla eis vnquam de his quæ credunt, ambiguitas inimica surripiat. Edocemur per euangelium, quod Iudas vnus de amicis & conuiuis Christi tradiderit eum.

Psal. 40. Audi hoc quomodo prænuncietur in psalmis. *Qui mā-ducauit*, inquit, *panes meos, ampliauit aduersum me supplā-*

Psal. 37. *tationem.* Et alibi. *Amici*, inquit, *mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.* Et iterum. E

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi erunt iacula. Psal. 54.

Vis audire quomodo molliti sunt? *Venit*, inquit, *Iudas ad* Matt. 26.

Iesum, & dixit ei: Aue rabi, & osculatus est eum. Per molle igitur osculi blandimentum, execrabile iaculum proditionis infixit. Vnde dominus ad eum dixit: *Iuda, osculo fi-* Luc. 22.

lium hominis tradis? Triginta argenteis audis eum appretiatum esse cupiditate proditoris. Audi & de hoc prophe- Zach. 11.

ticam vocem. *Et dixi*, inquit, *ad eos. Si bonum est in conspectu vestro date mercedem meam, aut abnuite.* Et post hæc. *Et accepi*, inquit, *triginta argenteos, & misi eos in domum domini in conflatorium.* Nonne hoc est quod in euangelius Matth. 27.

scribitur. Quia Iudas pœnitentia ductus reportauit pecuniam, & proiecit eam in templo, & discessit? Bene autem mercedem suam dixit, velut imputantis & exprobrantis, affectu: etenim tam multa bona opera apud eos egerat, cæcos illuminauerat, claudis pedes, paralyticis gressum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro his igitur om- F

nibus bonis, mercedem ei restituunt mortem, triginta argenteorum æstimatione pensatam. Refertur item in euāgeliis, quod vinctus est: prædixit hoc sermo propheticus per Esaiam dicens. *Væ animæ eorum qui cogitauerunt* Esai. 3.

cogitationem pessimam aduersum semetipsos, dicentes. Alli- Sec. 70.

gemus iustum quia inutilis est nobis. Sed dicit aliquis. Nunquid hæc de domino intelligenda sunt? Nunquid dominus ab hominibus teneri poterat, & ad iudicium pertrahi? Et de hoc idem te propheta conuincet. Dicit enim his verbis. *Dominus in iudicium veniet cum senioribus* Esai. 3.

& principibus populi. Iudicatur ergo Dominus secundum prophetæ testimonium & nō solum iudicatur, sed etiam flagellis cæditur, & palmis in faciem verberatur, & conspuitur, & omne pro nobis perfert opprobrium indignitatis. Et quia hæc stupescenda erant omnibus cum prædicarentur ab apostolis: idcirco etiam ex persona ipsorum propheta exclamat & dicit: *Domine quis credidit au-* Esaia 53.

ditui nostro? Incredibile enim est, vt Deus Dei filius passus ista dicatur & prædicetur: ergo & prædicuntur per prophetas, ne qua credituris dubitatio nasceretur. Ipse G

ergo ex sua persona Christus dominus dicit. *Dorsum meū* Esa. 50.

dedi ad flagella, & maxillas meas ad palmas, & faciem meā non auerti à confusione sputorum. Scribitur etiam illud inter cæteras eius passiones, quod alligantes eum duxerunt ad Pilatum. Præsignauit etiam hoc propheta, vbi di- Osee. 10.

cit *Et alligantes adduxerunt eum xenium regi Iarim.* Si ob- Se. 70.

iiciat aliquis & dicat: sed Pilatus non erat rex. Audi er- ἀπήνεγκαν

go quid in consequentibus refert euangelium. *Audiens*, ξένια

inquit, *Pilatus eum esse de Galilæa, misit eum ad Herodem*, τῷ βασι-

qui erat tunc rex in Israël. Et bene addit nomen Iarim, λεῖ ιαρείμ

quod est syluester. Non enim erat Herodes de domo Israel, nec de illa vinea Israëlitica, quam eduxerat dominus de Ægypto, & plantauerat in cornu in loco vberi: sed erat syluester, id est, ex sylua alienigenarum: & ideo recte syluester est appellatus, quia de Israeliticæ vitis nequam palmitibus pullulasset. Sed ad hoc quod dicit propheta xenium, conuenienter aptauit. Tunc enim Herodes & Pilatus (vt euangelium testatur) ex inimicis in Luc. 23.

concordiam reuocati sunt: & velut reconciliationis suæ xenium, iustum sibi inuicem mittebant Iesum. Quid interest dum modo Iesus vt saluator diffidentes reconci- H

liet, & pacem reparet, ac etiam concordiam reddat? Vnde etiam de hoc scriptum est in Iob. *Dominus reconcilians corda principum terræ.* Refertur item quod cum Pilatus Iob. 12.

vellet eum dimittere, omnis populus succlamauerit. *Cru-* Sec. 70.

cifige, crucifige eum. Prænunciat hoc quoque Hieremias propheta, dicens ex persona domini ipsius. *Facta est*, in- Hier. 12.

quit, *hæreditas mea mihi, sicut leo in sylua: dedit super me vocem suam, propterea exosus sum eam: & propterea*, inquit, *dereliqui domum meam.* Et iterum alibi dicit. *Supra quem aperuistis os vestrū, & aduersus quem relaxastis lin-* Esa. 57.

guas vestras? Cum iudicaretur, scribitur tacuisse. Multæ de hoc scripturæ testantur. In Psalmis dicitur. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo increpatio-* Psa. 37.

nes. Et iterum. *Ego tanquam surdus non audiebam, & sicut* Esa. 53.

mutus non aperiēs os suum. Et iterum alius propheta dicit.

[A] *Sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum: in humilitate iudicium eius sublatum est.* Imposita ei scribitur [Cant. 3.] corona spinea. Audi de hoc in Canticis canticorum, super inquitatem Hierusalem mirantis de iniuria filij, Dei patris [Sec 70.] vocem dicentis. *Exite, & videte filiæ Hierusalem coronam, qua coronauit eum mater sua.* Sed & de spinis ita alius [Esa 5. Se. 70.] propheta commemorat. *Et expectaui vt faceret vuã: fecit autem spinas, & non iustitiam, sed clamorem.* Veruntamen vt mysterij secreta cognoscas, oportebat eum qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare, quæ peccante protoplasto sententiam præuaricationis acceperat, dicente domino: *Maledicta terra in operibus suis, spinas & tribulos producet tibi.* Propterea ergo spinis coronatur Iesus, vt prima illa condemnationis sententia solueretur. Ad crucem ducitur, & in ligno totius mundi vita suspenditur. Vis & de hoc propheticis testimoniis confirmari? Audi Hieremiam dicentem de hoc: [Hier. 11.] *Venite, & iniiciamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium.* Et iterum Moses deflens eos dicit. [Exod 13.] Et erit vita suspensa ante oculos tuos, & timebis per dié [B] & noctem, & non credes vitæ tuæ. Sed transcurrendum nobis est: iam enim propositæ breuitatis modum excedimus, & breuiatum sermonem longa disertione distendimus: pauca tamen addemus, ne penitus quod cœpimus, prætermisse videamur. Scribitur Iesus in latere percussus, [Ioan 7.] aquam simul & sanguinem profudisse. Hoc quippe mysticum est, ipse enim dixerat. Quia *flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ.* Sed produxit & sanguinem, quem petierunt Iudæi venire super se & filios suos. Produxit ergo aquam, quæ credentes diluat: produxit & sanguiné, qui condemnet incredulos. Potest tamen etiam intelligi illud quod duplicem gratiam baptismi figurauerit. Vnam quæ datur per aquam baptismi, aliam per quæ mysterium profusionis sanguinis quæritur: vtrunque enim baptismum nominatur. Quod & si hoc quæris, cur non ex alio membro, sed ex latere potius produxisse dicatur [C] aquam & sanguinem? Videtur mihi per costam mulier indicari. Quia ergo fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costa processit, fons redemptionis ac vitæ de secundi Adam costa producitur. Scriptum est, quod in passione eius ab hora sexta vsq; ad beram nonam tenebræ factæ sunt. Accipe & de hoc prophe- [Amos 8.] tæ testimonium dicentis. *Occidet tibi sol meridie.* Et iterũ [Zach. 14] Zacharias propheta. *In illa*, inquit, *die non erit lux: frigus & pruina erit vno die: & dies illa nota domino, & neq; dies, neq; nox, & ad vesperam erit lux.* Quid tam euidens à propheta dici poterat, vt iam tum hæc non tam futura prædici, quam narrari præterita videantur? Et frigus & pruinam prædixit: propterea enim Petrus calefaciebat se ad ignem, quia frigus erat: & patiebatur frigus non solum téporis, sed & fidei. Addit etiam. *Et dies illa nota domino, & neque dies neque nox.* Quid est neque dies, neque nox? Nónne aperte de insertis diei tenebris, & reuocata rursum luce disseruit? Non fuit illa dies, neque enim incœpit ab ortu solis. Neque integra nox fuit: non enim peracto diei cursu spatia sibi debita vel ab initio suscepit, vel ad vltimum determinata perduxit: sed fugata per impiorum [D] facinus lux reparatur ad vesperam. Post horam enim nonam depulsis tenebris sol redditur mundo. Et iterum a- [Matth 27.] lius de hoc ipso testimonium dicit. *Et obscurabitur super terram in die lux.* Docet euangelij prædicatio, quod etiam milites diuiserunt sibi vestimenta Iesu, & super tunicam eius miserunt sortem. Hoc etiam curæ fuit spiritui san- [Psal. 21.] cto prophetarum vocibus protestari, cum Dauid dicit. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sed ne de illa quidem veste quam dicuntur milites illudentes induisse eum, id est, de veste coccinea [Isa. 63.] prophetæ siluerunt. Audi enim quid dicat Esaias. *Quis est hic qui venit de Edom, rubor vestimentorum eius ex Bosra? Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumentum tuum* [Ibidem.] *tanquam in torculari calcatum?* Vnde & ipse respondit. *Torcular calcaui solus filiæ Sion.* Solus est qui peccatum nó fecit, & abstulit peccata mundi. Si enim potuit per vnum hominem mors introire, quanto magis per vnũ hominé, qui & Deus erat, potuit vita restitui? Refertur etiá quod

aceto potatus sit. vel vino myrrhato, quod est amarius [E] felle. Audi quid de hoc propheta prædixerit. [Psal. 68.] *Et dederunt*, inquit, *in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Ad quæ respondens iam tunc Moses dicebat de popu- [Deut. 32.] lo illo. *Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum de Gomorris, vua eorum, vua fellis, & botrus amaritudinis* [Sec 70.] *ipsis.* Et iterum exprobrans eos dicit. *Populus stultus & non sapiens, hæc domino retribuistis?* Sed & in Canticis eadé [Cant 5.] prænunciantur, vbi etiam hortus, in quo crucifixus est, designatur. Dicit ergo. Intraui in hortum meum soror mea, sponsa mea, & vindemiaui myrrham meam: vbi euidenter vinum myrrhatum quo potatus est declarauit. Et spiritum post hęc scribitur reddidisse. Prænunciatum fuerat & hoc per prophetam dicentem ex persona filij ad patrem. [Psal 30.] *In manus tuas commendo spiritum meum.* Sepultus perhibetur, & lapis magnus appositus ante ostium monuméti. Accipe etiá de hoc quid propheticus per Hieremiá sermo prædixerit. *Mortificauerunt*, inquit, *in lacũ vitam meam, & posuerunt lapidem super me.* [Thr. 3.] Euidentissima hæc sepulturæ eius iudicia propheticis vocibus designata [F] sũt. Accipe tamen & aliá. *A conspectu*, inquit, *iniquitatis ablatus est iustus, & in pace est locus eius.* [Sec 70.] [Esa 57.] Et alibi. *Et dabo malignos pro sepultura eius.* Et item alius. [Sec. 70.] *Recubans dormiuit vt leo, & vt catulus leonis, quis suscitabit eum?* Sed etiá quod in infernum descendit, euidenter pronunciatur in psalmis, vbi dicit. *Et in puluerem mortis deduxisti me.* [Psal. 21.] Et iterum. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* [Psal 29.] Et iterũ. *Descendi in limum profundi, & non est substantia.* [Psal. 68.] Sed & Ioannes dicit. *Tu es qui venturus es* (in infernum sine dubio) *an alium expectamus?* [Matth. 11.] Vnde & Petrus dicit, quia Christus mortificatus carne, viuificatus [1 Pet. 3.] autem spiritu qui in ipso habitat, eis qui in carcere conclusi erant descendit spiritibus prædicare, qui increduli fuere in diebus Noë. In quo etiam quid operis in infernũ egerit declaratur. Sed & ipse dominus per prophetam dicit tanquam de futuro. *Quia non derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptioné.* [Psal 15.] Quod rursum propheticè nihilominus ostendit impletum, cum [Psal. 29.] dicit: *Domine eduxisti animam meam ab inferno, saluasti me à descendentibus in lacum.* [G] Sequitur post hæc. *Tertia die resurrexit à mortuis.* Resurrectionis quippe gloria in Christo clarificauit omne quod prius infirmũ & fragile videbatur. Si tibi paulo ante non putabatur esse possibile, vsque ad mortem venisse immortalem: aspice nunc, quia, qui deuicta morte resurrexisse dicitur, nó potest esse mortalis. Sed bonitatem in hoc intellige creatoris, quia ille eousque te sequendo descendit, vsquequo tu peccando deiectus es. Nec creatorem omnium Deum impossibilitatis accuses, vt ibi putes opus eius caduco lapsu potuisse concludi, quo ille salutem operaturus peruenire non posset. Inferna & superna nobis dicuntur, qui certa corporis circunscriptione conclusi, intra regionis præscriptæ nobis terminos cótinemur. Deo auté qui vbiq; est, & nusquã deest, quid infernum est, aut quid supernũ? Veruntamen in assumptione corporis etiá ista complentur. Resuscitatur caro, quæ reposita fuerat in sepulcro, vt adimple- [H] retur illud quod dictum est per prophetam. [Psal. 15.] Quia *non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Rediit ergo victor à mortuis, inferni spolia secum trahens. Eduxit enim eos qui tenebantur à morte, sicut & ipse prædixerat, vbi ait. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me ipsum traham.* [Ioan. 12.] Attestatur autem de hoc euangelium, cum dicit. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora dormientium sanctorũ resurrexerunt & apparuerunt multis, & ingressi sunt in sãctã ciuitaté:* [Matth. 27.] illam sine dubio ingressi sunt ciuitaté, de qua Apostolus dicit: *Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.* [Gal 4.] Sicut & ad Hebræos iterũ dicit. *Decebat. n. cũ propter qué omnia, & per qué omnia qui multos filios in gloriá adduxerat, autoré salutis eorũ per passioné consummari.* [Heb. 2.] Igitur consummatam passionibus carnem humanam, quæ in mortem ceciderat per protoplasti lapsum, resurrectionis virtute reparatam, in dextera Dei sedens in altissimis collocauit, vt & Apostolus dicit. *Qui simul excitauit nos, simulq; sedere fecit in cœlestibus.* [Eph. 2.] Hic enim erat figulus, qui vt Hieremias propheta docet, [Hier. 18.]

A vas de manu sua collapsum & confractum, rursum eleuauit manibus suis, & reformauit, sicut placuit in conspectu eius. Placuit autem ita, vt corpus quod mortale & corruptibile susceperat, de sepulcri petra leuatum, & immortale atque incorruptibile effectum iam non in terrenis, sed in cœlestibus & patris dextera collocaret. Plenæ sunt his sacramentis scripturæ veteris testamenti. Nullus super hoc propheta, nullus legislator, aut psalmographus siluit, sed omnis penè sacra de his pagina loquitur: & ideo superfluum videtur immorari nos ad congreganda testimonia. Pauca tamen admodum ponemus, ad ipsos fontes diuinorum voluminum remittentes eos, qui potare abundantius cupiunt. Dicit ergo statim in psalmis. *Ego* [Psal. 3.] *dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quoniam dominus* [Psal. 11.] *suscepit me.* [Psal. 29.] Item in alio. Propter miseram inopum & gemitum [Psa. 70.] pauperum nunc exurgam, dicit dominus. Et alibi, sicut iam superius diximus. *Domine, eduxisti de inferno* B *animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.* Et in alio loco. Quoniam conuersus viuificasti me, & de abysso terræ iterum reduxisti me. Euidentissimè in octogesimo septimo psalmo, de eo dicitur. *Et factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Non dixit homo, sed sicut homo. Sicut homo enim erat qui descenderat in infernum: sed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri non poterat. Et ideo in vno natura humanæ fragilitatis potestas ostenditur. [Osee. 6.] Osee autem propheta etiam de tertia die manifestissimè pronunciat hoc modo. *Sanabit*, inquit, *nos post biduum: in die autem tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.* Hæc autem ex persona eorum dicit, qui cum ipso die tertia resurgentes, de morte reuocantur ad vitam. Et ipsi sunt qui dicunt. *Die tertia resurgemus & viuemus in conspectu eius.* Esaias vero aperte di- [Esai. 63.] cit. *Qui eduxit de terra pastorem magnum ouium.* Sed quod & mulieres visuræ essent resurrectionem eius, scribis & [Esa. 70.] pharisæis & populo non credente, etiam hoc prædixit Esaias his verbis. *Mulieres quæ venitis à spectaculo, venite: non enim est populus habens intellectum.* Sed etiam de illis mulieribus, quæ post resurrectionem petrexisse ad sepulcrum dicuntur, & quæsisse eum & non inuenisse, sicut de Maria Magdalene, quæ refertur venisse ad monu- C mentum ante lucem, & non inuenisse eo flens dixisse ad [Ioan. 20.] angelos. *Quia tulerunt dominum, & nescio vbi posuerunt eum:* etiam de hoc ita prædicitur in Canticis canticorum. [Cant. 3.] *In cubili meo quæsiui quem dilexit anima mea: in noctibus quæsiui eum, & non inueni.* De illis quoque qui inuenerunt eum & tenuerunt pedes eius, prædicitur in Canticis can- [Ibidem.] ticorum. *Tenebo eum, & non dimittam eum, quem dilexit anima mea.* Hæc interim pauca de multis: breuitati enim studentes, plura coaceruare non possumus. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram patris: inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Consequenti breuitate in fine sermonis hæc continentur, in quibus quod dicitur quidem palam est. Sed consequenter quo sensu intelligi debeant quæ dicuntur, ascendisse, & sedere, & venturũ esse, nisi secundum dignitatem diuinitatis intelligas, aliquid per hęc humanæ fragilitatis videbitur indicari. Consummatis etenim his quæ in terra gerebantur, & anima de inferni D captiuitate reuocata, ascendere memoratur ad cœlos, si- [Psal 67.] cut propheta prædixerat. *Ascendens in altum, captiuam* [Ephes. 4.] *duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus.* Illa scilicet dona, quæ Petrus in Actibus Apostolorum de sancto Spiritu [Act. 2.] dicebat. Exaltatus igitur dextera Dei effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Donum ergo Spiritu sancti dedit hominibus, quia captiuitatem, quam prius diabolus per peccatum deduxerat in infernum, Christus per mortis suæ resurrectionem reuocauit ad cœlos. Ascendit ergo ad cœlos, non vbi verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in patre, sed vbi Verbum caro factum ante non sederat. Denique quia nouus iste ingressus portarum cæli æditiuis & principibus videbatur, videntes naturam carnis secreta cœlorum penetrantem, dicunt ad inuicem, sicut Dauid [Psal. 23.] plenus Spiritu S. denũciat, dicens. *Tollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.* E Quæ vox vtique non propter diuinitatis potentiam, sed propter nouitatem carnis ascendentis ad Dei dexteram ferebatur. Dicit & alibi idem Dauid. *A-* [Psal 46.] *scendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ.* In voce etenim tubæ mos est victorem redire de prælio. De ip- [Amos 9.] so quoque & illud dicitur. *Qui ædificat in cœlo ascensio-* [Psal. 17.] *nem suam.* Et item alibi. *Qui ascendit super Cherubim, volauit super pennas ventorum.* Sedere quoque ad dexteram patris, carnis assumptæ mysterium est. Neque enim incorporeæ illi naturæ conuenienter ista absque assumptione carnis aptantur: neque sedis cœlestis perfectio diuinæ naturæ, sed humanæ conquiritur. Vnde & dicitur de eo. *Parata est sedes tua Deus ex tunc, à seculo tu es.* Parata [Psal 92.] igitur à seculo sedes est, in qua dominus Iesus sessurus erat [Philip. 2.] in cuius nomine omne genu flectatur, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, quia dominus Iesus est in gloria Dei patris. De quo & Dauid ita refert. *Dixit dominus domino meo, sede ad dextris meis, donec* [Psal. 109.] *ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* F Quæ tamen dicta dominus in euangelio differens, dicebat ad Pharisæos. *Si ergo Dauid in spiritu dominum vocat eum, quomo-* [Matt. 22.] *do filius eius est?* per quod ostendit se secundum spiritum dominum, secundum carnem filium esse Dauid. Vnde & ipse dominus iterum dicit. *Verumtamen dico vobis: Amo-* [Matt 26.] *do videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis* [1. Pet. 3.] *Dei.* Et Petrus Apostolus dicit de Christo, quod *est in dextera Dei sedens in cœlis.* Sed & Paulus ad Ephesios scribẽs. *Secundum operationem,* inquit, *potentiæ virtutis eius, quam* [Ephes. 1.] *operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & sedere faciens in dextera sua.* Quod autem veniat iudicaturus viuos & mortuos, multis quidem diuinarum scripturarum testimoniis edocemur. Sed prius quam propheticis hæc eloquiis prædicta doceamus, illud necessario arbitror admonendum, quod ista fidei traditio quotidie nos vult de aduentu iudicis esse sollicitos, vt actus nostros ita præparemus, tanquam reddituri imminenti iudici rationem. Hoc enim erat quod & propheta dicebat de viro beato: [Psal. 111.] Quia *disponit sermones suos in iudicio.* Quod autem dicitur G iudicare viuos & mortuos, non ideo dicitur, quod alij viui, alij mortui ad iudiciũ veniant: sed quod animas simul iudicabit & corpora, in quib. viuos animas, mortuos corpora nominauit. Sicut & ipse dominus loquitur in euangelio, dicẽs. *Nolite timere eos qui possunt corpus occidere,* [Matth. 10.] *animam autẽ nihil possunt facere: sed timete potius eũ, qui potest & animã & corpus perdere in gehennã.* Nunc tã paucis si videtur etiã per prophetas hæc prædicta esse doceamus. Plura autẽ testimonia cum volueris, ipse tibi de scripturarũ latitudine congregabis. Dicit ergo Malachias prophe- [Mala. 3.] ta. *Ecce veniet dominus omnipotẽs, & quis sustinebit diẽ aduentus eius, aut quis sustinebit aspectum eius? quia ipse ingreditur sicut ignis conflatorij, & sicut herba lauantium, & sedebit conflans & purgans, sicut aurũ.* Vt autem euidẽtius cognoscas, quis sit iste dominus de quo hæc dicuntur: audi quid & Daniel propheta pronunciet. *Videbam*, inquit, [Dan 7.] *in visu noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis, veniens vsque ad vetustum dierum peruenit: in conspectu ei⁹ oblatus est liber, & ipsi datus est principatus & honor & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient: & potestas eius, potestas æterna, quæ non præteribit, & re-* H *gnum eius non corrumpetur.* Ex his ergo edocemur, non solum de aduentu & de iudicio, sed & de potestate eius & regno: quia potestas æterna sit & sine corruptionis fine sit regnum: sicut & in symbolo dicitur, Et regni eius non erit finis. Vnde valde alienus à fide est, qui regnũ Christi dicit aliquando finiendum. Scire tamen debemus, quod salutarem Christi aduentum hunc conatur inimicus ad decipiendos fideles callida fraude simulare, & pro filio hominis, qui expectatur venturus in maiestate patris sui, filium perditionis in prodigiis & signis mendacibus præparare, vt pro Christo, mundo huic introducat antichristum: de quo & dominus in euangeliis prædixit Iudæis. Quia ego veni in nomine patris mei, & [Ioan. 5.] nõ recepistis me: alius veniet in nomine suo, & ipsum recipietis. Et iterum dicit. *Tunc videbitis abominationem de-* [Matth 24.] *solationis stantem in loco sancto, sicut dicit Daniel prophe-*

A *ta, qui legit intelligat.* Daniel ergo de aduentu erroris istius plenius & latius in suis visionibus edocet, ex quibus valde operosum est nunc exempla ponere, qui satis amplis narrationibus dilatatur: & ideo scire de his plenius volentem, ad ipsas magis recensendas remittimus visiones. Sed & Apostolus dicit de eo. *Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi discessio venerit primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam ipse sit Deus.* Et paulo post. *Et tunc reuelabitur iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit eum illuminatione aduentus sui, cuius est aduentus secundum opera satanæ in omni virtute, signis & prodigiis mendacibus.* Et item paulo post. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati. Propterea ergo propheticis & euangelicis atq; Apostolicis vocib. nobis prænunciatur hic error, ne qui pro aduentu Christi, aduentum credant antichristi: B sed sicut ipse dominus dicit. *Cum dixerint vobis: ecce Christus hic, aut ecce illic, nolite credere. Venient enim multi pseudochristi & pseudoprophetæ, & seducent multos.* Sed quomodo demonstrauerit iudicium veri Christi, videamus. *Sicut fulgur,* inquit, *de Oriente resplendet vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Cũ ergo aduenerit verus dominus Iesus Christus, sedebit, & iudicium statuet: sicut & in Euangeliis dicit *Et segregabit oues ab hædis,* id est, iustos segregabit ab iniustis: sicut & Apostolus scribit. Quia *omnes nos stare oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bona, siue mala.* Iudicabitur autem non solum pro gestis, sed etiam pro cogitatis: secundum quod ipse Apostolus dicit. *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die quo iudicabit Deus occulta hominum.* Sed & de his ista sufficiant. Post hæc ponitur in ordine fidei. Et in Spiritu sancto. Ea quæ in superioribus paulo latius de Christo sunt tradita, ad incarnationis & passionis eius mysterium pertinent, quæ dum media intercedunt personæ ipsius coaptata, sancti Spiritus commemoratio- C nem paulo longius reddiderunt. Cæterum si solius diuinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicimr. *Credo in Deum patrem omnipotentem:* & post hæc, *in Iesum Christum filium eius vnicum dominum nostrum:* ita iungitur, *Et in Spiritu sancto.* Illa vero omnia quæ de Christo memorantur, ad dispensationem carnis, vt diximus, spectant. Igitur in sancti Spiritus cõmemoratione adimpletur mysterium trinitatis. Sicut enim vnus dicitur pater, & alius non est pater: & vnus dicitur vnigenitus filius, & alius vnigenitus filius non est: ita & Spiritus sanctus vnus est, & alius non potest esse Spiritus sanctus. Vt ergo fiat, distinctio personarum, affectionis vocabula secernuntur, quibus ille pater intelligatur, ex quo omnia, & quia ipse non habeat patrem. Iste filius tanquam qui ex patre natus sit: & hic Spiritus sanctus, tanquam de vtroq; procedens, & cuncta sanctificans. Vt autem in vna eademque trinitate diuinitas doceatur: sicut dictum est, in Deo patre cre- D di adiectu præpositione, in: ita & in Christo filio eius, ita & in Spiritu sancto memoratur. Sed vt manifestius fiat quod diximus, ex consequentib. approbabitur. Sequitur namq; post hunc sermonem *Sanctam ecclesiam catholicã, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.* Non dixit in sanctam ecclesiam catholicam, nec in remissionem peccatorum, nec in carnis resurrectionem: si enim addidisset, in, præpositionem, vna cum superioribus eademque vis fieret. Nunc autem in illis quidem vocabulis, vbi de diuinitate ordinatur fides, in Deo patre dicitur, & in Christo filio eius, & in Spiritu sancto. In cæteris vero vbi non de diuinitate, sed de creaturis & de mysteriis sermo est, in, præpositio non additur, vt dicatur, in sancta ecclesia: sed sanctam ecclesiam credendam esse, non vt Deũ, sed vt ecclesiam Deo congregatam. *Et remissionem peccatorum* credant esse, non in remissionem peccatorũ: & resurrectionem carnis credant, non in resurrectionem carnis. Hæc itaque præpositionis syllaba, creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Hic igitur E Spiritus sanctus est, qui in veteri testamento legẽ & prophetas, in nouo euangelia & apostolos inspirauit. Vnde Apostolus dicit. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum.* Et ideo quæ sunt noui ac veteris testamenti volumina, quæ secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum sanctum inspirata creduntur, & ecclesiis Christi tradita, competens videtur hoc in loco euidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus, designare. Itaque veteris testamenti, omnium primo Moysi quinque libri sunt traditi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numerus, Deuteronomium. Post hæc Iesus Naue, Iudicum simul cum Ruth. Quatuor post hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant. Paralipomenon, qui dierum dicitur, liber, & Ezdræ duo, qui apud illos singuli computantur, & Hester. Prophetarum vero Esaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel: præterea duodecim prophetarum liber vnus. Iob quoque, & psalmi Dauid singuli sunt libri. Salomon vero tres ecclesiis tradidit, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica canticorum: in his concluserunt numerum librorum veteris testamenti. Noui F vero, quatuor euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, Actus Apostolorum quos describit Lucas. Pauli Apostoli Epistolæ quatuordecim. Petri Apostoli duæ. Iacobi fratris domini & Apostoli vna. Iudæ vna. Ioannis tres. Apocalypsis Ioannis. Hæc sunt quæ Patres intra canonem concluserunt, & ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt. Sciendum tamen est, quod & alij libri sunt, qui non sunt canonici, sed ecclesiastici à maioribus appellati sunt, id est, Sapientia, quæ dicitur Salomonis, & alia sapientia quæ dicitur filij Sirach, qui liber apud Latinos hoc ipso generali vocabulo Ecclesiasticus appellatur, quo vocabulo non autor libelli, sed scripturæ qualitas cognominata est. Eiusdem vero ordinis libellus est Tobiæ & Iudith & Machabæorũ libri. In nouo vero testamento libellus, qui dicitur Pastoris siue Hermes, qui appellatur duæ viæ, vel iudicium Petri. Quę omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis G legi noluerunt. Hæc nobis à patribus tradita sunt quæ (vt dixi) opportunum visum est hoc in loco designare, ad instructionem eorum qui prima sibi ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt, vt sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sunt pocula. Tenet deinde ratio fidei, sanctam ecclesiam. Causam iam superius diximus, cur non diximus etiam hic, in sanctam Ecclesiam. Hi igitur qui supra in vno Deo credere edocti sunt, sub mysterio trinitatis credere etiam hoc debent, vnam esse ecclesiam sanctam, in qua est vna fides & vnum baptisma, in qua vnus Deus creditur pater, & vnus dominus Iesus Christus filius eius, & vnus Spiritus sanctus. Ista est ergo sancta ecclesia, non habens maculam aut rugam. Multi enim & alij ecclesias congregauerunt, vt Marcion, & Valentinus, & Ebion, & Manichæus, & cæteri omnes hæretici. Sed illæ ecclesiæ non sunt sine macula vel ruga perfidiæ: & ideo dicebat de illis propheta. *Odi ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.* De hac autem ecclesia, quæ fidem Christi integram seruat, audi quid dicat Spiritus sanctus in Canticis canticorum. *Vna est columba mea, vna est perfecta genitrici suæ.* Qui ergo hanc fidem in ecclesia suscipit, non declinet in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat. Concilium namque vanitatis est, quod agit Marcion, qui negat patrem Christi Deum esse creatorem, qui per filium suum fecerit mundum. Concilium vanitatis est quod Ebion docet, ita Christo credi debere, vt circuncisio carnis, & obseruatio sabbathi, & sacrificiorum solemnitas, cæteræq; omnes obseruantiæ secundum legis literam teneantur. Concilium vanitatis est quod docet Manichæus, primo quod seipsum paracletum nominauit: tum deinde quod mundum à malo factũ dicit, Deum creatorẽ negat, testamẽtum vetus repudiat: vnam bonam, aliam malam naturã sibi inuicem asserit coæternas: animas hominum secundum Pythagoreos in pecudes & animalia & bestias redire per diuersos nascendi circulos astruit: resurrectionem carnis

Marginal notes: 2. Thess. 2. — Matt. 24. — Matt. 25. — Rom. 14. — Rom. 2. — 2. Tim. 3. — Psal. 25. H — Cant. 6.

A carnis nostræ negat: passionem domini & natiuitatē non in veritate carnis, sed in phantasiis fuisse confirmat. Concilium vanitatis est quod Paulus Samosatenus, & eius post hunc successor Photinus asseruit, Christum non fuisse ante secula natum ex patre, sed ex Maria cœpisse: & non eum Deum hominem natum, sed ex homine Deum factum existimat. Concilium vanitatis est, quod Arius atque Eunomius docuit, qui filium Dei non ex ipsa patris substantia natum, sed ex nihilo creatum voluit. Concilium vanitatis est & quod illi aiunt, qui filium Dei quidē de substantia patris fatentur, sanctum vero spiritum separāt & secernunt cum vtique vnam eandemq; virtutem & diuinitatem trinitatis ostendat saluator in euangelio, cū
Matth. 28. dicit. *Baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti:* & est aperte impiū separari ab homine quod diuinitus iungitur. Concilium vanitatis est & hoc, quod olim congregauit pertinax & praua contentio, asserens Christum carnem quidem humanam suscepisse, non tamen & animam rationalem: cum vtique & carni & animæ & sensui humano ac menti vna eademq; salus à Chri-
B sto collata sit. Sed & illud conciliū vanitatis est, quod Donatus per Africam traditionem ecclesiæ criminando cōtraxit: & quod Nouatus sollicitauit, lapsis pœnitentiam denegando: & secundas nuptias, cum forte iniri eas necessitas exegerit, condemnando. Has ergo omnes velut congregationes malignantium fuge. Sed & eos si qui illi sunt, qui dicuntur asserere, quod filius Dei non ita videat vel nouerit patrem, sicut noscitur ipse & videtur à patre: vel regnum Christi esse finiendum, aut carnis resurrectionem non in integram naturæ suæ substantiam reparandam, futurum Dei iustum erga omnes negat e iudicium, diabolum à debita absolui damnatione pœnarum. Ab his inquam omnibus fidelis declinet auditus. Sanctā vero ecclesiam tene, quæ Deum patrem omnipotentem, & vnicum filium eius Iesum Christum dominū nostrum, & Spiritum sanctum, concordi & consona substantię ratione profitetur. Filiumque Dei natum ex virgine, passū pro salute humana, ac resurrexisse à mortuis in ea carne in qua mortuus est, credit. Eundem denique venturum
C iudicem omnium sperat: in quo & remissio peccatorum, & carnis resurrectio prædicatur. Verum de remissione peccatorum sufficere debet sola credulitas. Quis. n. causas aut rationem requirat, vbi indulgentia principis est? Cum terreni regis liberalitas discussioni non sit obnoxia, ab humana temeritate discutitur diuina largitio. Solent enim cum irrisione aduersum nos dicere pagani, quod ipsi nos decipiamus, qui putemus crimina, quæ opere commissa sunt, verbis posse purgari, & aiunt. Numquid potest qui homicidium fecit, homicida non esse: & adulter non videri, quia adulterium perpetrauit? Quomodo ergo huiuscemodi criminum reus, sanctus vobis effici subito videbitur? Sed adhæc, vt dixi melius fide quam ratione respondeo. Rex enim est omnium qui hoc promisit: terræ cœlique dominus est qui hęc pollicetur. Non vis vt ei qui me ex terra hominem fecit, credam, quod ex criminoso me faciat innocentem? Et qui me, cum essem cæcus, fecit videre: vel cum essem surdus, audire: qui mihi claudo gressum reddidit, innocentiam mihi perditam non poterit recuperare? Et vt veniamus ad ipsius naturæ
D testimonium. Occidere hominem non semper criminosum est, sed malitia non legibus occidere criminosum est. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & recte fit, sed animus male consulens damnat. Si ergo animus in me criminosus est effectus, & in quo fuit origo vitij corrigatur, cur tibi videar non posse innocens effici, qui prius fueram criminosus? Si enim vt supra ostendi cōstat, quod non in facto, sed in voluntate sit crimen: sicut mala voluntas autore malo dæmone peccato me & morti fecit obnoxium, ita in bonum voluntas mutata autore bono Deo, innocentiæ me reddidit & vitæ. Similis causa & in cæteris est criminibus. Hoc modo fides nostra non inuenitur naturalibus rationibus aduersari, dum remissio peccatorum, non gestis quæ mutari non possunt, sed animo quem de malo in bonum conuerti certum est, deputetur. Sed & vltimus sermo iste qui resurrectionem

carnis pronunciat, summam totius perfectionis succincta breuitate concludit: quamuis etiam de hoc non solū E
à gentilibus, sed ab hæreticis fides impugnetur ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis omnimodo negat, & Manichæi, sicut supra ostendimus. Sed isti Esaiam quidem prophetam dicentem. *Resurgent mortui & suscitabuntur, qui sunt in sepulchris*, audire noluerunt: nec Danielem sapientissimum protestantem. Quia nunc resurgent Esa. 26. & 65. Dan. 12.
qui sunt in terræ puluere: hi quidem in vitam æternam, hi autem in opprobrium & confusionem æternam. Tamen vel in euangeliis, quæ recipere vidētur, discere debuerunt à domino & saluatore nostro, Sadducæos docente, dictū. Matt 22.
Quod aūt resurgant mortui, non legistis quomodo dicit Moysi in rubo, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus autē non est mortuorum, sed viuentium. In quo etiam quæ sit & quantæ resurrectionis gloria, in superioribus memorauit, cū dixit. *In resurrectione autem mortuorū neq; nubent, neq; nubentur: sed erunt sicut angeli Dei.* Resurrectionis autem Ibidem.
virtus, angelicum hominibus confert statum, vt qui de terra resurrexerint, non iterum in terra cū pecudibus, sed F
in cœlo cum angelis viuant: quos tamen ad hoc ratio vitæ purioris admiserit, illos scilicet qui iam nunc conseruantes animæ suæ carnem in castis pudicitiæ actibus, obediētiæ sancti Spiritus subiugauerunt, & omni eam vitiorum labe renuatam, atq; in spiritualem gloriam sanctificationis virtute mutatam, angelorum quoq; meruerunt inferre consortiis. Sed infideles clamant, & dicunt. Quomodo potest caro quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, maris etiam interdum profundo sorbetur, fluctibusq; dispergitur, recolligi rursum & reintegrari in vnum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam uerum responsionem sermonibus Pauli faciamus, dicentis eis. *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur nisi prius* 1. Cor. 15.
moriatur. Et quod seminas non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum tritici, aut alicuius cæterorum seminum. Deus autem dat illi corpus prout vult. Quod autem in seminibus quæ tu in terram iacis per annos sin- G
gulos fieri vides, hoc in tua carne quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? Cur quæso tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimatores, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem, in suā rationem colligi & reparari posse non credas? An non censeas, cum videas quod etiam mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur? & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putat. Hæc cur non concedimus ei, qui fecit hominem, quando tantum is qui ab ipso factus est, assequi potest? Et cum auri esse propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longe disparem, ferri ac plumbi diuersam intra speciem terræ latere, mortale deprehendat ingenium: diuina virtus inuenire posse ac discernere non putabitur vniuscu- H
iusque carnis proprium sensum, etiam si videatur dispersus? Sed ad hæc tentemus animas quæ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adiuuare. Si quis diuersa semina in vnum permisceat, & hæc indiscreta seminet, vel passim spargat in terram: nonne vniuscuiusque seminis granum, quocunque loci iactum fuerit, competenti tempore secundum naturæ suæ speciem germen producet, vt statum suæ formæ suique corporis reparet? Ita ergo vniuscuiusque carnis substantia, quamuis varie diuerseque dispersa sit, ratio tamen ipsa, quæ inest vnicuique carni, est immortalis: quia immortalis animæ caro est ex eo tempore, quo seminatis in terram corporibus primum veri Dei voluntati arrisit, collectum terræ attractumque substantiæ suæ sensum reddit, ac reparat in illam speciem, quam mors aliquando dissoluerat. Et ita fit vt vnicuique animæ non confusum, aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparetur: vt consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ, cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideo satis caute ecclesia nostra fidem symboli docet, quæ in eo quod à cæteris traditur carnis resurrectionem, vno addito pronomine, tradidit huius carnis resurrectionē. Huius sine dubio, quā habet is qui profitetur, signaculo crucis frōti imposito, quo sciat vnusquisque fideliū carnē suā, si mūdam

A ſeruauerit à peccato, futurum eſſe vas honoris, vtile domino ad omne opus bonum paratum: ſi vero contaminaram in peccatis, futurum eſſe vas iræ ad interitum. Iá vero de ipſa reſurrectionis gloria, & de repromiſſionis magnitudine, ſi quis plenius ſcire deſiderat, in omnibus pene diuinis voluminibus inueniet iudicari. Ex quibus nos cómonitionis tãtũmodo gratia pauca in præſenti loco memorantes, finem iniuncti à te opuſculi facienus. Igitur Apoſtolus Paulus, quod reſorgat mortalis caro, talibus
1 Cor 15. aſſerit argumentis, dicens. *Quod ſi reſurrectio mortuorum non eſt, ergo nec Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, vacua eſt & fides no-*
Ibidem. *ſtra.* Et paulo poſt. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, initium dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut n. in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur: vnuſquiſque autem in ſuo ordine: initium Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in aduentu eius: deinde finis.* Et in ſe-
B quentibus addit & hæc. *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, non omnes autem immutabimur*, ſiue vt in aliis exemplaribus inuenimus. *Omnes quidẽ dormiemus, non omnes autem immutabitur: in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent*
1 Theſſ 4. *incorrupti, & nos immutabimur.* Sed & ad Theſſalonicenſes nihilominus ſcribens dicit. *Nolo autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Nam ſi credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui reliqui ſumus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormierunt: quia ipſe dominus in iuſſu, & in voce archangeli, & tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui reliqui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera: & ita ſemper cum domino erimus.* Verum ne exiſtimes hæc Pauli ſolius quaſi nouella
Ezech 37. prædicatione ſignari: audi etiá qoid Ezechiel propheta
C olim per Spiritum ſanctum prælocutus ſit. *Ecce*, inquit,
Iob 14 *ego aperiam ſepulcra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris.* Iob quoq; myſticis redundans eloquiis, audi quam
Ibid. euidẽter reſurrectionẽ mortuorum prædicet *Eſt*, inquit, *arbori ſpes: ſi enim abſciſſa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nũquam deficiet. Quod ſi ſenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus eius, ab odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem ſicut nouella. Vir vero ſi mortuus fuerit, abiit: & mortalis ſi ceciderit, vltra non erit?* Non tibi videtur in verbis his cũ quodam pudore arguere homines & dicere. Ita ne ſtultum eſt hominũ genus, vt cũ videant exciſæ arboris truncũ rurſum pullulare de terra, & lignũ emortuum iterum vitã recipere, ipſis ne lignis quidẽ aliquid ſimile de ſemetipſis, nec arboribus opinentur? Vt autẽ ſcias, quod veluti interrogantis modo legendũ ſit quod dixit, mortalis autem cum ceciderit nũ reſur-
Ibidem gere: de conſequentibus probationem accipe. Subiungit namq; ſtatim. *Si enim mortuus fuerit homo, viuet.* Et paulo poſt dicit. *Expectabo vſque quo iterum fiam.* Et iterum idẽ
D dicit. *Qui ſuſcitaturus eſt ſuper terram pellem meã, quæ hæc nunc haurit.* Hæc quidem ad probationem dicta ſunt profeſſionis noſtræ, qua confitemur in ſymbolo, huius carnis reſurrectiooẽ. Quod enim adiunctum eſt, huius, vide quã conſonum ſit omnibus his quæ de diuinis voluminibus memorauimus. Quid enim aliud indicatur in dictis Iob, quæ ſuperius expoſuimus, cum dicit, quia *reſuſcitabit pellem meam, quæ hæc nunc haurit*, id eſt, quæ iſta tormenta perpetitur: nonne aperte dicit huius carnis reſurrectionẽ futuram, huius inquam, quæ tribulationum & tentatio-
1 Cor 15 num cruciamenta nunc ſuſtinet? Sed & Apoſtolus cũ dicit. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: Nunquid non corpus ſuum quodammodo contingentis & digito palpantis eſt vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus eſt, reſurrectionis gratia incorruptibile erit: & hoc quod nũc mortale eſt, immortalitatis virtutibus induetur. Vt ſicut *Chriſtus reſurgens à mortuis, vltra iam non moritur, mors ei vltra non dominabitur*: ita & qui in Chriſto reſurgent,

nec corruptionem ſentient vltra nec mortẽ: non [illegible] E
carnis abiecta, ſed conditione eius & qualitate [illegible]. Erit ergo corpus quod reſurget à mortuis incorruptibile & immortale, non ſolũ iuſtorũ, ſed etiã peccato[illegible]. Iuſtorum quidẽ, vt ſemper poſſint permanere cum Chriſto. Peccatorũ vero, vt abſq; interitione ſua debitas luant pœnas. Quod autẽ iuſti sẽper cũ domino noſtro Chriſto permaneant, iã & in ſuperioribus edocuimus, vbi oſtẽdimus
1 Theſſ 4. quia Apoſtolus dicit. *Deinde nos qui viuimus, qui reliqui*
Rom 6. *ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ita ſemper cũ domino erimus.* Neq; miretis, ſi caro ſanctorũ in tantam gloriã ex reſurrectione mutabitur, vt in occurſum Dei ſuſpenſa nubibus, & in aere vecta rapiatur, cũ ipſe Apoſtolus, exponens quantum conferat Deus
Philip 3. his qui diligunt eum, dicat. *Qui transfigurabit corpus humilitatis noſtræ conforme fieri corpori claritatis ſuæ.* Nihil ergo abſurdũ eſt, ſi ſanctorum corpora dicantur nubib. in
F aera ſuſtolli, cum ad formã corporis Chriſti, quod in dextera ſedet, dicantur reformanda Sed & hoc ſanctus Apoſtolus, vel de ſe, vel de cæteris ſui loci vel meriti addidit, &
Ephes 2. dicit. *Quia conſuſcitabit nos cum Chriſto, ſimulque faciet ſe-*
4 Eſdr 7. *dere in cæleſtibus.* Vnde cum hæc & eorum ſimilia quam
Sap 3. plurima ſancti Dei in repromiſſionibus habeant in reſur-
Dan. 12. rectione iuſtorũ, non erit iam difficile credere etiam illa quæ prophetæ prædixerant, quod iuſti ſcilicet fulgebunt ſicut ſol, & ſicut ſplendor firmamenti in regno Dei. Cui enim difficile videbitur eos fulgorem ſolis habituros, ac ſyderum ac firmamenti huius ſplendore decorandos, quibus vel vita, vel conuerſatio angelorum Dei paratur in cœlis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Chriſti? Ad quam gloriam Saluatoris ore promiſſam, re-
1 Cor. 15. ſpiciens ſanctus Apoſtolus, dicit. Quia *ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale* Si enim verum eſt, ſicut certe verum eſt, quod iuſtos quoq; & ſanctos, angelorum conſortiis ſociabit diuina dignatio, certum eſt, quod & corpora eorum in ſpiritualis corporis gloriam vertet. Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur
Gen 2. eſſe promiſſum. Si. n credimus ſecundum ea quæ ſcripta
G ſunt, quod accipiens Deus limum terræ, plaſmauit hominem: & hæc fuit natura corporis noſtri, vt voluntate Dei terra verteretur in carnem: cur tibi aut abſurdum, aut cõtrarium videtur, ſi iiſdem rationibus quibus terra, proficiſci dicitur in corpus animale, rurſum corpus animale in corpus proficiſci ſpirituale credatur? Hæc quidem atque his ſimilia multa inuenies in ſcripturis diuinis de reſurrectiooe iuſtorum. Dabitur autem etiam peccatorib. vt ſupra diximus incorruptionis & immortalitatis ex reſurrectione cõditio, vt ſicut iuſtis Deus miniſtrat ad perpetuitatem gloriæ: ita peccatoribus ad prolixitatem confuſionis miniſtret & pœnæ Sic. n. propheticum diffiniuit
Dan 12. eloquium, cuius & paulo ante meminimus vbi dicit. *Et multi reſurgent de terræ puluere, hi quidem in vitam æternã, hi autem in confuſionem & opprobrium æternum* Si ergo
H intelleximus qua veneratione Deus omnipotens pater dicatur, quoue ſacramento dominus noſter Ieſus Chriſtus vnicus eius filius habeatur, & qua perfectione ſanctus eius ſpiritus nominatur, vtq; ſancta trinitas vnum ſit per ſubſtantiam, ſed affectu perſoniſque diſcreta: qu[illegible] etiam partus virginis, quid verbi in carne natiuitas, quid ſacramentum crucis, quæ vilitas diuini ad inferna deſcenſus, qoid reſurrectionis gloria & animarum de infernis reuocata captiuitas, quid etiam aſcenſus eius ad cœlum, & venturi iudicis expectatio: ſed & ſanctæ eccleſiæ aduerſus congregationes vanitatis qualis haberi debeat agnitio, qui ſacrorum voluminum numerus, quæue hæreticorum vitanda conuenticula: & qood in peccatorum remiſſione diuinæ libertati nequaquam ratio naturalis obſiſtat, & vt carnis noſtræ reſurrectionem, non ſolum diuinæ voces, ſed & ipſius domini & Saluatoris noſtri exemplum & conſequentia naturalis rationis aſſignet. Si inquam hoc ſecundum traditionis ſupra expoſitæ regulam conſequenter aduertimus, deprecamur vt nobis omnibus qui hæc audiunt, concedat dominus fida quam ſuſcepimus cuſtodita, curſu conſommato, expectare iuſtitiæ, repoſitam coronam, & inueniri inter eos

qus

A qui resurgunt in vitam æternam: liberari vero à confusio-
ne & opprobrio æterno, per Christum dominum no-
strum, per quem est Deo patri omnipotenti cum Spiritu
sancto gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

EPISTOLA XXIX.
AD PRÆSIDIVM DIACONVM de Cereo Paschali.

NVlla res (vetus inquit Comicus) tam facilis est,
quin difficilis fiat, si inuitus facias. Quod si ille rem
facilem difficulter fieri inuito animo putauit, quid me
facere posse existimas in re maxima, & nullius vnquam
edisserta eloquentia? Nam quicunq; voluerunt de lau-
dibus cerei dicere, plenisque, vt aiunt, ventis ingenij sui
intendere vela, & quasi quædam pelagi alta penetrantes,
B vicina abscondere littora: statim in orationis foribus te-
tinet oratorum clamor, florum, pratorumque descriptio:
& in modum sonantis auræ molliter verba cadentia, dum
describuntur apes, quod sine coitu generantur & gene
rant: quod solæ à concubitu liberæ, natos ore legunt, ar-
te componunt, & quadam ratione vitali, animas apicu-
lis, non de suo inserunt. Præterea, Virgilij totus Georgi-
corum liber profertur in medium. Rex aduolans agmen
inducit, tantoq; strepitu diuersa narrantur munia, vt mi-
litaribus castris interesse te credas. Sed cum hæc audieris
siue legeris, laudabis oratoris eloquentiam. Et vt breui-
ter stiguem, puto te Quintiliani controuersiæ recordari,
in qua pauper causatur, dolens ob interitum apum, flo-
res ab impotentissimo diuite venenatus. Esto hæc iocun-
Exod. 12. da sint, & aurem composito pede mulceant, quid ad dia-
conum, quid ad ecclesiæ sacramenta, quid ad tempus
paschæ quo agnus occiditur, cum accinctis lumbis car-
nes cum ossibus deuorantur: cum tacente episcopo, &
presbyteris in plebium quodammodo cultum redactis,
leuita loquitur, docetque quod pene non didicit: & festi-
C uissimo prædicans tempore, toto de hinc anno iustitium
vocis eius indicitur? Vides ne quam grandia sint? Intel-
ligis te difficilia postulare. In eodem quippe momento
& prædicanda conscribere, & cur ita prædicata sint do-
cere, omnium difficillimum est Nam illud pene me præ-
teriit, quod diuinis magis quam humanis vocibus disse-
rendum est. Lege Pentateuchum, instrumentum percur-
re vetus, nusquam in Dei sacrificij mella, nusquam ceræ
vsum, sed lucernarum lumina, & oleo fotos videbis igni-
culos. Quid causer de veteri testamento? Nouos percur-
re libros. Hi, vt opinor, sunt euangelia quatuor, aposto-
lorum Actus, epistolæ Ioannis, Apocalypsis Nihil præter
Matth. 25. ista, nunquid alicubi cereus? Nonne in fine euangelij de-
tonantis inter septem candelabra & lucernas aureas, spō-
sus reuelator incedens? Ad hæc respondebis: Et ego à te
fieri idcirco postulaui, quia sciui esse difficile quod pete-
bam. Leuiter omnis soluitur quæstio, & par pari refertur
sententia. Et ego me idcirco facere debere non putabo,
quia rem difficillimam postulasti: attamen ne te causan-
do differam, si coram pariter fuerimus, audies vniuersa
quæ sentiam, vt si quid fortè nescimus, in tua aure mo-
riatur. Nam qui scribit, multos sumit iudices: alios in al-
D terius liuet ac grassatur ingenium. Ille si vnus sermo de-
fuerit, quasi claudam oratiunculā diffugit. Alius si pau-
lulum se loquentis cothurnus extulerit, non presbyterū
latrabit esse, sed rhetorem Itaq; si vis te mihi hoc obliga-
ti munere, Placentinas delicias desere, sectare Abrahæ
habitum, relinque natale solum, spretisq; vrbibus ad de-
serta secede, vt possis orare cum Christo. Erit quidem do-
rus & mucidus, & hordeaceus forte panis. Sed delicatum
militem rex non amat. Hierusalem quæ similam & mel,
& oleum manducauit, fornicationis arguitur, non quod
mali sint cibi, quos paterna indulget clementia: sed quod
mollis præliator ad primam statim aciem cōcidat, & post
vmbram solem ferre non queat. Post sudarium galeam o-
neri potius reputet, quam rutamini. Quod si exire cupien-
ti mater obsistit in limine, loquere ei verbis domini tui.
Matth. 12. *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem
patris mei, qui in cælis est.* Si vernaculæ cum quibus nutri-
tus es flere, & paterni ruris memoria, ipsius quoque do-
mus anguli, & secreta retinere te cœperint, In quibus in- E
fans volutatus es, lusisti puer, adolescentulus lasciuisti: re-
cordare omnes, qui nunc accolæ eremi sunt cœlestes illos
choros, per eosdem erupisse tramites, iisdem institisse ve-
stigijs. Et vt longam orationem compendio breuiem (epi-
stola quippe librū redolere non debet) aut parua aut ma-
gna sunt, quæ tibi deserenda suademus. Si parua, non dif-
ficile putes parua contemnere. Si magna, maiora magnis
præmia præparantur. Sed dicis, Volo prius paternum rus
vendere, & exiguis sumptibus congregatis siue viaticum
viæ sternere, siue in pauperum vsus me alimoniā præpa-
rate. Et hic euangelicam audi sententiam. *Si vis perfectus* Matth. 19.
*esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ve-
ni & sequere me.* Plures iam anni sunt quod cœpisti serui-
re Deo. Meus Christum sequens non diu seculi sustinet
onus, nec se patitur istiusmodi vinculis alligari. Quin po-
tius timendum, ne dum occasio distribuendi patrimonij
prætenditur, dum non vis rem maioris pretij minoris vē-
dere, sit impedimentum in proposito tuo. Decē aliquid F
emptum est nummulis, vel vnum libenter accipiam dum
me ad prælium festinantē nullæ præpedient moræ. Mat-
thæus sedens ad teloneum audit, *Sequere me.* Nunquid Matth. 9.
prius ratiocinia supputauit, & reuersus domum, suorum
passus est lacrymas, prædiorū que auctione solicitus, ne-
quaquā potuit domini sequi vestigia, nisi mundi se prius
onere liberaret? Ille discipulus qui renunciare parentibus
ante cupiebat, voce saluatoris arguitur Et certè multum
est inter eum, cuius breuis ad domum recursus statim vē-
turi reprehenditur, & te qui tanto tēpore, aut non vendis
tua, quod cito potes facere: aut non contemnis, sed vides
multa tibi impedimento esse ne facias. Cum hæc legeris
ad asylum Romuli fugies: & comœdiæ conscendes aram,
verba domini sæuientis eludes. Diaconus, inquies, eccle-
siā tuto deserere non possum. Vereor ne incurram sacri-
legiū, si altaria derelinquā. Euge meus, plus de te exactu-
rus sum, si ad vitam monachi, clerici aliquid dignitatis
accedit: si in apostolico stans ordine, quotidie Christi cor- G
pus pia plebi famulatione distribuis. Sed considera obse-
cro, satis esse difficile locum Stephani implere vel Pauli,
in angelico stare ministerio, & populos subiacentes can-
denti desuper veste despicere. Pretiosum est margari-
num, sed cito frangitur, fractūque non potest instaurari.
Nauis quamuis sit rudis, & solidis confixa clauis, tumen-
tes fluctus tabulata non sentiant: cito tamen si periculo-
sè nauigat, perforatur: & licet plenis ventis lucrosius ad
optata perueniat, tamen magis secura sunt quæ tranquil-
la: & vt apertius loquar, plus te quidem dicis habere mer-
cedis, si in media vrbe consistens monachorum vitam vi-
ctites. Hæc sunt vera quæ dicis, sed non tam facile explē-
tur opere quam dicto. Vt enim cætera prætermittā, quæ
nos ab austeriori vita retrahunt, illud inseram, ad cuius
comparationem etiam quæ dissimulauerim, imo timue-
rim dicere, intelliges. Alius barbam cædit æqualiter, & hi-
laritatē frontis, nitenti desuper coma protegit. Tu si pau-
lulum, vt nos solemus facere rusticani, capillum vsque ad
cutem persecueris, risum præbebis omnibus. Quod si pul-
la fuerit tunica, etiam prætereuntium digitis denotabe-
ris. Caue inquam vt non strictæ sint caligæ, ne crura non H
candeant. Nisi formosus fueris, sanctus esse non poteris.
Aliquis, inuitat de optimatibus ad prandium, omnes vo-
tiuis pergunt feriis: certè aut eundum tibi est, aut negan-
dū. Si ieris, aut eisdem vesceris cibis, aut aliis. Si aliis, con-
uiuarum offendentur oculi. Si iisdem, perit abstinentia.
Quod si ire nolueris, tunc miser in prandio comederis.
Ad singulas quasq; phialas & delibuta mellis vina pota-
beris: Alius in tuum vultum cauillabitur, ille incessum
ridebit, hic habitum. Et imitatores forsitan Iudæorum.
Nonne hic est, inquient, *filius fabri? Nonne fratres eius &
sorores apud nos sunt?* Ego illum memini ante tot fermè Matth. 13.
annos illud fecisse turpe, dixisse turpius. Alius furem cla-
mabit & mœchum, seq; sceleris finget fuisse participem.
Omnia pariter prandia consonabunt, in tumultum con-
uiuium dissoluetur. Quod si vilibus abstinueris carnibus,
& non crebro balneas frequentaueris, tunc vere per om-
nes colūnas Manichæi tibi titulus ascribetur. Si volucrū

A edulium refutaueris & tenellas columbas, crassoque turtures experenti gutturi durior dominus denegaueris, sacrilegij crimen affigetur. Statimque aiẽt. Hi sunt qui creatorem mundi contemnunt, in vsus nostros facta sunt omnia. Audiui, teste domino non mentior, quẽdam in suam gulã disertũ, cum me tumore cognouisset esculẽtioribus cibis abstinere, dixisse. Nũquid procellus ideo factus est, vt togatus in senatu sententiam diceret? Quo videlicet me stultitiæ condemnaret, qui putarem ea quæ sunt in hominum vsus creata, non sumere. Hæc & istiusmodi, cum vitam in vrbibus lacerent bonam, quid facies frater in medio? aut vitiis, aut anathemati colla submittes, id est, aut sectaberis quæ sunt aduersa continentię: aut si facere nolueris, ipse damnaberis. Prætermitto crebras salutationes, obsequia matronarum, variasque illecebras, quibus etiam rigidissimi emolliuntur animi, & Sireneo cantu ad naufragia pertrahuntur. Quod ad speciosas quasque formas oculus sæpe inuitus abstrahitur, quod aures obscœna dicta feriunt: nunc illud affirmo, quod etiam si ista non essent, ad comparationem tam ingentis boni minora deserere debueras. Adde quod diaconus es, sed abscessu tuo, ecclesiæ damna non sentient. Elias vixit in eremo. Eliseum propbetarum secutus est chorus. Præcur-
B sor domini Ioannes nutritus in solitudine, ad hoc tantum descendit ad Iordanis ripas, vt populos argueret confluentes, & Pharisæos intelligens clericos Iudæorum, generationes vipereas denotaret. Nuper Ægypti deserta vidisti, intuitus es angelicam familiam. Quanti ibi flores sunt?
Matth. 3. quam spiritualibus gemmis prata vernantia? Vidisti serta, quibus dominus coronatur. Ille tibi in pectore ignis exæstuet. Illa quotidie cogita, tracta, desidera, & quasi quodam carcere detentus exclama. *Heu me, quia peregri-*
Psalm 119 *natio mea prolongata est.* Et in paradisum mente conscendens, toties in terra non eris, quoties terram despexeris. Eadem nobis certè cum his qui habitant per deserta conditio est. Iidem oculi, totidem manus. Iisdem infirmitatibus, vel virtutibus subiacemus. Si te aquæ potus vexat, quanti nobiliores, non dicam vina nesciunt & carnium ignorant cibos, sed infuso tantum legumine sustentantur? Si balnearum te lauacra solicitant, quanti principes ciuitatum, siue ob culpam propriam, siue ob inuidiam, ad insulas deportati, sine præmio futuraque mercede absque balneis perseuerant? Nemo id necessitate pati non potest, quod pro Deo voluntate pati detractat. Ha-
C bebis cellulam quæ te solum capiat. Imo non eris solus, angelica tecum turba versabitur. Tot socij, quot sancti. Leges euangelium, fabulabitur tecum Iesus. Replicabis apostolos vel prophetas. Nunquid poteris talem alium tuis sermonibus habere consortem? Terra sumus & cinis: & per omnia momenta de nostra salute suspensi, cõtinuo in puluerem dissoluendi. Quid retractamus de necessitate facere virtutem? Certè quandoque moriendum est, & stercoribus plena vitalia, quæ nos quotidie nostræ commonent vilitatis, in similem putredinem omne secum tractura sunt corpus. Quam cito mundi relinquamus angustias, & si fortè ob continentiam (quod tamen raro accidit) dolere stomachum, æstuare febribus cœperimus, perpetuæ vitę ianuam morbum putemus, plenamque victoriam. Quia scriptura docente cognoscimus, nullum ante vitæ huius finem pleuè beatum esse dicendum. Quanti in mediis opibus, & inter infulas consulatus, re-
D pentina morte subtracti sunt? Nuper imperator Valentinianus, cum aduersus Sarmatas, Quadosq; propter Illyrij vastationem in consistorio sæuus infremeret, & totius gentis excidium rigidus minaretur, sanguine erumpente discrepuit. Quid loquar de fratre eius, quem contra regale fastigium Thraciæ ignis absorbuit? Necdum annus completus est, quo principem Gratianum procedente exercitu suo ante fœda captiuitas, dehinc miserabilior oppressit interitus. Et, vt ista taceam, etiam quis communi fine pereunt, post mortem pati cum omnibus conditione sociãtur. Quotusquisque eorum in die iudicij minimo de monachis cõparabitur? Sectemur saltem mulierculas sexus nos doceat infirmior. Quantæ diuitiis pariter & nobilitate pollẽtes (nolo enim vocabula dicere,

ne adulari videar) relictis facultatib. pignoribusque contemptis, id factu facile iudicauerunt quod tu proprio putasti timore difficile? Id de cerei carmine disce. Illud tibi E
de variis floribus lumen exorna. Esto & ipse apis. Debboræ victoriam imitare Barach tecum Sisaram persequatur, *Iud. 4.*
& liberato Israël Iudicum carmen ingemines, vt Christi mella componas. Si sic lampadem præparas, s[illegible]o veniẽte non dormies, cubiculũ regis intrabis. [illegible] dicere vellem, & te mecum tali exhortatione retinere, subito nunciatũ est, asellos esse cõductos, qui me Romã vsque pertraherent. Itaque inuitus Placentiã te remitto, sub ea conditione quam nosti, vt quoties hæc legeris, tibi scias esse quo pollicitus es veniendũ. Pellicani cũ suos à serpente filios occisos, mortuos inueniũt, lugent: & se & sua latera percutiunt, & sanguine excusso ad corpora mortuorum, sic reuiuiscunt. *Pellicani.* Aquila quando senuerit, grauantur ipsius pennæ & oculi; quęritque fontem, & erigit pennas, *Aquila.* & colligit in se calorẽ, & sic oculi eius sanantur: & in fõtem se termergit, & ita ad iuuentutem redit. Phœnix auis est in India, & per quingentos annos de Libano implet se *Phœnix.* F aromatibus, & sic ædificat sacerdoti Heliopolitano mense Famenoth, aut Farmuth. Implet arã sacerdos sarmẽtis & ibi cõfert Phœnix aromata, & electrũ aræ imponit. Et primo solis ortu, Phœnix quidẽ mouet penas, solis vero calore accenditur electrũ, & sic exurũtur aromata, & ipsa Phœnix incenditur. Crastino die de cinere gignitur vermis: secundo pẽnas effert: tertio ad antiquã redit naturã, & sic ad sua loca reuertitur. Anguis quando senuerit, perdit aspectum: & si voluerit redire ad iuuentutem, ieiunat *Anguis.* quadraginta diebus vt laxetur pellis eius: & sic angustum foramen inquirit. vt dum nititur exire inde, pellem senectutis dimittat. Coluber ad bibendum veniens, in aqua *Coluber.* venenum deponit, ne cum venenum aqua conceptum occidat. Nudum hominem timet, vestitum persequitur, caput tamen suum cælat quando percutitur, vbi scit esse mortem suam. Serpens quidem si semel calamo percu- *Serpens.* tiatur, moritur: sin vero iterum percutiatus, cõfirmatur. Brumali tempore infirmior efficitur, & à soricibus deuincitur. Igitur ante hyemem circa se colligit segetes, vt illis escam præbeat. Viperæ per os coitũ faciunt, masculi mor- G tem contẽnunt, sed fœmina in ipso coitu, siue magna dul- *Vipera.* cedine exagitata, siue futuri præscia periculi, dum absorbet semen, caput masculi abscidit, & sic eum occidit. Sed cum conceperit, viscera illius ab ipsis quos concepit comeduntur, & sic matrẽ occidunt. Formicæ quæ nil portant, non rapiunt onera earum quæ portant: sed cum de- *Formica.* posuerint triticum, diuidunt grana, timentes ne si fuerit pluuia, floreſcãt. Vulpes si diu esurit, volutat se in puluere, & fingit se mortuã Ergo volatilia veniunt, & dum volunt illã comedere, comeduntur. Vulpecula cum leporib. *Vulpes.* ludit, & sic illos occidit. Panther pardo similis est, & est *Panther.* varij coloris, & mitis: si saturatus fuerit, tribus dieb. dormit Post tertiũ diem leuat se & clamat, & si odorem suauẽ emittit, & conuocat omnes feras, quæ odore ducuntur, & est omnib. feris amicus, præter draconi & aspidi. Testudo marina, quæ est grandis vt insula, dum emergit *Testudo* se de altu, ostendit se in ipso mari tanquam petram nec *marina.* se mouet inde, quoadusq; homines naues ligent. Et cum hæc senserit, trahit se in altũ: sed cum esurierit, aperit os, H & bonũ odorem reddit, ad quem cæteri pisces colliguntur. Perdix aliena oua calefacit, perditis suis: sed cum creuerint pulli, ex nido euolant, & ad parentes suos redeunt, *Perdix.* mentitũ parentẽ omittentes. Perdices sibi insidiantur, & si afferant illos ad sylũã qui eos habent, vocẽ emittũt absconsi, & sic cæteri veniunt, & retib. capiuntur, plus pedibus quam pennis fugiunt aucupantes. Et si ad hoc fuerit vt capiantur, similem sibi colore lapidem quærunt, & ibi se supinos ponunt. Vultur cum cœperit oua edere, primũ de terra Indiæ Instantium sumit, & est tanquam nux & *Vulturi* intus habet aliquid quod mouetur, & sonum reddit. Hoc sibi apponit, & multos quidem facit fœtus, vnus vero remanet. Nam cum non habuerint escam, obseruant se dormientes, & comedunt se vsque dum vnus remaneat. Myrmicoleon ab ante leo, retro formica, de duabus feris nascitur. Esca vero ipsius in primis est lac matris, *Myrmicoleon* id est,

A id est, formicæ. Nutritur enim mater legumine tanquam formica.

EPISTOLA XX.
DE VERA CIRCVNCISIONE ad Therasiam.

SVperiore epistola, quam ex me consultatio vestra deprompsit, quam & ad tuum & sororis tuæ nomẽ misi, rationem circuncisionis rapidè transcurri: quoniam procinctus itineris mei, in quo confecta est, non solum ei limam nitoris, verumetiam perfectionẽ operis inuidit, licet me & illa terreant quæ limantur. Quod si non placent impolita, formidat animus cogitare quid iudicij mereantur informia: quanquam ego illam non ad iudicum subsellia, sed ad fauentium mihi coronam transmisi. Denique mea sententia non prodisset, nisi fuisset per vos de secreto verecundiæ, velut manu quadam charitatis educta. Sed quoniam iam illam meliorem facere nõ possum, placuit mihi vt semel emissum repetens apud te verbum, retractarem: cuius conuersatio circuncisionis est interpretatio, & vita totius legis enarratio.
B Ex eo siquidem lex videtur obscura, quoniam raro in quo conspiciatur existit. Dei enim verbum vita est: & nos aliter viuendo quam vita est, verbum Dei facimus obscurum. Quod si ea vita quæ solum vita est, viueremus, narratione legis eius opus non erat, quam facilius erat videre quam loqui: quandoquidem non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Nobis ergo ex abundanti licet apud te dissertare quod
1. Cor. 4 didicimus in te, tibi prodere quod nobis vita tua præstitit ne esset obscurum. Sed quid nouum loquimur, si aut tu quod locuturi sumus hoc viuis, aut si apud te quod in te didicimus hoc loquimur, cum & memor eorum quæ meminit monita non quærat, & doctus non ea quæ iam callet inquirat? Tu quidem filia dilectissima, circuncisione viuis: mihi tamẽ propositum est illud tecum loqui, quare non in digito, non in aure, aliaue corporis parte fiat circuncisio Iudæorum: quæ vtique sine ratione esse diceretur, si à Deo inuenta non esset. Nihil enim sine ratione fit per Deum: nihil casibus, vt gentes loquuntur, fortuitis: nihil denique fortunæ in illo temeritati licet. Ipsi enim cæci sunt qui illam putant habere aliquid potestatis. Deus autem qui ipse ratio est, vt nihil non plena ratione formauit, ita nihil ab homine fieri sine ratione mandauit.
G Nam si elementa quæ cernimus, tanta ratione digessit, vt terra hæc esset super quam reliqua mouerentur immobilis, vt aquarum venæ altioribus montibus conderentur, à quibus orta flumina dum per multa spatia decurrunt latè, potandi vsum per omnem tractum cursus sui animantibus exhiberent: vt ipsum mare aquis influentibus non excresceret, sed vt velut vẽter quidã largiter aquas sitire videatur: ne vel fontibus in æternum manantibus, vel fluminibus sine fine currentibus, vel pluuijs assiduè ruentibus, perpetuo terra diluuio tegeretur: vt cœlũ præter plenitudinẽ illã lucis in sole, nocturnis etiã syderibus radiaret, ne quod tempus egenum luminis haberemus. Si ergo hæc transitoria, vt ipse ait, *Cœlum & terra transibũt*:
Matt. 24. sic sapientia descripsit, vt aliter ea non potuisse esse credamus, quid homines ipsos pro quibus hæc nunc ita excogitauit, ordinauit, instituit, sine ratione fortè viuere permisit: quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testa-
D mentum, & legislatio, & obsequium, & promissa? Ex quibus etiam est Christus secundum carnem, qui est benedictus in secula. Absit ergo, vt à quibus etiam filium secundum hominẽ voluit oriri, eis non plena ratione conderet testamentum. Sed quoniam tam euidenter constat omnia ordinata per Deum plena esse rationis, vt assertore nõ egeãt: videamus vnde digressi sumus: quæ causa est: vt eam partem corporis, quæ secretior & occultior est, aut ea quæ à Græcis φύσις, à nobis dicitur natura, ad circuncidendũ dominus elegerit: qui vtique ob signum quo volebat famulos suos in Abrahæ semine cẽseri, id potuisset eligere, quod in propatulo positum ab omnibus cerneretur, & alio nomine vocaretur, vbi nec in signo obscuritas, nec confusio esset in nomine. Sed vtraque hæc imago rationem habuit geminæ veritatis, quam dum lo-

S. Hieron. tom. 9.

quar impende patientiam, vt quæ circuncisionem illam E in vita tua non esse credebas, nunc vitam tuam in illa circuncisione conspicias. Ac primũ de secretiori parte corporis quid figurabat, aduerte. Illud sine dubio quod postmodum dominus monstrauit, ne iustitiam nostram coram hominibus faceremus, sed in occulto coram eo solo, cui soli nihil occultum est: & quẽ solũ remuneratorẽ bonorum nouimus esse factorum. Nam hic nostra circuncisio non videtur: quoniam stultitiæ velamine velut veste tegitur mundiali. Nec sanè à nobis magnopere desiderandum est, vt contemplationi omnium circuncisio apertè subiaceat, ne merces operis penes eos sit, quos volumus hanc videre, dicente domino *Amen dico vobis, receperunt mercedẽ suam*: sed ita modestè, ita verecundè habenda est, & velanda iuxta eam imaginem, quã abundãtiori honore vestimus, vt videntes eam non videant, sed quærentes rimantesque intus nos, iuxta Apostolũ, quos seductores putant, veraces esse fateantur: quos nihil habere credebant, omnia possidere cognoscant: quos mori iudicabant, viuere in æternum testentur. Hæc est gloria circuncisionis occultæ: hæc partis verecundæ illis ad videndum, nobis in nostro corpore non verendæ: hoc testimonium gloriosum, cum conuersi amare cupiunt, quos odisse gaudebant. Vnde non in carne palam, sed in occulto cordis Iudæi esse debemus, nõ litera, sed spiritu. Nam litera oculis subiacet nostris: spiritus nobis carnalem refugit aspectum, vt laus iuxta Apostolum ex Deo, non ex hominib. acquiratur: vereamur autem audire à domino. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Iuxta illum qui quod pertinebat ad labia, magistrum bonũ de bono quæsiturus appellat: cui vetus lex, id est, carnalis circũcisio, velut in superficie posita recitatur, quã se cõpleuisse testatus, vbi quod ad circuncisionẽ cordis pertinebat, audiuit. *Vende omnia quæ habes, & sequere me*: tristis abscessit, miser prorsus, qui sequi noluit quem bonũ ignorare non potuit. Interius ergo illud est signaculum præfiguratum, quod in inuisibili mente nostra, ab illo inuisibili nostro Deo videtur, vt non eum à quo innocetur audiret, sed eum à quo crederetur attenderet. *Oculi enim domini super iustos*, si ad iustitiam corde credatur. Verum autem nos credere toto corde mentimur, si ab hominib. accipimus honorem. Accipimus enim ab hominib. honorẽ, si eleemosynas nostras tuba populo prædicatura præcedat, quas nec per officium ministrandi dexteram cum sinistra communicare concessum est. Accipimus ab hominibus honorem, si ieiunia nostra & abstinentiam ciborum, populi oculis fractu mentitæ infirmitatis commendet incessus, & fauorem vulgi tristi vultu aduocatus pallor acquirat. Si vero in formam lætitiæ vultus erectus, lauacris etiam serenatur; si caput ad imaginem festiuitatis iungitur, vt soli Deo ieiunia nostra commendemus, possumus dicere *Voluntariè sacrificamus tibi domine.* Vides filia nẽpe quod viuis & conuersationem tuam secretæ illius circuncisionis agnoscis: foris egena, intus larga: foris sine lege, intus sub lege: populi oculis publicani iudicanda conuiuio; vocatorum autem sensu euangelistæ sociãda Matthæo. Sed ad veram ipsam vitam aliquando veniamus, id est, ad dominũ nostrũ Iesum Christum: videamus an tale aliquid docuit & fecit: quoniam quod factum est in illo vita erat: si & ipse circuncisionem veluti in occulta parte corporis operatus, voluit ab hominibus, & ea quæ faciebat, & ipse quis esset, agnosci. Aptimum post cœlestem illam doctrinam de monte descendens, populorum se admirantium stipatus agminibus, leprosi hominis sordes emaculans, pro salutis tãtæ beneficio, non laudem, non celebritatem communi hominũ more desiderat: sed sibi soli quod est, esset cõscius, quod maiore non indiget testimonio. Iubet illum nemini narrare suam virtutem: secretum quoque diuinæ maiestatis, quod mysterium incarnationis occuluit, ab eo qui sanatus fuerat, vult sileri: ne gloriam quasi homo quærere videretur, quam alio more & mystica ratione suscepit. Nam vt se ostendat sacerdoti, & munus Deo offerat, imperauit: & hoc munus, quod præcepit Moyses in testimoniũ illis: vt dum taceat quod quasi filius hominis imperauit,

Margin notes (right column, in order): Matth. 6. — 2. Cor. 6. — F — Roma. 2. — Matt. 5. b. — Matth. 19. — Psalm. 33. — G — Psalm. 53. — Ioan. 1. — H — Matth. 8.

A legis potius mandata, quam Moysi Deus ipse dedit, efficiat: & dū hominē, quē in carne viderat, laudare prohibetur, Deū tamen in muneris oblatione magnificet. Sic gloria filij hominis, quę per iānuā prohibetur, per secretum videtur intrare, dū non quasi homo prædicādus est, cui vt Deo sunt curationū vota soluenda: nec in plateatū angulis carnaliter celebrandus, qui spiritualiter sitadorādus in tēplo: vt si secundū hominē nil requirit, secundū Deum diuinę virtutis gloriā promereatur. Addit huic similia, vt veritas locupletiori testimonio fulciretur. Quærit à discipulis quis habeatur in populo egregius. Illi nominānt prophetas. Quid ipsi sentiāt solicitus excutit. Cui beatus Pe-
Matth. 17. tr⁹. *Tu es*, inquit, *Christus filius Dei viui*: exclamat Dominus beatū, cui non caro istud reuelasset & sanguis, sed pater eius qui esset in cælis. Tunc & Petrus vocaturā petra, postquā angularē illā petram primus agnouit. Iubet tamē post multas donatas Petro benedictiones, potentiasque virtutis, ne quis discipulorū diceret, quod ipse esset Chri-
B stus. Mira ratio, nō vult prædicari quod gaudet intelligi: agnosci amat, & odit ostēdi; sic mysteriū obtectæ circuncisionis exercens. Nā maluit se inuentū esse quā proditū, vt virtus sua illū, nō fauor manifestaret alienus: quanquā in hoc præcepto & aliud intelligēntiæ genus occurrat. Vetat Dominus hoc vnde Petrū laudauerat prædicare: offendendus vtique si contra voluntatem eius quod Petrus senserat, fateretur; quoniā si facultatē loquendi tribuere voluisset, excusatio proditori prædestinata videbatur: poteratque dicere, Permisisti nobis discipulis tuis, vt te omnibus panderemus. nec imputandum mihi est si alio ad te aliquis animo venit, quam ego te tuus laudator ostendi. Sed quoniā quidquid prohibetur, illicitum est: à nullo se voluit dignè celebrari, dū à Iuda proderetur indignè. Iubet ergo discipulis, ne cui dicāt, quod ipse est Christus. Tendit sententia interdictalis in Iudā, & præuisum iugulat proditorē: ipso verbo præcepti maiestatē signans, quæ erat designanda præcepto. Refert euangelista his verbis. Tunc imperauit discipulis suis, vt nemini dicerent quod
C ipse esset Christus. Et Iudas proditor his qui eū ipso vene-
Matth. 16. rant, ait. Ipse est tenete eū. In verbū proditionis declina-
Matth. 20. tio obsecundatiorus incurrit: & de obtentu ad excusationē esse posset obliuio, infelix memoria in sacrilegum voluēda suggessit, dum ipse proditur de sermone quo cauet: sic vtriq; ratio nō æquanda subsistit Nā & dominus ostēdit sic se prodēdū esse dū prodit. Sed ignosce, quod in aliū tramitē expositionis sensus Dei verbo copiosior excessit: licet te amplius cōtristent suppressa quam prodita: & magis de his reb. silere tibi, quā dici copiosius irascatis; quæ domini iudicia pro auro & pretiosis lapidib. cōcupiscis; in quib mel tibi fauumq; cōpensas, & desideriorum non cares etiā plenitudine si saturetis. Ac proinde factū adhuc exēplum ab ipso domino repetamus: vt iuxta legē *in ore*
Matth. 18. *duorū vel triū testiū omne verbū consistat*: & quē prodi se diximus noluisse, etiā se videri voluisse doceamus, vt non ab aliis se modo honorari pateretur: verūetiā ipse sibi, in-
Ioan. 11. quantū fieri poterat, debitam deitaheret dignitatē Lazari amici sui mortem non audit & nuntiat: faciebat hoc de deitate, quid mirū? vt eū localiter perspiceretur in homine, ex diuinitate nusquā abesse crederetur. Festinat in Be-
D thaniam, submussitantibus penè discipulis, pietas factora miraculū: defuncti sorores occurrerunt tetro habitu, ore lacrymoso, crine cōscisso, quas bono animo iubet esse si credant. Lazarū viuere, si illæ non sunt dubitaturæ cōfirmat: videt etiā multitudinē Marthæ & Mariæ, quæ ad solatiū comes conuenerat. Infremuit, inquit euāgelista, spiritu & turbatus est, vt ait. Vbi enim eū posuistis? quid est
Ioan 11. hoc? quæ confusionis causa? quæ formidinis? Quid aut erubescit aut metuit, cū & virtus sit peractura miraculum, & deitas nō sit subiecta terrori? Quæ sepulcri tā inconsulta requisitio? Vt omnino credas de turbato confusoque profectum. Ille Deus noster, qui discipulis constanter dixerat de absente, *Lazarus mortuus est*: qui sororib. eius cōfidenter promiserat de mortuo, quod resurrecturus esset, sub noua nescio q̄ua confusione sepulcrum quærit: quasi hoc solum qui omnia & nosset & præstare poterat, ignoraret. Non planè hoc est, nam alios intellectus occultus

in dictis promissisq; superioribus satis se diuinitas publi- E
carat. Aderat turba Iudæorum, tantis semper non amica miraculis. In planum, Deus si non aliquid secundum hominem videretur ignorare, processerat. *Turbatus est*, in- Ibidem.
quit, id est, fœtulentia carnis diuinitati nō prodēdæ miscetur, & ad ignorantiā humanam deitas velanda reuocatur. Sic turbatur & fons, cum excitatus casu aliquo limus, puritatem liquidi densat elementi, & duarum rerum vna confusio, discrimine proprietatum, dum separatur, excluditur. Ait namque, vbi eum posuistis? Et hic turbatus Iudæis deitatem cælat in homine, & splendori diuinitatis in tantæ operationis coruscatione ignorantiam mortalitatis obducit; vt cum posset in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulcri eius ignoratione vilescat. Sic dum à cæcis videtur, & à videntibus non videtur: sic dum de lapidibus suscitat filios Abrahæ, filios perditionis in Matth. 3.
lapidem offensionis impingit: illud mysterio occultæ operationis exequitur, vt eum infirmi ac debiles ad pos- F
cendam opem salutis nullo monstrante cognoscant, & Apocal. 5.
persecutores vel inimici, quem tenere debeant, nisi prodatur, ignorent. Hic est ille liber intus & foris scriptus; hic secretus & publicus; hic apertus & opertus: hic paginis superioribus videndus, interioribus non videndus, quia incomprehensibilis. Intus siquidem scriptus est, cum propheta dicat *Generationem eius quis enarrabit?* Fo- Esa. 53.
ris scriptus est, eum euangelista ait. *Liber generationis Ie-* Matth. 1.
su Christi, filij Dauid, filij Abraham. Intus scribitur, cum Psalm. 44.
Deus dicit. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Foris scribitur, cum Esaias vaticinatur. Ecce virgo concipiet, & Esa. 7.
pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Intus scribitur per Ioannem. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Foris scri- Ioan 1.
bitur per Matthæum, Christi autem generatio sic erat. Matth. 1.
Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph. Intus scribitur. Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Quid vtique habens? verbum domini, verbum carnem factum sub lege. Foris scribitur, cum apostoli interrogati, quis esse dominus diceretur, responderunt quod alij Matth. 16.
dicerent Eliam. alij Hieremiam, alij autem vnum ex prophetis. Intus scribitur, cum Petrus exclamat. *Tu es Chri-* Ibidem.
stus filius Dei viui. Vnde & ipse & dominus. Non reuela- G
uit tibi Petre, inquit, istud caro & sāguis, sed pater meus, qui in cœlis est. Cuius caro & sanguis? Nunquid nam Petri ipsius caro & sanguis obstabant, quin filius Dei diceretur? Non inquam, sed ipsius domini caro & sanguis: in quibus dum homo cernitur quod erat Dei filius, nō credebatur esse quod erat. Impossibile enim hominibus videbatur Deum credere cum hominem viderent, & tantam illam maiestatem, in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, quam ipse non capit mundus in corpusculo despectæ etiam imaginis inclusam. Ait ergo: non hæc caro mea tibi & sanguis, me esse Dei filium prodiderunt. Nam ista non patiuntur me hoc credi. Denique prophetadixerat. Et homo est, & quis cognoscet eum? Euidenter ergo illi secundum hominem vel oculum iudicantes, me aut Eliam prophetam, aut aliquem vnum ex prophetis loquuntur, quoniam hominem me esse habitu carnis agnoscunt? sed tibi reuelauit pater meus qui in cælis
est. Quando reuelauit? Quo tempore Deum cum Petro H
locutus est? Reuelauit, inquit, pater meus qui in cœlis est: hoc est dicere, operibus credidisti, quæ loquuntur filium Dei. Sed vt loquebamur, foris scriptus est liber iste, cum dominus esuriit. Intus scribitur, cum quinque panibus multa hominum millia saturauit. Foris scribitur cum amici morte lacrymatur. Intus scribitur, cum ipsum Matth. 4.
quem flebat exuscitat. Foris scribitur, cum affigitur cru- Matth. 14.
ci. Intus scribitur, cum paradisum latroni promittit in Ioan 11.
cruce. Foris scribitur, cum spiritum moriens secundum Matth. 27.
rationem humanæ carnis emittit. Intus scribitur, cum in passione sol fugit, dies absconditur, terra concutitur. Foris scribitur, cum sepelitur. Intus scribitur, cum tertio die sepulchri limitibus remotis erumpit in lucem. Foris scri- Matth. 28.
bitur, cum apostolis clauorum & lanceæ vulneribus o- Luc. 24.
stensis, escam etiam postulat. Intus scribitur, cum inter eosdem apostolos, clausis ostiis, qui intrare visus non est,
appa-

A apparet. Sed miro modo cum interior scriptura libri ma-
gis obscura sit, amplius hominum mẽtes turbat exterior:
& videntes illa quæ per hominem videri non possunt, ista
quæ possunt per hominem videri noua ratione non cer-
nunt. Nam Manichæi quod videri non potest credentes,
id quod potest videri non credunt: cum beatus Ioannes
inuisibilem & visibilem Deum & hominem, breui quasi
Ioan. 1. charactere signauerit, sic enim ait. *Quod fuit ab initio fra-
tres, quod audiuimus.* Ecce libri illius interiorem partem.
Quod sequitur: *Et vidimus oculis nostris, & manus nostræ
palpauerunt de verbo vitæ.* Ecce libri pars exterior, quæ o-
culis ac manibus subiecta hominum, & videri & tractari
potest. Hanc partem libri Manichæus ignorat, videns o-
pera quæ fiunt, & videns facientem. Potest quidem dice-
re iste. *Tues Christus filius Dei viui*, sed non potest dice-
re: Dominus est sabbathi filius hominis: & mira peruersi-
tate quod vident negantes, quod non vident confitentur:
inuisibilem in virtutibus recognoscunt, visibilem in ho-
mine, quod facillimum esse debuit, non agnoscunt. O cæ-
citas, ô ignorantia veritatis, & omni ratione damnanda
præsumptio: isti sunt, qui Deo ipsi se præferunt, sic cre-
B dendo in carne constituti, spiritualiter se viuere profi-
tentur, quod Deum non credunt potuisse. Minor enim
sine dubio ab istis Deus est, si quod isti possunt, ille non
potuit. Nam si isti possunt in carne constituti alienam ca-
pere naturam: cur ille in carne positus suam seruare non
possit, videlicet vt semper Deus sit, ne corruptelæ admi-
stus incipiat esse corruptus? Mira disputatio, Deum de-
struit cum honorat: Minoris autem virtutis est obtinere
in terrena substantia deitatem, quam Deum spiritualiter
in deitate durare. Quid ergo mirabor in Deo, nisi quod
cum homo esse dignatus sit, in homine quod Deus esset,
aperuit? Non quod ipse destitit esse quod fuerat: sed quod
carnem fecit esse quod Deus est: quod in excusationem
materiæ vitiosæ mansit, ipse sine excusatione: quod dum
pro nobis peccatum factus esset, peccatum esse nõ potuit,
Sed hic Manichæus. Arianus iterum superiorem partem
libri vtraque circumplexus manu, illam interiorem pagi-
nam sic reserare formidat: quasi sacrilegium facturus sit,
si Deus in carne veniens non amiserit deitatem: Videns-
que dominum in nauicula dormientem, non videt ven-
C tis & fluctibus imperantem: cui deitatem se tribuere sine
similitudine paterna mentitur. Deus enim esse nisi pa-
tri, id est, Deo similis sit, non potest: similem autem es-
se, nec illum qui foris scriptus est de interioribus aliquid
perdidisse. Illos quotidianus sermo instruere debuisset,
quo filios patribus suis similes ita cupimus approbare, vt
dicamus, de ore eius exiit. Ergo omnis filius quamlibet
secundum carnalem generationem aliter generetur: ta-
men si fortè patri per omnia similis sit, dicetur ab ore e-
ius profectus. Quis non videt Deum verbum de corde
patris eructatum, nec aliunde in spiritu quam ore prola-
tum, etiam iuxta communem omnium sensum patri
similem iudicare? Quod vbi fideliter senserimus, & ea
quæ foris scripta sunt, & ea quæ intus diuinitus annotan-
d 44 tur, vnum librum dicere poterimus: in quo legem totam
scriptam videntes, non philosophorum argumenta se-
ctemur, vt veritatem opinatione colligamos: sed formam
D vitæ ante oculos constituamus, & eam ipsam tractabilem
miremur: in qua quidquid obscurũ esse poterit, effunde-
tur. Quam Manichæi non videntes in carne, Ariani non
intelligentes in spiritu, vnius libri paginarum confœde-
ratam dissecuere iuncturam, & mediatorem duorum cõ-
sertis manibus, hæretico furore ruperunt. Sed quid mi-
rum, si hos nimium sibi in singulis paginis sapientes, ac
de mundiali philosophia venientes, tanta operti aperti-
que libri concatenationis subtilitas præteriuit: cum eum
nec Iudæi, qui ipsius erant, cum in sua venisset, agnoue-
runt? Qui de cælo signum postulant, quasi cælestia illa
non essent, quæ in salute vel debilium, vel mortuorum
cœlesti virtute faciebat, obcæcati infidelitate sua, viden-
do etiam non videre meruerunt. Iratusque est dominus,
cur in ipso deitatis contemneretur operatio: illud de di-
uitiis sapientiæ suæ procurauit, vt & forma serui despica-
bilis haberetur: & quibus non per virtutem suam diuini-

E tas radiasset, his omnimodis positus contemptui, irreue-
renda in ipso iuxta seculum videretur humanitas: & cum
dominũ suum in spiritu Israël non recepérit, cur vel fra-
trem suum in carne Iuda reciperet & cognosceret? Neq;
enim æquũ erat, vt qui maiora subruerent, & qui sacrile-
gium, vt volebant existimari, committerent ignorantes,
non homicidium facerent scientes. Deniq; & Ionæ signũ
promittit infidis: & miser quidem populus, in vno eo-
demque homine Dei sui cõtemptor occidit, & quem iu-
xta legem suam non agnouisset vt Deum, hunc extra le-
gem suam gẽtibter damnaret vt reum. Hæc itaque igno-
bilia passionis, velut velata, sicut loquebamur, operatio-
ne promeruit, cum deitatis naturam mortalitatis veste
circundat: dum apud erubescentes agnitione eius ipse
confunditur: dum homo de Deo fit non credenti: dum
ipsum deniq; in se hominem in despicabilem cæteris for-
mam, vt patiatur, inclinat: dum apud discipulos Dei ver-
bum est & apud principes homo verbum nõ habens in-
uenitur. Vnde si dominus cæli & terræ (cuius nomen su-
per omne nomen est) *formam serui accipiens, non rapinam
arbitratus est esse se æqualem* Deo, in hominem se despe- Philip. 2.
F ctum velata studiose diuinitate proiecit, neq; videri in se
voluit, quod non poterat non agnosci: quid homines ob-
seruare sub specie secretæ circuncisionis expediet, quos
præter naturam exemplo humiliauit & præcepto? Con-
sultius vtique facient, si etiam cum omnia fecerint, dicãt:
Serui inutiles sumus: quod imperatum est fecimus: quã si fi- Luc. 17.
ducia præsumptionis elati, vt vnus à dextris, & à sinistris
alius in regno eius sedeant, postulauerint, ne illis ipse do-
minus respondeat, qui illos amare amplius credebatur,
Nescitis quid petatis. Quibus & statim formido passionis Matth. 20.
ab eo opponitur, quæ iuxta carnem humiliat elatos: quã
vbi intrepidè poposcerunt, rectè quidem dicit illis, Sede-
re ad dexteram, aut ad sinistram non est meum dare vo-
bis. Nunquid nam hic se potentiæ indignum esse profes-
sus est, aut aliquid sibi non licere testatur, qui ait: *Pater* Ioan. 5.
neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio? Non est, ait,
meum dare vobis: id est, sic petentib. superbè, insolenter, e-
latè de carnis tumore non spiritus lenitate. Nam ego qui
resisto nunc vobis, humilibus dare gratiam consueui. Ita
G dominus dum humilitaté & verbo & actu verè audiẽtes
docet: cur in secreta parte corporis præfigurationem ve-
ræ circũcisionis habere voluerit, ostendit. Dixi de occul-
to circuncisionis, quæ putaui esse dicenda. Superest vt de
ipsa circuncisione tractemus, quæ figura sit, cur non ocu-
lo circuncidamur & manu, dicente domino. Nam si *ocu-* Matth. 5.
*lus tuus scandalizat te, erue eum: & si manus tua scandali-
zat te, abscinde eã.* Quæ tanta ibi præfiguratio est, vt per v-
nã partẽ corporis totus omnino homo circũcisus esse cre-
datur: & cum hoc nos post Christum, vt Iudæi, faciunt,
non faciamus in carne, facere tamen per eundem iudice-
mur in corde? Veniamus ad regenerationis nostræ sacra-
menta cælestia, vt circuncisionem spiritualem in spiri-
tuali natiuitate quæramus: & in ipsis fidei nostræ cuna-
bulis, quo tempore circuncisio celebratur primos vagi-
tus sacratæ repetamus infantiæ: & abrenuntiationẽ illã,
H qua præputiis denudamur, ante oculos collocemus: quo-
niam sicut qui carnaliter nascebantur in mundo, carna-
liter circuncidebantur in lege: ita qui nunc ad cœlorum
regna generantur ex verbo, per verbum circunciduntur
à mundo. Sic namq; dicimus abrenũtiare nos mundo &
pompis eius: quoniam *quidquid est in mundo, concupiscen-
tia carnis est, & concupiscentia oculorum est, & ambitio se-* 1. Ioan. 2.
culi, quæ non est à patre. Illa ergo promissio & circuncisio
est, quã non patimur vt serui, sed exhibemus vt liberi: nec
postquã nati fuerimus celebramus, sed vt renascimur of-
ferimus: omniq; in procinctu baptismatis indumẽto nu-
dati sola sanctorum oculis confessione vestimur: nec ad
speciem naturam nostram arsura foliorũ veste velamus:
quia in euangelio arbor foliis exuberans, cum in ea fru-
ctus non esset repertus exaruit: Sed cuncta carnis repu-
diata natura, sexus immemores, nil veremur: nec cum Matth. 21.
primo illo terreno homine, *Adã vbi es?* Deum fugientes
audimus: sed cum illo secundo cælesti, *Ego hodie genui te*, Gen. 3.
Deum sequentes audimus. Præputia itaque, quæ Adam Act. 13.

H transgressus acquirit, per subiectionem cœlestis obedientiæ respuentes, naturam circuncidimus vitiorum, & per vnam corporalis membri formam, omnes exercentes in præputium sensus, persequimur ac truncamus. Non enim naturam, sed naturæ superflua resecamus: sci- (Math. 5.) entes quoniam quidquid amplius est, à malo est. Sic domini dignationem consequimur, vt nos qui secundum carnem, præputium dicimur, id est, velut ignorantia quadam naturaliter obtecti: tamen reuelata facie gloriam domini speculemur, cum illi qui secundum carnem circuncisio dicuntur: tamen ne in legem introspiciant, obtentis præ facie obcæcentur aulæis. Euacuata est itaque circuncisionis figura corporeæ, & in vim nominis eius tota transcendit, quando etiam sic præputium circuncisio reputatur. Quod tunc euenit, si aut post verbũ domini, naturæ huius corruptæ acquiescimus blandimentis, & denuo incentiua sequimur vitiorum: aut etiam non circũcisi in carne, eam ipsam naturam cum suis persequentes, verbum domini, dum nũ custodimus, ob- B terimus. Porro hæc an ita se habeant, & fidei patrem, & circuncisionis interrogemus auctorem: quoniam ab ipso vtraque hæc & quæ ad mentem, & quæ ad corpus pertinent, processerunt. Ipse nobis respõdebit ex gestis: vtrũne illum Deo Iudaica circuncisio, an vero nostra hæc quã (Gen. 12.) dicimus commendarit: ac primum audità domino. *Exi de terra tua & de cognatione tua*. Sub hoc verbo tuata carnem in præputio constitutus, à parentibus se circuncidit, & patriam naturamque omnem, qua per affectum tenebatur abrumpens, verbum domini sequitur peregrinus. Hinc deinde ex coniuge sterili & annosa, id est, & contra virium naturæ, & contra conditionem deficiẽtis ætatis, posteritatis promittitur multitudo: non considerat corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ coniugis suæ, cui desierant fieri muliebria, etiã si ante sterilis non fuisset: sed in promissionem spem supponens, iustificationem credendo promeretur. Prius ergo quam in carne circuncidatur, eligitur. Prius enim scriptum est. *Credidit* (Rom. 4.) *Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Iubet igi- (Gen. 17.) C tur Deus. Circuncidatur omne masculinum vestrum: & circuncidemini carne præputij vestri. Addidit & significantiam huius rei, ne esset obscura: ait enim. *Et erit in signum testamenti inter me & vos*. Signum ad oculos pertinet, videlicet, vt eorũ esset agnitio, qui non putarent eum mundialem naturam per verbum domini respuisse: ac si qui essent illi qui Abrahæ fidem & virtutem operationis ignorarent, per signum velut per imaginem aliqua comparatione depictam, quid verum esset, agnoscerent. Deinde & propheta infideli populo, qui Deum ea eo quod videri non potest, nollet credere, signum visibile promit- (Esai 7.) tit dicendo. *Dabit vobis Deus vester ipse signum. Ecce vir-* (Math. 1.) *go in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Et ipsi Iudæi cum dominum tantũ in carne conspicerent, & fidem eius virtutibus denegarent, signum postulant de cœlo, nempe vt crederent si viderent. Deus ergo pro tempore cum Abrahæ posteritas paribus si posset vestigiis ingredi in fidem electionis suæ, notam in signo hoc voluit esse iustitiam, vt qui mundialem naturam animæ respuisset, ei circuncisio carnalis appareret in corpore: ac velut per hoc quod videtur, posset in- D telligi. Sic multa quæ à prophetis populo denuntiabantur, ab ipsis prius, à quibus præconabantur effecta sunt. Nudos in captiuitatem filios Israël esse ducendos, per prophetam iratus dominus minabatur: certè dictum iam ad partium omnium intelligentiam poterat intrare. Vadit tamen nudus ipse propheta per populos, & in se, quod aliis vaticinabatur, ostendit. Videt vulgus, non (Esa 20.) audit, & in Esaiæ corpore, quæ sibi erant ventura, cognoscit. Fit signum de vate & in libero adhuc populo amaritudinem sentit prophetæ captiui. Sic Abraham designat in carne quod exercebat in mente, & per nomen membri velut virtutem circuncisionis intelligit: non per hoc signum exprimens carnis, sed signum fidei. Denique post illam carnis circuncisionem suæ, si erat plenitudo iustitiæ: quare maiora adhuc Deus in Abraham fidei experimenta quærebat? Cur in patrio postmodum E tentatur affectu, si iam in illa circuncisione benedictionis summa tenebatur? Sed quoniam nõ in illa virtus, sed signum iubebatur esse virtutis, quæritur à singulari viro, vtrum ne qui iam & patriæ & cognationi renuntiasset, & circuncidi se passus esset, non parceret & filio? Quem vbi ad victimam non tristis exhibuit, pro digna pignoris impietate fit carnali pietate sublimior. Lucratur orbitatem, dum parricidium meditatur: & cum vnico non parcit in terris, stellas pro filiis annumerare iubetur in cœlis, carnalisque despector naturæ, in natura syderum collocatur: & humani contemptor seminis, pater vocatur astrorum. Sic fidelis non filio, sed præcepto, dum mandatum domini religionem ducit esse non crimen: dum offerre filium Deo sacrificium iudicat esse non parricidium, penè meruit præuidere, quod Deus ad tentationem probandæ mentis parricidium voluit offerri, sed noluit implere. Ab hac veritate, forma Iudaicæ circuncisionis admissa est: hæc nominis erat figura, non membri. Sic naturam nostram Deus voluit denudari, vt non in nobis aut cupiditas arderet, aut ambitio sudaret, aut affectus carneus præmineret, sed ab omnibus præputiis nos Dei F amur, & præsentium contemptus caueret. Dixit quidam satyricus gentium poëta. Probitas laudatur & alget. Testimonium hoc verum est: nullus eam stipat populus, nulla multitudo ambit, homo nullus amplectitur: & in mundo isto velut in nouercali domo horret, etiam necessariis deoperta, quamdiu non vestem suæ habuerit dignitatis? Age si videtur, totum tramitem veritatis per patriarcharum gesta velut per viua vestigia decurramus, vt circuncisionem quæ sanctificat demonstremus.

Transeo Isaac peregrinantem, quod ipsum in circuncisionis forma consistit: Rebeccamque propter Philisti- (Gen. 26.) norum insidias sororem de vxore dicentem. Quod æquè quam magni sacramenti sit, tibi existimandum relinquo. Taceo Iacob per duas annorum hebdomadas, matres duodecim tribuum seruitute mercantem: Omitto eius filios quos per patriam benedictionem & sanctitatem, naturalis quædam necessitas continebat. Ad Iob veniam, in aliam generationis lineam de Isaac germine iam prolapsum, nec inter duodecim Iacob filios hæredi- G tatum, per Esau genitum primitiuæ benedictionis extorrem, primogeniti dignitatibus expoliatum, inter Edom principes, qui Deo placeret, inuentum. Hic tamen an circuncisionem naturalem æquanimiter possit ferre, tentatur: Fit pauper ex diuite: sed hoc etiam seculi homines contemnere nouerunt. Tot orbitatibus vulneratur, quot successionibus gloriabatur. Exclamat forti voce, nudus cen- (Iob 1.) su, nudus & filiis, nudum se exisse de vtero matris suæ, nudum etiam iturum sub terras: dominum dedisse, dominũ abstulisse. O virũ naturam seculi respuẽtem, non se lacrymis, non se gemitibus nõ se etiam tenebris tradidisse: sed potius detrimenta pignorum, suscepisse adiumenta meritorum: dolorum victor, etiam sensu egenus, affectu sit fortior cum infirmatur, & in valle lacrymarum turrim occupat gloriarum. Vbi es in sola carne circumcisa Iudæa? Confer cum hoc viro pedem, concede & gloria: attolle te maiorum superba virtutibus: latusque tuum benedictis nobilium patriarcharum circumcinge H nominibus: vt in te iustificationum vetus illa virtus & auorum splendor appareat. Iacob aduersum te procedit in medium, sanguinis auctores non erubescens, nec per Esau inconcessam benedictionis sortem transfusione mentitus. Nam illa, nec prodesse nouimus, nec ob- (Ezech. 18. & 4.) esse, dicente domino *Anima patris, & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*. Ac proinde ei spes est, quod in his vincat te omnibus, & procedit plus sibi de virtute vendicans propria, quo minus ex gloria promittit aliena. Denique expoliatus Iob bonis omnibus, nil requirit. Tu Ægyptum in eremo post manna delinosa suspiras. Illum ab spe in Deo posita, tot malorũ tentamenta non auocant: te ad eam spem bonorum omnium blandimenta non prouocant. Ille manum domini sentiens, benedicit in vulnere: tu virtutibus de Pharaonis

iugo

A ligo extra non subiaces. Huic illi & pro circuncisis veniam postulare conceditur: tibi velut incircuncisæ Amorræus pater & mater ingeritur esse Cethea: Vt manifestè liqueat, & illum per virtutes operum, non per obseruantiam circuncisionis benedictionem sibi restaurasse, quam proauus amisit: & te per iactantiam circuncisionis virtutes, negligentem, eam benedictionem, quam Iacob sola subtilitate acquisierat, perdidisse. Quid enim sibi Iudæorum arrogantia non vsurpet? Iob iste, qui Deo placuit, quomodo gentis est inex, & circuncisus est? Fortè quoniam de Esau circuncisio hucusque generatur: licet in hoc non circuncisio fuerit prædicata, sed virtus: nec an sine præputio vixerit sit quærendum: sed quod nihil labiis suis peccauerit sit tenendum. Ad alienigenas, ad quos prouocant, veniamus: quoniam nullam nobis arborem exemplorum ager diuinorum omni ligno feracium plantationum, nec in eo germina de vimine, sed de fruge censentur. Ostendamus in Israël gloriam peregrinam: & benedictionis germé in ligno fluxisse non suo dicimus Ruth, quò magis confundantur in femina.

B *Esa. 11.* Promittitur per prophetas de radice Iesse virga pro nostra salute proditura: in quam flos conscenderet, qui vel solus vique pleni agri odore fragrarct præ consortibus suis: quem in odorem vnguentorum super omnia aromata lætitiæ oleo pater vnxisset. Hic tamen Iesse auiam non Israëliticam habuit, sed Moabitam. Cui tantum peregrinæ conceditur, quantum nulla de patriarcharum germine promeretur: vt suo vtero destinatæ benedictionis semen accipiat, & Israëli non Israëlita parturiat dignitatem: cornuque populi sui, in alterius populi benedictionibus aliena sustollat. Vnde istud, oro, promeruit? Credo, quia dicit socrui suæ. *Populus tuus, populus meus est: & Deus tuus, Deus meus est.* O *4 Reg. 2* virtutem viris etiam præferendam. Abrahæ fidem incircuncisæ gentis mulier imitatur, quam virilis circuncisio dereliquit, & per aliena vestigia meritum iustificationis ingreditur, à quibus maiorum cæca hæreditas deuiauit. Deos suos Moabita contemnit, cum tu Israël desideres alienos. Illa in vnum Deum suorum iam oblita coniurat,

C & tu post multitudinem fornicaris idolorum: hanc eligitur à Domino, hanc fit Israëlita mente non genere, fide non sanguine, virtute non tribu: hanc vsque adeo benedicitur, vt prophetarum illorum mater vocetur & regum. Lucet prorsus die clarius, regnum cælorum vim pati, & à vim facientibus inuadi, diripi, possideri: nec iustificationem gentis esse, sed vitæ: quando non circuncisi per frugem probitatis, aulam sanctificationis introeunt: & circuncisi in eadem aula geniti, per pudenda gestorum sceptrum sanctificationis amittunt. Sed rursum ad benedictum velut duodecim tribuum sanguinem redeamus: vt in eo iam tunc præcedens ecclesiastici mysterij veritatis vmbra probetur. Longum est singulorum formas enumerare sanctorum, eorumque gesta tuis, filia dilectissima, enarrare virtutibus: quid sit, quod Ioseph de domo Ægypti regis ne stupro subiaceset, veste

D *Gen. 39.* proiecta nudus aufugerit: quid sit, quod hic populus mare transierit, & Pharaonis non transiit exercitus & species labentis naturæ sub hominum pede mutatur. Quid est, quod ipsum mare euadentibus Ægyptium Iacob filius occurrat? Tibi hæc cuncta examinanda, & iuxta tuam vitam, & iuxta ecclesiæ mysteria derelinquo: vt in his veritate circuncisionis arcana, quam in Abraham aspicies, vacuatam formam signi Iudaici non mireris. Igitur quoniam strictim vniuersa dicenda sunt, ne in longum sermo procedat, seges mihi omnis simul Israëlitæ gentis est inuadenda, & in ea ipsius circuncisionis ventilandus effectus. Iesus Naue populos hæreditaturus in terris, prius illa omnia velut diuinæ plebis circumcidere iubetur examina: quasi verò non tota eremus per varias peccaminum plagas circuncisæ gentis ossibus albicaret. Quid ergo iubebat hoc fieri, quod peccari meritum non sanabat? Dicit Dominus, *fac tibi cultellos pe-* *Ios. 5.* *trinos nimis* [illegible]*tos.* Quid est, quod tantopere cauet, ne habeantur obtusi? *Nimis* ait *acutos*: vt videlicet non qui particulam aliquam corpusculi sui sensu doloris abscindant: sed multa lima atque vsu cotis assiduo, tenui acie

E mortiferos sensus mentis subtiliter discriminent. Circuncidit ergo, ni fallor, in illis Ægypti desiderium, murmurationem, contumaciam, idolorum fornicationem, consuetudinem peccandi, pro quibus iram Domini eorum sensere maiores. Et illius etiã sine dubio circuncidit metum positorum ante faciem præliorum. Nam iam ante quam terras promissas sibi, Iesu illas speculante, vidissent, gigantes ibi esse fortissimos conquerebantur, cum quibus manus conserere formidarent. Circuncidit & oculos, ne alienigenarum coniugia contra licitum concupiscant: aliudque in illis regionibus velint possidere quã terras. Non enim si non circuncidantur, sed si hæc negligant, per iram Domini moriũtur: quoniam illud signũ est benedicti, non meritum benedicendi. Sed pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas: quod non præfectione nescio cuius membri, sed naturæ nostræ circuncisione Dominus delectatur, in qua se cum etiam ille maior omnium prophetarum Ioannes circuncidit, non vestitur mollibus, non exquisitis ad gulam dapibus saginatur: sed in hoc mundo penè sine mundo est, cunctam desideriorum deserens curam mundialem. setosa durũ virũ

F horridani tegmina, non decorant: humifero esu, melleo tenuiter sudore saturatur: quæ alia circuncisio præstantior debebit inquiri? Denique hic non agnum illũ, quem in vmbra veritatis soliti etiã Iudæi habere pro Pascha, per quem mundi peccata non poterant aboleri: sed illũ verũ agnum, cuius omnis esset mortalitas cruore saluanda, relictis nonaginta & nouem ouibus, vnam gestari pastoris veri humeris primus agnouit, dicendo, *Ecce agnus Dei,* *Ioan. 1.* *ecce qui tollit peccata mundi.* Illud etiã in eo mirandum est, quod eremum elegerit, Domini prædicaturus aduentũ: non in tẽplis, non loquitur in plateis, multitudinẽ multitudini profuturus horrescit: & cur vox est clamãtis, si declinatur auditor? opus est vtique multitudo doctori. Et quę in eremo multitudo? Sine dubio nulla. Et quid faciet propheta, qui vox est & vox clamãtis? Elegit, ni fallor, locum non vbi eum nullus audiat, sed ad quem populos de naturę corruptæ conuersatione reducat, vt in propheta nouam vitam videntes, diuinam mirari discant, seque

G omnibus vitiis circũcisos in eremo esse patiantur. Locus ergo ipse forma doctrinæ est, & ipsa prædicatio solitudo est virtutum. Operatur habitatio dum vrbium frequentiam solicitus relinquit auditor, & eremum à contagione mundi velut à theatro hoc voluptatum auulsus ingreditur. Prohibet denique ne Abraham patre glorientur: videlicet quod eius vestigia non sequantur. Certe si ad circuncisionem illam Iudaicam veniamus, circuncidebantur, vt Abraham fuit circuncisus. Si ad sanguinem, cur filij Abrahæ non dicantur esse qui filij sunt? Sed & fidei pater non potest esse nisi credentium: & filij non de signo circuncisionis, sed de operis similitudine recognoscuntur. His ergo cum inhibebatur, ne se Abraham parẽte iactitarent, illud ostendebatur: non quia signum fidei illius, sed quia signum patrium non haberent. Tunc autẽ verè filij Abrahæ sunt dicendi, si ad formam parentis non facie, sed vita respõdeant. Si ad verbum Domini, nec patria diligatur, & filius possit occidi cum ipse etiam totus

H homo ille qui pro nobis mortuus est, pari debeat charitate cõmori. Sic Symeon senex. *Nunc dimittis,* ait, *Domine* *Luc. 2.* *seruũ tuum in pace. Quia viderũt oculi mei salutare tuũ.* Forma est vtiq; quod qui Christũ videt, iam sit seculo moriturus. Et hæc est circũcisio non adhuc sub tabernaculo significationis adũbrata, sed pręfiguratione veritatis occultata, etiam in lucẽ facis imagine expoliata procedens: quã Abraham priorum mysteriorum penè omnium initiator ostẽderat, cum post verbũ Domini locũ sibi à filiis Hæth, non vbi viueret, sed vbi moreretur acquirit. Magi quoq; adorato Domino, ne cui genti, vt docuimus, præputium corporale fraudi esset ad gloriam, suis se affectibus circuncidere, cum thesauris suis, id est, secretis mẽtiũ patefactis, animorũ motus mactauere pro munere, eosque morbos, per quos aliquid aut cupim⁹, aut metuimus, aut dolemus, velut ante pietatis arã & misericordię altare foderũt: vt vel in auro, auaritia: vel in thure, idololatria: vel in myrrha

A fieret Domino subiecta mortalitas: à quo eius vtique erat captiua ducenda captiuitas, & in hanc petram & sacra pecuniæ cupiditas, & profana errorum superstitio, & amara mortalitatis conditio, velut illisæ moreretentur, iam pridem Babyloni psalmista præcinente. *Beatus qui* Psalm. 136. *tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Sub his ergo magorum & nominibus & oblationibus, omnimode ille diuinorum operum interpellator exuitur. *Quoniam* 2.Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quis enim iam aut aurum sibi audeat possidere si Domini est? aut idolis thura concremare, si Christi sit? aut mortuum nisi mortuus sepelire, si myrrha iam viui est? Denique & à diabolo velut per hanc trium aleam tesseratum Dominus ipse tentatur. Nam & continentia in fame, & religio in adorando, & vita in præcipitio periclitatur. Sed facile cuncta superauit, quia pater & rex bonorum omnium thesaurorum, & sacerdos repositorum ante secula mysteriorum, & resurrectio destinatus fuit mortuorum.
B Magi tamen ex illo veteris vitæ reliquere vestigia: nouúque iter ingressi, vacui sarcinis, non vacui benedictione cantauerunt. *Reuertere anima mea in requiem tuam,* Psalm 114. *quia Dominus benefecit tibi.* Necnon ille, ad quem Luc 19. Dominus ingressus est, omni dicitur præputio circuncisus vitiorum: nam & dimidium ex substantia sua dat egenis: & si cui quid fraudauit, reddit in quadruplum. Ille vtique qui Dominum non poterat videre, dum diues esset, nisi postquam de terra, in qua cor ipsius videbatur esse cum thesauro, sycomorum, qua Dominus esset transiturus, ascendit. Tunc velut de cognata necessitate à crucifigendo conspectus in arbore cognoscitur, & filius dicitur Abrahæ. Cur dicitur? Nam si erat, testimonio non egebat. Sed quoniam non omnes erant filij Abrahæ, qui esse credebantur: hic de opere agnoscitur filius, non de gente: & virtute, non sanguine. Hæ circoncisiones sunt notæ de circuncisionis effectu. Iam ne vides filiam, iam ne consideras totam circuncisio-
C nem per operum formam, velut per quædam membrorum lineamenta deductam, & per actuum diuersitatem quasi colorum varietate depictam, in vnum tamen iustificationis apicem virtutum gradibus impletam? Cernis alium patriam relinquentem, nec de parricidio dubitantem: alium tanti census naufragium non curantem, nec in orbitatibus lacrymantem, imo & in putredine corporis sui de peccato potius coniugis, quam suo vulnere suspirantem. Illam populos suos deosque deserentem, nec in alienam gentem inopem virilis auxilij venire metuentem. Hunc repromissionis ingressurum terras, cultellosque animorum non in ense ponentem, sed de caute facientem, vt ex se habeat petrinus quod ferreus acquirit aliunde. Alium in solitudine viam Domini præparantem, & rectas semitas in eremo facientem. Alium porro dimitti de seculo deprecantem, & pacem Domini malle quam mundi. Hos vero suis affectibus spoliatos, in auro, thure & myrrha conuersationum itinere mutato, qui per Herodem venerant, per angelum redeuntes. Istum etiam nunc aceruos fraudium cum fœnore remouentem, & Abrahæ filium non naturæ beneficio, sed gestorum suffragio nuncupatum, vt euiden-
D ter appareret omnem mundi naturam per singulorum operationes fuisse dimissam. Sed quoniam tanquam circa nuptialis conuiuij finem, penè vinum quod per patriarchas ministrabatur expendimus, & nouum cœpimus aquarum conuersione libare, de nouis quoque vtribus aliqua proferamus, vt quale sit quod receperunt, de eo quod ipsi redolent, æstimemus. Feruet quidem vniformiter per omnium apostolorum mentes plenis musto pectoribus, & mensuram corpoream inondatio spiritalis excedens, ebrietatem non cœlat gloriosam. Nobis tamen ab illo est incipiendum, à quo hauriendi sitis est inchoata: vt ex desiderij magnitudine, sacræ infusionis plenitudinem doceamus, ex vino sitim parilem sociorum, non auara diuinæ sobrietatis propinatione propinatam. Ecce inclytam sodalitatem. Augustum caput Petrus extulit, noui signifer testamenti & in creatione eius primitiuus: alius quod sine dubitatione loquor, Abraham, nescio an maior, certè quod sentio, non secundus. Illi generatio larga promittitur, huic generatio pascenda committitur. Ab illo iustificanda proceduot, in hoc iustificata fundantur: ita quod ille sperat, hic accipit. Illi dicitur: *Faciam te in gentem magnam.* Huic dicitur. *Faciam te piscatorem hominum.* Illi dicitur. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Huic dicitur: *Iudicabis duodecim tribus* Matth. 4. *Israel.* Illi dicitur: *Vt stella erit semen tuum.* Huic dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Ac per hoc ille fœcunditate seminis benedicti impletur: hic ante semen ipsum euangelizaturus asciscitur. Abrahæ pro filiis claritas monstratur astrorum: sed Petro traduntur regna cælorum, videlicet vt in ea sine Petro, nec filij Abrahæ possint intrare. Hic ergo non quo circuncisus sit iuxta gentem suam apud Dominum gloriatur, sed dicit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid erit nobis?* Quæ sunt ista omnia apud eum, qui præter instrumentum artis piscatoriæ nihil habebat. Omnia inquit, vtique quæ ad concupiscentias mundus ingerit, quæ præputia possunt dici, si congregantur ad lenocinia peccati: quæ vehementius præcidenda succrescunt, si cum prouentu mentitæ felicitatis adulantur interioremque illam mentis nostræ naturam circunuestire nituntur, vt maioribus tenebris ipsum etiam quod nobis pro lumine datum est, tenebrescat. *Omnia,* inquit Apostolus, *reliquimus, & secuti sumus te.* In fidem veteris exempli nepotum virtus tam sera quam mira, per discipulum primogenitum nouæ iustificationis aspirat: & obsolescentibus iam penè imaginib. veritatis, Abraham reformatur in Petro: omnia se reliquisse testatur: non in alto fluctuat, artis cura non geritur, nec socrus ægra sine Domino visitatur. Omnis singularis viri affectus in Christo est: hunc sequitur substantiæ contemptor, studij negligens, affinitatis oblitus: & id quod Abrahæ, vt faceret, imperatum est, hic iam fecisse non cælat: videlicet vt simili circuncisione sicut virtutis hæres est, fiat hæres gloriæ. Omnia, inquit, reliquimus, & secuti sumus te, quid erit nobis? Cunctis, ni fallor, veteribus euacuatis, calicem noui desiderat testamenti. Nam & imputat quod reliquit in compensatione dum quærit. Omnia, ait, reliquimus, & secuti sumus te. Quid erit nobis? Hoc est dicere, totis vitæ prioris vitiis desecatis, in forma vtris in pruina iacentis, dum te sequor exarui: nihilque in hoc mundo præter te, quo impleri cuperem elegi, cuius non frustra huiusmodi siccitas sancti Spiritus vbertate pensatur: per quam ebrietatem nouæ gratiæ in se Apostolus ipse, dum linguis infidelium infamatur, agnouit. Sed & cæteri apostoli eiusdem musti spumauere feruore, & vnius botryonis superfluenti maduere vindemia: qui tamen in odorem eius nectaris ad beati Petri similitudinem concurrerunt. Aspice illos geminum sydus in terris, nec in cassum tonitrui filios nuncupatos, cymbam, linum, patremque deserentes, nec victus sollicitudine dubitantes, nec officij visibus inhærentes, nec potestatem paternam reuerentes, sumptu, negotiatione, affectione castratos: Quid aliud vtique quam natura seculi circumcisos veste, fluctu arida, manu sicca ære, corde pietate non molli nudo etiam de nauali parata vestigio? Credo ad eam formam iam tunc & Moysi, vt pedum solueret vincula, præceptum est. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.* Et ideo non sunt velanda quæ pulchra sunt in conspectu Rom 10. Domini, nec mortuis vestienda quæ vita diligit. Hunc rursus respicit de teloneo publicanum, quæstum damnantem, consuetudinem respuentem, & nomen actus Matth. 9. fidei nomine commutantem, vt ab omnibus omnino non pars corporis, sed natura prorsus iniquæ consuetudinis circuncisa monstretur. Totum diceret nouæ vocationis examen, nisi similibus conuenirent, & eandem virtutem haberet diuersitas personarum, naturamque mundialem multitudo licet hominum, vno tamen contemptu rerum velut falce succideret. Et quoniam satis abundeque exempla & veterum protulimus & nouorum, mentisque cursum ne velut cæca nocte ad ignorantiæ scopulos deueniret, sanctorum imaginibus quasi per sermonem cœli notandis syderibus instruximus: nunc ex obscuro noctis egressi: non solum diem & solem

Marginal notes (right column): E; Gen. 12.; Matth. 4.; Gen. 15.; Matth. 19.; Gen. 22. & 26.; Matth. 16.; Matth. 19.; F; G; H; Rom 10.; Matth. 9.

A solem, sed ipsius solis & luminis lumen, sub quo errari non potest, contemplemur. Illorum enim quærit ipsa multitudo iudicium, & in copiosa formarum necesse est vt eueniat subinde similitudo flammarum: vt sæpe nautis confusæ attonitis per pauorem, vt lucifer vesperum, & vesper luciferum mentiatur: solis sine societate parili sola est claritudo miranda, cum dubia etiam sub nubilo à similitudine sit vendicata si patuit. Ac per hoc etiamnum Dominus, quoniam carnem sumpsit, & homo esse dignatus est, aliquid tale fecerit requiramus: vt velut solem sub nubilo, ita sub specie corporali etiam id quod radiauerit admiremur: aliumque potius opponamus, quam ipsum aliunde sumpsisse credamus. Quem autem alium pro fide diuina humanaque in hoc seculi pelago nunquam sine metu naufragij nauigantes ad dirigendum veritatis cursum sequemur, quam illum qui disclusa penitus paruitate sui, solus etiam cum pro nobis in nostra carne obscuratur, immensus est. Qui nec in homine potest celari, cum mortalitatis naturam substantia diuinitatis exuperat, qui non elementum, sed virtus elementorum est: in quo tenemus initium & consummationem & medietatem omnium: B per quem solum solis & anni cursus sunt, & stellarum dispositiones, mensium quoque mutationes: quoniam in ipso vetera transierunt, & *facta sunt omnia noua*. (2. Cor. 5) Et cum Magorum iter eius stella duxerit, quid mirum erit, si nos quoque gestorum eius claritas, velut ipso thesauro immensi fulgoris instruxerit? Atque vtinam ad certam dationem tanti splendoris & luminis, nostrorum oculorum aperiatur infirmitas: vt ille se subtraheret & negaret, inquis? non, sed palam omnibus cælestis splendor appareret: modo ad eum sequax mens amica voluntate conuertatur, in solo inueniet plenitudinem quàm guttatim per singulos colligebat. Octauo die circunciditur à matre, vtique quasi homo qui promissus fuerat ipsi Abrahæ, cum de circuncisione doceretur, dicente Domino. *Et erit testamentum meum in carne vestra in testamento æterno*, Dei testamentum in nostra carne, (Gen. 17.) esse, Domino in nostra carne dignitate quis dubitat? Illudque testamentum æternum videri quod citharis & C psalterijs psalleretur. Cuius rei quoniã prolixa est disputatio, & necessaria videtur esse transcursio, ne per ramorum copiã robur ipsum propositæ materiæ derelinquens, incastigata erret effusio: præsertim cum mihi difficilius sit naturam eius implere quàm quærere, & satis superfluum mœrentibus brachiis laborare: quanquam ipsam materiam gracile non sustentet ingenium, & necessarium penè sit, vt & disputationibus aliquib. circuncidamur, dum de circuncisione tractamus: quando nobis ad excusandã etiam imperitiam nostram, opportunitatem materiæ ipsius præstet autoritas. Igitur ad propositum redeuntes, interrogemus ipsum hominem suum: nam de Domino loquebamur, ipso qui erat in homine circunciso, cum iam secundum legem circuncisus haberetur, clamat vt euangelista testatur. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos suos vbi requiescant, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. (Matth. 8.) Rogo hic vbi sub Cyrino census inuestigatio, vbi edictum Cæsaris? vbi necessitas profitendi? vbi Ioseph ipsa professio? Noua ratio, illic D habet nihil quod descriptor inueniat, & verè. Nulla enim Dominum seculo mancipata delectant, nec sibi vsurpat quicquam quod vel Cæsari, vel mundo voluit esse caprinum: docens nullum duobus Dominis posse seruire. Circunciditur ergo hæreditate Ioseph & Maria, nihilque sibi de mundialibus vendicat sub tributo, qui vtique eis dixerat. *Nescitis quia oportet me in paternis meis esse*: (Luc. 2.) scilicet in templo, non in seculo: nõ in sacrificiorum mysterio, non in malignantium concilio; in paternis vtique spiritalibus: (Matth. 21.) nam patrem in carnalibus non habebat. Denique de eo templo & oues abegit & boues, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit. Sic templum etiam ipsum, quod figura est corporis sui, carnali concupiscentia circuncidit? Vt intelligeret homo hæc sibi in sua mente esse facienda, nec sanè suis parcit affectibus: nam cum gladium, quo alios circuncidebat docendo. *Si quis amauerit patrem & matrem supra me, non est* (Matth. 10.) *me dignus*, E sua conuertit in viscera, & sibiipsi facit, quod credentibus est facturus, cum dicit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei*. (Matth. 12.) O mysterium: matrem Mariam sibi Dominus abiurat, cum extra verbi esset audientiam constituta: eo potissimum tempore quo verbum prædicaretur à verbo, & ipsum se ministrãdum discipulis ministraret: quod apertius postmodum in illa vnguenti effusione patefecit, dicendo. *Me autem non semper habebitis*. (Matth. 26.) Irascitur ergo cum eum magistrum vita docenda non eligat, qui eam matrem per virginem parturiendus elegit; & cur ad eum quem extranei etiam tam facile interpellare possent, mater nollet intrare: nam fratres eius necdum credebant in ipsum. Quis hic erit rogo, qui excusationem præferat aut gratiæ, aut amori, si & Mariam merito nulla vincit, & Christum Dominum nostrum nemo superat pietate. Illa mater enim negatur à filio, vt vera illa circuncisio doceatur: quoniam magister & parens vitæ debuit viuere, prout docebat esse viuendum. Hic est ille gladius fœmoralis, quo Leuitæ suos propinquos & proximos occiderunt: quo etiam Dominus ipse à patre iubetur accingi: quem omnes capiunt: qui seipsos castrauerunt pro- F pter regnum cœlorum: quem gladium Dominus mittit in terras, vt filium separet à patre, filiam à matre sua, nurum à socru sua. Hoc gladio etiam Beatus Paulus ecclesiam circumcidit: dicens. *Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui emunt, tanquam non possidentes sint: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*. (Matth. 19. 1 Cor. 7.)

Hic, totus iustitiæ virtus, hic ratio est circuncisa omni carne, id est, parentum, fratrum, cognatorum, affinitatum, nullum amplius amare quàm Dominum, vt ad crucis imaginem Dei verbo, non ad aliquos mundi actus, moueantur affixi matrem commendare discipulo. Res loquitur ipsa, cur illa pars corporis, per quam Iudæus se autumat iustificari, defectioni adiudicata videatur: adeo vt difficilius fuerit modum adhibuisse sermoni, quam argumenta requisisse: & hanc veram esse circuncisionem, si abrenunciantes mundo, ex quo iuxta carnem nostra natura est, & parentibus, & quæ fidei scan- G dalum faciunt circuncisis, oculo etiam & manu & pede, nudi & soli, debiles, etiam si fieri potest, Dominum sectemur: cantantes verè. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me*: (Psal. 26.) vt à Domino mereamur assumi: & corporea denudati natura, spiritalium indumentis actuũ gloriosius vestiamur: scientes quoniam quod de carne nascitur, caro est: & quod de spiritu, spiritus est: dicente Apostolo *Et si cognouerimus Christum secundũ carnem, verum iam non nouimus*, (Gal 6.) in quo nobis mundus crucifixus est, & nos mundo: vt præputijs quæ sunt in superficie cõuersationis abscisis, nudum illud & solum nostræ generationis secretum, quod superfluis tegebatur, appareat. *Si enim fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis nos*, (Matth 6.) si fide modicos non esse præuideret? Cultello itaque petrino corporis nostri circũcidenda est natura. Petra autem Christus est: cuius cultellus amor est, quo crescente in nobis, seculi desideria decrescent.

Quem qui amauerit, dicit patri, non noui te: natiuitatemque circumcidens suam, nec vt patrem sepeliat mortuum separabitur à Christo: & expoliatus veterem H hominem cum actibus suis, quod præputium est, aliam naturam suæ videbit esse substantiæ, id est, vt sicut primus homo terrenus à terra: ita secundus cœlestis incipiat esse ex cœlo: nec dicet iam, cuius circuncisa est natura, patrem, præter eum qui in cœlis est se habere: sed præcepto Domini lucido, illuminatis oculis, sedere ad dextram virtutis Dei filium hominis agnoscat. Obterendæ sunt omnes animi voluptates, & relinquenda studia delectationum: quoniam hic circuncisionis est veritas, non figura. Nitendum in summa, vt cunctis naturalibus amputatis, conuersatio nostra tendat ad cœlum, vbi Christus est ad dexteram Dei. (Coloss. 3.) Quod ita verum erit, si ludi, si iocus, si conuiuium, si sermo penè familiarium deserantur: & tamen qui circunciduntur arescunt, vt non nos mundo, qui vitæ imagines sumus,

A ſed mundus nobis mortuus eſſe credatur: nec adglutinari eorum aliqua quæ circuncisa ſunt inimici arte ſinãtur: ſed clamemus, ſedit ſanguis circuncisionis: vt cum in nobis vitæ calculus cœperit operari, in quo nomen nouum ſolus nouit ille, qui accepit, non timeamus in loco reuelationis occidi: quinimo & impuiâtes aliqua noſtro Domino per amorem: nam & operarius ibi benignus admittitur, vt ſuperius in B. Petro nouæ gratiæ ſuſceptore didicimus: tota credulitatis noſtræ harmonia intortis vehe-
Pſalm. 16. mentius per artem fidibus reſultemus. *Propter verba labiorum tuorum, Domine, ego cuſtodiui vias duras.* An ne eſt aliquid tam durum, tam ferreum, quam repugnare naturæ? Et cum omnia in mundo per Deum nobis ſint facta, ipſos nos velut non noſtra circunſtent repellere nun videre: mundumque ipſum nobis ſe cum omnibus diuitiis & pulchritudinibus ſuis ingerentem manu quadam re-
B pudiare virtutis: obſeratiſque omnibus ſenſibus, quibus ad animam ſubſtantia vitalis accedit, penè ad imaginem obrigeſcere mortuorum. Non viſu, non auditu, non odore, non tactu, non ſapore capi: & in natura corporis naturam corpoream non habere: hominemque ſe quod homo ſit obliuiſci: cum tamen hoc ipſo quòd ambiat non teneri, quia verè quod homo ſit teneat, & eo magis deſpiciat ſe, quò ſe magis agnouerit. Tum quia durum eſt præſentia ſibi abdicare dum viuit: & futura ſperare poſt vitã. Hæc natura corporis: hoc, vt diximus, niſi circuncisa non patitur, facileque ſe geſtit iactari in ſuis, ſibi cernens terras, ſibi maria, ſibi videns ſolem & vniuerſa cœli aſtra ſeruire: & quando ſe fraudari à terreſtribus patietur, cum dominetur & cælo? Tantorum ergo elementorum tam importuno circumuenta famulatu, vſque ad obliuionem ſuæ conditionis inducitur: & in deſpectu totius ſublimata mundi, vincere ipſa ex eo quod ſibi obſequuntur præſumit elementa. Hinc montes ſcrobibus fodiendo, hinc
C valles ſubſtructionibus opplendo, hinc maria molibus arando, nunc arida irriguis fœcundando, nunc ſtagna paludeſque ſiccando, vel campos conſitis nemoribus veſtiendo, ac ſyluoſorum montium iuga, vetuſtis nemoribus denudando, vt penè dominam ſe naturæ eſſe non credat, ſi fecerit aliter. Cuius naturæ concuſſione, natura noſtra his meditationibus agitatur: durum eſt vias Domini cuſtodire, in quibus non experimentis, ſed detrimẽtis potentiæ deſudatur: nec quæritur vt ſupra nos quod amat vniuerſa mortalitas, ſed vt ſub nos vita dicatur: ne amplius nos exiſtimando quam ſumus, incipiamus, nec id obtinere quod ſumus: cum per hoc ipſum, ſi velimus deſpicere quod ſumus, mereamur in melius eſſe quam ſumus, dicente Domino, & noſtræ illi imputationi quam
Matth. 19. præſumimus ſubſcribente. *Amen dico vobis, nemo eſt qui relinquat domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat centuplum in tempore hoc, & in ſeculo venturo vitam æternam hæreditabit.*

Et talibus promiſſionibus viæ illæ duræ, quas ob verbum Domini cuſtodire neceſſe eſt, molliuntur, in quarum cuſtodia vtique multa retributio eſt. His mercedibus inuitamur quos oportebat & cogi, dum velle nos ambit quod poterat & iubere. Denique cum verbum
D vitæ durum dicerent eſſe ſermonem, & ob hoc turbati omnes qui eum ſequebantur, abſcederent, reſpiciens
Ioan. 6. diſcipulos ſuos: numquid nam & ipſi abire vellent, inquirit iratus: adeo eligit potius ſe nobis bona omnia debere, ſi volumus, quam imperare ſi cogimur: dicente
1. Corinth 9. Apoſtolo. *Si enim volens hoc ago, mercedem accipio: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Hæc voluntas fœmoralis illius vagina cultelli eſt: quæ vbi in ſe amorẽ Dei, quem cultellum eſſe diximus, receperit, merebitur intel-
Matth. 11. ligere Dominum vera prædicaſſe. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & ſarcina mea leuis eſt.* Quoniam ſuperfluis omnibus amputatis, & cũctis oneribus circuncisis, beluæ quadam ſarcinalis imagine tenuata: verè etiam nos cum pſalmiſta dicimus, qui vel per glaciem, vel per liquidam etiam mollemque ſubſtantiam anguſtum illud acus foramen tranſire poſſumus, quod introire qui in equis ſperant & curribus non valebunt: quoniam tales etiam via

E illa quæ lata eſt, & ſpacioſa vix capiet. Laborum itaque arduos montes, & difficultatum propemodum muros, quibus cæleſtia ab humanis velut prouinciæ cuiuſdã limitibus ſeparantur, diuina inuitatrix munificentia liberalitaſque deplanat. Et ſicut tubis ſacerdotalibus muros illius Hiericho: ita prophetarum vocibus turrim noſtri intentus elidet, ſi modo contra ſpem in ſpe credentes, & quodam concitatorum luminum, videndi ſaliente tranſpectu, in fraudem præſentium caducorum, promiſſa tanquam manibus iam apprehenſa miremur: & hac circuncisi natura in aliamque naturam tranſpoſiti, mente illa & animo teneamus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Dominus his qui diligunt eum: de quorum numero non eſt, niſi qui per demonſtratam ſuperius circuncisionem velut cum Domino confixus in cruce, ſemper peccatis ſuis paſſione eſt dignus. Ille vero Dominum noſtrum dignum tali paſſione non credens dixerit. *Domine memor eſto mei, cum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. Quem, dum adhuc loquitur, ipſe F Dominus promptus interpellantis auditor conſolari (vt conſueuit) pro ſua pietate dignatur, dicendo, Forti animo eſto. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

EPISTOLA XXI.

DE CELEBRATIONE Paſchæ.

LEctis literis tuis, vbi me commonuiſti, vt debitum redderem de reſiduis enodandis quæſtionibus, quas iam longè ante quæſieras, gratiſſimum mihi atque chariſſimum deſiderium ſtudij tui amplius tolerare non potui. Et quamuis in mediis aceruis occupationum mearum hanc feci præcipuam, vt ad ea quæ me interrogaſti, tibi G reſponderem. Diutius autem de tua epiſtola diſputare nolo, ne hoc ipſum me impediat iam tandem redhibere quod debeo. Quæris, quæ cauſa ſit cur anniuerſarius dies celebrandæ Dominicæ paſſionis non ad eundem redeat anni diem, ſicut dies qua traditur natus. Et deinde ſubiungis, ſi hoc ſit propter ſabbathum & lunam: quid ſibi velit in hac re obſeruatio ſabbathi & lunæ. Hic primum oportet vt noueris diem natalem Domini non in ſacramẽto celebrari, ſed tantum in memoriam reuocari, quod natus ſit: ac per hoc nihil opus erit, niſi reuolutum diem anni, quo ipſa res acta eſt feſta deuotione ſignari. Sacramentum eſt autem in alia celebratione, cum rei geſtæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt. Eo itaque modo agimus Paſcha, vt non id ſolum quod factum eſt, in memoriam reuocemus, id eſt, quod mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit: ſed etiam vt cætera quæ euangelium atteſtatur, ad ſacratam ſignificationem non omittamus.

Quia enim, ſicut dicit Apoſtolus. *Mortuus eſt propter delicta noſtra: & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram,* Rom 4 H
tranſitus quidem de morte ad vitam in illa paſſione Domini & reſurrectione ſacratus eſt. Nam etiam vocabulum ipſum quod Paſcha dicitur, non Græcum, ſicut vulgo videri ſolet, ſed Hebræum eſſe dicunt, qui linguam vtranque nouerunt. Neque enim à paſſione (quoniam παθεῖν Græcè, Latinè dicitur pati) ſed ab eo quod tranſitur, vt dixi, de morte ad vitam, Hebræo verbo res appellata eſt. In quo eloquio Paſcha tranſitus dicitur, ſicut perhibent qui hoc ſciunt. Quod voluit & ipſe Dominus tangere, cum ait. *Qui credit in me, tranſiet de morte in* Ioan. 5.
vitam: & maxime idem euangeliſta hoc intelligitur exprimere voluiſſe, cum celebraturo Domino Paſcha cum diſcipulis, vbi cœnam eis myſticam dedit. *Cum* Ioan. 13.
vidiſſet, inquit, *Ieſus, quia venit eius hora, vt tranſiret de morte* ſeu de hoc mundo ad patrem. Trãſitus ergo de hac vita mortali in aliam vitam immortalem (hoc eſt enim de morte ad vitam) in paſſione & reſurrectione Domini commendatur. Hic tranſitus à nobis modo agitur

per fidem,

A per fidem, quæ nobis est in remissionem peccatorum in
spem vitæ æternæ diligentibus Deum & proximum: quia
Gal. 5 *fides per dilectionem operatur.* Et iustus ex fide viuit. *Spes*
Rom. 1 *autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis: quid*
Rom. 8 *sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patien-*
tiam expectamus, secundum hanc fidem, & spem & dile-
ctionem, qua cœpimus esse sub gratia: iam commortui
sumus cum Christo, & consepulti illi per baptismum, si-
cut dicit Apostolus. Quia & vetus homo noster simul
confixus est cruci cum illo: & resurreximus cum illo: quia
& simul nos excitauit, & simul sedere fecit in cælestibus.
Vnde est & illa exhortatio. Si *autem resurrexistis cum*
Coloss. 3. *cum Christo, quæ sursum sunt quærite: vbi Christus est ad*
dexteram Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ
super terram. Sed quod sequitur & dicit. *Mortui enim*
estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, cum
Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo appa-
rebitis in gloria: satis indicat quid velit intelligi, quia
tunc transitus noster de morte ad vitam, qui fit per fi-
dem, in spe peragitur futuræ in fine resurrectionis &
gloriæ: cum corruptibile hoc, id est, caro ista, in qua
B gemimus, induet incorruptionem, & mortale hoc in-
Cor. 3. duet immortalitatem. Non enim iam quidem habemus
per fidem primitias spiritus, sed adhuc in nobis metipsis
ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptio-
nem corporis nostri: *Spe enim salui facti sumus.* In hac
spe cum sumus, *corpus quidem mortuum est propter pec-*
catum: spiritus autem vita est propter iustitiam. Sed vide
Rom 8. quod sequitur. Si *autem spiritus eius*, inquit, *qui susci-*
tauit Christum Iesum à mortuis habitat in vobis: qui sus-
citauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia cor-
pora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Hoc
igitur ecclesia vniuersa quæ in peregrinatione mortalita-
tis inuenta est, expectat in fine seculi, quod in Domini
nostri Iesu Christi corpore præmonstratum est, qui est
primogenitus à mortuis; quia corpus eius, cuius caput est
ipse, non nisi ecclesia est. Nonnulli etiam attendentes ver-
ba quæ continuè dicit Apostolus, Quia & mortui sumus
cum Christo, & resurreximus cum eo, nec intelligentes
quatenus dicantur: arbitrati sunt iam factam esse resur-
rectionem, nec vllam vlterius in fine temporum esse spe-
randam. Ex quibus est, inquit, Hymenæus & Philetus,
C qui circa veritatem aberrauerunt, dicentes resurrectio-
nem iam factam esse, & fidem quorundam subuerterunt.
Idē Apostolus eos arguens detestatur: qui tamē dicit nos
resurrexisse cum Christo. Vnde, nisi quia hoc per fidem,
& spem, & dilectionem factum esse dicit in nobis, secun-
dum primitias spiritus? Sed quia spes: quæ videtur non est
spes, & ideo si quod non videmus speramus per patien-
tiam expectamus. Restat vtique redemptio corporis no-
stri, quam expectantes in nobismetipsis ingemiscimus.
Vnde est illud. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.*
Rom. 12. Hæc igitur innouatio vitæ nostræ, est quidem transitus à
morte ad vitam: qui fit primo per fidem, vt in spe gau-
deamus, & in tribulatione patientes simus, dum adhuc
exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur
de die in diem, propter initium nouæ vitæ, propter nouū
hominem, quem iubemur induere & exuere veterem, ex-
D purgantes vetus fermentum, vt simus *noua conspersio*,
1.Cor.5. quoniam *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Propter
hanc ergo vitæ nouitatem, primus mensis in anni men-
sibus celebrationi huic attributus est. Nam ipse dicitur &
mensis nouorum. Quia vero in toto tempore seculi, nunc
tertium tempus apparuit: ideo resurrectio Domini tri-
duana est.

Primum enim tempus est ante legem, secundum sub
lege, tertium sub gratia: vbi iam manifestatio est sacra-
menti prius occulti in prophetico ænigmate. Hoc ergo
& in lunari numero significatur. Quia enim septena-
rius numerus solet in scripturis ad quandam perfectio-
nem mysticus apparere, tertia hebdomada lunæ Pascha
celebratur, id est, qui dies occurrerit à quartadecima in
vigesimam primam. Est illic & aliud sacramentum, quod
si tibi obscurum fuerit, quia in talibus inquisitionibus
minus eruditus es, non contristeris. Nec ideo me putes E
esse meliorem, quia in studiis hæc puerilibus didici. *Qui*
enim gloriatur, in eo glorietur inquit, *scire & intelligere;* Hier. 9.
quia ego sum Dominus. Nonnulli ergo studiosi talium re-
rum quæsierunt multū de motibus & numeris syderū. Et
qui subtilius scrutati sunt ista, incrementa & decrementa
lunaria, ex cōuersione globi eius coniecerunt. Non quod
aliquid substātiæ vel accedat ei cum augetur, vel decedat
cū minuitur. Quod delyramentū imperiti Manichæi opi-
nantes, repleri eam dixerunt, sicut repletur nauis ex fu-
gitiua diei parte: quā cōmistam principibus tenebrarum,
& horum sordibus inquinatā, corde & ore sacrilego, &
credere, & loqui non dubitant. Hinc ergo impleri lunam
dicunt, cum magna pars diei magnis laboribus ab in-
quinamento purgata, de toto mundo atque omnibus
cloacis fugiens redditur Deo lugenti dum redeat. Re-
pleri verò per mensem dimidium, & alio dimidio in so-
lem refundi velut in aliam nauem. Nec tamen inter illas
anathematizandas blasphemias aliquid vnquam fin-
gere potuerunt, cur vel incipiens lucere, vel desinens,
corniculato lumine fulgeat: aut cur à dimidio mense
incipiat minui, & non ad refundendum plena perue-
niat. Illi ergo qui hæc certis numeris indagarunt, ita vt
& defectus solis & lunæ, non solum cur fierent, sed e-
tiam quando futuri essent longe ante prædicerent, & eos F
determinatis interuallis temporum, canonica supputa-
tione præfigerent, literisque mandarent, quas modo
qui legunt atque intelligunt, nihilominus eos prædi-
cunt, nec aliter aut alias accidunt quam prædicunt. Ta-
les ergo (quibus non est ignoscendum, sicut scriptura
sancta dicit. Quia cum tantum valerent scire vt possent
æstimare seculum, quomodo Dominum eius supplici
pietate non facilius inuenerunt) ex ipsis cornibus lunæ,
quæ à sole auersa sunt, siue crescentis, siue decrescentis,
coniecerunt eam vel à sole illustrari: & quanto magis ab
eo recederet, tanto magis ab ea parte quæ terris appareret,
radios eius excipere: quanto autem ad eum magis post
dimidium mensem ex alio semicirculo propinquaret, tan-
to magis à superiori parte illustrata, ab ea parte quam
terris auerteret, non posse excipere radios: & propterea
videri decrescere: vel si haberet suum lumen, illud habe-
ret ex vna parte in hemisphærio, quam partem cum rece-
dens à sole paulatim terris ostenderet, quasi augmenta
monstrare, dum non addatur quod deerat, sed perdatur G
quod inerat, ac rursum paulatim abscondere quod pate-
bat & ideo videri decrescere. Sed quodlibet horum duo-
rum sit: illud certè manifestum est, & cuius aduertenti
facile cognitu, quod luna non augeatur ad oculos no-
stros, nisi à sole recedendo: neque minuatur, nisi ad so-
lem ex parte alia appropinquando. Attende nunc quod
in prouerbiis legimus. *Sapiens sicut sol permanet, stultus* Eccle. 27.
autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens qui perma-
net, nisi sol ille iustitiæ, de quo dicitur: *Ortus est mihi sol*
iustitiæ: & quem sibi non fuisse ortum, in die nouissima,
plangentes impij dicturi sunt. *Et iustitiæ lumen non luxit* Malach. 4.
nobis, & sol non est ortus nobis? Nam istum carnis oculis
visibilem solem facit oriri super bonos & malos Deus: qui
etiam pluit super iustos & iniustos. Ducuntur autem
semper ex rebus visibilibus inuisibiliū congruæ similitu-
dines. Quis ergo est ille stultus qui tanquā luna mutatur:
nisi Adam in quo omnes peccauerunt? Anima quippe
humana recedens à sole iustitiæ, ab illa scilicet interna
contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires H
suas in terrena conuertit, & eo magis magisque obscu-
ratur in interioribus ac superioribus sui: sed cum redire
cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quanto
magis ei propinquat affectu pietatis, tanto magis exte-
rior homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in
diem, omnisque lux illa ingenij, quæ ad inferiora verge-
bat, ad superiora conuertitur, & à terrenis quodammo-
do aufertur: vt magis magisque huic seculo moriatur, &
vita eius abscondatur cum Christo in Deo: Mutatur er-
go in deterius ad exteriora progrediens, & *in vita sua pro-*
iciens intima sua: & hoc terræ, id est, eis qui terrena sa-
piunt melius videtur, cum *laudatur peccator in desiderijs*

A *animæ suæ: & qui inique gerit benedicitur.* Mutatur autem in melius, cum intentionem suam & gloriam à terrenis: quæ in hoc seculo apparent, paulatim auertit: & ad superiora interiora conuertit: & hoc terræ, id est, eis qui terrena sapiunt, deterius videtur. Vnde illi impij postremam infructuosam agentes pœnitentiam, etiam hoc sunt inter multa dicturi. *Hi sunt quos aliquando habuimus in*
Sap. 5. *derisum, & in similitudinem improperij: Nos insensati vitam eorum æstimabamus insaniam.* Ac per hoc Spiritus sanctus de visibilibus ad inuisibilia, & de corporalibus ad spiritualia sacramenta similitudinem ducens, transitū illū de alia vita in aliam vitam, quod pascha vocatur, à quartadecima luna voluit obseruari: vt non solum propter tempus tertium quod supra memoraui (quia inde incœpit hebdomada tertia) sed etiam propter ipsam tertiam conuersionem, ab exterioribus ad interiora lunæ similitudo assumeretur: vsque ad vicesimam vero & primam, propter ipsum numerum septenarium, quo vniuersitatis signatio sæpe figuratur: qui etiam ipsi ecclesiæ tribui-
B tur propter instar vniuersitatis: ideo Ioannes Apostolus in Apocalypsi ad septem scribit ecclesias. Ecclesia verò adhuc in ista mortalitate carnis constituta, propter ipsam mutabilitatem, lunæ nouæ appellatione in scripturis si-
Psalm. 10. Sec. Græc. ἐν σκοτομήνῃ. gnificatur. Vnde est illud. *Parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittarent in obscura luna rectos corde.* Prius enim quam fiat illud, quod dicit Apostolus. *Cum Christus ap-*
Coloss. 3. *paruerit in vita vestra, tūc & vos cū illo apparebitis in gloria:* obscurabitur ecclesia in tempore peregrinationis suę, inter multas iniquitates gemens: & tunc sunt timendæ insidiæ fallacium seductorum, quas nomine sagittarum intelligi voluit. Vnde alio loco propter nuncios fidelissimos veritatis, quos vbique parit ecclesia, dicitur: *Luna testis fidelis in cælo.* Et cum de regno Domini psalmista
Psalm. 88. caneret. *Orietur*, inquit, *in diebus illis iustitia, & abundan-*
Psalm. 71. ἀνταναιρεθῇ. *tia pacis, quousque interficiatur luna:* id est, abundantia pacis intantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. *Tunc nouissima inimica destruetur mors,* & quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis. Vnde no-
C bis perfecta pax nondum est. Consumemur omnino, *dum*
1. Cor. 15. *corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc in-*
Iosue 6. *duerit immortalitatem.* Vnde & illius ciuitatis muri quæ Hiericho appellatur, quod in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuitu testamenti arcæ corruerunt.

Quid enim nunc aliud agit annunciatio regni cœlorum, quam circuitio arcæ significauit, nisi vt omnia munimenta mortalis vitæ, id est, omnis spes huius seculi, quæ resistit spei futuri seculi, in dono septenario Spiritus sancti per liberum arbitrium destruatur? Ob hoc enim circumeunte arca non impulsu violento illi muri, sed spontè ceciderunt. Sunt & alia testimonia scripturarum, quæ nobis ingerunt per commemorationem lunæ ecclesiæ significationem: quę in ista mortalitate ab illa Hierusalem, cuius ciues sunt angeli sancti, in ærumnis & la-
D boribus peregrinatur. Non ideo tamen putare debent stulti, qui nolunt in melius commutari, adoranda esse ista luminaria, quia ducitur ex eis aliquando similitudo ad diuina mysteria figuranda. Ex omni enim creatura ducitur. Nec ideo in sententiam damnationis debemus irruere, quæ ore apostolico de quibusdam profertur: qui coluerunt *& seruierunt creaturæ potius, quam creatori:*
Rom. 1. *qui est benedictus in secula.* Sicut enim nō adoramus pecora quamuis dictus sit Christus, & agnus, & vitulus: nec feram, quia dictus est leo de tribu Iuda: nec lapidem, quia petra erat Christus: nec montem Sion, quia in ipso figuratur ecclesia: Sic nec solem & lunam, quamuis ex ea cœlesti creatura, sicut ex multis terrestribus sacramentorum figuræ ad informationes mysticas sumantur. Quapropter mathematicorum delyramenta cum detestatione ridenda sunt. Quibus cum obiiceremus vana commenta: vnde homines in errorem præcipitant, quo prius præcipitati sunt, garruli sibi videntur, cum dicunt nobis. Cur & vos ex solis & lunæ computatione pascha celebratis: quasi nos ordines syderum, & vicissitudines temporum à summo atque optimo Deo conditas argua-

mus: & non eorum peruersitatem, quæ rebus sapientissime conditis, ad stultitiæ suæ vanissimas opiniones abu- E
tuntur? Nam & si Mathematicus nobis contradicturus est de syderibus & luminaribus cœli ad sacramenta mysticè figuranda similitudines ducere: contradicant & augures, ne dicatur nobis: Estote simplices sicut columbæ. Contradicant & Marsi, ne dicatur nobis. *Astuti sicut ser-* Matth. 10.
pentes. Contradicant histriones, ne in psalmis citharam nominemus. At quid ex his rebus ad mysteria verborum Dei, similitudinum signa sumuntur? Dicam si placet, vel auspicia vos captare, vel venena conficere, vel theatricas affectare luxurias, quod dementissimum est dicere. Non igitur nos de sole & luna annuis menstruisve temporibus actionum nostrarum euenta coniicimus: ne in vitæ humanæ periculosissimis tempestatibus, tanquam in scopulos miseræ seruitutis illisi, à libero arbitrio naufragemus: sed ad rem sacratè significandam similitudines aptas religiosissima deuotione suscipimus: sicut de cætera creatura, de ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de piscibus, de pecoribus, de arboribus, de hominibus. Ad F
Sermonem quidem multipliciter: ad celebrationem vero sacramentorum iam Christiana libertate parcissimè: sicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. In seruitute autem veteris populi multa etiam celebrari imperata sunt, quæ nobis tantummodo intelligenda traduntur.

Non vtique dies obseruabimus, & menses, & annos, & tempora: ne audiamus ab Apostolo. *Timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis.* Eos enim inculpat: qui di- Gal. 4.
cunt. Non proficiscar, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur: vel proficiscar vt prospere cedat, quia ita se habet positio syderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi facit mensem, vel agam, quia suscepit mensem. Non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur obseruatores temporum reprehendendos, qui dicunt. Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est. Aut non nauigem, quia adhuc sunt hybernæ reliquiæ. Aut tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiata est. Vel si qui fortè alij naturales effectus circa G
motus aëris & humoris ad variandas temporum qualitates in syderum ordinatissima conuersione notati sunt: de quibus dictum est dum conderentur. *Et sint in si-* Gen. 1.
gnis, & in temporibus, & in diebus & in annis. Si quæ autem figuræ similitudinum, non tantum de cælo & syderibus, sed etiam de creatura inferiore ducuntur ad dispensationem sacramētorum: eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, mouēdo affectui discentium accommodata, à visibilibus ad inuisibilia, à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad æterna. Nec quisquam vestrum attendat, quod eo tempore quo pascha celebramus sol in ariete est: sicut illi appellant quendam syderum locum, vbi reuera mense nouorum inuenitur sol: sed siue illi arietem, siue aliquid aliud eandem partem cœli vocare voluerint. Nos de scripturis sanctis hoc didicimus, quod omnia sydera Deus condidit, & locis cœlestibus H
quibus voluit ordinauit: quæ stellis distincta & ordinata, in quaslibet partes diuidāt, quibuslibet vocabulis vocent: vbicunque sol esset mense nouorum illic esse reperietur hæc celebratio: propter similitudinem sacramenti renouandæ vitæ, de qua satis supra disseruimus. Quod si etiam locus ille syderum aries possit vocari, propter aliquam figuræ congruentiam: neque huiusmodi timeret sermo diuinus aliquam sacramenti similitudinem ducere: sicut & de aliis non solum cælestibus, sed terrestribus creaturis: sicut de Orione, de Pleiadibus: sicut de monte Sina, de monte Sion: sicut de fluminibus quæ vocantur Iob 9. &
Geon, Phison, Tigris. Euphrates: sicut de ipso toties in Amos 5.
sanctis mysteriis nobilitato fluuio Iordane, rerum figura- 4 [illegible]
tè insinuandarum mysticas similitudines adduxit. Sed 3 & 14.
quantum intersit inter obseruationes syderum ad aëreas qualitates accommodatas: sicut agricolæ, aut nautæ ob- obseruant: aut ad notandas partes mundi, cursumque Gen. 2.
aliquo & aliunde dirigendum, quod gubernato- Gen. 12.
res nauium faciunt, & hi qui per solitudines are-

nosas

A nosas [illegible] austu nulla certa semita gradiuntur: aut cum aliquid in doctrina vtili figurate significandum, fit nonnullorum syderum aliqua commemoratio. Quantum ergo intersit inter has vtilitates & vanitates hominum ob hoc obseruantium sydera, vt nec aëris qualitatem, nec regionum vias, nec solos temporum numeros, nec spiritualium similitudinem, sed quasi fatalia rerum euenta perquirant, quis non intelligat? Sed iam deinceps videamus: cur etiam id obseruetur cum pascha celebratur, vt sabbathum occurrat. Hoc enim proprium Christianæ religionis est. Nam Iudæi tantummodo mensem nouorum, & lunam obseruant à quartadecima vsque ad vicesimam primam. Sed quia illud eorum pascha, quo passus est dominus, ita occurrit, vt inter mortem eius & resurrectionem medius esset sabbathi dies: addendum partes nostri censuerunt, vt nostra festiuitas à Iudæorum festiuitate distingueretur. Et quod non frustra factum esse credendum est, ab illo qui est ante tem-
B pora, & per quem facta sunt tempora: & qui venit in ple-
Gal. 4. nitudine temporum & qui habet *potest item ponendi ani-*
Ioan. 10. *mam suam, & iterum recipiendi eam*: & ideo non fatalem, sed opportunam sacramento, quod commendare insti-
Ioan. 2. tuerat, horam expectabat, cum diceret. *Nondum venit hora mea.* Vt igitur anniuersaria passionis eius celebratione à posteris seruaretur: quod enim nunc, vt superius dixi, fide ac spe agimus, atque vt ad id perueniamus dilectione satagimus: requies quædam ab omni labore omnium molestiarum sancta atque perpetua est. In eam nobis ex hac vita fit transitus, quem dominus noster Iesus Christus sua passione demonstrare & consecrare dignatus est. Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. Sic enim ab huius vitæ operibus in fine requiescitur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur sine labore membrorum, sine angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, vt ipsi quieti succedat, id est, non sic esse incipiat actio, vt esse desinat quies.
C Neque enim reditur ad curas & labores, sed permanet in actione: & quod ad quietem pertinet, nec in opere laborare, nec in cogitatione fluctuare. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, vnde anima lapsa est in peccatum, propterea sabbatho requies significatur. Illa autem prima vita, quæ de peregrinatione redeuntibus &
Gen. 2. primam stolam accipientibus redditur, per vnam sabbathi, quem diem dominicum dicimus, figuratur. Quære septem dies Genesin legens, inuenies septimum sine vespera: quia requiem sine fine significat. Prima ergo vita non fuit sempiterna requies peccanti. Requies autem vltima sempiterna est, ac per hoc & octauus sempiternam beatitudinem habebit: quia requies illa, quæ requies sempiterna est, excipitur ab octano, non extinguitur. Neque enim esset aliter sempiterna. Ita ergo erit octauus qui primus, vt prima vita non tollatur, sed æterna reddatur. Sabbathum tamen commendatum est priori populo in otio corporali temporaliter celebrandum, vt figura esset
D sanctificationis in requiem Spiritus sancti. Nusquam e-
Ibidem. nim legimus in Genesi sanctificationem per omnes superiores dies: sed de solo sabbatho dictum est. *Et sanctificauit dominus diem septimum.* Amant enim requiem siue piæ animæ, siue iniquæ. Sed an perueniant ad id quod amant plurimæ, nesciunt: nec aliquid aliud appetunt etiam ipsa corpora ponderibus suis, nisi quiescere à motibus suis. Nam sicut corpus tam diu nititur pondere siue deorsum versus, siue sursum versus, donec ad locum, quo nititur, veniens conquiescat. (Pondus quippe olei si mittatur in aëre, deorsum: si autē sub aquis, sursum nititur.) Sic animæ ad ea quæ amant, propterea nituntur, vt perueniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna. Et propterea magis sordidant animam & aggrauant potius, vt syncerum eius pondus, quo in superna fertur, impediant. Cum vero anima seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur: & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, cum superior sit Deus:

E hæc in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus super-
Iacob. 4. bis resistit, *humilibus autem dat gratiam.* Cum autem Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam inuenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inueniebat. Proinde admo-
Psal. 36. netur in psalmo. *Delectare in domino, & dabit tibi petitio-*
Rom. 5. *nem cordis tui.* Quia ergo charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, vbi requies commendatur. Quia vero nec bene operari possu-
Philip. 2. mus, nisi dono eius adiuti, sicut Apostolus dicit *Deus enim est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate*: nec agere, nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra, quæ in hac vita gerimus, nisi eius dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti: propterea de
Gen. 2. ipso Deo dicitur. Cum fecisset omnia opera valde bona, septimo die requieuit ab omnib. operibus suis quæ fecit. Futuram enim requiem significabat, quā post bona ope-
F ra daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cuius munere bene operamur: ita cum requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus. Hinc est quod etiam in tribus primis præceptis decalogi, quæ ad Deum pertinēt
Matth. 22. (cætera enim septem ad proximum pertinent, id est, ad hominem, quia in duobus præceptis tota lex pendet) tertium ibi de obseruatione sabbathi positū est: vt in primo præcepto patrem intelligamus, vbi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia nō habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ei colli debebat, nisi illa quæ hoc esset quod ipse, nec ipsa pro illo, sed
Eccl. 1. cum illo. Et quia creatura est mutabilis, ac propterea dici-
Rom. 8. tur. *Omnis creatura vanitati subiecta est*: quoniam natura vniuersi etiam in parte demonstratur: ne quisquam filiū Dei verbum, per quod facta sunt omnia, ideo putaret esse
Deut. 5. creaturam, sequitur aliud præceptum. *Non accipies in vanum nomen Dei tui.* Spiritus autem sanctus, in quo nobis requies illa tribuitur, quā vbique amamus, sed nisi Deum
Rom. 5. amando, non inuenimus: cum *charitas Dei diffundatur in*
G *cordib. nostris per Spiritum sanctū qui datus est nobis.* Quia ergo sanctificauit Deus diem septimum, in quo requieuit: tertio præcepto legis insinuatur quod scriptum est de obseruatione sabbathi non vt iam in ista vita nos requiescere existimemus: sed vt omnia quæ bene operamur, non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam. Memento enim maxime quod iam supra commemoraui, quia spe salui facti sumus: *spes enim quæ videtur,*
Rom. 8. *non est spes*: ad ipsum autem ignem amoris nutriendum & flammandum quodammodo (quo tanquam pondere sursum vel introrsum referamur ad requiem) hæc omnia pertinent, quæ insinuantur nobis figurate. Plus enim mouent & accendunt amorē, quam si nuda & sine vllis sacramentorum similitudinib. ponerentur, cuius rei causam difficile est dicere: sed tamē ita se habet, vt aliquid per allegoricam significationem intimatum plus moueat, plus delectet, plus honoretur, quā si verbis propriis diceretur apertissime. Credo quod ipse animi motus, quam diu reb.
H adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero feratur ad similitudines corporales, & inde feratur ad spiritalia, quæ illis similitudinibus figurātur: ipso quasi trāsitu vegetatur, & tanquā in facula ignis agitatus accenditur, & ardētiore dilectionis rapitur ad requiē & quietem. Ideoq; inter omnia illa decem præcepta, solū ibi quod de sabbatho positum est, figurate obseruandum præcipitur: quam figuram nos intelligendā non etiam per otiū corporale celebrandū suscepimus. Cū enim sabbatho significetur spiritalis requies, de qua dictū est in psalmo, *Vacate*
Psal. 45. *& videte, quoniam ego sū Deus*: & qua vocantur homines ab ipso domino dicente, *Venite ad me omnes qui laboratis,*
Matth. 11. *& onerati estis & ego vos reficiā. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Cætera tamē ibi præcepta, propriè sicut præcepta sunt, sine vlla figurata significatione obseruamus. Nam & idola nō colere manifeste didicimus: & nō accipere in vanum nomen domini Dei nostri: & honorare patrē & matrem: & non mœchari, nō

A occidere, non furari, non falsũ testimonium dicere, non concupiscere vllam rem proximi: nõ enim figurate aliud præcedunt, & mystice aliud significant, sed sic obseruantur vt sonãt. Obseruare tamen diẽ sabbathi nõ ad literam iubemur secundũ otium ab opere corporali, sicut obseruant Iudæi: & ipsa eorũ obseruatio, quia ita præcepta est, nisi aliã quandã spiritalem requiem significet, ridicoda iudicatur. Vnde non inconuenienter intelligimus ad amorẽ excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia, quæ figurate in scripturis dicuntur: quandoquidem hoc solum in decalogo figurate præcipitur vbi requies commendatur, quæ vbique amatur, sed in solo Deo certa & sancta inuenitur. Dies tamen dominicus non Iudæis, sed Christianis resurrectione domini declaratus est: & ex illo habere cœpit festiuitatem suã. Animæ quippe omnium sanctorum ante resurrectionem corporis sunt quidem in B requie, sed in ea non sunt actione qua corpora recepta vegetantur. Talem quippe actionem significat dies octauus, qui & primus: quia nõ aufert illam requiem, sed glo- 1. Cor. 15. rificat. Non enim redit cum corpore difficultas ex corpore: quia nec corruptio. *Oportet enim corruptibile hoc indui incorruptionem, & mortale hoc indui immortalitatem.* Quapropter ante resurrectionem domini, quamuis sanctos patres plenos spiritu prophetico octaui sacramentum ne- Eccl. 11. quaquam lateret, quo significatur resurrectio. (Nam & *pro octaua* psalmus inscribitur: & octauo die circuncidebantur infantes: & in Ecclesiaste, ad duorum testamentorum significationem dicitur. Illis septem, & illis octo reseruatum est) tamen illis est occultatum, & solum celebraodum sabbathum traditum est: quia erat antea requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat, donec Rom 6. veniret *Christus, qui resurgens ex mortuis, iam non moreretur, & mors illi vltra non dominaretur.* Sed postquam facta est talis resurrectio in corpore dominico, vt præiret in capite Ecclesiæ quod corpus Ecclesiæ speraret in fine: iam C etiam dies dominicus, id est, octauus, qui & primus inciperet celebrari. Ipsa etiam causa intelligitur, cur obseruandum pascha, vbi agnum occidere & comedere iubẽtur, quod manifestissime passionem domini præfigurat: non eis ita præceptum est, vt attenderent occurrere sabbathum: & cum mense nouorum, & tertiam lunæ hebdomadam concurrere, vt eundem quoque diem dominus potius sua passione signaret, qui etiam dominicum, id est, octauum, qui & primus est, declaraturus aduenerat. Attende igitur sacratissimum triduum crucifixi, sepulti, suscitati. Horum trium opere quid significet crux, in præsenti agimus vita: quid autem significet sepultura & resurrectio, fide ac spe gerimus. Nunc enim dicitur homini. *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Cruciatur autem caro, cum mortificantur membra nostra quæ sunt super terram, fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, &c. hu- Rom 8. iusmodi: de quibus idem dicit. *Si secundum carnem vixe-* Gal. 6. *ritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueri-* Rom 6. *tis, viuetis.* Hinc etiam de seipso dicit. *Mundus mihi cru-* D *cifixus est, & ego mundo.* Et in alio loco. *Scientes,* inquit, *quia vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo, vt euacuetur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Quamdiu ergo id agunt opera nostra, vt euacuetur corpus peccati: quamdiu exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diẽ, tempus est crucis. Hæc sunt etiam bona opera quidem: tamen adhuc laboriosa, quo- 12. rum merces est requies. Sed ideo dicitur. *Spe gaudentes:* vt cogitantes requiem futuram, cum hilaritate in laboribus operemur. Hanc hilaritatem significat crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus. Per latitudinem hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias. Per altitudinem vero, cui caput adiungitur, expectationem retributionis de subli- Rom 2. mi iustitia Dei: *qui reddet vnicuique secundum opera sua. In his quidem, qui secundum tolerantiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus, vitam æter-* Ephes 3. *nam.* Itaque etiam longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat: vnde longanimes dicũtur, qui tolerant. Profundum autem quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfigurat. Recordaris enim, ni fallor, quæ verba Apostolica in ista designatione crucis expediam, vbi ait. *In charitate radicati atque fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, sublimitas, & profundum.* Ea vero, quæ nondum videmus, & nondum tenemus: sed fide & spe gerimus, in alio biduo figurata sunt. Hæc enim quæ nunc agimus, tanquam clauis præceptorum in Dei timore confixi: sicut Psal. 118. scriptum est. *Confige clauis à timore tuo carnes meas:* in necessariis deputantur, non in eis quæ per seipsa appetenda & concupiscenda sunt. Vnde illud quod est opti- Philip 1. mum se dicit concupiscere. *Dissolui & esse cum Christo. Manere autem in carne necessarium,* inquit, *propter vos.* Quod ergo inquit. Dissolui & esse cum Christo, Inde incipit requies, quæ non interrumpitur resurrectione, sed Rom 1. clarificatur: quæ tamen nunc fide retinetur. *Quia iustus* Rom 6. *ex fide viuit.* *An ignoratis,* inquit *quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati* F *sumus. Consepulti ergo illi sumus per baptismum in mortem.* Vnde nisi fide? Neque enim iam in nobis perfectum est: adhuc in nobi inetipsis ingemiscentibus adoptionem, & expectantibus redemptionẽ corporis nostri. *Spe enim sal-* Rom 4. *ui facti sumus. Spes autẽ quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod nõ videmus speramus, per patientiam expectamus.* Quod memento quã sæpe cõmemorem, nec iam nũc in ista vita nos beatos fieri debere arbitremur, & ab omnibus difficultatibus liberos, ac sic in angustiis rerũ temporalium aduersus Deum ore sacrilego murmuremus, quasi non exhibeat quod promisit. Promisit quidẽ etiam huic vitæ necessaria. Sed alia sunt solatia miserorũ, alia gaudia beatorum. *Domine,* inquit, Psal 93. *secundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, exhortationes tuæ iocundauerunt animã meã.* Non ergo murmuremus in difficultatibus, ne perdamus latitudinẽ hilaritatis: de qua dicitur. *Spe gaudentes:* quia sequitur. In tribulatione patiẽtes. Noua ergo vita in fide nũc inchoatur, & spe geritur. Nã tunc perfecta erit, cum *absorbebitur* Rom. 12. *mortale à vita,* cũ absorbebitur in victoriam, cum illa *no-* G *uissimè inimica destruetur mors,* cũ immutati fuerimus, & 1. Cor. 15. æquales angelis facti. *Omnes enim,* inquit, *resurgemus, sed* Luc. 10. *non omnes immutabimur.* Et dominus: *Erunt,* inquit, *æquales Angelis Dei.* 2 Cor. 5. Apprehensi enim sumus modo in timore per fidẽ: tunc autem apprehendemus in charitate per spẽ. *Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à domino: per fidẽ enim ambulamus, non per speciem.* Ipse itaque Apostolus, qui dicit: Tunc apprehendã sicut apprehensus Philip 3. sum: aperte se non apprehendisse confitetur. *Fratres,* inquit, *ego me non arbitror apprehendisse.* Sed tamen quia ipsa spes ex promissione veritatis certa nobis est, cũ diceret: *Consepulti igitur sumus illi per baptismũ in mortẽ:* subiun- Rom 6. xit & ait: *Vt quemadmodũ surrexit Christus ex mortuis per gloriã patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ambulemus ergo in re laboris, sed in spe quietis: in carne vetustatis, sed in fide nouitatis. Dicit enim. *Corpus quidem mortuũ est propter peccatum: spiritus autẽ viuit propter iustitiã. Si autem spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantẽ spiritum eius in vobis.* H Hoc ex auctoritate diuinarum scripturarũ, & vniuersæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur cõsensione, per anniuersariũ pascha celebratur. In magno vtique, sicut iam intelligis sacramento: & in scripturis quidẽ veteribus ad agendum pascha, non est præceptum tẽpus, nisi ex mense nouorũ: à luna quartadecima, vsque ad vicesimã primã. Ex euangelio tamen, quia iã manifestum est, quo etiã die dominus crucifixus sit: & in sepultura fuit & resurrexit: adiuncta est etiã ipsorum dierũ obseruatio, per patrũ concilia: & orbi vniuerso Christiano persuasum est, eo modo pascha celebrari oportere. Quadragesima sane ieiuniorũ habet auctoritatem: & in veteribus libris ex ieiunio Moysi & Eliæ, & ex Euangelio: quia totidẽ die- Exod. 14. bus dominus ieiunauit: demonstrans Euangeliũ non dis- 3 Reg 19 sẽtire à lege & prophetis. In persona quippe Moysi lex, in Matth. 4 persona Eliæ prophetæ accipiũtur. Inter quos & in mõte gloriosus apparuit: vt euidentius emineret quod de illo dicit Apostolus. *Testimonium habens à lege & à prophetis.* Act 10.

In

A In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur: quæ vtique fallaciter blanditur, & illecebrarum fucos circumspargere atque iactare non cessat. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi: quia creatura, quæ septenario figuratur, adhæret creatori: in quo declaratur vnitas trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntianda: quia mundus & à quatuor ventis delimatur, & quatuor elementis erigitur, & quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem autem quater in quadraginta consumuntur: quadragenarius autem partibus suis computatus, addit ipsum denarium, & fiunt quinquaginta, tanquam merces laboris & continentiæ.

Act. 1. B Neque enim frustra ipse dominus, & quadraginta dies post resurrectionem in hac vita & terra cum discipulis conuersatus est: & postea quam ascendit in cœlum, decem diebus interpositis promissum misit Spiritum sanctum. Completo die pentecostes: qui dies quinquagenarius habet alterum sacramentum, quod septies septem, quadraginta nouem sunt: & cum reditur ad initium, quod est octauus, qui & primus dies, quinquaginta complentur, qui celebrantur post domini resurrectionem: iam in figura non laboris, sed quietis & lætitiæ: propter hoc & ieiunia relaxantur, & stantes oramus: quod est signum resurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus dominicis id ad altare obseruatur, & alleluia canitur: quod significat actionem nostram futuram non esse nisi laudare Deum, sicut scriptum est.

Psa. 83. *Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te.* Sed dies quinquagesimus & in scripturis commendatur, non tantum in Euangelio, quia tunc Spiritus sanctus aduenit: sed etiam in veteribus libris. Nam & ibi C postea quam pascha occiso agno celebrauerunt, dies quinquaginta numerantur, vsque ad diem, quo lex data

Exod. 24. est in monte Sina famulo Dei Moysi, digito Dei scripta. In libris autem Euangelij apertissime declaratur digitum Dei significare Spiritum sanctum. Cum enim vnus Euangelista dixisset. *In digito Dei eiicio dæmonia:* alius hoc idem

Luc. 11. Matth. 12. ita dixit. *In spiritu Dei eiicio dæmonia.* Quis hanc lætitiam diuinorum sacramentorum cum sanæ doctrinæ luce clarescunt, non præferat vniuersis mundi huius imperiis, etiam inusitata felicitate placatis? Nonne tanquam duo Seraphim clamant adinuicem concinentiam laudis altissimo, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus sabaoth? Ita duo testamenta fideliter concordantia, sacratam concinunt veritatem Deo. Occiditur ouis, celebratur pascha,

Isa. 53. & interpositis quinquaginta diebus, datur lex ad timorē scripta digito Dei. Occiditur Christus qui *tanquam ouis ad immolandum ductus est*, sicut Esaias testatur. Celebratur verum pascha, & interpositis quinquaginta diebus, D datur ad charitatem Spiritus sanctus qui est digitus Dei, contrarius hominibus sua quærentibus: & ideo iugum asperum & sarcinam grauem portantibus, nec inuenientibus requiem animabus suis: quia charitas non quærit quæ sua sunt. Ideo animositas hæreticorum semper in-

2. Tim. 3. quieta est: quos magorum Pharaonis habere conatum, declarat Apostolus dicens. *Sicut enim Iamnes & Mambres restiterunt Moysi: sic & isti resistunt veritati: homines mente corrupti, reprobi circa fidem: sed vltra non proficient. Dementia enim eorum erit manifesta omnibus, sicut & illorum fuit.* Quia enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in signo tertio defecerunt, fatentes sibi aduersum esse Spiritum sanctum, qui erat in Moyse. Nam defi-

Exod. 8. cientes dixerunt. *Digitus Dei est hic.* Sicut autem conciliatus & placatus Spiritus sanctus requiem præstat mitibus & humilibus corde: ita contrarius & aduersus immites ac superbos inquietudine exagitat. Quam inquietudinem muscæ illæ grauissimæ significarunt, sub quibus Magi Pharaonis defecerunt, dicentes. Digitus Dei est hic. Exodum lege, & vide vbi pascha celebrauerunt, post quot dies data sit lex. Loquitur Deus ad Moysen in monte Si-

E na, in tertij mensis die. Nota ergo vnum diem egressus ipsius tertij mensis, & vide quid dicat inter cætera. *Descende, inquit, testare populo, & purifica illos hodie & cras: & lauent vestimenta sua, & sint parati in diem tertium.* Tertia enim die descendit dominus in montem Sina coram omni populo: tunc data est lex, tertio scilicet die tertij mensis. Numera itaque à quartodecimo primi mensis die, quo factum est pascha, vsque ad diem tertium tertij mensis: & inuenies decem & septem dies primi mensis, triginta secundi, tres tertij, qui fiunt quinquaginta. Lex in arca est, sāctificatio in corpore domini, per cuius resurrectionem nobis requies futura promittitur, ad quam percipiēdam Spiritu sancto charitas inspiratur. Spiritus autem

Psal. 131. nondum erat datus, cum Iesus nondum erat clarificatus: Vnde prophetia illa cantata est. *Exurge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ:* Vbi requies, ibi sanctificatio. Vnde nunc vt amemus & desideremus, pignus

F accepimus. Vocantur autem ad requiem alterius vitæ, quo ab ista transitur: quod pascha significat, omnes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Propterea quinquagenarius numerus ter multiplicatus, addito ad emi-

Ioan. 21. nentiam sacramenti ipso ternario, in illis magnis piscibus inuenitur: quos iam dominus post resurrectionem nouam vitam demonstrans, à dextera parte leuari imperauit: nec retia disrupta sunt, quia tunc hæreticorum inquietudo non erit. Tunc homo perfectus & quietus, purificatus in anima & in corpore per eloquia domini casta, argentum igne examinatum, terræ purgatum septuplū: accipiet mercedem denarium, vt sint decem & septem. Nam & in hoc numero sicut in aliis multiplices figuras exhibentibus, sacramentum mirabile reperitur. Nec immerito etiam psalmus septimusdecimus in Regnorum libris solus integer legitur: quia regnum illud significat, vbi aduersarium non habebimus. Titulus enim eius est.

Psal. 17. *In die qua eruit eum dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* Quis enim figuratur in Dauid, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine Dauid? Qui

G vtique in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos. Vnde ille persecutori quem voce mactauit, & in suum corpus traiiciens quodammodo manducauit sonuit de cœlo. *Saule Saule, quid me persequeris?* Quando

Act. 9. autem eruetur hoc corpus de manu omnium inimicorū eius, nisi cum & illa nouissima inimica destruetur mors? Ad hoc tempus pertinet numerus ille centum quinquagintatrium piscium. Nam & ipse numerus septimusdecimus surgens in trigonum, centum quinquagintatrium summam complet. Ab vno quoque vsque ad decem & septem surgens, omnes medios adde, & inuenies ad vnum scilicet: & adde duo, fiunt vsque tria: adde tria, fiunt sex: adde quatuor, fiunt decem: adde quinque, fiunt quindecim: adde sex, fiunt vigintivnum: adde ita cæteros & ipsum decimumseptimum, fiunt centum quinquagintatria. Hęc de scripturis firmissime tenentur, id est pa-

H scha, & pentecoste. Nam vt quadraginta illi dies ante pascha obseruentur, Ecclesiæ consensio roborauit. Sic etiam vt octo dies neophytorum, distinguantur à cæteris, id est, vt octauus primo concinat. Vt autem Alleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non vsquequaque obseruatur. Nam & in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi: ipsis tamen diebus vbique. Vt autem stantes in illis diebus, & omnibus dominicis oremus: vtrum vbique seruetur, ignoro: tamen quid in eo sequatur Ecclesia, dixi vt potui, & arbitror esse manifestū. De lauādis vero pedibus, cum dominus hoc propter formam humilitatis, quam docendam venerat, commendauit: sicut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quonam tempore potissimum res tanta etiā facta doceretur, & illud tēpus occurreret, quo ipsa commendatio religiosius inhæreret. Sed ne ad ipsum sacramentū baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre dubitauerunt. Aliqui autem, vt hoc sacratiore tempore commendarent: & à baptismi sacramento distinguerent: vel diem tertium octauarum, quia ternarius numerus in multis sacramentis maxime excellit: vel etiam ipsum

A octauum, vt hoc facerent, elegerunt. Mirer sane quid ita volueris, vt de his quæ varie per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberem: cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit: vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores: & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus: non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur: si aliquorum infirmitas, non ita impedit, vt amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, vt maiora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime illud quod etiam de scripturis defendi potest: sicut de hymnis & psalmis canendis: cum & ipsius domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla, & præcepta de hac re tam vtilia. Ad mouendum pie animum & accendendum diuinæ lectionis affectum, varia consuetudo est: & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora B sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia, diuina cantica prophetarum: cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi ad tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus cum in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur? Aliis vero particularis temporũ, quid melius à congregatis Christianis fiat, quid vtilius, quid sanctius, omnino non video. Quod autem instituitur præter consuetudinem, vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possum: Etiam si multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala deuitãda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur: & tam multis præsumptionibus C sic plena sunt omnia: vt grauius corripiatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur: nec in conciliis Episcoporum statuta inueniuntur: nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt: sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur: ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt: vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum: qui etiam si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur. Sed Ecclesia D Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat: tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Itaque illud quod scripsisti quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, vt immundos qui comederint arbitrentur, apertissime contra fidem sanamque doctrinam est. Sed hic ego si diutius disputare voluero, poteris putare ante in illis obscuri aliquid hinc Apostolum præcepisse: qui etiam post multa quę de hac re dixit, sic detestatus est hæreticorum impiam opinionem, vt diceret. *Spiritus autem manifeste dicit: Quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus: & doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquiorum: cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere: abstinentes à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerũt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est: & nihil abiiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et alio loco de his rebus loquitur. *Omnia,* inquit, *munda mundis: immundis autem & infidelibus nihil est mundum: sed polluta sunt eorum & mens & conscientia.* Tu ipse lege cætera, & recita quibus potes, ne in se irritam faciant gratiam Dei: quia in libertate vocati sunt: tantum

1. Tim. 4.

Ad Tit. 1.

E ne libertatem in occasionem carnis assumant. Et ideo iam voluit refrenandæ carnalis concupiscentiæ causa, à quibuslibet cibis temperari: quia non eis hoc permittitur superstitiose atque infideliter facere. Hi vero qui de paginis Euangelicis sortes legunt: & si optandum est vt hoc potius faciant, quam vt ad dæmonia consulenda concurrãt: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia & ad vitæ huius vanitatem, propter aliam vitã loquentia, oracula diuina velle conuertere. Hæc tibi si satis esse ad ea quæ requisisti non putaueris: nimis ignoras & vires & occupationes meas. Tantum enim absum ab eo quod putasti nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius: quia & apertissime falsum est: Et miror quia hoc te latet, quod non solum in iis innumerabilibus rebus multa me latent: sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura quam sciam. Et ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero: quia non solum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam legem pro- F phetasque pendere: sed etiam expertus sum experiorque quotidie, quandoquidem nullum mihi sacramentum, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris literis aperitur, vbi non eadem præcepta reperiam. *Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et *plenitudo legis charitas.* Itaque & tu charissime, siue ista, siue alia sic lege, sic disce, vt memineris verissime dictum: Scientia inflat, charitas ædificat, Charitas autem non æmulatur, non inflat. Sic itaque adhibeatur scientia tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum sciẽtia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, multum est vtilis: per se autem ipsa in sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. Scio autem quam te cogitatio sancta custodiat sub vmbraculo alarum domini Dei nostri. Sed ideo hæc, & si breuiter, monui: G quoniam noui eandem ipsam charitatem tuam, quæ non æmulatur, hanc epistolam multis daturam atque lecturam.

Gal. 5.

Matt. 22.

1. Tim. 1.

1. Cor. 8.

EPISTOLA XXII.

IN SVSANNAM LAPSAM obiurgatio.

PVto leuius esse crimen, vbi homo peccatum suum vltro confitetur, quam vbi cælans mala, inuitus detegitur, & nolens publicatur. Quid taces anima? Quid cogitationibus æstuas? Quid non erumpis in vocem, & mentis tuæ exponis ardorem, vt aliquod solatium capias? Hoc plane hoc erit quasi remedium quoddã ægritudinis tuæ, si aperto ore conceptum digeras scelus. Nam & vlcus cũ fuerit tumidum, quamuis suppuratum, euaporans præstat refrigerium passioni. Audite nunc qui prope estis & qui longe, qui timetis Deum, & Ecclesiæ eius gaudio congaudetis, & tristitiæ condoletis, sicut scriptum est. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Vos inquam H appello, qui charitatem Christi verissimam retinetis, & non super iniquitate gaudetis, sed potius ingemiscitis. Aduertite potius verba oris mei: & an hæc iusto ex dolore procedant iudicate, & detecti sceleris qualitatem mecum pariter perhorrete. Virgo nobilis & dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foueam turpitudinis: *concepit dolorem, & peperit iniquitatem:* se perdidit, Ecclesiam maculauit. Hinc omnis anima Christiana graue vulnus accepit: quia datũ est sanctum canibus, & margaritæ missæ sunt ante porcos. A falsis enim hominibus laceratum est nomen sanctitatis, & ab immundis & luteis propositum castitatis. Hinc æstus animo meo, hinc insanabilis dolor. Quia vnum malum bona plurima secum trahit: & vnius nubecula peccatricis, totã lucem pene obscurauit Ecclesiæ. Assumam ergo sermonem propheticum, & flebiliter dicam. *Audite me omnes populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem.* Verè hæc est captiuitas, vbi animæ peccato captiuæ ducun-

Rom. 12.

Psal. 7.

Matth. 7.

Thren.

A cuntur. Ad te nunc mihi meus sermo sit, quæ caput horum & causa malorum es: quæ multipliciter misera, cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. Nefas enim est Susannam vocari non castam. Non licet nominare, quod non est. Vnde incipiam? quid primum, quid vltimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti? an mala defleam, quæ inuenisti? Eras virgo in paradiso Dei: vtique in Ecclesia eras sponsa Christi, eras templum domini, eras habitaculum Spiritus sancti: Et cum dico totiens eras, necesse est vt totiens ingemiscas: quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa,
Psal. 67. de qua scriptum est. *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri.* Splendebas vt argentum, fulgebas vt aurum, cum synceram conscientiam præferebas. Eras tanquam stella radians in manu domini, nullum ventum, nullas nebulas pertimesceos. Quæ est ista subi-
B ta conuersio? quæ est ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanæ, de sponsa Christi facta es scortum execrabile, de templo domini fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritus sancti tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates in tenebris vt stellio. Quæ fulgebas vt aurum propter virginitatis decorem, nunc vilis facta es tanquam lutum platearum, vt etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu domini, veluti de alto ruens cœlo, conuersa es in carbonem nigrum. Væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona, parua temporis luxuria
1. Cor. 6. perdidisti. Quam tibi spem apud Christum dominum reliquisti, cuius membra tollens, fecisti membra meretricis? Quis te Spiritus sanctus visitabit, cum eum repudiauerit, qui se à cogitationibus quoque sordidis longe facit? Sed veniamus ad humana, vt per illa diuina cognoscamus. Aspice qui sanctorum, quæ sanctarũ tibi appro-
C ximare non horrent? Aperi oculos si potes: erige frontem si audes: aliquem sanctorum fiducialiter intuere. Nonne tuam faciem conscientia commissi tanquam plumbum inclinat & premit? Nõne tenebræ ante oculos tuos vt dura caligo versantur? Nonne timor & tremor animam tuã & membra tua quassant? Si ergo homines in carne constitutos, & alicuius forsitan delicti obnoxios, non potes intueri, graui vtique confusione sepulta, quid facies coram Elia & Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Maria? Quid facies coram Ioanne & Tecla, maculato thoro puritatis? Quid denique facies coram Angelis sanctis? Nonne splendore & charitate immaculatorum, quasi fulminibus perculsa comburetis? Sed dictura es forsitan. Non potui sustinere, quia carnẽ fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociabus: Et nos eadem carne amictæ fuimus: nec tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per varia tormenta deuicere. Reuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in crimine. Sed dicis. Nolui hoc malum, passa sum violentiam. Respondebit tibi illa fortissima Susanna, cuius tu nomen fallaciter baiulas. Ego inter duos presbyteros posita, in-
D ter duos vtique iudices populi, sola inter syluas paradisi constituta, vinci non potui, quia nec volui. Tu ab vno ineptissimo adolescẽte, in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltro violari voluisti? Quis denique tuas voces audiuit? Quis obluctationes sensit? Vt autem hæc omittam, certe post illatam violentiam detegere scelus, si non aliis, vel tuis parentibus, vel tuis sororibus debuisti. Esset enim excusatio infelicitatis: esset & conscientiæ plena purgatio, si hostem pudicitiæ deduxisses in publicum. Sed erubuisti, ne forsitan te violatã multi cognoscerent. Vt quid timuisti, *vbi non erat timor*, nisi
Psal. 13. vt tacendo crimen, cum adultero sæpius te sociares? Esto autem pudor te prohibuit confiteri, quid de secunda cõmixtione dicis? Quid de tertia? Quid de frequenti commercio fœditatis? Cessat, cessat iam violentiæ figmentũ, cessat ruboris argumentum, vbi toties membra illa dicata Christo, scelesti mœchi tui visceribus polluẽda præbuisti. Horret, horret animus meus, mẽs hebescit, cũ ad imũ sceleris peruenitur. Nam & medicus quamuis fortis sit animi: tamen cum altius secat vulnus, puto ex parte aliqua

E sustinebit horrorem. Heu perdita, iam ne intelligis omnes tibi vias excusationis penitus clausas? Iam ne sentis quantum tibi mali & in carne & in anima nefaria libido contulerit? Non istam de te confusionem tuus expectauerat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc luctum & has lacrymas ex te sibi crediderat tua nascimater, quæ partus sui genitus per tuam virginitatem solabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus expectabant: quos omnes quasi vno gladio tui sceleris grauiter sauciasti. Si fuisses communi sorte defuncta, deflessent te ad modicum parentes, sed exultassent gaudentes: quia immaculatam præmiserant virginem, hostiam viuam domino, propiciatricem suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam: plangunt viuam, & non viuam. Mortuam vtique gloria virginitatis, viuam dedecore turpitudinis. Ira-
F tus est pater suis visceribus, de quibus seminata es. Maledicit mater suo vtero, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti: nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc plane solum videntur sibi habere solatium: quia nec te pater compulit, nec mater coëgit vt virginitatem profitereris, quam vltro & propria voluntate professa es. Nam scio, cum multas difficultates tua genitrix proponeret: cum arduum esset iter seruandæ virginitatis integræ, te non solum pertinaciter restitisse, sed etiam reuelationes tibi datas dixisse terribiles. In quantum ergo mercedem sibi sperabant, ex quo non tuo proposito restiterunt, in tantum tibi misera intellige pondus iudicij crescere, quia non seruasti quod vltro promisisti. Quibus te spinis serpens ille nequissimus obligauit? Quibus te venenis infecit ille qui Euam decepit, vt tanta te cæcitate percuteret, vt tantam animæ tuæ faceret obliuionem? Nõ es memorata diem sanctum, diem dominicæ resurrectio-
G nis, in quo diuino altari te obtulisti velandam. In tanto namque solenni cõuentu Ecclesiæ Dei inter lumina neophytorum, inter cãdidatos regni cœlestis, quasi regi nuptura processeras. Non es memorata, qualis ad te die illo est facta allocutio. Aspice filia, intuere virgo, quantus ad sponsi tui, & domini gloriam conuenerit populus: seruare te oportet fidem, quam sub tantis testibus polliceris. Semper cogita, cui virginitatem spoponderis tuam. Facilius te oportet sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem. Quantis in illo die consecrationis tuæ dictis, & multis super castitate præconiis, sacro velamine tecta es? vbi omnis populus dotem tuam subscribens non atramento, sed spiritu, pariter clamauit. Amen. Vincor lacrymis, cum hæc recordor: compũgor stimulis, cũ ad hæc humana exempla considero. Nam si tredecim testibus sponsalibus consummatis, quæuis femina viro coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium: quid putas fore cum inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram Angelis & exercitibus cœli, facta copula spiritualis per adulterium soluitur? Nescio an possit ei condigna mors ac pœna excogitari. Dicit aliquis. Melius est nubere 1. Cor. 7.
H quam vri. Hoc dictum ad nondum pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro: & iam si voluerit nubere communi lege cõiugij, adulterium perpetrat ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est: quid de ea dicendum est, quæ occulta furtiuaque turpitudine constupratur, & fingit se esse quod nõ est: habitu virgo, facto non virgo: bis adultera, & in aspectu, & actu. Sed ad te iterum redeo, quæ obliuionem tantorum passa bonorum es: & receptaculum tantorum facta malorum es. Quomodo tibi in actu ignominioso illo non veniebat in mentem habitus virginalis, processus ad Ecclesiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non perstringebat lux virginalis: aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus: mentem tuam non ventilabat lectionum cœlestium virtus? Hoc vel maxime clamante Apostolo. *Fugite fornicationẽ. Quia omne peccatũ quod fecerit homo, extra corpus est. Qui autẽ fornicatur, in corpus suũ peccat.* Et cum dicit, in corpus suũ: tamen in 1. Cor. 6.

A Christo peccate demonstrat: quia sobiungit, non estis vestri. *Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate dominum in corpore vestro* Et iterum dicit. *Fornicatio autem & immunditia nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos*: & seposita omni adulatione, sententiam figit Apostolus. (Ephes. 5.) *Hoc stitote*, inquit, *intelligentes: quia omnis fornicator aut immundus, non erit hæres in regno Christi & Dei.* Hæc tanta & tam terribilia non veniebant tibi in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur: sed mortifera te obliuio tanquam in gurgitem altissimum demergebat: & quasi captiuam execrabilis libido ducebat. Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti: ad quem religiosæ & nobiles matronæ certatim currebant, tua oscula petentes, quasi sanctioris quasi dignioris? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat, recordari debuisti: (1. Cor. 7.) B *Diuisa est mulier & virgo? Quæ nō est nupta, sollicita est quæ domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu.* Tu autem in contrarium versans, ita agebas, cum nec corpore esses sancta, nec Spiritu. Corpore quidem fornicando, Spiritu autem virginitatē mentiendo. Proh nefas, solet fama subsequi factum: tuum autem malum fama præuenit. Nam cū ante triennium rumor quidam & susurratio de te fuisset: tu synceritatem prætendebas, & vindictam de maledicis in Ecclesia publice postulabas. Quos æstus ego sustinui? Quos pater tuus pro tua sustulit opinione labores, requirentes singulos, singulos astringentes vt auctorē infamiæ inueniremus? Graue enim erat nobis, & omnibus bonis intolerabile, de Dei virgine vel turpe aliquid dici. Nec hoc veritates, nec ante oculos habuisti, vt venires inimicis in gaudium, & eos haberes infensos, qui pro tua opinione laborabant. Multum audax multumque temeraria es: si te conscientia non terret, vt simulata virginitate, putes te etiam dominum posse fallere, qui dixit. (Matth. 10.) C *Nihil occultum quod non reueletur, nec absconditum quod non sciatur.* Et vos, inquit, *fecistis in occulto: ego autem faciam in manifesto.* Ille qui nō mētitur, furtiuum scelus deduxit in publicum: & in conspectu solis huius, tenebrarum tuarū opera nudauit. O, inquit, qui prætendit sermonem, crudeliora incurrit, & cupiens moderari non inuenit. Oblita ergo propositum, oblita parentes, oblita Ecclesiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis etiam præsentem, oblita promissionem regni, oblita terribile iudicium: amplexa es corruptionem, & protulisti fructum cōfusionis: finem vero mortem sæuissimam, & interitum sempiternum. Et certe non habes quod de nostra negligentia conqueraris. Quodcunque enim ad officium pertinuit pastoris, & tibi vt omnibus non negatum est. Dilectio specialis adhibita, communio sancta non defuit. Oblita domum patris, sicut scriptum est, ad monasterium virginale transisti, vt inter tot posita, non solum dico tuta esse debuisti, si voluisses: sed etiam de aliis tutelam præstare debuisses. Sed frustra hæc & alia sunt prouisa: frustra hymnū virginitatis exposui, quo gloriam propositā & obseruantiam pariter decātares. Seminaui secus viam, seminaui in spinis, seminaui in petrosa terra. Aut enim ex corde tuo (Matth. 13.) D verbū meum volucres, id est, dæmones rapuerūt, aut malis tuis cogitationibus suffocatum est, aut aruit nimio ardore libidinis. (1. Cor. 3.) Heu me, quia vbi me putabā ædificare aurum, argentum, & lapides pretiosos: inuenta sunt ligna, fœnū, stipulam, arsoras materias laborasse. Dicam & ego secondum prophetam. (Esa 47.) *Heu me, quia factus sum, sicut qui colligit stipulā in messe.* Et quidem si tibi sola damnum fecisses, erat quidē tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quātas animas hoc tuo scelere sauciasti? quātas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viā domini blasphemando. Aperuit in nos gentilitas os suū. Aduersus Ecclesiam sanctā, synagoga Iudæorum per tuum dedecus exultauit. (Matth. 18.) Quod si is qui vnum scādalizauerit, mola alligatus præcipitari debet in mari: quid de te pronuncias, de cuius scelere omnis anima sauciata est: & nomen domini in gētibus blasphematum? Nonne quoties dicitur virgo, toties tibi cumulus iniquitatis accrescit? Iaces ecce vulnerata,

iaces ecce prostrata. (E) Cupiu prodesse, sed subuenire non possum: quia totum caput in dolore est, & totū corpus in mœstitia à pedibus vsq; ad caput: sicut ait Esaias. (Esa 1.) Non est malagma imponere: (Sap 16) infirmitas tua omne humanæ medicinæ excludit auxilium. Et licet tam boni quam mali iusta indignatione permoti, te omni depopulatione dedecoratā, omni tormentorum genere discruciatā, iudicent mortemulctandā, aut ignibus exurendam. Ego tamē qui scio grauiora facinoris seruari tormenta, & sine fine impias animas manere crucians, non tēporales vtique, non animā perditurus ego, sed secundū diuinam sententiam dabo cōsilium. Solum enim & vnicū tentandum est remediū illud quod diuina vox per Ezechielē miseris porrigit. (Ezech. 33. Hier 8.) *Nolo mortem*, inquit, *peccatoris: tantum vt conuertatur & viuat.* Et iterū. *Post hoc*, inquit, *dixi. Conuertere ad me, nūquid resina non est in Galaad: aut medicus non est ibi. Quare non ascendit sanitas filiæ populi mei?* Hæc itaque dicta pœnitentiā sapiunt: hæ sententiæ Dei vocant ad pœnitentiā reuocant ab errore. Pœnitudo ergo est necessaria lapsis: vulneratis necessaria medicamina. Sed quanta putas & qualis necessaria est pœnitentia, vt aut æquet crimen, aut certe excedat. (F) Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterij est, an duplex sit per illam necem, quæ facta dicitur in occulto: & secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia autem non verbo agenda est, sed facto. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos proponas de quanta gloria lapsa fueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit: & te iam positam credas prope ipsas *tenebras exteriores: vbi erit fletus* oculorum *& stridor dentium* sine fine. (Matt. 8.) Cum hæc certa fide sicut est, animo cōceperis: quia necesse est peccatricem animā tartareis pœnis & gehennæ ignib. tradi: nec aliud esse remedium constitutum post vnicum baptisma, quā pœnitentiæ solatiū, quantumuis laborem & indecorem subire contende, dūmodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tecū cogitans, & mente contractans, facti tui ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius intermittenda est (G) tibi, & quasi mortuam te existima, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens & mēbra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanā gloriam occasionē luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ, qui masculū non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam irrubuit impudice. Totū denique corpus iniuriis & ieiuniis maceretur: cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat: quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescēs tanquā cera in ieiuniis, inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiā crucietur quia in membra corporis, cum haberet dominationem, malum gessit imperium. Talis vita, talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit hic sperare, si non gloriam, certe pœnæ euacuationem: (Iohel. 2.) (H) Dicit enim Deus, *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Conuertimini in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & luctu: dirumpite corda vestra, & non vestimenta*: quia Deus pius & misericors est. Sic conuersus ille magnus Dauid iustificatus est. Sic Niniue peccatrix illa ciuitas, incumbentem sibi inuasit interitum. Peccator ergo si sibi nō pepercerit, à Deo illi parcetur: & si futuras pœnas gehēnæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio cōpensauerit, seipsū ab æterno iudicio liberabit. Grādi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Non est dubium leuius esse crimen, vbi homo peccatū suum vltro confitetur pœnitens. At vbi celās mala sua inuitus detegitur, & nolens publicatur, illud grauius scelus est: quod vtique tibi prouenisse negare non poteris. Et ideo fortius est dolendum, quia peccatū est fortius. Si mente cernerēt homines quale iudicium emittet Deus mundo, sensus humanus non dispergeretur vanitate seculi, si non infidelitate grauarentur. Quantumuis, & qualemuis cruciatum ad præsens libentissime sufferrent, etiam si esset longior vita, dummodo illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quæ iam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera, fortiter inhære tanquam naufragus tabulæ, sperans

per

A per ipsam te posse de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ vsque ad exitum vitæ tuæ: nec tibi præsumas in humano die posse veniam dari: quia decipit te, quicunque tibi hoc polliceri voluerit: quæ enim propriè in domino peccasti, ab illo solo quære remedium. 1 Cor 5.

In corruptorem inuectio.

DE te autem quid dicam fili serpentis, minister diaboli, violator tépli Dei, qui in vno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium vtique & sacrilegiũ? Sacrilegium planè vbi vas Christo oblatum, domino dedicatum, dementi temeritate polluisti: sicut Baltasar rex ille Persarũ: qui quia in vasis dominicis, quæ de téplo Hierusalẽ fuerant à patre eius sublata, bibere cum suis amicis & concubinis vsurpauit ipsa nocte angeli manu percussus, crudeli morte punitus est. Dan 5. Quid de te arbitraris perdite pariter & perditor, qui vas rationabile consecratũ Christo, sanctificatum Spiritu sancto, temeritatis impietatis sacrilegio polluisti, & tui propositi immemor, & iudicij diuini contemptor. B Melius enim fuerat te fuisse non natũ, quàm te sibi gehenna proprium filium vendicaret. Et licet teipsum conscientia sceleris agat per diuersa præcipitem (*fugit enim impius nemine persequente*) Prou. 28. licet & duræ peccati imagines dormientem quoque perterreant, necdum vigilantem: tamen cum neque à pastore etiam oui morbidæ vel mortuæ denegatum sit pœnitẽtiæ remedium: do consilium, petas vltro carcerem pœnitentiæ, obtuas catenis viscera, animam tuam gemitu ieiuniisque discrucies, sanctorum petas auxilium, iaceas sub pedibus electorum: vt nõ tibi per cor impœnitens thesaurizes irã in die iræ, & iusti iudicij Dei, *qui reddet singulis secundum opera ipsorum.* Rom 2. Nec te in eorum numero constituas, quos luget Paulus *Qui ante peccauerunt*, inquit, *& non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & libidine, quam gesserunt.* 2 Cor 12. C Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas. Non solus hoc egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma & Gomorra, & in totis quinque ciuitatibus innumerabiles vtique habitabant: sed ecce omnes pariter qui libidinose corpora sua tractauerunt, imbribus igneis conflagrati sunt: solus autem Loth de illo ineuitabili incẽdio effugit, quia ab illa turpitudine se præstiterat alienum. Exclude ergo vel nunc infelix de corde tuo blandimenta serpentis: & luctu & fletibus dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquire, semper ante oculos habens Apostoli sententiam *Quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sui secundum quod gessit, siue bonum, siue malum.* 2 Cor 5.

Ad Lapsam consolatio.

Thren 2. D QVis consolabitur te virgo filia Sion, quia *magna facta est sicut mare contritio tua?* Effunde cor tuũ sicut aquam coram facie domini. Osee 9. Extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primo quidem nullo die quinquagesimus Psalmus intermittatur, qui in negotio tali cantatur, vsque ad versiculũ illum: *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit*: gemitu lacrymisque percurre. Psal 50. Insuper hanc lamentationem non sine cõpunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontẽ lacrymarum*, vt defleam vulnera animæ meæ? Conuersi sunt dies festi mei in luctum, cantica mea in lamentationẽ. Recessit sonus hymnorũ, & lætitia psalmorum: & successit dentium stridor, & fletus oculorum. *Obmutui, & humiliata sum, & silui à bonis: & dolor meus per singulos dies renouabitur.* Psal 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ Abyssus circumdedit me, extremo demersit caput meum in scissura inferi. Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorra. Quis miserebitur cineri

meo? Durius offendi quàm Sodoma: quia legem nesciẽs illa deliquerat, ego accepta gratia peccaui. E Si homo peccet in hominem, erit qui interueniat. Ego peccaui in domino: quem propitiatorem inueniam? *Concepi dolorem, & peperi iniquitatem.* Psal. 7. *Lacum fodi, & incidi in foueam quã operata sum.* Ideo *conuersus est dolor in caput meum, & in vertice meo iniquitas mea descendit.* Immunditia mea ante pedes meos: non fui memor nouissimorum, & cecidi miserabiliter, nec est qui consoletur me. O quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio. *Quomodo facta sum in desolationem? subito defeci, perij propter iniquitatem meam, velut somnium surgentis.* Psal. 72. Ideo in ciuitate domini velificata est imago mea: deletum est de libro nomẽ meum. *Facta sum sicut nycticorax in domicilio, sicut passer vnicus in ædificio*, Psal. 101. nec qui consoletur me inuenio *Considero à dextris & video, nec est qui cognoscat me. Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam.* Psal. 141. *Facta sum sicut vas perditum. Audiui vituperationem omnium circumhabitantium.* F Væ diei illi, in quo me infelicem genuit vterus, & lux ista crudelis accepit. Oportuerat me potius fuisse non tam, quàm sic in gentibus fabula fierem. Propter me confussio & improperium factum est famulis domini, & eum dignè colentibus. Psal. 68. Lugete me montes & flumina, quia fletus filia ego sum Lugete me bestiæ syluarum, reptilia terræ, & volucres cœli, & omnes animæ, quæ vita fruimini. Nunc vos beatæ feræ & volucres, quibus nullus metus de inferis est, neque postmodum reddituræ estis rationem. Nobis manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum, delinquimus. Ideo non est pax peccatoribus. Meum peccatum, mea iniquitas non sunt similia offensis hominum: quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem, & castitatem professam. Mentita sum in dominum altissimum, ideo non est mihi fiducia inuocãdi dominũ altissimum, quia obstructum est os loquentium iniqua. Psal 62. Nam malum meum Propheta cecinit, quòd qui elongant se à domino, peribunt. Psal. 72. *Disperdit omnem fornicantem à se.* Psal 21. Et si *abest lingua faucibus meis, & in puluerem mortis deducta sum*: Psal. 6. G veruntamen clamabo ad dominum. Adhuc tempus est, dum datur spatium, quia in morte non erit memoria. In inferno non est confessio. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea. A vultu iræ tuæ, non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.* Psal. 37. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sũt super me. Computruerunt & deteriorauerũt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum, & curuata in finem, rugiebam à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatũ est: deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Psal 59. *Deus repulisti me, & destruxisti me: ostendisti mihi dura, potionasti me vino compunctionis.* Expulsa sum ab oculis tuis, iam non adiiciam vt respiciã ad templum sanctum tuum, facta sum in exterminium. Psal 29. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dũ descendo in corruptionẽ?* Psal. 87. H *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Tuus sermo est, tua promissio est. Ezech. 33. *Nolo mortem peccatoris, sed conuersionem.* Vt possim viuere, *ad te* Deus *conuersio mea*, qui solus potes nouare omnia. Psal. 145. Tu ab inferis animas reuocas, & soluis compeditos: Tu Deus erigis elisos, cæcos illuminas, mortuos suscitas: Psal 3. errani sicut ouis perdita: quære famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.* Sed & tuum consilium tecum est. Quot sunt dies famulæ tuæ, quando facies de me iudicium? Sed *ne intres in iudicium cum famula tua.* Psal. 142. *Defecit anima mea in salutari tuo*, defecerunt lacrymis oculi mei, Psal. 108. *effusa est in terram gloria mea.* Quando respicies *propter iniquitatem. Corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam, animam meam* Psal. 38. Memento domine quod puluis sum. Psal. 24. *Vide humilitatem meam, & laborem*, & *remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.*

A

EPISTOLA XXIII.

IN EVAGRIVM OBIVRGATIO quod Leuitam lapsum non consolatus sit.

Iob 6. NIsi vererer, beatissime frater, ne inter simulatos amicos Iob, mihi portio poneretur, qui videntes
plagā eius, & velut qui non haberent consolationē, iugi
silentio quieuerunt, propè fuerat, vt ego superposita manu ori, & obdurata linguæ fistula, ianuas labiorū meorū
taciturnitate concluderem. Sed absit hoc à fide mea, vt
aliquam plagam dicam esse, quæ non habeat consolationem, cum mihi propheta proclamet. *Nunquid medicus nō*
est in Galaad, aut resina non est illic? Quare non ascendit
Hier. 8. sanitas filiæ plebis meæ? Galaad enim aceruus testis interpretatur: & hunc aceruum testem, totum canonem
B diuinorum librorum esse sentimus: vbi indissolubilium
cumulus testimoniorum, velut quidam congestus est lapidum: in quo cumulo medicus verus Deus meus Iesus
Christus, si quæsitus fuerit, inuenietur. Resina autem
quid nisi continentiæ virtus est, quæ dissoluta coniungit, & scissa conglutinat? Quod nos scientes non dubitamus ad consolationem plagæ quæ contigit, oris nostri
lamenta miscere. Audiuimus enim horrendæ cladis excidium, audiuimus exultantes de ruina Christi, milites Satan: & iubilatio vocis quam in triumpho suo diabolicus
dedit exercitus, ad aures nostras vsque peruenit. Et testem Deum inuoco in animam meam: quia ita commota sunt viscera mea, ita contremuerunt ossa mea, vt omnem partem corporis mei sentirem eadem plaga torqueri. Absque damno meo hoc accidisse non dixerim malum, vbi membra corporis mei diabolica sagitta
1. Cor. 12 percussit, cum Apostolus dicat. *Si patitur vnum membrū,*
compatiuntur omnia membra. Sed non admittitur animus
C meus in totum lamentationi vacare vel fletui: quia & aduersum vos mihi est locus irascendi. Ecce contra communes inimicos processit vobiscum frater in prælio, qui
subito prostratus est casu. Hunc vos nec sepulturæ dignum iudicastis honore, sed reliquistis eum feris, & alitibus deuorandum. Vbi est misericordia Christianæ religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce iacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans: & vos quia sine vulnere reuertimini, ne
consolationem quidem obtulistis. Nolite esse sine formidine beatissimi fratres, fortiorem percussit inimicus, vt
celerior ei postmodum aditus esset ad reliquos. Vt quid
2. Reg 3. rogo spernitis vulneratum, aut sicut putatis & mortuū?
Melior illa Respha concubina Saulis, quæ corpora mortuorum, quæ Dauid pro Gabaonitarum vltione percusserat, quousque accincta sacco, hoc est cilicio, custodiuit: donec eis rotaret aqua de cœlo: id est, donec pro
venia eorum misericordia cœlestis deflueret. Melior ille
2 Mac. 12. Iudas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos furata de lamina
ciuitate idolorum dona prostrauerant. Vt quid rogo
medicus noster inter librorum suorum loculos tot con-
D stituit genera pigmentorum, si nihil est ex ēplastris eius,
quo possit sanari vulnus quod infixit inimicus? Itáne
fieret aliqua plaga, quæ scientiam nostri lateret archiatri, cui nequaquá artis suæ peritia prouideret? Et si placet aperiamus scholam medici nostri, & à principio canonis & vulnerum & medicaminum species requiramus. Et ecce in limine ipsius scholæ occurrunt illi seminis
carnalis auctores, qui venenato serpentis ore percussi,
non statim perpetuæ pœnæ mortis addicti sunt, sed eiecti de paradisi deliciis: id est, de ecclesiæ libertate, & sacri communione mysterij: ideo temporaliter sub typo
mœroris tribulationisque damnati sunt, vt malagmate
pœnitentiæ sanarentur: & vsque eo à ligno vitæ, id est
Christi participio exules fierent: donec ad illam, aut per
romphæam, id est, ignitam martyrij passionem, aut per
cherubim domini, qui interpretatur multitudo scientiæ,
commearent. De quibus nunc per singula non est tem-
poris loqui. Quid verò ille fratricida, cui ob mandatum E
signum imponit, ne ab aliquo possit occidi: Non vult enim *mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Non Ezech. 3.
longè ab his distat ille princeps patrum, qui primus credidit: & reputatum est illi ad iustitiam: qui captum ab hostili legione filium fratris, assumpta vernaculorum turba
eripuit: quem postmodum de Sodomæ plaga, id est, de Rom 4.
incendio gehennæ, habito cum diuina maiestate colloquio, hanc liberationis suæ merito liberauit. Et tu ergo
assume vernaculorum turbam: id est, proprio opere tuo,
non alieno fratri auxilium præsta captiuo. Loquere cum
domino, hoc est ora: ad opus eorum accingere, qui stuprum sororis in alienigenarum manibus incidentis, non
solum horruerunt, verumetiam vindicauerunt. Require
tamen qui vltores fuēre peccati. Nonne Simeon atque
Leui? Et tu qui ex tribu Leui es, qui ecclesiastico seruis
officio (Simeon autem obediens interpretatur) Tu ergo
qui obediens fuisti Dei voluntati, inobedientem ani- F
mam liberare aut vindicare cur cessas? Anima enim fratris soror tua est: quam si passus fueris alienigenis seruire,
peccasti. Sed dicis forsitan. Leuita est ille qui cecidit, non
potest ei iam remedij medicina conferri. Erras frater, erras: recurre ad scholam medici. Ecce in secundo loco, id
est, Exodi libro, vbi totius populi vulnus plagaque describitur, etiam Leuitæ peccasse referuntur, qui priores
ad correptionem legislatoris emendati esse perhibentur:
& non tam in eis peccati crimen arguitur, quàm velox
conuersio in pœnitentiæ celebritate laudatur. Cui rei simile etiam in Ezechiele dominus noster dicit de leuitis. Exod. 44.
Qui primi à me exierunt, cum errasset Israel. Ipse quoque pontifex ad suggestionem populi idolum fabricauit,
pro quo orans Moyses, fraterno liberauit auxilio. Sed dicis forsitan: Adhuc nec leuitæ sanctificati erant: nec pontifex consecratus, cum istius mali crimen commissum
est. Non contradico peritiæ tuæ, quam ex scripturarum Heb 7.
voluminibus concepisti. Tamen sic possem respondere Num 18.
tibi secundum apostolicam sententiam, qua loquitur ad G
Hebræos: quia in Abrahæ lumbis latens Leui, decimas à
Melchisedech accepit & dedit. Aut ipse Aaron, quid tibi
minus videtur habuisse de pontificali honore vel gradu,
cum Ægyptios signis percussit horrendis, & egrederetur
nocte cum populo, & sanctum pascha celebrauerit? Scimus autem quia sine sacerdote pascha non potest celebrari. Sed prætermissis his, interrogare te volo: quid erat
Aaron, cum aduersus Moysen inuidiæ virore percussus,
iuncta sibi Maria, murmurauit? At fortasse dicas: minus
est inuidia quàm fornicatio. Lege ergo beatum Aposto- 1. Cor 6.
lum, qui dicit. *Neque fornicarij, neq; inuidi, neque maledici,*
neque auari, neq; detractores, regnū Dei consequentur. Vides
vbi velut æqualia sibi similiaque iunguntur: quæ ad cœlorum regna non subeunt? Et aduerte cuius pœnæ sententiam mereatur inuidia: pro qua prophetissa Maria lepræ fœditate percutitur: vel cuius auaritia, pro qua Giezi
Elisæi minister simili sorte damnatur. Tu ergo qui auarum non detestaris, qui inuidum non refugis: fornicatorem fratrem, & ad tempus ruentem, æternæ mortis pœna condemnas? Nec ideo hoc dicimus, vt peccandi frena H
laxemus. Sed aduertat quisquis hæc legerit: quia nō viuētib. loquimur, sed mortuū consolamur. Deniq; resurgat:
& videbis, quia statim ei tradetnus Psalmistæ versum dicētis. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Ac- Psal. 22.
cipiat ergo virgā correptionis & baculum, quo sustentari
possit infirmus. Ita.n. intelligimus Apostolū: *Quia neque*
inuidi, neque fornicatores, neque auari, neque aliena appetentes, regnum Dei possidebunt: id est, quos in hoc vitio
tempus recessionis inuenerit. Quia alibi dominus dicit.
Vnumquemque in viis suis iudicabo. Et ipse Apostolus ait. Ezech 18.
Quales antea fuerint, nihil mea interest. Et in epistola sua Gal 6.
beatus Ioannes orari mandat pro fratre qui non habet Ioan 5.
peccatum vsque ad mortem. Credo qui non vsque ad
extremum vitæ finem, peccatorum suorum malis fuerit
subiectus. Nam de leuitis, quod superius dixeras non eos
fuisse sanctificatos, quid tamen peccatis fuēre polluti,
quid tibi videtur illud in beati Ezdræ libris: vbi reuersi 3 Ezd 8
de captiuitate Babyloniæ, & restructis nuper templi do-
mini

A mini fundamētis, nō solùplebs vulgi, verū & sacerdotalis familia, & illius Iesu magni inuenitur mulierib. alienigenis, hoc est Syris, Idumæis, Moabitis, & Ammonitis esse permixta? Qui tamen oēs peccati eiusdē, accipientes cōsiliū Ezdræ, & reiicientes mulierū alienigenarū cōsortia, sorde caruerūt. Vnde vides, quia sicut peccati contagione maculamur, ita expulsione eius abluimur.

EPISTOLA XXIV.

HORTATIO AD MILITEM SÆculi, vt Christo militet.

ET si ignotus tibi sim facie, iā tamē te corde cognoui: quia filius meus in dño charissimus Victor, referens mihi religiosam vitā tuā, fecit vt te (quamuis absentem) cognoscerem, & sicut consortē futurū in Christo diligere inciperē. Retulit enim mihi quomodo & in militia sæculari (in qua adhuc tu teneris) socius & secutor contubernij tui fuerit. Vnde magis præsūpsi scribere ad te per ipsum, Spero etenim te ex eadē via ad viam nostrā esse venturū: quandoquidē istum te tuis socius ad nos præmisisti: quē pro pignore tuo ecclesia tenet, vt te post eum capiat. Nihil enim est, benedicte fili, quod possit aut debeat præferri ei, qui est verus dominus, & verus pater & imperator æternus. Cui enim rectius vitā nostram impēdimus, quàm illi à quo accepimus, & cui eam vsque in finē debemus? quia ipsius beneficio viuimus. Si tamē in hoc sæculo ipso militauerimus, tunc ad ipsum transire merebimur. Quod si magis dilexerimus hoc sæculū, & maluerimus Cæsari militare quàm Christo: postea non ad Christū, sed ad gehēnam transferemur: vbi principum huius sæculi vertitur causa. Ideo nec affectū, nec patriam, nec honores, nec diuitias Deo præferre debemus: quia scri-
1 Cor 7. ptum est *Præterit huius mundi figura*. Et, qui hunc mun-
C dum dilexerint, cum ipso & peribunt. Ideo ipse dominus in euangelio contestatur & dicit, *Qui amat patrem aut*
Mat. 10. *matrem plusquam me, non est me dignus: Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus.* De diuitiis autem sæculi huius, quas quidam pro summo
Prou. 10. bono, & necessario amplectuntur & diligunt, ita dicit. *Quia non proderunt thesauri iniquis: iustitia autem eripit à*
Baruch 3. *morte.* Et iterum per Prophetam dicitur. *Exterminati sunt omnes qui exaltati fuerant auro & argento.* In euāgelio quoque clamat atque prædamnat diuites sæculi, di-
Luc. 6 cens. *Væ vobis diuitibus quia habetis consolationē vestrā. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Noli ergo diutius diligere hunc mundum, neque militiam eius: quia secundū scripturæ auctoritatē Inimicus Dei est, quicunque est amicus sæculi. Et qui militat gladio, mortis minister est. Qui autem suum vel alienū sanguinem fundit, hic recipiet fructū stipendiorū. Aut enim exitij mortis tenebitur reus, aut criminis. Quia necesse est, vt miles in bello (in
D quo tamen non tam pro se quàm pro alio dimicat) aut suā mortē victus inueniat, aut mortis causam victor acquirat: quia victor esse nō poterit, si effusor sanguinis an te non fuerit. Ideo dicit dñs. *Non potestis duobus dominis*
Mat 6. *seruire*. Sed quia vni Deo seruiendū est, facilè puto posse discerni: cui potius seruire debeat, Deo an mammonæ, Christo an Cæsari: cum ipse Cæsar Christi seruus studeat esse: vt aliquarū gentium rex esse mereatur. Neque enim quicunque rex terrenus, totius terræ dominus est. Christus autem totius mundi rex est, quia *omnia per ipsum*
Ioan. 1. *facta sunt: & sine ipso factum est nihil*. Et ipse est *rex regū, & dominus dominantiū*: & in terris, in mari, in abyssis omnia quæ vult facit. Hūc igitur sequamur, huic militemus: cui coniunctus nunquam disiungitur miles: qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorē regni cœlestis, & diuitias hæreditatis suæ, & diuinæ cognitionis consortiū
Ecclef 31. perenne largitur. Scriptum est autem. *Qui pecuniam diligit, non iustificabitur*: & qui æternas possessiones concupiscit, in illis (sicut scriptum est) implanabitur. Nam in Ecclesiastico per Salomonem loquitur diuina sapientia. *Quia multi periclitati sunt auri causa: & facta est in facie illius perditio ipsorum. Lignum*, inquit, *offensionis eius est* [illegible]
aurum: & deiicit illos qui sectantur illud. Sed nō omnis nisi
imprudens disperiet in illo. Quamobrem fuge ab illo fi- Eccles. 22.
li, sicut à facie serpentis, credens Christo: qui in euangelio testatur omnib. hominibus: Quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. Sed te forsitā ætatis tuæ fiducia, & stipes dignitatum, vel diuitiarū augmenta sollicitant, vt dicas. Adhuc iuuenis sum, est nunc tēpus vt parùper militem, & vxorem ducam, & filios habeam, & postea Deo seruiam. Ad hæc tibi respondet nō ego sed dñs, qui loquitur in prophetis & apostolis
suis: & Sapiens dicit. *Ne tardaueris conuerti ad dominū, nec* Eccles. 5.
differas de die in diē, ne subito veniat ira illius. In euangelio
antè, quo ardore properandum sit ad conuersionē, osten- Mat. 11.
dit eum dicit. *A diebus autem Ioannis* vsque ad hodiernū diem, *vim patitur regnum cœlorum: & qui vim faciunt, rapiunt illud.* Talis violentia Deo grata est, quæ neminem
concutit, nullius damno committitur. In hanc rapinam F
manus tuas verte, quæ crimen non habet, & cōfert salutē. Et quid tibi militarū stipendiorum curationes, cum inuidia violentiæ curare: cum forsitan pro tua honestate etiam debitorum moderatus exactor sis? cum sine cuiusquā inuidia, & cum Dei gratia possis esse violentus, vt rapias regnū cœlorū: quod sibi auferri patitur, & gaudet Christus inuadi: qui pro abundantia charitatis & potentiæ suæ capax est largiendi quod tenet, & quod donauerit obtinendi. Nam quando sanctis suis in regno suo regnare concesserit, ipse regnabit in illis quos consortes regni cœlestis assumpserit. Scriptum est enim. Et regnū Dei cum sanctis fore: & ipsos sanctos esse regnum Dei: quod propitio Deo cum conuersus fueris, & legendo cognosces & credendo intelliges. De ætatis autem flore
primo quis audeat gloriari? Admonet diuina scriptura, Esa 40.
dicens. *Omnis caro fœnum est, & omnis claritas eius vt flos* G
fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: sermo autem domini ma- Psal. 83.
net in æternum. Ideo Propheta, illa potius in quibus æter-
na corporis rediuiui gloria post resurrectionem possit Psal. 83.
manere, desiderans clamat. Quàm amabilia sunt tabernacula tua domine virtutum, *concupiscit & deficit anima mea in atria domini.* Et de vinculis coniugalibus & cæteris temporalium rerum tam spinosis quàm inanibus curis, Apostolus (in quo Christus loquitur) admonet, ne in longum huius sæculi tempus irrita vota mittamus, & co-
gnoscere nos iubet, quia tempus breuiatum est: & dicit. 1. Cor. 7.
Reliquum est vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes. Quod cum dicit, ostendit liberos non debere implicari: quandoquidem liberati suadeat impeditos. Si ergo iam forsitan alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Quod si adhuc liber es ab vxore, noli quærere implicationem.
Non enim Apostolus propter coniugij condemnatio- H
nem hoc dicit (quandoquidem huius fœderis religionem, magno Christi & ecclesiæ sacramento comparat) sed propter instantem necessitatem, bonum esse asserens
hominem sic esse, quemadmodū ipse erat. *Volo*, inquit, Ibid.
vos sine solicitudine esse: hoc est, vt nihil præter Deum & salutem nostram cogitemus. Nam vxor & filij, quanquā & ipsa diuinitus nobis pignora data sint, tamen grauissimarum curarum onera sunt. Vnde idem Apostolus ait. Quia tribulationem carnis habebunt huiusmodi: quia necessitudinis nostræ carnes, quanto chariores nobis sunt, tanto magis nos discruciant & fatigant. Nam vxore accepta, primum optantur filij: & si non suscipiuntur, sterilitas lugetur: si suscipiuntur, orbitas timetur. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus, ita requiescit animus, vt cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto: in vtroque miseriis sustinendis sēper obnoxius. Miser est enim qui vxorem bonam perdit, miserior qui malam possidet. Inter hæc duo accidentia, satis felicior est qui vtrumque non nouit. Similiter & de filiis: sæpissimè enim sunt miserrimi parentes, vel qui amabiles habent, quibus orbantur: vel qui tales habent,

A vt non habentibus inuidere cogantur. Audi ergo fili mi, & inclina aurem tuam mihi, & disrumpe omnia vincula tua quæcunque in hoc seculo te implicatum tenent: commuta in melius militiam, vt æterno regi incipias militare. Et nunc, vt audio, qui adiutor & tutator es ciuium, fias comes Christi. Deinde in hac militia soletis in votis habere hanc officij promotionem, vt protectores efficiamini. Si autem Deo te probaueris, ipsum Deum incipies habere protectorem. Vide ad qualem militiam te inuito collegam, vt quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit: quem si cœperis sequi, & in eius comitatu incœperis militare, finis militiæ tuæ erit regnum, non terræ & temporis, sed æternitatis & cœli.

EPISTOLA XXV.

DE DECEM TENTATIONIBVS populi Israelitici.

B

Deut. 1. *HÆc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnẽ Israel in transitu Iordanis, in solitudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan, & Tophel, & Laban, & Hazeroth, & auri abundantiam, vndecim dierum iter de Horeb ad montem Seir vsque Cades barne.* Hæc sunt verba, quibus corripuit Moyses filios Israel pro decem tentationibus, quibus dominum tentauerunt. Num. 14. Vnde dominus in libro Numerorum dicit. *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus ipsorum.* Quas tentationes hic breuiter & obscurè Moyses enumerat, dicens: In solitudine, in qua ostendit eos pro aquæ penuria duabus vicibus tentasse dominum. Exod. 17. De prima tentatione ita in Exodo legitur. *Iurgatus populus contra Moysen ait. Da nobis aquam vt bibamus. Quibus respondit Moyses:* C *Quid iurgamini contra me? cur tentatis dominum?* De secunda tentatione ita in libro Numerorũ dicitur. *Cumque indigeret aqua populus, &c.* vsque ad eum Num. 20. locum in quo ait. *Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra dominum, & sanctificatus est in eis.* Deut. 1. Tertia tentatio continetur, in eo quod ait. *In campestri contra mare rubrum*: in quo loco murmurasse dicuntur contra dominum: quia perimendos Ægyptios esse Moysi non crediderunt, sibi de verbo domini dicenti: sed potius Psal. 105. eos se subsequi timuerunt: vnde dicitur in Psalmo. *Patres nostri non intellexerunt mirabilia, &c.* Quarta & quinta tentatio continetur in eo quod ait. *Inter Pharan & Tophel & Laban.* Pharan interpretatur, onager: Tophel, stultitia: Laban, album. Quod ita intelligitur, quia similes onagro facti filij Israel, stultè egerunt tentantes domi- Exod. 16 num duabus vicibus super albo, id est super manna: Manna verò album dicitur, vt est illud Exodi. *Appellauitque domus Israel nomen eius Man, quod erat quasi semen coriandri album.* D Vna tentatio fuit super eodem manna: sicut in Exodo dicitur. *Hic est sermo quem præcepit dominus: Colligat ex eo vnusquisque quantum sufficit ad vescendum.* Et post pauca. *Dixit ad eos Moyses, nullus ex eo reseruet in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt ex eo quidam vsque mane.* Altera fuit tentatio, de qua post pauca in eodem loco dicitur. *Sex diebus colligite: in die autem septima sabbathum est domini, ideirco non inuenietur. Venit autem septima dies: & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt. Dixit autem dominus ad Moysen: Vsquequo non vultis seruare mandata mea & legem meam? &c.* Sexta tentaחצרות tio continetur in eo quod ait: *& Hazeroth.* Hazeroth verò ciuitas est solitudini vicina, & interpretatur villa: in cuius territorio, id est, in sepulcris concupiscentiæ, facta fuisse legitur secunda tentatio carnium, in qua etiam prima tentatio carnium complectitur. De prima ita in libro Exodi legitur. Dixerunt Moyses & Aaron ad omnes filios Israel. *Vespere scietis, quod dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriam domini. Audiuit enim murmur vestrum, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum.* Et post pauca. *Locutus est dominus ad Moysen, dicens, Audiui murmurationes filiorum Israel: loquere ad eos. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum dominus Deus vester.* E Ibid. *Factum est ergo vespere, & conscendens coturnix operuit castra.* De septima autem tentatione in Numeris dicitur. Num. 11. *Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra dominum. Quod cum audisset, iratus est, & accensus ignis domini deuorauit extremam partem castrorum.* Et post pauca: *Sanctificamini, cras etenim comedetis carnes. Ego autem audiui vos dicere, quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Aegypto. Dominus enim dabit vobis carnes & comedetis non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, aut viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo, dicentes. Quare egressi sumus de Aegypto?* Item paulo post: *Adhuc carnes erant inter dentes eorum, nec defecerat huiusmodi cibus: & ecce furor domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Octaua tentatio continetur in eo quod ait. *Vbi auri est plurimum.* F די זהב Notandum namque quod in Hebræo, & abundantia auri habeatur. Abundantia autem auri intelligitur vitulus aureus, quem fabricati sunt filij Israel sibi in deos, morante Moyse cum domino in monte Sinai. Idcirco abundantia auri dicitur, quia in idolo moles omniũ peccatorũ consistit, & idolũ pro omnib. peccatis abundat. Nona tẽtatio cõtinetur in eo quod ait. *Vndecim diebus in Horeb per viam montis Seir.* Quod in Hebræo ita habetur: *Vndecim dieb. iter de Horeb ad montẽ Seir.* Fabricato itaq; in Horeb idolo, vndecimo die venerunt ad montem Seir, qui est in suburbano ciuitatis Cades barne, vbi filij Israel tẽtauerũt dominum, sicut in libro Numerorũ scribitur. *Vsquequo* Num. 14. *multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorũ Israel audiui.* Dic ergo eis: *Viuo ego dicit dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* Et post paululum. *Iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram annus pro die computabitur: quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionẽ meã, quoniam sicut locutus sum, sic faciã huic multitudini pessimæ, quæ consurrexit aduersum* G *me: in solitudine hac morietur & deficiet.* Item. *Locutus est Moyses vniuersa hæc ad filios Israel, & luxit populus nimis: & ecce mane primo surgentes ascenderunt verticẽ montis, & dixerũt. Parati sumus ascendere ad locum, de quo locutus est dominus, quia peccauimus: quib. Moyses. Cur, inquit, transgredimini verbũ domini, quod vobis non cedit in prosperum? Nolite ascẽdere, nõ. n. est domin⁹ in medio vestrũ, ne corruatis corã inimicis vestris.* Itemq; post pauca. *At illi contenebrati ascenderũt in verticẽ montis. Arca autẽ testamenti dñi & Moyses nõ recesserũt de castris. Descendit Amalechites & Chananæus qui habitabãt in monte, & percutiens eos atque concidens, persecutus est eos vsque* Horma. Mõs iste, in quo Amalechites & Chananæus habitare dicũtur, mons Seir intelligitur, sicut in Deuteronomio scribitur. *Itaq; egres-* Deut. 1. *sus Amorræus qui habitabat in montibus, & obuiã veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi, & cecidit de Seir vsq; Horma.* Decima tentatio continetur in eo quod ait: *Vsque Cades barne.* Hæc tentatio fuit in Cades Barne. Vn- H de Moyses misit exploratores ad considerandam terram Chanaan? sicut in libro Numerorũ dicitur. *Et locutus est* Num. 13. *dominus ad Moysen, dicens Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, &c.* Et paulo post. *Et dixit dominus ad Moysen. Vsquequo detrahet mihi populus iste, quousque non credent mihi in omnib. signis quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam: te autem faciam in gentem magnam.* Itemm post paululũ. *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto & in solitudine, & tentauerunt me, &c. non videbunt terram pro qua iuraui patribus eorũ: nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.* Nec moueatur quis quod à deserto Pharan, non de Cades barne Moyses exploratores misit. Cades enim barne ipsa est Pharan: quod in libro Iosue ita dicitur. *Locutus est Caleph* Iosue 14. *ad Iosue. Nosti quid locutus sit Deus ad Moysen hominem Dei de me & de te in Cades Barne? Quadraginta annorũ erã, quando me misit Moyses famulus dñi ad terrã considerãdã.*

A

EPISTOLA XXVI.

EXPLANATIO IN PSALMVM quadragesimum primum.

OMne psalterium sagaci mente perlustrans, nusquam inuenio quod filij Chore aliquid triste cantauerint. Semper in psalmis eorum læta sunt & iocunda: semper terrenis humilibusque contemptis, cœlestia & æterna desiderant: congruentes interpretationi nominis sui. Siquidem Chore interpretatur caluities. Quia ergo dominus noster in loco Caluariæ crucifixus est & sepultus: quicunque in cruce eius credunt & in resurrectionis, hi filij Chore, id est, filij Caluariæ nominantur. Super qua Caluaria dominus noster Iesus, post resurrectionem ad cœlorum regna conscendens, irridetur à paruulis & ab incredulis Iudæorum. Sed Eliseum irridentes, vrsi comederunt. Hoc de titulo scriptum dixisse sufficiat. Nunc ad psalmi principium reuertamur. *Sicut eeruus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ceruorum natura est, vt serpentum venena contemnant: quin potius naribus suis eos extrahunt de cauernis, vt interficiant atque dilacerent. Cum venenum cœperit intrinsecus æstuare: & quamuis eos non possint occidere, tamen sitis ardorem & incendium tolerant, tunc illi fontes desiderant, & purissimis aquis, feruentia venena restinguunt. Quomodo itaque illi cerui desiderant fontes aquarum, ita illi qui de Ægypto & de sæculo recedentes interfecerunt Pharaonem in aquis suis, & omnem exercitum eius in baptismo necauerunt: post interfectionem diaboli, desiderant fontes ecclesiæ, patrem & filium & Spiritum sanctum. De patre quòd sit fons, scribitur in Hieremia. *Me dimiserunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi lacos detritos, qui non possunt aquam continere.* De filio quodam in loco legimus. *Dereliquerunt fontem sapientiæ.* Porrò de Spiritu sancto. *Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam:* statim exponitur, euangelista dicente, quod de Spiritu sancto sermo fuerit saluatoris. Ex quo manifestissime liquet tres in ecclesia fontes, esse trinitatis mysterium. Hos desiderat anima credentis: hos desiderat anima baptizantis, & dicit: *Sitiuit anima mea in Deum fontem viuum.* Non enim leuiter videre voluit Deum: sed toto desiderabat ardore, toto sitiuit incendio, antequam baptisma consequeretur. Loquebantur inter se inuicem, atque dicebant. *Quando veniam, & apparebo ante faciem domini?* Ecce fratres demum impletum est quod petebam. Venerunt & steterunt ante faciem Dei: apparuerunt ante faciem altaris, & mysterium intellexerunt. Hoc enim non merentur videre, nisi illi qui ex conscientia, & ex imo proferunt corde memorantes: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Per omnem enim quadragesimam vacauerunt orationi atque ieiunio: in sacco & cinere dormierunt, fututam vitam peccatorum suorum confessione quærentes. Sed quia fuderunt lacrymas & fuerunt tristes, dicitur eis. *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Et beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Pro quibus vniuersis, cum illis diabolus insultaret & diceret: *Vbi est Deus tuus?* admissi & in vitali fonte renati, confidenter loquuntur. *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei.* Dominus Dei ecclesia est: hoc est admirabile tabernaculum: quia habitat in eo vox exultationis, & confessionis, & sonus epulantis. Gaudent quippe sub fide & consecutione vitæ æternæ, quam fratres nostri nunc accipere meruerunt, & angeli in cœlis omnesque virtutes. Si enim super vno peccatore agente pœnitentiam: & in vna ouicula morbida, quæ pastoris humeris est recepta, gaudent angeli atque lætantur: quanto magis in tot fratribus in tali gurgite renatis atque mundatis, vniuersa exultant regna cœlorum, videntia homines, veteri peccatorum labe purgatos suo incolatui præparari? Discite ergo qui Christum nunc induti estis, & ductum nostrum sequentes, qui quasi pisciculus hamo, ita sermone Dei de gurgite sæculi istius subleuamini: in nobis rerum natura mutata est. Pisces enim qui de mari extracti fuerint, moriuntur. Nos autem ideo apostoli de mundi istius mari extraxerunt atque piscati sunt, vt viui ex mortuis fieremus. Quamdiu eramus in hoc sæculo, oculi nostri in profundo, & vita nostra versabatur in cœno: postquam de fluctibus erepti sumus, cœpimus solem videre, cœpimus verum lumen aspicere, & præ nimio gaudio conturbati, ad animam nostram dicimus. *Spera in Deo, quoniam confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.* Et deinceps. *Propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim à monte modico. Abyssus abyssum inuocat.* Et nos de terra Iordanis, id est, de flumine, vbi dominus baptizatus est: & Hermonim, hoc est de sæculi huius maledictione, quoniam Hermon interpretatur anathema, & de monte modico huius mundi. Quamuis enim aliquis sanctus sit: dum in isto versatur sæculo, non est in monte grandi atque sublimi: sed in monte modico atque humili, clamamus ad dominum, & profundum ipsius scripturarum sensum de aliis scripturarum testimoniis interpretamur. Quidquid in absconso veteris testamenti non possumus inuenire, hoc de absconso noui testamenti soluimus *in voce cataractarum* Dei, hoc est prophetarum ipsius & apostolorum. *Omnia excelsa domini, & fluctus* ipsius, & *impetus fluminis* qui *lætificant ciuitatem Dei, super nos transierunt* in Christo Iesu, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

B

Psal. 41.

Ierem. 2.

Baruch 3.
Ioan. 4.

C

D

Mat. 5.

Luc. 15.

Sap. 5.

E

F

EPISTOLA XXVII.

EXPLANATIO IN PSALMVM centesimum decimum septimum.

IN omni Psalmo dominus noster Iesus Christus prophetatur atque canitur. Siquidem ipse *habet clauem Dauid, qua aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Sed præcipue in centesimo decimo septimo Psalmo, qui nunc psallendo lectus est, resurrectionis mysterium prædicatur. Hic enim psalmus, in quo à Spiritu sancto præsignati vocantur ad confitendum domino in laude: vel ad confessionem gentium veri Israëlitæ in pœnitentia veri sacerdotis Aaron domus, quod est in ecclesia: siue generaliter omnes timentes Deum recte pro tantis muneribus pietatis patris, qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, à confessione incipitur. *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* Quis enim nostrum potens esse considerans ea, quæ in eo quotidie exultans canit ecclesia: hoc est, passionem domini salutaria, resurrectionem siue ascensionem: & non magis erumpat in voce, compos illorum paruulorum effectus, domino cum ramis & palmis exultantium. *O domine saluos nos fac, ô domine bene prosperare.* Vnde & ipse victor ad patrem ascendens imperat angelis, dicens. Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor domino. Hæ sunt portæ, de quibus in vicesimo tertio psalmo inter se inuicem angeli loquebantur ingressum domino præparantes. *Leuate portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Sed pulchre leuari iubentur portæ, & in sublime erigi. Siquidem iuxta dispensationem carnis & mysterium & victoriam crucis, maior regreditur ad cœlos quàm ad terras venerat. *Hæc porta domini, iusti intrabunt per eam.* Per hanc portam ingressus est Petrus, ingressus est Paulus, ingressi sunt omnes apostoli, ingressi sunt & martyres, & quotidie sancti quique ingrediuntur. Per hanc portam primus latro cum domino ingressus est. Habetote fiduciam, & vos sperate similia. Sic enim ipse Apostolus dixit. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus in dextera Dei sedet.* Non dicit hic psalmus, soli apostoli, soli prophetæ & martyres intrabunt per eam: sed iusti introibunt per eam. Quicunque ergo iuste agit, & inter iustos domini esse meruit, fiducialiter agat in eo sperans, quia intrabit per hanc portam. Quia dominus non quærit sanguinem confitentium: sed fidem, pro qua sanguis effunditur credentium. Si habuerimus

Apocal. 3.

G

Rom. 8.

Psal. 23.

H

Coloss. 3.

A fidem quæ poteſt ſanguinem fundere, imputabitur uobis & cruoris effuſio. O verè infelices Iudæi, ô miſeri atque miſerabiles: lapidem, qui per Eſaiam repromiſſus eſt, quod poneretur in fundamentis Sion, & populum vtrunque coniungeret, eſſe dominum ſaluatorem, eſſe filium Dei non agnouiſtis? (Eſa. 28.) Hunc vos reprobaſtis, ædificantes quondam congregationem domini, & répli Dei myſteria cuſtodiêtes: qui reprobatus à vobis, *factus eſt in caput anguli*: & primam eccleſiam de Iudæorum populo congregatam, & credentes ex nationibus in vnum gregem & miniſterium federauit. *A domino factum eſt illud*: hoc eſt mirabile in oculis noſtris: vt nos qui ante paſſionem domini ſine teſtamento eramus ex lege, adoptaremur in filios Dei, & priori cingulo putreſcente, aliud ſibi Deus lumbare contexeret, alium populum præpararet. Vos ergo Iudæi habetis ſcripturam, vos legitis libros, & nos in eum qui in eis ſcriptus eſt libris, ipſum adorantes, credimus. Vos teneris paginas, nos ſenſum paginarum. B Vos complicans membranas animalium mortuorum, nos poſſidemus ſpiritum viuificantem. Quid mirabilius poteſt eſſe iſtiuſmodi ſacramento? Quid hac die felicius, in qua dominus Iudæis mortuus eſt, nobis ſurrexit? In qua ſynagogæ culmen occubuit, & eſt ortus eccleſiæ: in qua nos homines fecit ſecum ſurgere & viuere, & ſedere in cœleſtibus. Et impletum eſt illud quod ipſe dixit in euangelio, *Cum autem exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me*. (Ioan. 12.) Hæc eſt dies quã fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Omnes dies quidem fecit dominus, ſed cæteri dies poſſunt eſſe Iudæorum, poſſunt eſſe hæreticorum, poſſunt eſſe gentilium. Dies dominica, dies reſurrectionis, dies Chriſtianorum, dies noſtra eſt. Vnde & dominica dicitur: quia in ea dominus victor aſcendit ad patrem. Quod ſi à gentilibus dies ſolis vocatur: & hoc nos libentiſſimè confitemur. (Malach. 4.) Hodie enim lux mundi orta eſt, hodie ſol iuſtitiæ ortus eſt: in cuius pennis eſt ſanitas. Nunquid ſol pennas habet? Reſpondeant Iudæi, & C qui tantùm ſecundum literas ſcripturas intelligunt ſimiles Iudæorum. Nos autem dicimus, quicunque ſub alis iſtius ſolis fuerit: qui dixit in euãgelio. *Quoties volui congregare filios tuos, quaſi gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* (Mat. 23.) iſte ſecurus erit ab accipitre diabolo, ab aquilis volantibus in Ezechiele, & omnia peccatorum eius vulnera ſanabuntur. Vt autem ſciatis fratres mei, quod propriè pſalmus iſte de domino ſcriptus eſt: & in euangelio pueri, ſicut meminimus, qui intrante Hieroſolymam Saluatore, palmas leuantes, clamauerunt atque dixerũt. (Marc. 11.) *Oſanna in excelſis, benedictus qui venit in nomine domini, oſanna in excelſis*: de centeſimo decimo ſeptimo Pſalmo iſtos verſiculos aſſumpſerunt. *O domine ſaluum me fac*. In Hebræo ſcribitur, הושיעה נא Hoſiana. Vnde & Iudæi impatienter ferentes volunt prohibere paruulos: de quibus in Eſaia loquebatur dominus. (Eſa. 8.) *Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit dominus*. Tacentibus enim ſenibus, & inuidiæ liuore cruciatis, paruuli clamabant, & Chriſtum paruuli confitentur. Quod ſi & illi tacuiſſent, lapides vtique clamarent, id eſt, gentilium populus: de quibus in euangelio ſcriptum eſt. (Mat. 3.) *Potens eſt dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: D nos ſignificans, qui duro quondam corde fuimus: ſed nunc credentes in Chriſto Ieſu in filios Abraham, in filios Dei omnipotentis, adoptati ſumus per ipſum dominum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

EPISTOLA XXVIII.

AD DARDANVM DE DIVERSIS generibus Muſicorum.

COgor à te, vt tibi Dardane de aliquibus generibus muſicorum ſicut res docet, vel viſione, vel auditu, breui ſermone reſpondeam. Alia enim ad lucidum proferre non poſſum: quia vnaquæque res ſecundum ingenium eius eſt, quæ autem poſſunt enarrari, libenter explicabuntur. Primum omnium ad organum, eo quod maius eſſe his in ſonitu & fortitudine nimia computatur, clamores veniant: de duabus elephantorum pellibus E concauum coniungitur: & per duodecim fabrorum ſufflatoria comprenſantur: per quindecim cicutas æreas in ſonitum nimium, quos in modum tonitrui concitat: ita vt per mille paſſuum ſpatia ſine dubio ſenſibiliter vtique & amplius audiatur: ſic apud Hebræos de organis, quæ ab Hieruſalem, vſque ad montem oliueti, & amplius ſonitu audiuntur, comprobatur. Duo genera organi à pleriſque eſſe dicuntur. Primum eſt quod prædiximus: & aliud quod de peregrinatione Iſraëlitici populi apud Babylonios inſcribitur. (Pſal. 136.) *Super flumina Babylonis, &c.* Hoc totum figuraliter ac ſpiritualiter ſignificat euangelium Chriſti: quod & illud duabus pellibus, id eſt, duarum legum aſperitate coniungitur per quindecim ſufflatoria fabrorum, id eſt, per patriarchas ac prophetas: per duodecim cicutas æreas, id eſt, per apoſtolos, ſonum nimium emittit, ſicut ſcriptum eſt. (Pſal. 18.) *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, & reliqua. Quod eſt in modũ tonitrui, id eſt, vox euangelij in toto orbe terrarum: ſicut ſcriptum eſt. F *Vox tonitrui tui Deus in rota*: (Pſal. 76.) per mille paſſus, id eſt, perfectum numerum decem verborum legis impletur: ſonus eius in ſalicibus, id eſt per laborem vniuſcuiuſque doctoris laborum euangelium prædicatur. Tuba, de qua in Daniele ſcriptũ eſt. (Dan. 3. & 5.) *Cum audieritis vocem tubæ, fiſtulæ, citharæ, & reliqua*: *diuerſis figuris ac formis efficitur*. Aliter enim eſt tuba congregationis populi, aliter conductionis, aliter victoriæ, aliter perſequendi inimicos, aliter concuſſionis ciuitatum, & reliqua. Tuba autem conſuetudinis apud rerum peritiſſimos hoc modo intelligitur: tribus fiſtulis æreis in capite anguſto inſpiratur, in capite per quatuor vociductus æreos, qui per æreum fundamentum quaternas voces producunt, mugitum nimium vehementiſſimumque profert. Ita euangelium terna confeſſione trium perſonarum ſanctæ trinitatis in capite anguſto, id eſt, in natiuitate, Chriſti diuinitate inſpiratur: & per quatuor vociductus, id eſt, quatuor euangeliſtas, per æreum fundamentum, ſtabilitatem fidei, & operum in toto orbe voce nimia clamores, quos in modum tubæ congregationis fortiter emittit. G Fiſtula præterea artis eſſe myſticæ, ſicut fuſores earum rerum affirmant, reperitur: ita bombulum æreum ductile quadratum latiſſimumque, quaſi in modum coronæ cum fiſocolo æreo ferroque commixto, atque in medio concuſſo, quod in ligno alto ſpatioſoque formatum ſuperiore capite conſtringitur, alterum altero capite demiſſo, ſed terram non tangi à pleriſque putatur: & per ſingula latera duodecim bombula ærea, duodecim fiſtulis in medio poſitis, in catena fixis dependent: ita tria bombula in vno latere per circuitum vtique figuntur, & concitato primo bombulo, & concitatis duodecim bombulorum fiſtulis in medio poſitis, clamorem magnum fragoremque nimium ſupra modum ſimul proferunt. Bombulum itaque cum fiſtulis, id eſt, doctor in medio eccleſiæ eſt, cũ Spiritu ſancto qui loquitur in eo, cõſtringitur in ligno alto, id eſt, Chriſto, qui à ſapientibus lignũ vitæ comparatur: in catena, id eſt, in fide: & non tangit terram, id eſt, opera carnalia: duodecim bombula, id eſt, duodecim apoſtoli: cum fiſtulis, id eſt, diuinis eloquijs. H Cithara de qua in quadrageſimo ſecundo Pſalmo ſcriptum eſt. (Pſal. 42.) *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus*, propriæ cõſuetudinis eſt apud Hebræos, quæ cum chordis vigintiquatuor, quæ in modum deltæ literæ, ſicut peritiſſimi tradunt, vtique componitur: & per digitos Pindari varijs vocibus tinnulis ictibuſque in diuerſis modis concitatur. Cithara autem de qua ſermo eſt, eccleſia eſt, ſpiritualiter, quæ cum quatuor & viginti ſeniorum dogmatibus trinam formam habens, quaſi in modum deltæ literæ per fidem ſanctæ trinitatis manifeſtiſſimè ſine dubio ſignificat: & per manus viri Petri Apoſtoli, qui prædicator illius eſt in diuerſos modulos veteris & noui teſtamenti, aliter in litera, in ſenſu figuraliter concutitur. Sambuca itaque, quæ apud peritiſſimos Hebræorum ignota res eſt, antiquis temporibus apud Chaldæos fuiſſe reperitur: ſicut ſcriptum eſt. (Dan. 3. & 5.) *Cum audieritis vocem tubæ, fiſtulæ, citharæ, ſambucæ: & reliqua*. Bucca vocatur tuba apud Hebræos, deinde per diminu-

A mini [illegible] [illegible] accinadicit it. Sambuca autem sol apud Hebræo[illegible] [illegible]reciatur: sicut scriptum est. Samson sol eorum. Propterea autem apud eos sambuca inscribitur, qui[illegible] [illegible] corticem arboris esse putant, & per soliditatem mollis venæ, ac mutabilitatem, quasi in modum tubæ de ramo arboris moueri potest: ideo sambuca dicitur, quia æstatis tempore fieri potest, & vsque ad frigoris tempus durare potest. Arescit enim secundum communem consuetudinem. Typus eorum qui dominum in bonis operibus laudant, & in tempore frigoris, id est, tribulationum vel persecutionis laudare eum non possunt propter infidelitatem vitæ, & abundantiam diuitiarum suarum. Psalterium quoque Hebraice nablon, Græce autem psalterium, Latine autem laudatorium dicitur, de quo in quinquagesimo quarto Psalmo dicitur. *Exurge psalterium cum cithara* Est autem cum chordis decem, sicut scriptum est In psalterio decem chordarum psallam tibi: forma quadrata. Psalterium itaque cum decem chordis, id est, cum decem verbis legis contritis contra omnem hæresim, quadrata per quatuor euangelia potest intelligi. Tympanum paucis verbis explicari potest: quæ minima res est, eo quòd in manu mulieris portari possit: sicut scriptum est in Exodo: *Sumpsit autẽ Mari prophetes soror Aaron tympanum in manu sua:* & est minima sapientia legis veteris in manu Iudæorum. Synagogæ antiquis temporibus fuit chorus quoque simplex pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inspiratur, per secundã vocem emittit. Typus populi prioris qui angustam intelligentiam legis acceperat, & per angustam voluntatem prædicationis omnia infirmiter prædicauit. Si autem terrena sapienter ac diligenter respiciam, & spiritualiter ac mystice intelligenda sunt.

(Iob. 14. — Psal. 143. — B — Exod. 15.)

EPISTOLA XXIX.

DE RESVRRECTIONE DOMINI.

C (Ioel 2.) EXulta cœlum, & in lætitia esto terra: dies iste amplius nobis ex sepulchro radiauit, quàm de sole refulsit. Ouet infernus, quia resolutus est: gaudeat, quia visitatus est: resultet, quia ignotam lucem post sæcula longa vidit, & in profundæ noctis caligine respirauit. O pulchra lux, quæ de candido cœli fastigio promicasti: & inter fluenta purpurea sedentes in tenebris, & in vmbra mortis subita claritate vestisti. Confestim igitur æterna nox infernorum Christo descendente resplenduit: siluit stridor ille lugentium, dirupta ceciderunt vincula damnatorum: attonitæ mentes obstupuère tortorum: omnis simul officina impia contremuit; cum Christum repente in suis sedibus vidit. Mox igitur ferruginei ianitores descendente Christo, talia inter se cæci per vmbrosa silentia metu incubante submurmurant. Quisnam est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? Nunquam talem noster excepit tartarus: nunquam in nostra cauerna talem euomuit mundus: inuasor est iste, non debitor: & fractor est, non precator: iudicem videmus, non supplicem: pugnare venit, non succumbere: eripere, non manere. D Vbinam putatis socij nostri ac ianitores dormiebant, cum ille debellator claustra vexabat? Iste si reus esset, audax non esset Si eum aliqua delicta fuscarent, nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si Deus est, vt quid huc venit? Si homo est, quid præsumpsit? Si Deus, quid in sepulchro facit? Si homo, quare captiuos soluit? Nunquid nam cum auctore nostro fœdus composuit? An forte & ipsum aggressus vicit, & sic ad nostra regna transiuit? Certe mortuus, certe victus erat. Illusus est præliator noster in mundo, nesciuit quia hic stragem procuraret inferno. O Crux illa fallens gaudia nostra, & parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum euertimur. Periit potestas illa cunctis semper populis formidata. Nullus sub sede nostra captiuus palpitauit. En quod gemebundum est exultat. Non iam audiuntur antiqui fletus, nulli iam resonant eiulatus, omnis mugitus gemẽtium obmutuit. Putasne iste sine nostro redibit exitio? Nemo ad nos vnquam viuus intrauit, nemo sic audax fuit, nemo sic carnifices terruit: nunquam in hac habitatione nigra semper & fuligine cæca iucundum lumen apparuit. An fortè sol de mundo migrauit? Sed nec cœlum nobis astraque patent: & tamen infernus lucet. Quid faciemus? Quo conuertemur contra istum? Cruentas domos, & obtinere nostræ cauernæ portarum custodias non valemus: male intrauimus, tantam lucem obtenebrare nequiuimus, opprimere tanta virtute præditum nõ valemus: nostra quoque vrgeri colla conspicimus, & de nostro insuper interitu formidamus. Quid nobis è cœlo? Plagis recentioribus vltra iustam vltionem flagellamur, nocte nostra contenti fuimus, antris nostris occultabamur. Quare radiis solis prodimur? quare violentia disturbamur? quare in nostris sedibus captiuamur? Mox igitur Christus in ipsos crudeles ministros, pœnarum acies dirigit, atque implacabiles turmas framea diuina concidit: fremunt diri sub tortore carnifices, & rabiosis adacti stridoribus contabescunt. F Ipsa quoque antra ferrei cubilis intrante fortissimo, à fortiore æternis nexibus colligantur. Hoc namque ita futurum dominus ipse promiserat, dicens. *Nemo intrat in domum fortis, & vasa eius diripit, nisi prius alligauerit fortem, & sic vasa eius deripiet.* (Mat. 12.) Tristes igitur mox lugentesque diuturno squalore turbæ populique vexati concurrunt, & rectoris sui vestigiis aduoluuntur. Ecce Apostolica dicta probantur. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* (Phil. 2.) Mox igitur captiuæ animæ de custodiis relaxatæ, à tartaro prodeunt, regnaque cœlorum ista supplicatione deplorant. Venisti tandem clementissime Iesu, succurre iam & parce fessis. Nunc Christe saeuas extingue minas, iam miserandos resolue mugitus: redemisti viuos cruce tua, eripe mortuos morte tua. Pari nobiscum sorte mundus ipse interierat, & ad aduentum tuum omnis creatura pendebat: tibi nostra tormenta suspirabant, re semper infernus iste pauebat. Dum hic es absolue reos, dum ascenderis defende tuos: dum hic es vniuersa claustra soluantur, dum ascenderis non claudantur. G Tu solus caput draconis comminuere potuisti, tu portas æreas & vectes ferreos valuisti conterere. Pateat quæsumus precantibus ianua, lux non desit pia: & si redieris ad corpus maiestate tua, non priuetur infernus potentia tua. Post auditas itaque preces, post compositas leges, post demersos in altæ voraginis fossa tortores, rex noster hodie de inferis triumphator & laureatus exiuit, nec candidatum officium defuit, sed læte cum principe suo, omnis beatorum turba processit: sicut in Euangelio scriptum est. Quia resurgente domino, *multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt cum eo, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* (Mat. 27.) Redeat igitur ad stadium suum triumphator iterum viuus, vt nouerit omnis mundus, quia rediuit ab inferis Christus. Glorientur ergo credentes. Plaudant manibus omnes gentes, quia rex noster & in sæculo triumphauit, & inferos vicit. H Beneficia Dei nostri cum magna atque mirifica sint, tamen nec noua probantur esse, neque subita, sed ab initio sæculi & prædicta sunt oraculis, & præfigurata mysteriis. Sacram domini passionem ab ipsis mundi coalescentis exordiis, veteris testamenti responsa cecinerunt: & ideo Christum dominum prædicatum, ac enunciatum suis fidelibus apparere, ex ipsorum libris & voluminibus asserimus. Validis absque dubio nititur priuilegiis, qui causam suam de aduersarij asserit instrumentis: speciosa victoria est contrariam partem chartulis suis, velut propriis laqueis irretire, & testimoniorum suorum vocibus confutare, & æmulum telis suis euincere, vt opugnatoris tui argumenta tuis probentur vtilitatibus militare. Itaque in domini nostri persona, dum ex Adæ primi hominis costa mater cunctorum viuentium Eua producitur: (Gen. 2.) ex huius sacro latere, & Saluatori vulnere, ecclesia omnium fidelium parens, reparanda monstratur. (Gen 4.) In eius typo Abel victus occiditur, & innocens fraterna tanquam Iudaica impietate mactatur. Hic idem dominus in nouissima mundi senescentis ætate per figuram beati Abrahæ

A longæui patris offertur ad victimam, quo tempore dum
nouo sacrificio in vnici filij sui iugulum pius parricida
Gen. 22. consurgit: ex improuiso aries oculis eius apparuit: si-
cut eloquitur sermo diuinus. *Et vidit Abraham arietem*
inter vepres hærentem cornibus. *Inter vepres* inquit. Re-
Habac. 3. quiramus quæ ista sit nouitas, id est, in multitudine cir-
cumstantium peccatorum, *hærentem cornibus*, id est, ad
crucis cornua clauorum confixione pendentem: sicut
in alio loco legimus. *Cornua in manibus eius sunt.* Hoc
ideo quia venerandas manus eius patibuli brachia sus-
ceperunt. Inter spinas autem deputatus est, quando spi-
neo serto innocentiæ & iustitiæ auctor illusus est. Sed a-
liud introspicere debemus, quidnam sit, quod Isaac à
patre altaribus admouetur, ac subito aries pro eo non
mutata, sed duplicata oblatione supponitur. Gemina
hic adoranda substantia redemptoris ostenditur. Dei e-
nim vnigenitus offertur, & virginis primogenitus im-
molatur. Hoc quoque dominicæ passionis præfigura-
B bat insignia: quod legimus beatum Elisæum sepulchro
4. Reg. 13 conditum, ingesto à latrunculis cadauere intra tumulum
suum corpus extincti tactu sacri corporis suscitasse.
Quis hic alius præfigurabatur, nisi dominus noster Iesus
Christus, qui resurrectionem de morte largitur, & vitam
sepultus operatur? In latronibus etenim mundum, in
prophetæ virtutibus Christum dominum recognosce.
Adhuc celeberrime per scripturas sanctas, etiam in Pro-
phetæ Ionæ laboribus & ærumnis, Christi passio ac re-
surrectio præsignantur. Hic Ionas (quod fidei vestræ nō
arbitramur incognitum) typum domini gessisse præscri-
Matt. 12. bitur. Ipse enim dominus dixit. *Sicut fuit Ionas in ven-*
Iona 2. *tre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius ho-*
minis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Hic
inquam Ionas ad prædicandum Niniuitis iræ cœlestis of-
fensam domino iubente dirigitur, præscius tristem sen-
tentiam Propheta populi conuersione vacuandam, na-
uim profugus, quæ Tharsum petebat, ingreditur: sed
C nauis exorta tempestate turbatis, sorte fluctibus datur,
& faucibus ceti piscis demersus excipitur. Sed pisce il-
læsum eructante depositum, tertia die terris refunditur.
Videte dominum etiam in veteri testamento in serui
forma mirabiliter apparere: videte quomodo se ante a-
ctis sæculis indicauit, secundum seruilis formæ humili-
tatem venturum. Ionas iram domini prædicaturus ad
Iona 1. magnam Niniuitarum destinatur vrbem, dicturus. Ad-
huc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Et Chri-
stus ad mundi mittitur ciuitatem, vt diem salutis & præ-
finitum iudicij tempus annunciet. Ionas nauim expe-
tit, Christus ecclesiam. Ionas fluctibus agitatur, Christus
mundi turbinibus exercetur. Nisi Ionas perditum de-
tur, naufragæ nauis periculum non sedatur. Sic non li-
beratur ecclesia, nisi Christi morte saluetur: Nautæ di-
Ibid. mittunt Ionam, tamen verentur & dicunt: *Domine, ne des*
super nos sanguinem innocentem: nōne vobis videtur nau-
Matt. 27. tarum imprecatio Pilati esse confessio? Qui tradit Chri-
stum, & tamen lauat manus suas, & dicit: *Mundus ego sum*
à sanguine iusti huius, quàm congrue per personam gen-
tilem fides gentium prædicatur. Dicit itaque Ionas in o-
D ratione sua. Tolle igitur domine animam meam, quia
melior est mihi mors quàm vita. Dicat hoc nobis do-
minus noster Iesus Christus: quia melior est mihi mors
quam vita, id est, viuens vnam Iudæorum gentem salua-
re non potui, moriar vt vniuersus mundus mea morte
saluetur. Ionam cetus piscis excepit immersum, sed
non cōgit deuoratum: & quem malitia hominum per-
didit, bestia esuriens custodiuit, plenis visceribus fa-
mem patitur, & in prædam quam absorbuit, nil sibi lice-
re miratur. Quis est iste qui inter auidos rictus absu-
mi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non
est. Traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius
mortis obsequio. Quis est iste qui vastissimos sinus pe-
riculorum totus ingreditur, & sub altitudine conclusus,
immensa atque mortifera vitali aëre pascitur, & dimis-
sus in alienam rerum naturam in vitæ exilium cum vita
peregrinatur, & mortis superstes annunciat mundi sa-
lutem. Puto quod hic est dominus noster Iesus Chri-
stus, quem sæua mors, inexplebilis belua, in escam suam E
rapuit, & prædam suam captiuam contremuit: quem et-
si terra sorbuerat crucifixum, tamen quem non inuene-
rat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam
non facit pœna, sed causa, quasi solitum cibum perdi-
tum in origine mundi hominem deuorauit: sed magnam
esse cibi ipsius dignitatem præfocata cognouit. Atque
ideo diuinus sermo commemorat: & præcepit dominus
pisci, & euomuit Ionam in aridam. Præcepit ergo be-
stiæ, præcepit morti semper esurienti, præcepit abyssis &
inferno, vt mundo restituant Saluatorem. Euomuit au-
tem, hoc debemus accipere, quòd ex imis visceribus
mortis, victrix vita remeauerit, atque eam ex imis præ- Iona 2.
cordiis inferni perditio exulcerata reddiderit. Videmus
itaque in Prophetæ afflictionibus apertissime præfigura-
tam pariter & mortem & resurrectionem. Quapropter
quod impletum cernis in serto, credere non cuncteris F
in domino. Quæ cum ita sint, perspice homo quan-
tum valeas, & perpende quid debeas: perspice quantum
valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas, vel vel per hoc e-
rubescendis subiacere vitiis dedigneris, dum generosi-
tatem tuam de creaturis ac reparatoris dignitate meti-
ris. Habet causas quibus te ipse confundat, cur indi-
gnis dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna
promittitur: & sic gemino priuilegio, qui dudum diui-
næ imaginis participatione fulgebas, efficeris etiam
commercij nobilitate pretiosus. Vnde quàm fortis
esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum,
quod tibi dominus ad debellandum in membris tuis
mundi principem, & spiritales nequitias superandas li-
beram contulit facultatem: ac sic impossibile non putes
vt transferri obtineas in angelicas beatitudines, cum in
hoc sæculo angelicas deuiceris potestates. Non ergo te
degenerem ac despectum faciat vita, quam vel factura
probatur illustrem protulisse, vel gratia: sed cursum fide-
lis Christi sanguis ad superna fiducialiter extollat. Nam
qui se cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non G
dubitent præparatos.

EPISTOLA XXX.
DE NATIVITATE DOMINI.

HOdie verus sol ortus est mundo, hodie in tenebris
sæculi lumen ingressum est. Deus factus est homo,
vt homo Deus fieret. Formam serui dominus accepit,
vt seruus verteretur in dominum. Cœlorum habita-
tor & conditor habitat in terris, vt homo colonus ter-
ræ migraret ad cœlos. O dies omni sole lucidior, ô tem-
pus cunctis sæculis expectatum. Quod præstolaban-
tur angeli, quod Cherubim & Seraphim & cœlorum
ministeria nesciebant, hoc in nostro tempore reuela-
tum est. Quod illi videbant per speculum & per imagi-
nem, nos cernimus in veritate. Qui populo Israëlitico
loquebatur per Esaiam, Hieremiā, cæterosque Prophe-
tas, nunc nobis per filium loquitur. Videte quid sit in- H
ter vetus testamentum & nouum. In illo loquebatur per
nebulam, nobis loquitur per serenum. Ibi Deus videba-
tur in rubo, hic de virgine Deus nascitur. Ibi ignis erat
populi peccata consumens, hic homo est populi pecca-
ta dimittens, immo ignoscens seruis suis. Nemo enim
potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Siue hodie
dominus Iesus natus, siue hodie baptizatus est, diuersa
quidem opinio fertur in mundo, & pro traditionum va-
rietate, sententia est diuersa. Nobis illud constat ad li-
quidum, quod siue hodie natus ex Maria virgine est, si-
ue renatus ex baptismo, & natiuitas carnis & spiritus no-
bis proficit, vtrunque mysterium meum, vtrunque vti-
litas mea est. Dei filius non habebat necessarium vt
nasceretur, vt baptizaretur. Neque enim peccatum fe-
cerat, quod ei remitteretur in baptismo, sed illius humi-
litas, nostra sublimitas: illius crux, nostra victoria est: il-
lius patibulum, noster triumphus est. Gaudentes hoc si-
gnum leuemus in humeris nostris, victoriarum vexilla, &
immortale lauacrum portemus in frontibus. Cum hoc
signum

A signum diabolus conspexerit in frontibus nostris, contremiscit. Quid aurata Capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt sceptra regalia, & purpuras Cæsarum & dapes, Christianorum sordes & ieiunia pertimescunt. Ezech. 9. Denique in Ezechiele propheta, cum omnes, qui missus fuerat, angelus occidisset, & interfectio cœpisset à sanctis, hi tantummodo sospites reseruantur, quos Thau litera, id est, crucis pictura signauerat. Exultemus itaque ad crucis similitudinem, sanctas in cœlum leuemus manus: cum sic nos armatos dæmones videant, opprimentur. Exod. 16. Quando Moyses erectas habebat manus, vincebatur Amalech: si paululum illæ conciderant, inualescebat. Antennæ nauium & velorum cornua, sub figura nostræ crucis volitant. Aues quoque ipsæ quando in sublimiora tolluntur & pendent per aërem, extensis alis imitantur crucem. Sed & trophea ipsa victoria triumphorum, ornamenta crucis sunt, quam non solum in frontibus, sed in manibus quoque nostris habere debemus, vt si sic fuerimus armati, calce- B mus super aspidem & basiliscum, per dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA XXXI.

DE EPIPHANIA DOMINI.

Dies Epiphaniorum Græco nomine sic vocatur. Quod enim nos apparitionem, vel ostensionem dicimus, Græci ἐπιφάνειαν vocant. Hoc autem ideo, quia dominus noster hodie & Saluator apparuit in tenebris. Licet enim olim natus esset ex Maria, & triginta iam annorum explesset ætatem, tamen ignorabatur à mundo. Eo tempore cognitus est quo ad Ioannem Baptistam, vt in Iordane baptizaretur, aduenit: & vox de cœlo patris intonantis audita est. Matt. 3. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* C Quem pater de cælis monstrauerat voce, hunc Spiritus sanctus versus in columbam, & super caput illius sedens, tactu quoque ipso voluit demonstrare, ne quis alius Dei filius putaretur à populo. Quid hac humilitate sublimius? quid hac vilitate nobilius? Matt. 3. Baptizatur à seruo, & à domino filius appellatur. Inter publicanos, & meretrices, & peccatores ad lauacrum venit, & sanctior est Baptista suo. Lauatur à Ioanne in carne, & ipse Ioannem in spiritu lauat. Aquæ, quæ cætera mundare consueuerunt, domino nostro lauante mundatæ sunt. Iosue 3. Iordanis fluuius, qui eo tempore quando populum Israel eduxit Iesus ad terram repromissionis fuerat exiccatus, nunc membris domini tactis, si potuisset, vndas vno loco voluerat congregari, vt domini corpus attingeret. Videte fratres, quomodo id quod in euangelio lectum est, in vigesimo octauo Psalmo fuerat ante prædictum. Psal. 28. *Vox domini super aquas.* Locutus est enim Dei filius ad Ioannem. Matt. 3. *Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem iustitiam.* Sequitur: *Deus maiestatis* D *intonuit*, quando pater filio testimonium reddidit, dicens. Hic est *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vox domini confringentis cedros.* Baptizatus est enim Christus: & erecti prius atque sublimes dæmones corruerunt: *succidit eas dominus tanquam cedros Libani, & comminuit eos dominus tanquam* vitulus fragmenta arborum ventilans, & calcibus stirpes in diuersa dispergens. Et è contrario de Saluatore quid dicit? *Et dilectus sicut filius vnicornium.* Dilectus dominus noster atque Saluator est, filius vnicornium, filius crucis, de quo dicitur in cantico Habacuc. Habac. 3. *Cornua in manibus eius, ibi abscondit fortitudinem suam.* Postquam ergo dilectus iste crucifixus est, impletum est illud quod sequitur in Psalmo. *Vox domini intercidentis flammam ignis.* Illo enim baptizato, & vniuerso mundo Christo lauante mundato, gehennæ ignis extinctus est. *Vox domini concutientis desertum.* Deserta fuit ecclesia, quæ prius filios non habebat. Ad prædicationem Christi, deserta commota est, & parturiuit, & peperit, & nata est in vna die gens to-

E ta simul illa, quæ ante dicebatur desertum Cades, hoc est, desertum sanctitatis. Siquidem quæ non habuerat sanctitatem, cœpit parere ceruos, & sanctorum emittere greges, qui serpentes interficiunt, qui venena contemnunt: quibus discurrentibus in toto orbe, & Christi euangelium prædicantibus, in templo eius omnes dicent gloriam Deo. Sequitur. *Dominus diluuium inhabitare facit.* Consideremus totum orbem, respiciamus barbaras nationes, Romanum quoque mente lustremus imperium: vbique in Christum credunt, vbique in nomine domini baptizantur: & ita fit vt non vna aqua, sed quodammodo sit diluuium baptismorum. Quapropter consummatum est tabernaculum, hoc enim Psalmi istius titulo prænotatur: quoniam ecclesia ex viuis lapidibus extructa est. *Afferamus domino filios Dei, afferamus ei filios arietum*, apostolorum & sanctorum, & imitemur Saluatorem nostrum: quia ipse & pastor & agnus & aries appellatur, qui pro nobis immolatur in Ægypto, qui pro Isaac cornibus tenetur in sentibus, & dicamus. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocauit. Psal. 22. F *Super aquam refectionis educauit me*: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA XXXII.

DE QVADRAGESIMA.

Quomodo miles semper exercetur ad prælium, & simulatis ictibus, veris postea vulneribus præparatur: ita omnis quidem Christianorum vita indiget abstinentia, sed maxime quando hostis prope est, & præparatum aduersum nos exercitum ducit inimicus. Omni seruis Dei tempore ieiunandum est: sed tunc amplius cum ad immolationem agni, ad mysterium baptismatis, ad Christi carnem & sanguinem præparamur. Statim enim vt oues suas recedere velle de proprio grege viderit diabolus, fremit, irascitur, furit, & totis aduersus eas viribus commouetur, perire sibi existimans quidquid CHRISTO saluatur: & mori synagogæ suæ, quidquid ecclesiæ viuificatur. G Quia ergo, fratres charissimi, ad domini sacramentum quadraginta dierum ieiunio præparamur: ieiunemus tot diebus pro peccatis nostris, quot pro sceleribus nostris dominus ieiunauit. Matt. 4. Illum post baptismum tentat diabolus. Non enim sciebat eum esse filium Dei: propterea negligebat. Denique postea cognoscere cupit in tentatione, dicens. Si *filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Et *si filius Dei es, mitte te deorsum.* Nos autem quia scit velle filios Dei fieri, propterea expugnare nititur: & quasi serpens lubricus nostros inuoluere pedes: ne ascendere valeamus ad cœlum. Si autem dominum tentare ausus est versipellis & nequam, quanto magis nos decipere non timebit? Si contra Dei filium & figulum suum, vas perditum repugnauit: 1 Pet. 4. quanto magis contra nos, qui inferioris ab eo naturæ sumus, audebit insurgere? *Si iustus vix saluabitur, impij & peccatores vbi permanebunt?* H Non quo dominus noster decipi potuerit à diabolo, sed quo formam serui acceperit, in omnibus se tribuere volens exemplum, vt nemo sibi in sanctitate confidat, cum etiam ille tentatur, quem non possunt tentamenta superare. Exod 16. Hoc totum idcirco replicamus fratres charissimi, vt solicita mente caueamus, ne exeuntes de Ægypto, & per quadraginta dies, quasi per quadraginta annos ad repromissionis terram per eremum festinantes, desideremus carnes & ollas Ægypti, & à serpentibus mordeamur. Exiuimus de Ægypto: quid nobis de Ægyptiis cibis? Qui habemus cœlestem panem, terrena alimenta quid quærimus? Reliquimus Pharaonem, inuocemus auxilium domini, vt nobis Ægyptius rex in credentium baptismate submergatur. Ibi pereant equi & ascensores eius, ibi fremens aduersarij necetur exercitus. Non murmuremus aduersus dominum, ne à domino percutiamur. Non detrahamus se-

A cerdotibus nostris: & magis à vitiis ieiunemus quàm à cibis, licet & ciborum abundantia sint fomenta vitiorum. Si Aaron & Maria contra Mosen murmurantes, Dei pro seruo suo senserunt vindictam, quanto magis si aliqui nostrum præpositum suum vipereo ore lacerauerit, diuina sententia punietur? Sed & sacerdotibus simpliciter præcauendum est, ne duplici mente sint, ne domini ambigant potestatem. Si etiam Moyses & Aaron (qui ad aquam contradictionis visi sunt fluctuare) non meruerunt terram repromissionis intrare, vtique multo magis nos qui peccatorum premimur pondere, non valebimus fluentum Iordanis transire, & ad locum circumcisionis, id est, Galgala peruenire, si scandalizauerimus vnum de minimis istis. Vnde tam labores pastoris quàm gregis fœcunditas, tam vbertas messium quàm agricolæ studium, domini horreis præparentur. Toto nisu ac labore tendamus, vt digni efficiamur aduen-

B tu Paschæ, & carne ac sangine agni Christi IESV, Amen.

EPISTOLA XXXIII.

IN VIGILIA PASCHÆ DE esu Agni.

Ioan. 1. HOdie fratres charissimi, populus Israel, & vere homo videns Deum (hoc quippe interpretatur Israel) egredi iubetur de Ægypto. Hodie *agnus Dei qui tollit peccata mundi*, pro omnium salute iugulatur: hodie sanguine illius postes domorum, id est, frontes nostræ depinguntur: hodie occiduntur Ægyptij, & de seruitute Pharaonis populus Dei liberatur: hodie per-

Psal. 35. cutiuntur primogenita Ægyptiorum: & Israëlitarum non solum liberi, sed etiam irrationabilia iumenta saluantur *Homines & iumenta saluos facies domine*. Præparemus nos fratres charissimi ad immolationem agni:

C & apprehendamus illum, non quando dubia luna est, & adhuc lunæ cornua non implentur: non quando crescere incipit vel decrescere: sed quartadecima die, id est, lumine consummato atque perfecto, quando tota eius lampade totus orbis impletur. Nec putemus agnum istum anniculum vbicunque posse comedi. Præcipitur nobis, vt in vna illum comedamus domo, id est, ne extra ecclesiam immolari agnum putemus. Ex quo manifestum est, quod Iudæi & hæretici, & omnia conuenticula dogmataque peruersorum, qui a-

Psal. 73. Gen. 7. Iosue 6 gnum in ecclesia non comedunt, non eos agni carnes comedere, sed draconis: qui datus est (iuxta Psalmistam) in escam populis Æthiopum. Quomodo enim in diluuio non saluatur, nisi qui in arca fuerit

Exod. 12. Noe: & corruente Hiericho vna tantummodo Raab meretrix, id est, ecclesiæ credentis ex gentibus custoditur domus: Ita in immolatione agni, tunc vere a-

D gnus occiditur, cum in vna mactatur domo. *Erit*, inquit, *vobis agnus immaculatus: de agnis & hœdis sumetis eum*. Præcipitur & in alio loco, vt qui primo mense Pascha facere non quiuerit, secundo faciat: iuxta quod & nunc iubetur, vt qui non potest habere agnum saltem habeat hœdum. CHRISTVS enim non ea hœdis fit, quos à sinistris stare iubet: sed pro diuersitate meritorum vnicuique aut agnus, aut hœdus fit.

Quærimus etiam quare non in die agnus iste immolatur, sed ad vesperam. Hæc causa manifesta est. Dominus enim noster atque Saluator in consummatione

1. Ioan. 2. sæculorum passus est. Vnde & Ioannes in epistola sua loquitur. *Filioli, nouissima hora est*: quando autem nouissima hora est, finito die, noctis initium est. Sed hoc intelligendum est, quod quamdiu in isto sæculo sumus, id est, versamur in Ægypto, non sumus in clara luce: sed in tenebris atque caligine: licet ecclesia, id est, luna quasi in nocte resplendeat: tamen

E veri solis non possumus habere perfectum fulgorem. *In vna*, inquit, *domo comedetis carnes assas igni, & azyma cum amaritudinibus manducabitis. Non comedetis ex eis crudum aut coctum in aqua: sed assum tantum igni*. Iubetur nobis vt panes absque fermento veteri, malitiæ & nequitiæ comedamus. De quo fermento in euangelio dominus discipulis di-

Matt. 16. cit. *Cauete à fermento Pharisæorum*: & postea interpretatur fermentum Pharisæorum esse doctrinam. Et nos igitur si à doctrina sæculi istius volumus esse alieni, & quasi extraneos à mundi conuersatione nos facere, persecutionibus & pressuris subiecti simus: & secundum Apostolum comedamus *azy-*

1. Cor. 5. *ma syncaeritatis & veritatis*. Vis intelligere quod dico? Dic quod verum est: Inquire quod syncerum est: nullius personam accipies, non diuitis, non potentis, quamlibet sit potens, quamlibet sit nobilis, si peccauerit corripe eum: & comedisti azyma syncaeritatis & veritatis in amaritudine. Vnde & Apostolus ait. *Inimicus factus sum vobis vera dicens*. Et prouerbium sæculi, gentilis quoque Poëta exprimens. *Obsequium*, inquit, *ami-*

Gal. 4. F *cos, veritas odium parit*. Quod autem sequitur. Non crudas carnes agni neque elixas comedamus: illud est, ne scripturas diuinas (quæ verè carnes agni sunt) aut iuxta historiam tantum intelligamus, & sicut crudas eas assumamus in cibum: aut rursum se- secundum hæreticos, quibusdam allegoriis & nubilo interpretationis ad peruersa quæque dogmata deriuemus, & eneruemus eas: & succi veritate sublata, vmbras quasdam & imagines effundamus. Sed intelligamus eas, & iuxta historiam, sicut scriptæ sunt: nihilominus eas Spiritus sancti excoquamus ardore. Et quidquid in illis secundum literam videtur incongruum esse vel clausum; spirituali expositione pandamus. *Caput cum pedibus*

Ioan. 1. *& intestinis comedetis*. Caput mihi videtur esse agni illud quod in Euangelio Ioannis scribitur. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*: hoc erat in principio apud

G Deum. Pedes autem homo, quem pro nostra salute dignatus est assumere. Sed & aliter sentiri potest. Caput, intelligentia spiritualis: pedes, simplex iuxta historiam narratio: intestina autem quidquid intrinsecus in litera latet, quidquid in superficie non videtur: sed diligenti examinatione commolitum atque ruminatum à Doctoribus profertur in medium: & quod putabatur esse fœdum & indeco-

Osee 1. Gen. 38. 2. Reg. 11. Gen. 38. rum, hoc reperietur esse vitale. Verbi gratia. Quid turpius in Scripturis dici potest, quàm si Osee meretricem iubetur habere vxorem: & Iudas cum Thamar nuru sua concumbat: & Dauid Bethsabeæ adulterio sordidetur: & Onam filius Iudæ semen proiiciat in terram, ne liberos generet? Hæc si secundum literam intelligantur, nonne à gentibus & ab incredulis quibusque, quasi scripturarum stercora condemnantur atque irridentur? Sed si il-

H la excurias, si laues, si Spiritus sancti igne excoquas, vertuntur in cibum: & quod putabatur inutile, inuenitur mysterium. *Non relinquetis de eo in mane, & os non conteretis de eo, & quod reliquum fuerit de eo vsque in mane, igne comburetis*. Nihil de carnibus agni vsque in futurum sæculum reseruemus. Quantumcunque possumus, comedamus.

Quod si qua in ea fortia sunt dogmata, videlicet Ecclesiastica, de Trinitate, de Resurrectione, de Anima, de Angelis, de cæteris istiusmodi: hæc non iuxta nostram opinionem prauis interpretationibus disseramus, non conteramus illa, sed ita vt sunt fortia prædicemus. Si quid aut quasi homines præterierit, & non poterimus de carnibus agni comedere: scire debemus quod in futuro sæculo doctrina Spiritus sancti nobis aperiendum sit, & comedemus illud. Sic autem comedetis illud. Lumbi vestri accincti, & calceamenta vestra in peda-

A

pedibus vestris, & baculum in manibus vestris, & comederis illud cum festinatione. Pascha est enim domini Dei vestri. Hucusque præceptum est quales agni carnes comedere debeamus: nunc iubetur quo à nobis habitu comedendæ sint. Lumbi, inquit, vestri accincti. Et ad apostolos dicitur. *Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Luc. 12. Mat. 3. 3 Reg. 18.

Et Ioannes zona pellicea cingitur. Et Elias nihil habens in se molle atque muliebre, sed totum virile & rigidum (homo quippe hirsutus erat) cingulum habuisse describitur. Et nos ergo si volumus carnes agni comedere, mortificemus lumbos nostros, mortificemus opera carnis. Et hoc quod in Iob de diabolo dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius,* occidatur in nobis, ne caro concupiscat aduersus spiritum, sed spiritu opera carnis mortificemus, & purificati vescemur agni carnibus.

Iob 40.

B

Vt autem sciatis, fratres charissimi, quoniam quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus agni comedere, Moysi præcipitur, vt populus qui ascensurus erat ad montem Oreb, antè tres dies purificetur. Et Dauid cum venisset ad Abimelech sacerdotem, interrogatus si mundi sunt pueri. Respondit purificatos eos esse ab heri & nudiustertius. Si autem panes propositionis non poterant ab his qui vxores suas tetigerant, comedi: quanto magis panis ille qui de cœlo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante hæsere complexibus violari atque contingi? Non quo nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quod eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.

Num. 8. 1 Reg. 21.

Quod autem sequitur. Et calceamenta in pedibus vestris, & baculum in manibus: hoc iubetur, vt quamdiu in eremo istius sæculi gradimur, calceati simus calceamentis pacis; nec vbi in deserto scorpius & coluber obrepat, nec vbi serpens plantam gradientis inuadat. Quod si forte aduersum nos consurrexerit, habeamus virgam in manibus, & percutiamus eum, & dicamus. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

C

Psal. 22.

Vide mysterium scripturarum. Quamdiu per solitudines ambulamus, necesse habemus habere & pelles pro calceamentis, quibus nostri tegantur pedes: quando verò terram repromissionis intramus, dicitur nobis cum Iesu Naue. *Solue calceamenti tui corrigiam: locus enim in quo stas sanctum est.*

Iosue 5.

Et nos ergo quando intrauerimus regna cœlorum, non habebimus opus calceamentis, non his præsidiis quibus custodimur in sæculo: sed vt nouum dicam, agnum illum, qui pro nobis occisus est, sequemur. Sed videte vt de nobis dicat Ioannes. *Isti sunt qui vestimenta sua non coinquinauerunt, virgines enim permanserunt: qui sequuntur agnum quocunque vadit* Christum Iesum: *cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Apoc 14.

D

EPISTOLA XXXIV.

DE RESVRRECTIONE Domini.

NOn queo, fratres charissimi, quem mente concepi, ore proferre sermonem, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non solum ego patior, qui cupio narrare quæ sentio: sed etiam & vos mecum patimini, plus exultantes in conscientia, quàm eloquio proferentes. Videtur mihi hic dies cæteris diebus esse lucidior, sol mundo clarior illuxisse, astra quoque & omnia elementa lætari: & quæ patiente domino proprium lumen retraxerant & fugerant, & noluerant creatorem suum aspicere crucifixum, hæc nunc victorem illum, & ab inferis resurgentem, suo (si dici potest) fulgore, suo prosequuntur officio. Credit cœlum, credit terra: & sagena, quæ totum mundum

Psal. 117.

piscata est, Iudæos tenere non potuit. *Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea.*

E

Quomodo Maria virgo mater domini inter omnes mulieres principatum tenet: ita inter cæteros dies hæc omnium dierum mater est. Rem nouam dico, sed quæ scripturarum vocibus comprobatur. Hæc dies & vna de septem est. Hæc est dies quæ appellatur octaua. Vnde & in quibusdam psalmorum titulis superscribitur pro octaua. Hæc est in qua synagoga finitur, & ecclesia nascitur. Hæc in cuius numero *octo animæ saluatæ sunt* in arca Noe. *Similiter*, inquit Petrus, *& vos saluos facit* ecclesia. Hæc est de qua Ecclesiastes præcipit, Date partes septem, date & octo. Hi sunt octo gradus, per quos in Ezechiele templum Dei scandimus. Hæc octaua dies, de cuius sacramento, & omnium nationum in Christi fide, octauus quoque Psalmus incipit. *Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?*

Psal. 6 & 11. Gen. 8. Eccles. 11.

Psal. 8.

F

Et quid me necesse est infinita replicare? Dies me deficiet, si voluero omne diei istius exponere sacramentum. Hoc tantum dico, quod vniuersa sabbati gratia, & antiqua illa festiuitas populi Iudæorum, diei istius solennitate mutata est. Illi in sabbato non faciebant opus seruile, nos in die dominica, hoc est, resurrectionis, opus seruile non facimus: quia vitiis & peccatis non seruimus. *Qui enim facit peccatum, seruus est peccati.*

Ioan 8.

Illi de domibus suis non egrediebantur: & nos de domo Christi non egredimur, sumus enim in ecclesia. Illi non accendebant ignem in die sabbathi: nos è contrariò accendamus in nobis ignem Spiritus sancti, & omne vitium excoquimus peccatorum: de quo igne dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat.*

Luc 12.

Desiderat dominus ignem istum ardere in nobis, id est, secundum Apostolum, spiritu nos sancto feruere: vt non refrigescat in nobis charitas Dei. Illi per diem sabbati non ambulant in itinere: perdiderunt enim illum qui dixit. *Ego sum via:* nos autem dicimus. *Beati immaculati: qui ambulant in lege domini.* Et iterum. *Viam veritatis elegi, & viam iustificationum tuarum doce me.*

Ioan. 6.

Psal 118.

G

Illi de spinis dominum coronauerunt: nos autem si fuerimus lapides pretiosi, dominum nostrum coronabimus. Caput imperatorum istius sæculi ornat diadema: nos ideo in capite nostri regis imponimur, vt ornemur à capite. Illi non susceperunt Christum, & suscepturi sunt Antichristum: nos recepimus humilem filium Dei, vt postea habeamus triumphantem. Ad extremum noster hircus ante domini immolatur altare: illorum hircus Antichristus consputus & maledictus proiicitur in solitudinem. Noster latro cum domino ingreditur paradisum: illorum latro homicida atque blasphemus, moritur in peccato suo. Illis Barrabas latro dimittitur: nobis CHRISTVS occiditur. Pro quibus vniuersis, fratres charissimi, consona pariter voce cantemus: *Hæc est dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea.*

Psal. 117.

Ignitam illam romphæam & paradisi ianuam, quam nullus potuit effringere, hodie CHRISTVS cum latrone reserauit: ideo hodie CHRISTVS dixit ad angelos. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor domino: quæ cum semel aperta est, nunquam credentibus clauditur.

H

Ex eo tempore quo passus est dominus vsque ad præsentem diem, semper hæc porta clausa & reserata est. Clausa est peccatoribus & incredulis: reserata est iustis & credentibus. Per hanc ingressus est Petrus, ingressus est Paulus. Per hanc omnes sancti & martyres intrauerunt: per hanc quotidie de toto mundo iustorum animæ ingrediuntur. Duæ portæ sunt, porta paradisi, & porta ecclesiæ. Per portam ecclesiæ intramus portam paradisi. Ita debemus viuere, ne eiiciamur de domo illa, & eiecti foras à bestiis deuoremur: quas in alio loco Propheta formidans ait. *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.* Ecce nunc dominus stans in paradisi ianua loquitur ad nos, qui sumus in domo ipsius congregati, quam quicunque sanctorum fuerit ingressus, quamuis diabolus prohibeat,

Psal. 73.

A Psal 126. quamuis inimicus accuset: ipse est siquidem accusator
fratrum nostrorum, ipse est vindex inimicus: sicut in
centesimo vicesimo sexto Psalmo dicitur. Qui sanctus
fuetit *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*: in Christo Iesu, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA XXXV.

AD EVSTOCHIVM DE VINculis Beati Petri.

SÆpissimo rogatu, ô virgo Christi Eustochium, à me
tua deposcit charitas, vt tibi tuisque virginibus notum
faciam: vnde beati Petri Apostoli in Kalendis Augusti,
quæ celebratur festiuitas, initium habuerit: & quare
nec potest, nec antea, sed prima die mensis. Ingeritis auté
Psal 138. quosdam esse, qui hoc die Apostolum Petrum eductum
B esse ab angelo de carcere credant. Ad vltimum petitis vo
bis declarari, qualiter Psalmus centesimus tricesimus
octauus Apostolorum principi beato Petro conueniat,
vel si de ipso prophetatus sit. Ad quæ duo priora, breuiter
me respondere oportet, vt in postremo mihi liceat
immorari. Beatum Petrum Apostolum hoc die
de carcere eductum esse qui credit, ipsius repetitionis
euangelicæ legat textum, & inueniet errorem se passum
esse: in tantum enim aperte refertur, vt cunctis legentibus
facile sit ad intelligendum. Nam Herodes rex,
Herodis maioris filius, qui in saluatoris necem consen-
Act. 12. tiens fuit: domini nostri IESV Christi doctrinam,
quæ per Apostolos prædicabatur, subuertere studens,
misit manus vt affligeret quosdam de ecclesia. Ibi datur
intelligi, plures ipsius significatos conatus esse, qui adhoc
superbiæ suæ ramos extendens occidit Iacobum
fratrem Iohannis gladio, & hoc tantum facinus diebus
azymorum facere studuit. *Erat*, inquit, *dies azymorum*.
C Et qui dominũ saluatorem anno præterito diebus azymorum
occiderant, Petrum Apostolum in ipsis diebus
Prou. 21. extinguere satagebant. *Quem cum apprehendisset, misit in
carcerem: tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum:
volens post pascha producere eum populo.* Sed
non est consilium, non est sapientia, nec fortitudo aliqua
contra Deum. In ipsa, inquit, nocte, cum producturus esset
eum Herodes, erat Petrus dormiens inter duos milites
vinctus catenis duabus, & custodes ante ianuam
custodiebant carcerem: & ecce angelus domini astitit,
& lumen refulsit in habitaculo carceris. Percussoque
latere Petri, excitauit eum, dicens. Surge velociter.
Et ceciderunt catenæ de manibus eius, & exiens sequebatur
Angelum. Ecce quomodo Petrus diebus azymorum
incarceratus, post Pascha ereptus sit, & non
in Kalendis Augusti. Sed hæc festiuitas tanti Apostoli
qualiter adinuenta sit, pandam. Octauianus Cæ-
D sar imperij sui æmulum M. Antonium habuit, quem
assiduis congressionibus ac præliis vix extinguere valuit:
quem Cleopatra coniunx mortuum dolens, seque
ipsam viuam sepeliens, vberibus suis aspides apponens,
maluit viro suo commori, quàm manus incurrere Romanorum.
Cæsar vero de tyranno celebrata victoria,
Romam repedauit, ducens secum infinitum captiuorum
numerum, & antiquorum Ptolæmeorum omnium
gazas: vt nec ante, nec post tanta copia auri,
argenti, gemmarumque Romam adducta fuisse noscatur.
Cum autem hoc die Romam ingrederetur, ob
triumphum tantæ victoriæ ac pacem firmissimam toti
orbi collatam: vocatus est Augustus; qui primo solum
Cæsar dicebatur. Coronatur ciuitas, fit lætitia
ingens in populo, statuitur à senatu, & omnibus
Romanis scriptis firmatur, nunciaturque per vniuersum
orbem, omnibus gentibus Octauianum Augustum
inter Deos debere coli: & vt mensis iste, qui antiquitus
in ordine mensium Sextilis dicebatur, in honorem
Augusti, Augustus vocetur: & hoc tripudium so-
lemnitatis ob triumphum Augustalis victoriæ, lege E
perpetua volumus custodiri. Sic quousque ad
Magni Constantini imperium ventum est: qui
postquam dignatione superna, per sanctos Apostolos
Petrum & Paulum visitatus, & per Syluestrum
Papam baptizatus est: & ex persecutore fidei defensor,
& mandatorum Christi custoditor assiduus factus,
harum solemnitatum phantasmata perhorrescens,
Papæ dicit Syluestro. Hactenus pater humanis
vtens legibus, sicut ipse nosti, omni studio, & hos
dies & alios excolebam. Nunc quia placuit domino
IESV Christo, me peccatorem sibi famulum facere:
iniquum mihi videtur harum celebritatum fauorabilibus
laudibus extolli. Vide ergo quomodo ad honorem
summi Dei, beato Petro Apostolo hanc
diem dedicem. Sanctus autem Syluester hoc audiens,
gaudio repletus gratias DEO retulit, &
cum sui cleri consilio Augusto respondit. Est carcer
in quo Beatus Petrus Apostolus pro Christo agoni- F
zans, vinculatus fuit, & sacri fontis lauacro, pluribus
ibi baptizatis dedicauit: hunc omni sorde purgari
facias, quatenus ecclesia ibi fabricata ad honorem
tanti Apostoli, fidelium vota perenniter reddantur.
Hoc audiens Augustus, lætus efficitur: purgatur locus,
fabricatur ecclesia, & hæc consecratur ab eodem
Papa. Affuit ibi Augustus: & sacris scriptis per veredarios
toti orbi mandare studuit in hæc verba. Notum
esse volumus omnibus Christum piè colentibus,
beatum Petrum Apostolum à Deo nobis datum pastorem
& principem summo studio venerari velle assidue,
& maxime in hac die Calendarum Augustarum,
in quo vt Deus à vobis soliti eramus adorari:
vt ipse pius pastor precibus DEO fusis, nos & imperium
nostrum adiuuare dignetur. Valete. Sanctus
autem Syluester hunc diem celebrem omnibus ecclesiis
esse instituit, vt sicut celebratur ad honorem terreni G
principis, ad decus celebretur clauigeri cœlestis. Ac- Rom. 5.
cepit autem hæc celebritas nomen beati Petri Apostoli
ad vincula, propter vinculorum quæ ibi passus est tormenta:
vt vbi abundauit peccatum, superabundaret &
gratia. Hæc domus vinculorum, hoc ordine facta
est domus sanctarum orationum. Hæc breuiter ad
duo inquisita respondi: nunc ad Psalmum veniam: &
si beato Petro conueniat, vt in nullo vestrum bonum
desiderium fraudetur, ostendam. Dicat ergo verbis
Propheticis domino beatus Petrus. *Domine probasti me*,
quoniam vocasti: cognouisti, quoniam præsumpsi, & Psal. 138. Mat. 26.
ausus fui dicere. Etiam si oportuerit me mori tecum,
non te negabo. *Tu* autem *cognouisti omnes cogitationes
meas à longe*, antequam eas cogitarem: semitam
meam & directionem meam inuestigasti: & omnes
vias meas præuidisti, & probasti, quia non erat dolus in
lingua mea, cum dicerem. *Si me oportuerit mori tecum,
non te negabo.* Tu autem *firmasti me, & posuisti manum
tuam super me*: firmasti me de tua præscientia,
quod essem negaturus: & posuisti manum tuam super
me: vt peccatum lachrymæ sequeretur. Mirabilis fa- H
cta est potentia tua ex me: confortata est, nec potero
ad eam. Conatus sum non negare: promisi etiam me
mori magis eligere quam negantis crimen incurrere:
sed præscientia tua ita confortata est, vt non potuerim
ad eam: quid nunc faciem? negaui dominum &
magistrum: nec (vt quidam opinantur) hominem negaui.
Ego illum negaui, cui dixi. *Tu es Christus filius
Dei viui.* Illum negaui quem pedibus ambulan- Matt. 16.
tem super aquas expertus sum: illum quem voce sola Matt. 14.
vidi mortuum vocantem de sepulchro: illum quem Ioan. 11.
cœlis patentibus, vidi cum Moyse & Elia, & vocem au- Matt. 17.
diui super eum de cœlo. Hic *est filius meus dilectus*, Ioan. 9. Matt. 8.
ipsum audite. Illum qui cæcum tactu suo illuminauit, Luc. 11.
qui verbo leprosos mundauit, qui iussu dæmonia ex- Rom. 8.
pulit, & multas virtutes suæ deitatis ostendit. Quid
nunc facimus Nouatiane? Perdimus Apostolum Petrum:
an recipimus reuertentem ad Christum? Ecce

CHRI-

A Christus eum recipit, tu eiicies? Sed clamat contra te Paulus. Si Deus iustificat: tu quare condemnas? Dicis, Credite: baptizatis, non debet pœniteotibus subueniri. Ecce Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti; quam sublatus est deneganti. Quod vt doceam, illud ostendo, quod nullus Apostolorum pastoris nomen accepit: soli enim huius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti dominus concessit, & negatus, quam solus habuit, Petro tribuit potestatem: vt non solum recuperasse quod amiserat probaretur, verum & multo amplius pœnitendo quam negando perdiderat, acquisisse. Hoc magister bonus in electo discipulo formauit exemplum vt omnis discipulus Christi sit integro animo, & pœniteat si ita euenerit, vel delinquat: nec rem noxiam sibi permittere debet, vt decrescat. Sed qui tanto citius vincitur, tanto citius expurgatur. B Certe omnis sanctitas ad Deum ducit, & omne peccatum ad diabolum. Et sub domino bono positi, quomodo credimus nobis possibilitatem ad diabolum eundi concessam, & reuertendi ad dominum denegatam? Addo aliquid. Certe hominem per peccatum à se recedere Deus non vult, & peccatorem ad se venire omnem vult: & si illud potuit fieri quod Deus non vult, quanto magis potest fieri quod Deus vult? Ideo denique cogitatio peccati non est ideo à Deo prohibita per naturam, sed per imperium: vt laboris eius pugna incumberet, & præmium de certamine prouenitet. Voluit enim Deus homini operis fatigationem relinquere, ne in aliqua detrimenti parte præmium impediter. Duos certe bonorum & malorum populos esse, nemo est qui nesciat. Bonos dicimus credentes, & pessimos non credentes. Non credentes esse sub diabolo, & credentes sub Deo Magna prædicatio tua, O Nouatiane, qui seruum diaboli ad te vocas, seruum Dei à te repellis: quasi qui velis Deum lucrari quod non habet, & perdere quod habet. Hioc ad Dei computaos diuitias, quod possit C Deus mortuos suscitare, & infirmos salutate non possit. Nam increduli mortui, & ecce credentes licet peccatores sint, viuunt in infirmitate sua. Et si Saluator noster habet, immo quia habet potestatem suscitandi mortuos, quomodo virtutem non habet quæcunque fuerint infirmitates curandi? Ex vtroque latere blasphematur à vobis, qui pœnitentibus negatis effectum. Si enim posse eum docetis infirmitatem omnem curare: sed si noluit, impium arguitis. Si velle & non posse eum forsitan dixeritis, à Deitate excluditis: vt misericordiam vobis ex vtroque latere condemnati denegetis, cum negatis familiæ Dei pereunti non posse succurri. Hactenus cum Nouatianis sim locutus: reuertamur ad Apostolum pœnitentem, & flentem amarissime atque dicentem. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* [Matt. 16.] Scio quia tu es Christus filius Dei viui: quam scientiam non reuelauit mihi caro & sanguis, sed pater meus qui in cœlis est. Quo fugiam qui te Deum noui, & omnipotentem agnoui? Si in cœlos ascendero, tu illic es: si descendero in infernum, ades. D Ibi enim per passionem specialiter descendisti: vbi per potentiam tuam, sicut vbique generaliter, præsto es. Si *sumpsero pennas meas diluculo*, id est, ante lucem. Pennas hoc loco pro cogitationibus ponit, quæ repentino volatu vbique sunt, in cœlo, in terra, in abysso, & vbicunque finiuntur maria. Si ergo, inquit, illuc ante lucem tuæ resurrectionis vadam, vbicunque inaccessibilitas solet fugitiuum abscondere, vt illuc ire possim, manus tua deducet me: quasi fugitiuum tenebit me dextera tua. Ante lucem hic, ante resurrectionem posuit Saluatoris: quia in tenebris fuit omne sæculum iacente domino in sepulchro, in quo tempore pœnitentia Petri agebatur. In quo etiam dicit. *Forsitan tenebræ conculcabunt me*: & in tribus negationibus suis, tres fugarum partes clausas esse sibi si fugeret memorabat, in cœlo, in inferno, & in postremis maris. Ergo negare, tenebræ sunt, & fugere conculcatio tenebrarum: hoc timens, ne comprehensus ab ipsis tenebris conculcaretur, quasi tenebris malis suis submersus, operibus esset deditus tenebrarum, habens tractum perennem, iuges lacrymas, dolores æternos. E Hoc enim modo conculcantur tenebræ mortis huius, qua corporaliter morimur. Si vere fuero moriens, inquit, non conculcabor à tenebris, sed ad delitias sanctorum attingam. Nox ipsa mortis illuminatio mea est in delitiis meis. Ibi enim habebo lucem Christum meum, qui non patitur obscuritatem tenebrarum, in cuius conspectu nox sicut dies illuminabitur: hæc docti prædicante Petro Apostolo & cantamus & credimus. *Sicut tenebræ eius* sunt, *ita & lumen eius est.* Tenebræ enim non omnibus creaturis obscurum faciunt. Siquidem & feræ omnes, sed & noctiuagæ bestiæ, noctium nullum patiuntur obscurum. Sed & aues sunt quæ in noctibus volant. Vnde docemur natura oculos non omnia animalia à creatore hos esse sortita, vt in tenebris videre non possint. F Deus enim ad requiem hominum noctes instituit, vt generationi humanæ quiete posset esse consultum. Ipsius ergo sunt tenebræ, cuius est lux, quod Manichæus negat. Ipse etiam creator corporum nostrorum, contra quod suscipit qui impœnitens Petrus dicitur. *Tu possedisti renes meos, qui suscepisti me de vtero matris meæ.* Sicut enim in ore dum loquimur, & in opere dum aliqua operamur, cordis nostri cogitata ostendimus: ita quod cogitamus, antequam dicendo vel operando pandamus, à renibus gignitur, secundum illud quod in alio psalmo dicimus Deo, *Scrutans corda, & renes.* Dicit enim, quia ita tibi in me nihil occultatum est, vt non solum quæ sunt cogitata consideres: sed & cogitanda quæ sunt in renibus cernas. *Tu domine qui suscepisti me ex vtero matris meæ*: [Ps. 7. & 138.] ita vt quicquid ab ortu meo semisonis balbutientis infantiæ verbis aliquando forte peccaui, cognoscas: in hoc etiam confitebor tibi: quia terribiliter mirificatus es, mira opera tua, quæ & oculis meis vidi, G & exercente te domine Iesu Christe cognoui, & anima mea cognouit nimis. Intra me est quod credidi, non in superficie verborum, sed intus in visceribus animæ: quod ita esse tibi non est occultum. Siquidem tibi occultum non est nec os meum, id est, os meum quod fecisti in occulto. Si ergo nec os meum tibi occultum est, quod occultum naturaliter esse voluisti: quomodo ante te occultum erit in corde, quod manifestari iussisti? Ad altiora ducimur, cum de ossibus & substantia, quæ in inferioribus est terræ, tractamus. Agitur enim in hoc loco, quod cum dies resurrectionis aduenerit, vbicunque fuerit os meum, & si in inferioribus terræ fuerit substantia mea, imperfectum meum videbunt oculi tui, quia solo aspectu oculorum tuorum exurget. In libro enim resurrectionis omnes homines qui nati sunt scribuntur, quotquot de die in diem formabuntur, & nemo est de eis qui ibi scriptus non sit: in quo libro mihi non sunt in amore & honore, tu si soli amici tui Deus: nimis enim confortatus est principatus eorum. H Siquidem participes eos tui æterni imperij repromittis. Nec hæretici audiendi sunt qui dicunt: non debuit mundus subsistere per eum, qui præscius erat homines per peccata & scelera sua ad æternum gehennæ incendium destinandos. Si enim ita putetis fieri debuisse, consultum magis reis iudicabitis quam sanctis. Si enim mundus fuisset à suo transitu reuocatus, nullus fuisset sanctorum particeps regni: & dum prouidebatur malis, ne ad interitum deuenirent, & vt non perirent pro merito suo mali, hanc boni accipiebant sententiam, ne vel temporalem vitam susciperent quibus debebatur æterna Nos autem cum propheta [Baruc. 4. et 5.] gaudeamus cum sanctis Dei, atque cum Apostolo Petro dignis honoribus amicos domini recordemur, quorum tantus est numerus, vt super arenam multiplicati esse noscantur. Quid autem erit si occidat dominus peccatores, occidat Neronem, & post eum omnes viros sanguinarios, qui sanctos domini occiderunt? Si vestrum ô hæretici Deus esset secutus consilium, ne peri-

A rent Nero aut Diocletianus, vel cæteri interfectores sanctorum, nec fecisset Apostolos, nec martyres nasci: esset par iudicium iustis & iniustis, & omnes vna præueniens sententia, per quam omnes viderentur ante puniti quam nati. Sed vos ô *viri sanguinum declinate à nobis*, qui dicitis: quia in vanum acceperunt ciuitates suas hoc est, sine causa sunt mortales effecti: & omnia cum mundo pereunt, & par est ipsa perditio. Non est ita, omnes enim in libro scripti sunt, omnes resurgent, sed aliis dabitur odor vitæ in vitam æternam: aliis odor mortis in mortem perpetuam, vbi deuenient hi, quibus dicitur. Nonne qui oderunt te Deus odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Hæc Petrus loquitur, & Ecclesia in Petro pronunciat. Perfecto, inquit, odio oderā illos, & inimici facti sūt mihi. Et his ideo anathematizatis, proba me domine & scito cor meū, quid de te sētiā quid de te credā: interroga me, & scito semitas meas: sit tibi sollicitudo de Ecclesia tua, & de ouib. tuis, & de pastorib. tuis: & vide si via iniqui-B tis in me est. Via iniquitatis diabol' est, qui se ad ambulādum in ea incredulis & hæreticis præbet. Et vide, inquit, in populo tuo oe sit aliquis, in quo via iniquitatis iter erroribus præbeat: excludensque viam iniquitatis deduc me in viam æternam, vt portæ mortis & inferi non præualeant mihi, secundum verbum tuum domine Iesu Christe, qui regnas in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA XXXVI.

DE OBSERVATIONE Vigiliarum.

Dignum est fratres aptumque prorsus, satisque conueniens de sanctis vigiliis nunc dicere & proferre sermonem, quando ipsa lucubratio exigitur à sollicitis. Nox ecce est caligo corporibus, quæ non solum homines, sed etiam cunctos somno detinet animantes: vt reformatis viribus per soporem, possint diurnos labores sustinere viuentes. Bonus Deus, qui ita prospexit, ita constituit, vt homo exiturus ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, haberet vicarium tem-C pus, in quo à duris laboribus, & multa fatigatione requiescere præstitit. Nouimus autem multos hominum, vt aut maioribus suis placeant, aut sibi aliquid peculiariter prosint, noctis particulam ad aliquod opus segregare: id pro lucro ducere, quod furati de sopore suo operari potuerint. A Salomone vero laudatur & femina, (Prou. 31.) quæ pensa & lanificium ad lucernam vigilanter exercet, Addidit etiam quod ex hoc laus viro eius in portis & gloria magna nascatur. Quod si in carnalibus instrumentis, id est, victui aut vestitui necessariis, quæ vigilat non reprehenditur, imo laudatur, mirari me fateor esse aliquos qui sacras vigilias tam spirituali opere fructuosas, orationibus, hymnis, lectionibusque fœcundas, aut superfluas existimant, aut ociosas: aut, quod his est deterius, importunas. Et quidem si sunt homines à religione nostra alieni, qui ista sic sentiunt, non est mirum. Quomodo enim prophanis religiosa placere possunt? quibus D si placerent, nostri essent, quia sumus vtique Christiani. Si vero nostri sunt, quos vigiliarum salutifer actus offendit, vt nihil de his deterius suspicer, aut pigri sunt, aut somniculosi: aut, quod his est proximum, senes, vel infirmi. Si pigri sunt, erubescant: quia illis insonant verba Salomonis. (Prou. 6.) *Vade ad formicam ò piger, & æmulare vias eius.* Si somniculosi sunt, expergiscantur, scriptura proclamāte: *O piger, quousque dormis?* Quando autem de somno surges? *paululum quidem dormies, modicum sedebis, pusillum autem dormitabis, pusillum vero complecteris manibus pectus. Deinde superueniet tibi tanquam viator paupertas, inopia tanquam bonis & leuis cursor cito veniet.* Si senex es, quis te compellit vt vigiles? quanquam & non compulsus pro ætate tamen vigilas. Et si stare non potes, & tuam cogitas impossibilitatem, non debes iuuenes & valentes ad tuum reuocare torporem, quos propter varias tentationes iouentutis seipsos propensioribus macerare decet vigiliis. Si vero infirmus es membris, quod facere nō potes, noli reprehendere: imo riga & tu secundum prophetam lacrymis stratum tuum, & dic: *Sic memor fui tui super stratum meum.* (Psal. 6.) E Iniunge etiam vigilantibus, vt te suis precibus iuuent, quo adiutus à domino super lectum doloris tui canere possis, & tu aliquando merearis dicere. *In matutinis meditabor in te quia fuisti adiutor meus.* (Psal. 62.) Alioquin stultum & satis extraneum est, vt quia ipsi currere non valemus, bene currentibus derogemus. Nam & si non possumus, debemus congratulari potentibus. Sicut enim de consensu malitiæ participatur eum facientibus pœna: sic participatio gloriæ speranda est de consensione bonitatis. Alios enim effectus coronat, alios voluntas pia lætificat. Nec sane onerosum, vel difficile videri debet etiā delicatis corporibus in septimana duarū noctium: id est, sabbathi atque dominicæ, portionem aliquam Dei ministerio depurare. Ista enim quasi purificatio est dierum F quinque vel noctium, quibus stupore carnalium ingrauescimus, aut mundanis actibus oscitamus. Nec erubescat aliquis in bono studio sanctitatis: cum non erubescāt improbi in perpetrando opere fœditatis. Merito ergo scriptura in Prouerbiis ingerit. (Eccl. 4.) *Est confusio quæ ducit ad peccatum.* In bono enim opere confundi, peccatum est. sicut in malo faciendo non confundi, pernities est. Si sanctus es, ama vigilias: vt thesaurum tuum vigilando custodias, & ipse in sanctitate serueris. Si peccator es, magis cura vt vigilando & orando purgeris: dum tunso pectore frequentius clamas. (Psal. 18.) *Ab occultis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Qui enim iam ab occultis desiderat emundari: necesse vt eum non delectet istis miseriis inquinari. Res exigit, charissimi, vt de auctoritate vigiliarum, & antiquitate, deque ipsa vtilitate pauca dicamus. Magis enim quilibet labor suscipitur, si ante oculos proponatur ipsius laboris vtilitas. Antiqua est vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus sanctis. Esaias denique propheta clamat ad Deum. (Esa. 26.) *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quoniam lux præcepta tua super terram.* David regio & prophetico sanctificatus vnguento, ita canit. (Psal. 87.) *Domine Deus salutis meæ: in die clamaui & nocte coram te.* G Et in alio psalmo. (Psal. 118.) *Memor fui nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuam.* Sed forsitan in lectulo suo positus hæc cantabat: quod aliquanti pigriores sufficere putant: si tantū in stratu suo aut oret vnusquisq;, aut psalmū submurmoret. Quod quidē & ipsum bonum est, Dei semper & vbiq; meminisse salutare est. Sed quod sit melius exurgere & conspectui diuino assistere, accipe eiusdē prophetæ aliā vocem, quæ & tempus & locum & habitū deprecantis ostendit. (Psal. 133.) *In noctibus, inquit, extollite manus vestras in sancta, & benedicite dominum.* Et ne vespertinas tantum horas noctis existimes appellatas occurrit & dicit. (Psal. 118.) *Media nocte surgebā, vt confiterer tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Habes & tēpus expressum exurgendi, & sollicitudinē, quomodo Deo confitearis, ostensam. Adhuc consideranti mihi intentionē sanctorum, maius aliquid & laboriosius occurrit, & vltra humanæ naturæ conditionem suggeritur: cum eundem audio prophetam psallentem. (Psal. 131.) *Si ascendero in stratum lecti mei: si dedero somnum oculis meis, & palpe-* H *bris meis dormitationē, & requiem temporibus meis: donec inueniā locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quis enim tantum stupeat Dei amorem & animi deuotionem, vt somnum sibi, sine quo humana vtiq; corpora deficiūt penitus interdixerit: donec locum ad templum domino fabricandum rex & propheta reperiret? Quæ res nos debet firmiter admonere, vt si ipsi locus domini esse volumus, & tabernaculum eius ac templum cupimus haberi perpetuum: sicut Paulus asserit, dicens. (1. Cor. 6.) *Vos estis templū Dei viui:* in quantum possumus exemplo sanctorum, vigilias diligamus, ne de nobis dicatur, vt psallitur. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Quin potius gratulabundus vnusquisq; iā dicat. (Psal. 75.) *In die tribulationis meæ Deū exquisiui manibus meis nocte corā eo, & nō sum deceptus.* (Psal. 76.) Quia bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime. (Psal. 91.) *Ad annunciandum mane misericordiā tuā, & veritatem tuam per noctem.* Hæc & huiusmodi tanta ac talia ideo sancti cecinerunt, & scripta reliquerūt:

vt

vt nos etiam posteri patribus excitaremur exemplis, ad celebrandas etiam noctibus salutis nostræ excubias. Sed à veteribus veniamus ad noua, de ministris legis ad ministros Euangelij, de nouo etiam testamento vigiliarũ gratia consignetur. Anna Phanuelis filia vidua, continuis orationibus & ieiuniis domino seruiens, non discessisse de
Luc. 2. templo die ac nocte, in Euangelio legitur. Pastores illi
Ibidem. sanctissimi, dum super greges suos nocturnas exercent vigilias & Angelos in splendore, & Christum natum in terris primum audire meruerunt. Iam vero instituto Saluatoris, nonne tota diligentia ad vigilandum auditores
Matt 13. excitat, sine in parabola boni seminatoris dicendo. *Dum dormirent homines, venit malus homo, & superseminauit zizaniam in triticum, & abiit?* Quod si non dormissent, nec malus forsan zizania seminare potuisset, siue cum dicit.
Luc 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes estote hominibus expectantibus dominum suum quãdo reuertatur à nuptiis. Beati serui illi quos cum venerit dominus inuenerit vigilantes. Et si vespertina,*
B inquit, *hora venerit, si media nocte, si galli cantu, & inuenerit eos vigilantes, beati sunt. Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Itaque & vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis venturus est.*
Luc 6. Nec solum verbis docuit vigilia, sed etiam docuit exemplo. Namque testatur in Euangelio. *Quia erat Iesus pernoctans in oratione.* Pernoctabat dominus, non sibi, sed vt scirent serui inopes & infirmi quid agere deberent, quando dominus diues in omnibus, nec villis indigens quam fortissime per noctem in oratione duraret. Sic & incre-
Matth 26. pat Petrum tempore passionis, dicens. *Non potuisti vna hora vigilare mecum?* Et ad omnes iam dicit. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Hæc verba, hæc & eiusmodi exempla, oro vos quem non de profundo etiam somno & morti simillimo valeant suscitare? His instructi sermo-
Act. 12. nibus, his confirmati documentis B. Apostoli, & ipsi vigilarunt, & vigilias imperarunt, Petrus ub Angelo in carcere suscitatur, & ipso reserante portam ferream in domũ
C Mariæ peruenit, vbi erant multi congregati non stertentes vtique, sed orantes. Idem in sua epistola ponit ac dicit.
1. Pet 5. Act 16. *Sobrii estote, ac vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærẽs quem deuoret.* Paulus & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum audientib vinctis dixisse memorantur. Vbi tepente terræmotu concussis carceris fundamentis, & ianuæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Idem beatus Apostolus à Troade profecturus, sermonem du-
Act. 20. cebat vsque ad mediam noctem, accensis lateriis quam pluribus in cœnaculo. Ex quo Eutychus adolescens somno oppressus, disputante Paulo prolixius, à fenestra deductus, cecidit de tertio tecto, & sublatus est mortuus, quo statim reddito vitæ, vsque ad lucem sermocinatus, Deo
1. Thess 5. gubernante, profectus est. Quam plene idem quamque copiose super exercendis vigiliis adhortatus, Thessalonicensibus scribens ait. *Itaque non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus & sobrii simus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui inebriantur, nocte ebrii sunt. Nos autẽ qui*
D *Dei sumus, sobrii simus.* Et mire concludit. *Siue, inquit, vi-*
1 Cor. 16. Ephes 6. *gilemus, siue dormiamus: simul cũ illo viuamus.* Ad Corinthios autem. *Vigilate, state in fide, confortamini, viriliter agite.* Sic & ad Ephesios scribit. *Orantes in omni tempore in Spiritu.* Et ipse vigilantis quoque exemplum ponens in catalogo virtutum suarum, functum se vigiliis multis a-
2 Cor. 6 & 11 pud Corinthios gloriatur. Hæc sufficiant de antiquitate & auctoritate & vigiliarum. Superest vt secundum promissionem ordinem de earum vtilitate aliquid conferamus, quanquam sentiri magis possit per exercitium ipsa vtili-
Psal 33. tas, quam loquentis sermone narrare. Gustandum enim videtur, *quia suauis est dominus*, sicut scriptum est. Qui ergo gustauit, intelligit & sentit quantum pondus pectoris vigilando deponitur, quãtus mentis stupor excutitur, quãta lux animam vigilantis & orantis illustrat, quæ gratia, quæ visitatio membra vniuersa letificat, Vigilando timor omnis excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio Spiritus vulneratur. Quid hac vtilitate magis necessarium? quid istis lucris commodius? quid hac delectatione suauius? quid hac felicitate beatius? teste etiam Propheta, qui in principio psalmorum suorum, beatum virum describens, summum beatitudinem E
etus in hoc versiculo collocauit. Si in lege domini me- Psal. 1.
ditetur die ac nocte. Bona est quidem diuturna meditatio, sed efficacior est nocturna: quia per diem necessitates variæ obstrepunt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex cura dispergit. Nox quieta, nox secreta oportunam se præbet oratoribus, aptissimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum, intantum hominem diuinis conspe-
F ctibus sistit. Inde diabolus diuinarum semper rerum callidus æmulator, sicut ieiunia & virginitatem, vana baptismata & inania suis cultoribus dedit: ita & hoc sanctum æmulatus officium, nocturna sacra & vigilias suis eomessationibus addidit. Vnde iam nostri fideles, si de suorum institutione non excitantur ad habendas vigilias sacras, in aduersa varietatis vsurpatione cernentes, alienas à Dei rebus non esse fateantur: quas non æmularentur iniquus ad deceptionem, nisi Deo placitas esse cognosceret ad celebrantium benedictionem.

Tamen, charissimi fratres, qui vigilat oculis, vigilet & corde: qui orat spiritu, oret & mente: quia valde inutile est oculis vigilare, animo dormiente. Cum econtra- Cant 5.
rio ex persona Ecclesiæ scriptura testatur. *Ego, inquit,* G
dormio: & cor meum vigilat. Curandum est etiam ne nimietate cibi vel potus vigilaturi pectus oneretur: ne cruditates eructantes & crapulam, non solum ipsi nobis insuaues simus, sed & gratiæ Spiritus indigni iudicemur. Quidam namque vir inter pastores eximius. Sicut fumus, inquit, fugat apes: sic indigesta eructatio auertit & abiicit Spiritos sancti charismata. Ergo tanquam diuino functuri ministerio, ante nos per abstinentiam parare debemus, vt ingrauati expeditius vigilare possimus. Cogitatio quoque mala pellatur, ne male vigilantis oratio fiat, sicut legitur, in peccatum. Sunt enim & ex maligno vigiliæ: sicut in Prouerbiis legitur. *Quia ablatus est somnus* Prou. 4.
ab oculis eorum. Non enim dormiunt, inquit, *nisi male fecerint* Absint fratres, absint ab hoc conuentu tales vigiliæ. Sit potius vigilantium pectus clausum diabolo, apertum Christo, vt quem labiis sonamus, corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles nostræ vigiliæ, tunc pernoctatio salutaris: si competenti diligentia & deuotione syncera ministerium nostrum, diuinis obtutibus offeratur. Hæc de vigiliarum auctoritate & antiquitate, necnon vtilitate dicta sufficiant. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

EPISTOLA XXXVII.

AD PAMMACHIVM ET OCEANVM
Exhortatoria.

QVi Æthiopem inuitat ad balneas, & si nigredinem non aufert illi, certe vel pecuniam accipit sibi: & licet in illius candore non gaudeat, certe vel suorum lucro lætatur. Ita fine dubio inobedientem qui diuinis sermonibus monet, quamuis refragantis peccata non tollat: mercedem tamen de ministerio veræ charitatis sibi H
acquirit. Sed ideo hoc dico, quia vos sperno? Ideo loquor, quia vos forte non diligo? Respondeo Apostoli voce. *Testis est Deus, quod facio & faciam*, non contemno, sed doleo, infidelitatis in meis argumenta apparere, Phil. 1.
non fidei: quia Iudaica in vobis testimonia, non Christiana agnosco. Quoniam videntes, non videtis: & audientes, non vultis audire. Rem fortem dicturus sum, Ex vtroque conturbor. Timeo auditores offendere, sed plus timeo contemptores præceptorum, qui

A verbum Dei audire dissimulant, peiores idolis habentur. Illa quidem aures habent, sed non voluntatem, non audiunt, non palpant manibus nec capiunt. Vnde in malorum hominum comparatione meliora sunt: quia nec concupiscunt oculis, nec per contraria & Deo inimica discurrunt Et naturaliter surda, recte meliora inobedientibus iudicantur. Dicat propheta, si mentior. Loquatur Dauid, qui huiusmodi homines comparandos esse serpentibus Psal 17. non negauit. *Sicut aspidis*, ait, *surda obturantis aures suas, ne vocem audiat incantantis* Et videant si non recte serpentibus comparantur, qui quod audiunt naturæ beneficio, dissimulant calliditatis astutia. An Christiani dici possunt, qui etiam nomen primæ humanitatis amittunt? Ecce Hieremias dicit. *Incircumcisæ aures eorum*, qui hoc non Hier 6. possunt audire Non quia non possunt, sed impossibilitatem voluntas naturæ inimica superduxit, dum longo vitiositatis vsu, genuini mores per aduersam consuetudinē B corrupti, malis operibus ceciderunt. Etiam vasa limo plena, liquorem puri elementi recipere & continere non possunt. Ager spinosus, nisi ante cultoris laboris fuerit extirpatus, non nutrit in se iacta semina, sed suffocat. Ita & animus sæcularium sollicitudinum plenus illecebris, verbum non potest sustinere diuinum, nisi prius ipsas mundi sollicitudines culparumque omnium materias, Euangelica in se falce succiderit. Modo quibusdam minus forsitan videor (Deo dissimulante) peccare: sed aderit illa dies qua facta nostra quasi in quadam tabula depicta monstrāda sunt. O quantis in die illa expedisset, si in hac vita & membrorum sensu, & viscerum vigore caruissent. Et quanti illic elingues & muti, feliciores loquacibus tunc erunt. Et quanti pastores philosophis. Quanti rustici oratoribus. Quanti hebetes argutiis præferendi Ciceronis? Iob sanctus in tentatione ad suam gloriam deuotus, sic in Iob. dolore suo clamabat. *Qui prodest in tormento lux? Vt quid mihi iuncta sunt genua? vt quid vbera suxi? Cur non in ventre mortuus sum, & mox vt de vtero exiui, nō protinus obij?* Si hoc Dei amicus dicebat in luce, quid ab inimicis eius dicetur in tenebris? Si ille ingemiscit quem febris vrebat, C quid faciet quem gehenna consumet? Si ille sibi dolet genua fuisse coniuncta, cuius pedes semper in Dei amore cocurrerunt: quid dicturus est, cuius nunquam in veritate steterunt? Displicet illi quod natus ex vtero vixerat, qui bene vixit: quia eum vermis moriturus edebat: quid male viuentes facient, quos ignis æternus, & vermis nunquam moriturus expectat? Durus est hic sermo. *Durus hic sermo* Ioan 6. *est: quis potest audire eum?* Hoc dixerunt illi discipuli, qui Christi vestigia in Euangelio reliquerunt: & de diuino verbo scandalum passi, sæculum maluerunt amare quam Deum, quorum venter Deus: cultum nolunt audire ieiunij. Luxurioso verbum castitatis offensio est, sicut pro- Phil 3. Prou. 29. pheta dicit. *Abominatio est viro iniquo directa via.* Iam antiquitus dictum est ab Esaia: quod Christus infidelibus *lapis offensionis* extiterit. Adulari non possum, ne & fratrem Ser. 70. Esaia 2. Prou 18. decipiam, & me sermo percutiat Salomonis, qui ait. *Verba adulatorum mollia sunt, hæc autem feriunt interiora ventris.* Non est fidelis medicus qui ante digestam putredinem superducit vulneri cicatricem. Non possumus semper lac dare: quia nec vos sēper paruuli esse debetis. Dicite D mihi quot anni sunt ex quo regenerati sumus in Christo? Consideret vnusquisque quantum ex eo tempore in illa cælesti ætate profecerit. Nescio qualiter placeant parentibus illis infantes, quibus sunt anni quinque vel decem: si in ea qua nati sunt modicitate perdurant. Quid de nobis dicendum est: quos temporis ratio, non modicos sed abortiuos inuenit? *Ibunt de virtute in virtutē*, de bonis scri- Psal 83. ptum est Christianis. Videamus si Christiani sumus: quid in nobis (ex quo regenerati sumus in Christo) virtutis accesserit: quid humilitatis in prosperis, quid patientiæ in aduersis, quid in tribulatione gaudij, quid felicitatis in damnis, quid indulgentiæ in offensis. quid castitatis in occasione luxuriæ. Alij de virtute quotidie transeunt ad virtutem: nos de infirmitate ad infirmitatem. Alij meliores per momenta fiunt: nos deteriores sæpe efficimur, quasi non eundem iudicem expectemus. Stulti sumus si vnum probauimus credentium saluatorem, & non vnum iudicem fore credamus. Vnam fidem, vnum baptisma, vnam E Ecclesiam, vnū Deū dicit Apostolus. Qui ergo hodie ma- Ephes. 4. lus, crastina peior: hodie auarus, crastina auarior. Ante annum meæ cupiditati vna villa suffecerat: iam hoc anno quinta forte non sufficit. Prius extendebatur animus vt decem solidos possiderem: iam nunc centū parui esse cœperunt. Et cū veri Christiani veri filij Dei, qui vadunt de virtute in virtutē, si perdiderint aliquid de virtutis occasione lætantur: ego nisi aliena accepero, securus prādere non possum. Quid agis cæca cupiditas? Quid crudelis in paruulo? Quid sæua in alieno filio? Ordinē naturæ an religionis euertis? Iā fecisti in pedibus, quod in capite esse debuerat. Aurū insensibile pariter omnibus dominatur. Eccl. 31. Et quid est illud rogo, vel quale est quod nos auertit à Deo? Quis splendor & quantus est, per quem mihi splendor veri solis amittitur? Aurum & argentū lutum exquisitum ex arena & minera: & vt propheta ait, lignū offen- F sionis est aurum: quia iudicio mentis euerso, per aurum libidini māciparur: qui eodem astu acquirit solidum, quo animam perder, lucratur imperatoris imaginem & amittit imaginem Christi Vis nosse quam perniciosus sit amor habēdi & amor requirendæ pecuniæ? Per hūc Iudas tradidit Saluatorem. Et certe quando auditur, aut quando legitur, tantum scelus abhorremus omnes. Et quantum in nobis est, impium discipulum condemnamus: & per ignorantiā nostram nostro nos mucrone cōfodimus. Quanti inter nos Iudæ Iudam damnant? Quanti in semetipsis cum per cupiditatē suas animas æternis cruciatibus tradunt, & traditores fiunt pariter & occisi? An putamus fratres quod iocando prædicent prophetæ, ridendo loquantur Apostoli, inutiliter Christi iudicium comminetur? Sed ioci non sunt vbi supplicia intercedunt: si iocando passi sunt, credantur iocando locuti. Esaias serra secatur. Daniel leonibus deputatur. Paulus truncatur gladio. Petrus in cruce, domini exemplo suspenditur. Et hoc totum vt nos à peccatis sua doctrina reuocarent. Sed timeo ne inobedientibus in contrarium diuina beneficia deputentur, & proficiat ad pœnam in iudicio quod hic datum fuerat ad salutem. Timeo ne fides nostra magis iocalis sit, quam fides & verba illorum. Timeo ne nos io- G candu non saluemur: & quomodo per risum introimus in Ecclesiā, sic rideat ille de nobis, sicut scriptum est: *Qui ha-* Psal. 2. *bitat in cælis, irridebit eos.* Multa sunt quæ dicantur, sed fastidio vestro quod aspera & inculta facit oratio, & labori meo finem ponit membranæ conclusio. Vnū dico quod cupio, quia Christiani cœlum debent amare non terram, & verbo Dei plus obedire quam diabolo, & iudicium æternum magis timere quam hominum.

EPISTOLA XXXVIII.

AD QVENDAM QVI IN sæculo pœnitebat.

AD te suspiro hominem quem scio esse fidelē. Ad te increpatio mea festinat, quem sentio esse superbū. Pœnitere te asseris, qui totus in sæculo conuersaris. Pœnitere te asseris, qui ea quæ vomueras, iterū sumis. Pœnitere te asseris, qui dum opera diaboli sequeris, domi- H num prætermittis. Scire à te desidero quid pœniteas. Nescio quid sit tua pœnitentia. Pœnitere te asseris, qui dum iustitia Dei præcinctus es, superinduxisti superbiam. Pœnitere te asseris, qui dum alienam carnem sequeris, sic fatigaris vt canis reuersus ad vomitum suū, sicut canis famidus, aut sus à calore defecta, in limum terræ prostrata. Quæ sit tua pœnitentia non inuenio. Ambulaui in locum pœnitentiæ, & non inueni pœnitentiam tuam. Tu qui sæculum deserueras, iterum ibidem inueniris. Qui carnis superbiam deposueras, submittis humerum, vt iterū portes. Qui auaritiæ dederas dorsum, denuo illi obuiam reuerteris. Qui vanitati remedium dederas, iterum reuerteris in gratiam eius. Qui pompam sæculi fugaueras, iterū in manus illius incidisti. Ambulas autem superbus & elatus ceruice, nescis scriptū esse. *Quid nobis profuit superbia,* Sap 5 *& quid honestas cum iactatione nobis contulit?* Iterum dictum fuisse. *Transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Fidelē te me-

A te meminisli, qui per aquam baptiſmi fueras renouatus:
Eſa. 1. ſicut ſcriptum eſt: *Lauamini, mũdi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris.* Illos ad lauandum hortatur: tu autẽ cũ
Ioan 13. eſſes mundus, ſordidus factus es. Non potes iam denuo
Luc. lauari: ſicut dicit Petrus ad dominum. *Domine non ſolum*
E. 1 *pedes, ſed & manus laua, & caput, & me totum. Qui ſemel*
Io. 4. *lotus eſt, denuo non indiget lauari.* Sivis autem vt iterum
emunderis, da eleemoſynam, & ecce omnia tua munda
ſunt. Quia eleemoſyna eſt, quæ purgat omnem ſordem.
Humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Subditus eſto & obſecra eum, ne æmuleris vt nequiter facias.
Nam *qui malignantur, exterminabuntur.* Ora dominum
quotidie cũ lacrymis, ſi forte peccata tua ſoluantur. *Quoniam ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*
Memento filium in longinquo poſitum, luxurioſe viuẽdo ſubſtantiam in meretricibus diſpenſaſſe, poſtea humilis factus, reuerſus eſt in ſemetipſum & ait: *Quanti merce-*
Luc 15 B *narij in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo! Surgam itaq; & vadam ad patrem meũ, & dicam illi, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Pater
autem cum vidiſſet humilitatem filij, & nimis inopia defeſſum, miſericordia commotus eſt: pro filio humili, occidit vitulum ſaginatum. Memento ergo fili, quoniam
Chriſtus pro te mortuus eſt, qui ante fuerat vitulus ſaginatus. Filius autem illius maior contriſtatus eſt. Quare
occiſus eſt Chriſtus, qui erat vitulus ſaginatus. Pater autẽ illius corripiebat illum, dicens. *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: Gaudere te oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat: & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* O
quã beatum populum pro quo Chriſtus mortuus eſt, quale gaudium pater portat, quando quod mortuum fuerat,
reuiuiſcit, & quod perierat inuentum eſt: Ecce ſanus iam
factus es. noli peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.
Attende ergo vnde cecideris, & plange, & age pœnitentiam. Si quo minus, veniet dominus tibi, & mouebit cãdelabrum tuũ de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Me-
Ibidem. morare fili Chriſtum reliquiſſe nonagintanouẽ iuſtos, &
C quæſiſſe vnũ hominem peccatorẽ, & inuentum in inuio,
humeris ſuis reportaſſe. Vel illã mulierẽ quæ perdiderat
drachmã. hoc eſt Eccleſiam hominum peccatorum, & accendiſſe lucernam, hoc eſt Chriſtum, qui eſt lumen iuſtitiæ: & illa inuenta in ſtercore, cõuocaſſe amicas vel vicinas, id eſt, Eccleſias gratulaſſe ſuper inuentũ hominẽ peccatorẽ, & à ſtercore erectum collocaſſe eum cum principibus populi ſui, hoc eſt, cũ Apoſtolis & Prophetis. Ecce
quid faciat pœnitentia hominis peccatoris, qui dũ in ſtercore iacet, cum principibus inuenitur. Pœnitẽtem hominem dico, qui diebus ac noctibus ingemiſcit, & peccata
ſua eleemoſynis redimit. Pœnitentem hominem dico, qui
plangit quia fecit malum, & rogat dominum, vt etiam nõ
faciat quod admiſerat. Pœnitentem hominem dico, qui
poſt concupiſcentias ſuas non vadit, & à voluntate ſua ſe
prohibet. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod
ante neglexit, & quod fecerat obliuiſcitur. Adhæreant in
D te quæ bona ſunt: & quæ mala ſunt deleantur. Si pœnitentiam non egeris, incides in manus domini ſecundum
Pſa. 33. magnitudinem eius. *Diuerte à malo, & fac bonum: inquire*
Eccl. 5. *pacem, & perſequere eam:* ſicut ſcriptum eſt. *Omiſi mala, & quæſiui bona.* Fac ergo dignos fructus pœnitentiæ: &
non dixeris, Non peccaui, & quid accidit mihi triſte? Non
adiicies peccatum ſuper peccatum, & dicas, miſeratio domini magna eſt. Scito autem quod miſericordia & ira ab
Pſal. 50. illo eſt. Reuertere ad dominum, & plange dicendo. *Tibi*
Pſal. 24. *ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Delicta iuuentutis
Pſal 16. meæ, & ignorantias meas ne memineris domine. *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſeruo tuo.*
Adiutor meus es tu domine, ne derelinquas me domine,
Pſal. 50. neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. *Ne proiicias me*
Pſal 40. *à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Sa-
Pſal 21. na animam meam, quia peccaui tibi. Libera me de ore leo-
Pſal. 118. nis, & auerte oculos meus ne videant vanitatem. *Illumi-*
Pſal 26. *na faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & ſaluum me fac in tua*
Pſal 16. *miſericordia. Adhæſi teſtimoniis tuis domine: noli me confundere. Ne tradideris me in manus tribulantium me. Cuſto-*
di me domine vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum E
protege me. Peccatum meum cognitũ tibi feci, & iniuſtitias Pſal 50.
meas non abſcondi. Confitebor tibi domine Deus in toto corde Pſal 9.
meo. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te Pſal 101.
veniat. Non auertas faciem tuam à me, in quacunque die Pſal 85.
tribulor inclina ad me aurem tuam. In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me. Fac mecum ſignum domine in Pſal 38.
bonum: vt videant qui oderunt me & confundantur. Remitte mihi domine vt refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero. Ecce pœnitentia hominis humiliantis ſe: quomodo veniam non habebit qui taliter ingemiſcit? Quis non
audiat illum, & moueatur? *Quoniam qui ſe humiliat, exal-* Luc. 14.
tabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur. Quid gloriaris in ma- Luc. 18.
litia, qui potens es in iniquitate? Melius eſt te non vouere & Pſal 51.
reddere, quam vouere & non reddere. Pœnitentem te dicis, & carnis libidine delectaris. Peccata tua non deſinunt Pſal. 49.
ambulare, & tu dicis quod ſedeant. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamen-* F
tum meum ſuper os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os meum abundauit nequitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum detrahebas: & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini dominum nequando rapiat, & non ſit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic eſt iter quo oſtendam ei ſalutare meũ.
Ecce qualis commutatio domini in hominẽ peccatorem.
Tu qui dicis, qui aſſeris te pœnitere: vbi eſt pœnitẽtia tua?
Excluſa eſt per ſuperbiã & contemptum, ſequi Deũ prætermiſiſti. Audi fili, & retrahe pedẽ tuum de ſæculo, cui
renunciaſti. Pœnitere ergo de omni põpa iniquitatis. Apprehende fidẽ quam ante perdideras, vt conſentires diabolo, & tenebris: & dominum qui lux eſt, poſt dorſum re- Oſee 6.
liqueras. Memorare fili quid eſt. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Miſerebitur tibi dominus, ſi hæc cum le- G
geris facias, & per obedientiam pœnitentiã ſequaris. Verum ſi de toto corde pœnitentiam egeris, ſi dominũ præ
oculis habueris ſi amiſſa voragine poculi veneno ſi calicẽ
ſalutaris acceperis, ſi die ac nocte in lege domini meditaueris, ſi omnem ſollicitudinem tuam ſuper illum miſeris
tunc gaudebis & exultabis in domino, qui vi[illegible] regnum. Tunc erit merces tua copioſa in cœlis: quia taliter
in opera domini laboraſti, tunc erit dominus adiutor tu9
in die iudicij, tunc ſtabis cum magna fiducia à dextr[illegible] domini cum ſanctis ſuis, & dicet vobis. *Venite benedicti pa-* Matt. 25.
tris mei, poſſidete paratũ vobis regnum à conſtitutione mundi. Iniuſtis autem dicetur: *Ite in ignem æternum. quẽ præparauit pater meus diabolo & Angelis eius. Vbi ignis non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Tunc ibunt
iuſti in vitam æternam: impij autem & peccatores in ignem H
æternum.

EPISTOLA XXXIX.
DE DIVERSIS GENERIBVS leprarum.

ADmirabile diuinæ diſpoſitionis examen, quæ exhiberi ſibi Deus ac deferri voluit, magno conſilio & ſolerti ſcientia ac ratione mandauit. Diuerſa enim hominum moribus genera naturarum, diuerſis ſtatuit præceptorum ſententiis gubernari. Aliis enim imaginarium legis opus, quaſi ſub veritatis colore depinxit: aliis corpus ipſius veritatis declarauit. Quos enim obuolutos adhuc mundi caligine ad comprehendenda ea quæ germana erant ac ſolida perpendit, eis obſeruantiæ ordine ſuſpenſu, ſubtili quodammodo examine ſuſurrauit: quos autem deprehendere poſſe abſolutum prædicationis carmen agnouit, eis Deus perfectam harmoniam ſolidæ vocis intonuit. Inde eſt quod figuris & ænigmatibus lex priſca depingitur: quoniam dum infirma Iudæorum acies hebetatur, & candidatum ſcientiæ claritatis vigorem inſpiciendi lumen non habent, neceſſe eſt vt in variis figuris figurarum color adhibeatur. Nam illis & virtutum præ-

A nia supposita spe promittuntur, & peccatorum notæ inuruntur in corpore. His enim confirmantur alij, quibus alij transferuntur. Præsens lectio exigit huiusmodi ferre sermonem, quæ diuersa leprarum genera deprehendenda in diuersis materiis designauit. Alia enim lepra in parietibus demonstratur, alia humano notatur in corpore, alia in vasculis, alia in veste, alia designatur in stamine: deinde quæ in huiusmodi vulneris loco, crebra ac varia pellicula deputantur. Quid enim dicam? Tot suot genera quot colores, alia pallida, alia tetra, alia rubicunda. Deinde si homines lepra, quod est insitum naturæ, vitio polluantur, quid hi faciunt, qui grauioribus morbis corporum prægrauantur? Sed age iam videamus genera leprarum, vt medelarum causas agnoscere atque probare possimus. Si fuerit, inquit, lepra alba vel rubicunda, siue tetra, vel pallida, vel si florens, ait, hoc est, toto corpore decurrens. Nam est detestabilis lepra, quæ omnino mundari non possit.

Lev. 13 & 14

B Est & quæ facilem habeat mundationẽ. Alia quoque aduentitia: alia innata deprehenditur. Quæ omnia nisi spiritaliter sentiantur, rationem intelligentiæ simplicis non admittunt. Nam diuina sapientia, legis suæ profundum in huius extrema sæculi regione, quasi templum suo nomine consecratum, intra ciuitatis alterius mœnia collocauit: cuius constructio atque opus, quamuis magnificum videatur, interior tamen aditus reserare non possunt. Quare oranda est diuina dignatio, vt pulsantibus nobis intelligentiæ patescat ingressus. Iubetur igitur diuersa leprarum genera sacerdos templi diligenter inspicere, atque earum habitus, vel colores, pleniori consideratione deprehendere. A coloribus enim lepra refertur posse agnosci, quos tamen ad peccatum magis animæ, quam ad morbum corporis manifestum est pertinere. Diuersi etenim colores diuersas animi indicant maculas. Cum igitur pallida lepra conspicitur, langoens & ægra fides animæ denotatur. Cum autem rubicunda deprehenditur mens furore atque iracundia inflammata, & homicidij cruore respersa cognoscitur. Cum vero alba, tunc hæreticorum fucata & male munda conscientia condemnatur. Sed alia lepra in capite: alia oriri perhibetur in barba. Sunt enim hæretici qui Deum patrem videntur tantummodo blasphemare, vt Manichæus, qui non solum eum factorem denegat mundi: verumetiam malorum profitetur esse auctorem.

C Hi sunt qui lepram in capite portare videntur. *Caput enim*, inquit Apostolus, *viri Christus est, Christi autem Deus*. Quæ vero lepra in barba portatur: hi sunt qui blasphemare videntur in filium. Christum enim in aduentu pristino, perfecti viri æuum agẽtem, quasi tricenariæ ætatis virilitas decorauit. Sed & si tetra, inquit, & liuida fuerit: quid aliud quam liuidam, & liuoris maculis execrãdam designat? Si autem, ait, nigra fuerit lepra, fumo vtique idololatriæ & sacrificiorum nidoribus est notata. Si autem, inquit, florens lepra fuerit, & cooperuerit omnem florem maculationis à capite vsque ad pedes, visu sacerdotis diiudicabitur. Videbit enim sacerdos: & ecce lepra cooperuit omnem pellem corporis, & mundabit illum sacerdos à maculatione, quoniam, in album mutabitur.

1. Cor. 11.

D In hac lepra, quam quasi albam & florentem designat, diuersa crimina varie deprehendit: quia cum mundialis vitæ voluptas, quasi candida & florens existimatur, tum graue vitiorum contagium grassatur in corpore. Nam aut auaritiæ, aut libidinis maculæ perpatescunt. Sed hanc lepram cito dicit posse mundari. Auaritiæ enim crimen facile curare potest: qui conuersus ad dominum, & ea quæ possederit, indigentiũ alimoniæ ministrauerit, ita vt dominus in Euangelio ait. *Verum date eleemosynam, & ecce omnia vobis munda sunt*. Libidinem quoque celeriter mundare poterit, si ieiuniis frequentissimis & abstinentia corpus atteruerit. Sed his omnibus medelam per sacerdotem præcepit dominus adhiberi. Dicit enim esse lepram, quæ sacrificiorum oblationibus emundetur. Aliam vero quam aquæ facilius abluant necnon & quæ extra castra posita mundetur. Esse quoque lepram asserit, quæ mundari omnino non possit. Horum igitur secundum figuram grauiorum peccatorũ crimina congregantur. Alia sunt quæ ante baptismum

Luc. 11.

E videntur esse cõmissa, quæ tamen per gratiam baptismi diluũtur. Alia vero quæ post lauationẽ baptismatis perpetrantur, quæ siue grauiora, siue minora peccata sint, visus tamen sacerdotis emundat. Quodcunq; enim modicũ delictũ fuerit, potest à sacerdote omnino relaxari. Quæ autẽ grauiora sunt, disciplina debẽt ecclesiasticæ regulæ & oratione purgari. Quæ vero insanabilia sunt, Deo iudici reseruantur. Et inde est quod in hoc loco ait. Vnumquemq; secundum quod habet propriam curationẽ, sacrificium offerre debere, id est, vnusquisq; secundũ quod se deliquisse cognoscit, siue per carnalẽ concupiscentiã, seu per idololatriã, seu periurio, seu mendacio, quasi lepræ se vitiis intelligit macularũ: pro vt potuerit, Deo sacrificare non desistat. Sed dicit genus esse lepræ quod omnino mũdari non possit: & ideo huiusmodi homo extra castra iubetur expelli. Hoc est sane crimẽ quod admittitur in Spiritum sanctũ, blasphemiæ scilicet, sicut ipse dominus in Euangelio ait. *Qui peccauerit in Spiritum sanctũ, nõ remittetur ei neque hic, neque in futuro*.

F Matth. 12.

Adiecit autem scriptura diuina leprã esse in vasculis, lepram in parietibus, lepram in vestibus, lepram in stamine: sed quomodo in his rebus lepra esse possit, penitus ignoro, quæ quia vita carent, etiam sensu carere necesse est. Sed ego arbitror cum in parietibus domus lepra esse referatur, hæreticorum perfidiã notari. Quid enim non polluitur, vbi adulterinæ doctrinæ blasphemia prædicatur? Ideo hanc leprã sacerdos iubetur à parietibus emundare, vt Catholicæ veritatis doctrina, maculosa hæreticorum verba depellat. Cum autẽ lepra in vasculis dicitur esse, proprij corporis delicta mõstrantur. Vasa autem hominũ corporibus comparat Apostolus. *Habentes*, inquit, *thesaurum hunc in vasis fictilibus*.

1. Cor. 4.

G In stamine autẽ quomodo lepra esse potest, nisi quia stamine anima hominis fidelis designatur? Quæ cum tentationibus, vt fusum filiorum tenuitate torquetur, firmioris virtutis soliditate constringitur. Stat ergo anima vt densissimum stamen erecta: corporis vero sensus vt trama stamini subiacebit. Et ideo etiam in trama lepram esse designat: quia alia corporis, alia animæ peccata significat. Sed quid pro mundatione leprarum, aut duo agni anniculi, aut tortula olei, aut duæ gallinæ iubentur offerri? In duobus ergo agnis, duo Christi significantur aduentus, in quib. credere oportet, vt emundari à lepra peccatorum prius mereamur, vnum cum venit & passus est, alium quo est venturus in gloria. Sed vitulum, inquit, offerat: hoc animaliũ genere gẽtes crucis Christi iugo subiugãdas esse demonstrat. Duæ gallinæ, animã indicare videntur & carnem. Sed vnam, inquit, gallinam occides, alterã aqua ablues & dimittes. Caro vtique in passione iubetur occidi: anima vero quæ per naturam æternæ morti videtur esse subiecta, abluta aqua baptismatis à criminibus relaxari. Sed & lignum, inquit, cedrinum. Imputribile hoc ligni genus esse, nemo qui nesciat. Ergo per cedrum, incorruptam mentem & stabilem fidem voluit ostendi, hyssopum autem preces orationesque demonstrat.

H Sed & coccum, scilicet martyrij gloriam manifestat. Qui mediocris est, ait, quod valet offerat, id est, si quis non omnes diuitias cœlestium est charismatum consecutus, vel potest, & si minimum, Deo deuotionis suæ deportare obsequium. Vt si virginitatem quis obseruare non potuit, vnius cõiugis saltem castum cubile custodiat: vel qui martyrij trophæum non valuit reportare, fugæ se præsidiis Deo seruet inuictum. Et olei, inquit, tortulam offerat, vtique misericordiæ gratiam, etiam si clarissimam sanctimoniæ faciem præferre non valuit, lucernam saltem fidei non extinguat. Videtis, ergo dilectissimi fratres, nullã esse tam exiguã spiritualis gratiæ paupertatem, quæ ad offerendum sacrificium Deo non quamcunque possit sanctimoniæ oblationem offerre.

EPISTOLA XL.
DE DVOBVS FILIIS FRVGI & luxurioso.

OMnium quidẽ de scripturis quæstionũ absolutio illi soli, ita vt est, est nota qui dixit. *Ego sũ veritas*. Nos autem

Ioan. 14.

A autem oportet pia voluntate accedere, & speciali sensu ad inquisitionem diuinarum scripturarum, scientes quod si aliquod verè inuenerimus bonum desiderium mentis attentæ Deo, inter fines beatitudinis eius erimus: de qua dicitur. *Beatus vir qui implevit desiderium suum.* (Psalm. 19.) Qualis autem sit huius concupiscentiæ species, abiectio beatitudinis facile declarat audire volentibus, id est, prudenter audientibus. Quod si non potuerimus ad plenam veritatis ipsius intelligentiam peruenire: nec tamen sic longe erimus ab illa beatitudine, quam capiunt qui implent desiderium suum. Neque enim si non ceperimus id munus, (Luc. 15.) cuius præstandi potestas in alterius manu posita est, reprehensionem sustinebimus: sed si in his quæ agere præcipimur pareamus, præmium laudis iustæ adipiscimur. Quomodo ergo omnimode demonstratum est, non solum nullius periculi, sed & plurimæ vtilitatis esse scrutari diuinas scripturas: disquiramus illam euangelij parabolam, quæ est de patre & duobus filiis. Nam vnius rei causa & de oue & de muliere cõparatione nobis contexto ordine supra recitata sunt. Quæritur ergo quis ille senior sit frater, qui ex dimidio datam sibi paternæ substantiæ portionem custodiuit, & inseparabilem cum patre B suo vitam agere dilexit. Quis vero iunior qui accepta similiter ex patre substantia, profectus est in longinquam regionem: & profligatis illic omnibus partis suæ facultatibus ad inopiam redactus, porcos alienos pascere coactus est. Sed & qualitatem pœnitentiæ eius non omittamus, & lætificati patris promptam remissionem modestamque pietatem, qui reuertenti filio discessionis præterit leuitatem, & dissipatæ substantiæ flagitia non exprobrat: sed venientem clementer suscipit, & occurrens salutat, & gratulans osculatur, incumbens requiescit in eo: & vitulum illum saginatum pro lætitia recepti filij epulandum immolat. In quo compunctus senior frater, dicit patri, &c. Hæc quæ per partes digesta sunt, expositio vestris sensibus intimabit. Necessariũ enim est ante omnia percunctari causam, pro qua, & quid volens de propositis saluator ostendere, huiusmodi parabolas Iudæis aptauerit. Si enim vobis causa talium cõparationum patuerit, tunc ea quæ de ipsis sentimus, aut rationabiliter congruant veritati, facilè dignoscitur. Sunt itaque qui dicunt de duobus filiis istis, seniorem angelos esse & archãgelos, vel omnem cœli militiam. Minorem vero ponunt homi-C nem, qui in longinqua peregrinatione abierit, quando ad terram de cœlis & paradiso cecidit: & aptant quasi scientia respicientis ad causam, vel statum Adæ. Sed hic sensus pius quidem videtur: nescio tamen si verus sit. Dicit aliquis, quare? Quia minor filius & iunior ad pœnitentiam uenit sua sponte, recordatus præteritæ abundantiæ patris sui, sicut habet series lectionis. Dominus autem veniens, ad pœnitentiam vocauit humanum genus, cum sua sponte regredi vnde ceciderat, non cogitaret. Deinde senior filius, si chorus est cœlestium angelorum, vt prædictum est: quomodo in reditu & salute fratris sui, & in vituli immolatione tristatur? Cum in eodem euangelio dicat Dominus. Lætitiam esse in cœlo apud angelos super vno pec-D catore pœnitentiam agente. Discutientes ergo huius parabolæ rationem, vt non illum alium intellectum vituperemus, sed magis vt cum sensu illo id qood nos sentimus, vestris diiudicandum arbitriis cõferamus. Iam enim causam exponimus, quam & Domini sermo subiungit, de superiore causa hanc parabolam introducens, sicut præfan sumus, singularum in his parabolis personarum memoriam facientes. Murmurabant Iudæi, & vrebantur inuidia, quod à Domino nostro Iesu Christo peccatores suscipi, simul etiam conuiuari, & publicanos libenter doctrinæ saluatoris intendere viderant. Ad hanc ergo insolentiam Iudæorum aspiciens Dominus, quia reprehendebatur ab eis, incipit primam de pastore illam parabolam, vbi nonaginta & nouem ouibus derelictis, ad vnam quæ aberrauerat, requirendam abiit. Et subnectit hinc aliam parabolam de drachma decima, quam perditam intra domum suam accensa lucerna mulier inuenit. Deinde hæc de filiis duobus parabola subsequitur, secundum dispensationem, & prouidentiæ diuinæ ordinem, harum

comparationum textum faciens. Nam quia ipse princeps E & auctor salutis nostræ est, seductum hominem, & dolo diaboli perditum saluare incipiens, & perfectioni restituere, hoc est, numero centesimo reddere, in quo perfectionis plenitudo numeratur, hinc initium comparationis facit. Subiungit autem & mulieris personam, arguens Iudæos, docens autem ecclesiam, & hominem quasi errantem ouem diligens pastor inquirit: quem hominem drachmam nominat propter monetæ regalis similitudinẽ, figuraliter in drachma, quæ pecuniæ genus est, quod illi tanquam nummo, imago & inscriptio regis cœlestis insculpta sit. Quærit ergo eam drachmam mulier, accensa lucerna, & mundata domo inuenit, hoc est, homo illuminans verbo & misericordia Dei, gloriam naturæ suæ, in qua ad imaginem creatoris sui factus est, quam obscuratam peccatis domo cordis in tenebris cordis amiserat, emendatis sensibus reperit, & gaudio gaudet quod omnem immunditiam interioris aulæ, studijs disciplinæ specialis absterserit, & contractas animæ de rebus & curis secularibus sordes orationibus & increpationibus expurgatas excusserit. Secundum prædictum consequenter annectit parabolam, de duobus filiis collationem, vt mihi videor facere: non de Iudæis transgressoribus, nec de gentibus perditis, sed populi eius, qui per patientiam redditur saluti, quem iuniorem filium nominat, Seth, Enos, & F his iuniores, qui ab Eua vsque ad saluatoris humanum aduentum, secundum iustitiam legis viuentes, iusti videbantur. Ergo quod ait iuniorem & seniorem, non in ordine temporis, sed in voluptatum qualitate, præponens se ei, qui non voluntariè, sed alieno dolo circumuentus aberrauerat sicut ouis, hoc est irrationabili animali imprudentem hominem comparans, solicitudinem pastoris adhibens, vt quærat ouem perditam, & reportet inuentam. Ei vero qui arbitrij sui libertate vtitur vt recognoscit vnde ceciderit, pœnitentiæ & reuersionis vtilitatem accommodat. Vnde hæc inter parabolas supradictas ratio distinctionis est, secundum personas vel mentes peccantium: vt pater filium non requirat peregrinantem, sed recipiat pœnitentem. Pastor vero ouem errantem, & non sapientem reuerti, requirat, & humeris suis referat. Videamus nunc si consonent, quæ significata sunt ad hanc expositionem. Dicit scriptura. Diuidere patrem ex æquo filiis duobus substantiam suam. Et quam substantiam hic euangelicus pater diuidit filio spiritali, nisi sapientiæ intellectum, scientiam boni & mali, quæ veræ G & perpetuæ sunt opes animæ bene viuenti? Dat autem hic pater diuitias suas ex æquo. Non enim quisquam aut iustus, aut peccator nascitur, sed quæ ex Deo est, in prima natiuitate hominis portio substantiæ rationalis, æqualiter cunctis nascentibus datur. De subsequente autem conuersatione vnusquisque plus, aut minus huius substãtiæ possidere inuenitur, dum in semetipsis per dissimilitudinem voluntatum negligentes deserunt: diligentes autem custodiunt, vt naturalia bona. Alius autem memorat, intelligens Domini creatoris ea quæ à Deo patre sumpserit, ita vt sui ea patris esse credens, quasi paterna custodiat. Alius autem sua ex se sibi esse æstimans, sicut propriæ possessionis licentia dissipandis abutitur, & cito profligata facultate priuabitur. Describitur autem in istis H & euidenter ostenditur libertas arbitrij, quam animæ rationali specialiter addidit creator Deus. Vide ergo, pater iste quomodo nec illum volentem discedere retineat, nec liberi arbitrij auferat potestatem, neque alium manere cupientem cogat abscedere, ne forte sequentium malorum, quæ postea his suo vitio acciderent, ipse potius auctor esse videatur, si illis libertatem propriæ voluntatis absciderit. Itaque & petenti dat, quia ex nobis, non à Deo inopiæ & offensionis nostræ causa proficiscitur. Accipiens autem partem suam iunior, peregre, inquit, abiit longe. Quod ait, longe, non locorum intercapedinem, sed declinationem mentis expressit. Qui enim obliuionem Dei cœperit, hic verè peregrinari à Deo dicitur. Sicut è contra conuersatio secularis non solum peregrinum, sed alienum Domino facit. Et vt breuiter dicam, peregrinantes à seculo, præsentamur ad Dominum, sic

A etiam permanentes in rebus terrenis, à cœlestibus exulamus. **Gen. 4.** Denique Cain exiit à facie Domini, & longe efficitur: non quia locus aliquis foris esset à conspectu Dei, sed quod sua mente diuisus esset à Domini respectu, propter homicidium separatus à Deo. Hac ergo peregrinatione per magnam ignorantiam peregrinatos fuisse nos sciens, beatissimus Paulus dicit. *Vos qui aliquando longe fuistis, nunc autẽ facti estis prope.* **Ephes. 2.** Huiusmodi ergo profectus peregrinationem iunior ille filius assumit, & deuorat prædictæ portionis suæ de paterna hæreditate substantiam, vsque spiritualibus destitutus opibus, id est, prouidentia Dei & intellectu, cum porcis pascere cogitur, hoc est, sordidas & immundas in anima sua cogitationes nutrire, vt ederet escas irrationabiles prauæ conuersationis: dulces quidem egẽti bonorum, quia suaue peruersis videntur omne opus carneę voluptatis: quod seductio desiderij & corruptio vitæ est, quæ virtutem & fortitudinem animæ, nõ modo nullam præstat, sed totum penitus eneruat & perimit. Huiusmodi cibos, quasi porcinos & malè dulces, **B** prout sunt dilectio carnium & illecebræ, siliquarum nomine scriptura designat. Itaque ille digressus à patre, & in longinquam peregrinationem profectus, in terra aliena consumptis facultatibus, quæ supra dictæ sunt, omnia digna peruersis, & postea malorum suorum necessitate cõstrictus (hoc est, & fame & egestate) pœnitet erroris sui, & sentit qui ipse sibi nocuerit: qui non de iudicio voluntatis suæ, sed de patre ad alienos, de domo ad exiliũ, de opibus ad eleemosynã, de abundantia ad famem transierit: in hoc loco seruitutis & miseriæ reminiscens, incipit cogitare de reditu, & secum ipse reputans dicit. Dicam patri meo Peccaui in cœlum, & in conspectu tuo: suscipe me, sicut vnum de mercenariis tuis. Ostendit scriptura hæc, patrem non hominem intelligi debere, sed Deum. Quandoquidẽ non solum cœlum nominat in confessione peccatorum pœnitens supplex, sed dicit, in conspectu tuo. Deus enim est in conspectu peccatorum omnium solus, à quo nec in **C** corde meditata peccata abscõdi possunt. *Scrutans*, inquit, **Psalm. 7.** *corda & renes Deus.* Verum nobis hoc ex loco, cœlum intelligitur Dominus noster Iesus Christus: ad quem hi gẽtiles, qui in tenebris infidelitatis viuentes blasphemauerunt, iam conuersi ad fidem, confitentes veritatem Dei, in pœnitentia erroris sui iustè dicunt. Peccaui in cœlum, & in te. Qui enim in cœlum peccat, quod & si supernum sit, tamen visibile & lunaticum est, ipse est qui peccat in hominem, quem suscepit filius Dei pro salute nostra. Proinde in patrem Deum omnia speculantem peccat. His igitur cogitatis, resipiscentem, & per confessionis humilitatem ex regione longinqua remeantem filium ad se videns pater, lætatus occurrit, amplectitur & osculatur. Apertè hic charitas in homines diuina describitur. Quid enim aliud est, quod occurrit, nisi quia nos peccatis impedientibus, nostra virtute ad Deum peruenire non poteramus. Ipse autem potens ad inualidos peruenire descẽdit: sicut & in Zachæo operibus ipsis significantibus ex- **D** primitur. Quod cum desiderasset videre Dominum, & ob **Luc. 19.** hoc in arborem conscendisset, præueniente Domino cõspicitur, & vocatur: & illico Dominus in domum eius ad conuiuandum ipse declinaturum se esse promittit. Vide quomodo credituri fidem prouidens Christus, latentem in arbore, quasi in peccatorum tenebris obumbratum, solicite, vt ouem perditam requirit aspectu, & venire cũctantem vocat, & venientem tanquam humeris suis suscipit, & non audentis inuitare Dominum, desiderantis tamen salutiferam benedictionem, peccatoris domũ ingreditur, conuiuiumque participat, ostendẽs visibili gratia visibilem sanctificationẽ: quia Deus sapientia familiariter cor credentis ingreditur, credentẽque participat sacramento: ergo occurrens pater filio reuertenti, superfunditur collo eius, & in eo lacrymans requiescit. Osculatur autem os eius, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat: quem pater lætus excepit. **E** Deinde mox iubet & stolam primam proferri, id est, pristinam gloriam, quam ex seductione diaboli nudatus amiserat, reddi: simul & annulum dari, siue signaculum salutatis symboli, seu magis desponsationis insigne, & nuptiarum pignus, illarum quibus Christus ecclesiã suam sponsat, cum omnis anima resipiscens per annulum fidei iũgitur Christo. Mandat & calceamenta pedibus apponi, aut propter cõmunienda vestigia ad currendam viam, vt per lubricum mundi istius iter fixus incedat, aut vt excluso in euãgelicis calceamẽtis carneæ contagionis luto, mundos pedes immaculata cõuersatione conseruet & dingat, aut propter mortificationem membrorum. Vitæ enim nostræ cursus in scripturis pes appellatur. Et mortificationis species calceamentum apponitur, quia de animalium mortuorũ pellibus conficitur. Addidit & vitulum saginatum iugulãdum in conuiuij exhibitione, sine dubio Dominum nostrum Iesum Christum, quem dedit pater in victimã pro salute nostra. Quem vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati. Saginatum autem verè dixit: quia **F** pinguis & optimus in tantum est, vt pro totius mundi salute sufficiens sit odorem suauitatis & nidorem immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare. Propter quod etiam mystica ratione dictum est, patrem dare aliis immolandum hunc vitulum, ipsumq; gaudere, & epulari in victima vituli sui. Sic enim dilexit pater hunc mũdum, vt filium eius vnicum pro salute sua daret. **Ioan. 3.** Non ergo Ipse immolauit, sed alijs immolandum tradidit, emittẽte enim patre, consentiens filius ab hominibus passus est. Ipse autem qui fide nostra pascitur, & filij sui pro nobis immolatione lætatur & gaudet, & in reditu filij sui gaudens creator, acquisitione populi credentis epulatur. Videns hinc lætitiam patris senior filius contristatur. Huius persona illis comparanda asscribitur operarijs, quis similiter in euangelio post operationem vineæ ad Dominum murmurant, quod illis tota die in operis labore cõfectis, illos quĩ ad duodecimam horam venerant, pretio mercedis ęquasset, ad quos dicit ipse conditor omnium. Si ergo ego bonus sum, quid tu malus? Quod autem hi sint, qui ad duodecimã venientes, qui ex gentibus saluabuntur, Ioannes aperte clamat. *Filioli nouissima hora est.* Nihil autem differre videtur vtrum duodecima, an nouissima hora dicatur. **Matth. 20** **1. Ioan. 2.** Qui sunt autem hi qui murmurant, qui laborem & æstũ **G** toto die portauerunt: nisi qui iustitias legis egerunt, & seruitutis antiquæ pensum reddiderunt? Vide autem quã aperta sint verba, quæ à patre dicũtur, vt ab his qui in lege vixerunt dicta videantur. Quid enim est quod de agro veniens dicit. Nisi significans de legis operibus veniẽtẽ, & in his gloriantem, & quasi diuturnos labores imputã- **Gal. 3.** tẽ. Vnde ait. Mandatum tuum nunquam præterui, & nõ dedisti hœdum pro me, vt epularer: hoc est, nec peccatorẽ pro nostra requie dedisti. *Qui* enim, inquit, *fecerit* quæ legis sunt, *viuet in eis*: qui non fecerit, punietur ex ipsis. Pro isto autem qui fornicatus est, etiam saginatũ, inquit illum vitulum dedisti, id est, filium tuum dilectum, sicu supra diximus. Sed quid ei respondet pater? *Tu semper mecum es, oportuit autem pro isto gratulari, qui perierat, & inuentus est: mortuus fuerat, & reuixit.* Ostendens in hoc verbo manifestè hominem, qui peccando vita exciderit, & obnoxius mortificatus fuerit: ex reuersione autem salutari per pœnitentiam in adoptionem filij redierit. **H** Bonum autem hominem qui manserit in bono, hæreditatem paternam iugiter possidere, itaque si peccaueris ô homo, festina liberando te reconciliari Deo, vt ex mercede sudoris & digna pœnitentia, recipias quod ex gratia donatum tibi perdidisti. Præstet autem Deus magis permanentes vos in fide cohæredes esse Domini nostri Iesu Christi: quia ipse est gloria & virtus, cum Patre & Filio & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum, Amen.

Primæ ferici Noni Tomi finis.



A NONI TOMI E

SECVNDA SERIES,

IN QVA ALIENA SVIS TITVLIS CONTINENTVR.

PAVLINVS SEBASTIANO EREMITÆ.



Ancto & merito dilectissimo
fratri Sebastiano, Paulinus &
B Therasia in Christo Domino
salutem. Benedictus est Domi-
nus Deus Israël qui elegit te, &
assumpsit in vas electionis suæ,
& segregauit ab vtero matris
antiquæ, & dedit tibi pennas
columbæ, vt ab huius seculi strepitu procul auolans di-
ceres *Ecce volaui fugiens, & mansi in solitudine.* Quasi so-
Psal. 54. litudo non tua sit: quæ non deserta est, sed secreta: & ab
huius mundi tenebris desolata, à Dei lumine frequente-
tur, & à dæmonibus furentibus fugiatur, atque ab ange-
lis & gaudentibus excolatur. Ipse Dominus Deus noster
donauit nobis, licet longo interuallo distantibus, appro-
pinquare tibi in dilectione per odorem bonum notitiæ
bonæ, quam per fratrem in Domino charissimum Victo-
rem accepimus: qui nobis & opus propositi tui, & secre-
C tum tabernaculi nunciauit: quia veterum sanctorum stre-
nuus æmulator, super torrentem tibi gratissimum: sicut
illi quondam filij prophetarum Eliseo duce super Iorda-
nem, pacificam mansionem & spiritualia castra posuisses:
& diaconus tibi frater benedictus Sareptanæ illius Suna-
mitidis obsequio ministraret. Beatus ille cui mandauit
Dominus, sicut vni volatilium cœli, vt te sicut Eliam ad
torrentem secreto sedentem, panibus pietatis pasceret: &
ad cellulam tuam assiduis super hac ministratione vesti-
gijs, velut ad arcam Noë fructiferum pij germinis ramum
afferens columba reuolaret. Benedicti vos à Domino, qui
facit vnius moris habitare in domo: & qui germanitatis
vinculum duplicauit in vobis: quos & in ecclesiæ vtero
fratres fecit, & sub vna fide, varijs distinxit officijs: vt sub
diuerso munere alter alterum pasceretis. Tu illum spiri-
D tualibus armis ieiunans & orans iuuares: & ille in te cæ-
lestia sibi bona fereret: dum carnalia tibi alimenta suppe-
ditat: non indigenti quidem pereuntis escæ sumptu: quia
fames tua iustitiam & regnum Dei esurit. Sed tamen idẽ
Dominus, qui fecit quod intus est, fecit quod foris est.
Matth. 10. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ideo vi-
uentem licet animam in verbo Dei, quod est Christus, qui
verus & vnius panis est, tali remuneratur obsequio: vt
corpori tuo, id est, terrenæ in te fragilitati seruiat cibis
modicis: & ipse ieiuniorum tuorum abundantia sagine-
tur. Ideo enim dixit: *Non in solo pane viuit homo: sed in* Matth. 4.
omni verbo Dei. Quia vt infirmioris substantiæ nostræ ra-
tionem ne esuriret habuit, perinde & carni panem neces-
sarium ipse creator ostendit. Sed ne corporis curam ani-
mæ præponeremus, quæ verbo Dei pascitur, non in solo F
pane victum hominis constitutum docuit: quem etsi ani-
mæ cura non quærat, tamen corporis natura deposcit.
Ideo benedictus ille, cui ad opes animæ proficit necessitas
conditionis tuæ. Quia adhuc homo, & isto visibili pane
pascẽdus es, & si interius æterno illo pane satureris. Non
enim proficeret spiritualis virtus, nisi subesset carnalis
infirmitas. Nec esset potens fidelium ministratio, nisi ma-
teriam ministrandi plerumque inopia fraterna præberet.
Vnde & Apostolus ait in sanctos compensationem fu-
turam, cum ecclesiam Dei ad consolationem istius bene-
dictionis hortatur, & dicit: *Abundantia vestra sit ad illo-* 2. Cor. 8.
rum inopiam. Et vt illorum abundantia vestræ inopiæ sup-
plementum fiat, adhuc audeo dicere, in vtroque vestrum
diuersa Ioannis & Domini forma consistit. Ioannis in
deserto vox clamantis: & Domini in templo docentis. Et
vnus vestrum in seruitutem ministerij vocatus est, alter Matth. 3.
in monachi libertatem. Sed vterique in vnum Dei regnum Luc. 2.
& gloriam conuocati, & ambo liberi, quia ambo sub gra- G
tia: & ambo serui, quia ambo sub lege fidei. Ambo liberi
à peccato, & ambo serui iustitiæ, & ambo in ieiunijs Do- Rom. 14.
mini diem sapitis, & ambo in epulis synceritatis Domino Psalm. 135.
gratias agitis, qui dat escam omni carni: & dat escam vi- Psalm. 145.
uam esurientibus veram vitam. Vnus vestrum audiuit vt
dicat. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentu-* Psalm. 42.
tem meam. Et alter ab eodem propheta didicit dicere.
Singulariter ego sum donec transeam. Ergo quia sic electi Psalm. 140.
estis & dilecti Domino: vt alter alterius onera portetis, & Gal. 6.
charitate perfecta qua inuicem vos pascitis, sustinetis, in- H
struitis, locupletatis, adimpletis legem Christi: orate pro
nobis, conserite validas orationum manus, vt superetis
multitudinem peccatorum nostrorum. Ob hoc enim mi-
sericors & miserator Dominus, peccatoribus sui sancto-
rum notitiam caritatemque procurat & donat, vt etiam
inexcusabiles reos præpotens aduocatio meritis damna-
tionis absoluat. Maneatis in regno Domini: quod intra Gal. 4.
vos fecit esse per inhabitantem in vobis arrabonem Spiri-
tus sancti, in quo clamatis *Abba pater.* Benedicti Domino
filij pietatis & pacis & luminis.

A

MARIANVS VICTORIVS

REATINVS, EPISCOPVS AMERINVS.

PIO ET ERVDITO LECTORI. S.

IN primam huius Voluminis classem, reiectæ fuerunt olim Epistolæ, quarum auctores ignorantur: In hanc secundam omnia illa opera, quæ propriis notata titulis, suos restantur scriptores. Hac in re nihil à nobis est immutatum. Præmonere tamen fideles homines placuit, Apologiam, quæ pro Origene statim sequitur, non esse Pamphili Martyris (vt falso antea ferebatur) sed Eusebij Cæsariensis, Ariani tunc hominis: Quam Pamphili nomine editam à Ruffino, vt facilius tali laudatore, impijssimi libri Origenis περὶ ἀρχῶν, Romanis auribus ingererentur, sæpe D. Hieronymus obiurgando contestatur. Quod vt omnibus verum esse appareat, ipsiusmet Hieronymi verba subijciemus. In epistola ad Pammachium, & Oceanum, de erroribus Origenis; quam inuenies secundo Tomo, ita de hac re scribit. Porro quod Pamphilum præferunt laudatorem eius, (scilicet Origenis) gratias illis ago meo nomine: quod dignum me putauerunt, quem cum martyre calumniarentur. Si enim ab inimicis Origenis libros eius dicitis esse violatos, vt infamarentur: quare mihi non liceat dicere, ab amicis eius, & sectatoribus compositum esse sub nomine Pamphili Volumen, quod illum testimonio martyris ab infamia vindicaret? Ecce vos emendatis in Origenis libris quod ille non scripsit: & miramini si edat aliquis librum, quem ille non edidit? Vos in edito potestis coargui: ille, qui nihil aliud edidit, facilius patet calumniæ. Date quodlibet aliud

B opus Pamphili, nusquam reperieritis: Hoc vnum est. Vnde igitur sciam, quod Pamphili sit. Videlicet stylus & saliua docere me poterit. Nunquam credam, quod doctus vir primos ingenij sui fructus, quæstionibus & infamiæ dedicarit. Et ipsum nomen Apologetici ostendit accusationem. Non enim defenditur, nisi quod in crimine est. Vnũ nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit: vel impudentis. Sexti libri Eusebij super Origenis defensione principiũ, vsque ad mille ferme versus liber iste, quæ Pamphili dicitur, cõtinet. Et in reliquis scriptor eiusdem operis profert testimonia, quibus nititur approbare Origenem fuisse catholicum. Eusebius & Pamphilus tantam inter se habuere concordiam, vt vnius animæ homines putes, & ab vno alter nomen acceperit. Quomodo igitur inter se dissentire potuerunt, vt Eusebius in toto opere suo, Origenem Ariani probet dogmatis, & Pamphilus Nicænæ Synodi, quę fuit postea, defensorẽ? Ex quo ostenditur vel Didymi, vel cuiuslibet alterius esse opusculũ: qui Sexti Libri capite detrũcato cætera mẽbra sociarit. Sed cõcedamus ex superfluo, vt Pãphili sit, sed necdũ martyris. Ante enim scripsit, quã martyriũ perpateretur. Et quomodo (inquies) martyrio dignus fuit? Scilicet vt martyrio deleret errorẽ, vt vnã culpã sãguinis sui effusione purgaret. Quãti in toto orbe martyres antequã cæderẽtur, variis subiacuere peccatis. Defendamus ergo peccata: quia qui postea martyres, prius peccatores fuerũt. Itẽ secũdo libro aduersus Ruffinũ. Docet ipsa præfatio, & Pãphili martyris librum pro defẽsione Origenis à se esse translatũ. Et hoc agis totis viribus vt cuius fidẽ martyr probat, Ecclesia non refutet. Sex libros (vt ante iam dixi) Eusebius Cæsariensis Episcopus, Arianæ quondã signifer factionis, pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus: & multis testimoniis approbauit, Origenem iuxta se catholicum, id est iuxta nos, Arianũ esse. Horum tu primũ librum vertis sub nomine martyris, paucisque testimoniis de filio Dei, & Spiritu sancto commutatis, qui sciebas displicitura Romanis, cætera vsque ad finẽ integra dimisisti. Hoc idẽ faciẽs in Apologia quasi Pãphili, quod & in Origenis περὶ ἀρχῶν translatione fecisti. Si iste Pamphili liber est, de sex libris, quis erit primus Eusebij? In ipso volumine, quod tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est: in secundo quoque & reliquis, dicit Eusebius, quid in primo libro ante iam dixerat, & quod eadem repetere non debeat. Si totũ

C opus Pãphili est, cur reliquos libros non trãsfers? Si alterius, cur nomẽ immutas? Taces, Ipsæ res loquũtur: Videlicet, vt crederẽt martyri, qui Arianorũ principẽ detestaturi erãt. Quid tibi animi fuisse dicã, amice simplicissime? te ne potuisse hæretici hominis libro martyris nomẽ imponere? & ignoras te sub auctoritate testis Christi: Origenis facere defensores? Pro eruditione, qua polles, & inclytus συγγραφεὺς in occidẽte laudaris, ita vt κορυφαῖον te oẽs tuæ partis nominẽt, nõ reorte ignorasse Eusebij σύνταγμα, & Pãphilũ martyrẽ nihil omnino operis cõdidisse. Ipse enim Eusebius amator, & præco, & contubernalis Pãphili, tres libros scripsit elegantissimos, vitã Pãphili continentes: in quibus cum cætera miris laudibus prædicaret, humilitatẽq; eius ferret in cœlũ, etiã hoc in tertio libro addidit. Quis studiosorum, amicus non fuit Pãphili? Si quos videbat ad victum necessariis indigere, præbebat large quę poterat. Scripturas quoque sanctas non ad legendum tantum, sed & habendum tribuebat promptissime; nec solum viris, sed & feminis, quas vidisset lectioni deditas: vnde & multos codices præparabat: vt cum necessitas poposcisset, volentibus largiretur. Et ipse quidẽ proprij operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos forte mittebat, in tantum se humilitate deiecerat: veterum autem tractatus scriptorum legebat studiosissimè, & in eorum meditatione iugiter versabatur. Defensor Origenis, & Laudator Pãphili, dicit Pãphilum nihil omnino scripsisse, nec proprij quidquã condidisse sermonis: & hoc dicit iã Pãphilo martyrio coronato: ne habeas suffragiũ post editos ab Eusebio libros hoc Pãphilum scripsisse, & reliqua plura. Itẽ in Tertio libro aduersus eundẽ Ruffinũ. De Pãphili libro non ridiculosa, vt tu scribis, sed ridicula mihi forte res accidit. Vt postquã Eusebij asseruerim illum esse, non Pãphili: ad extremũ dixerim, etiã me ante annos plurimos hoc putasse, quod Pamphili fuerit, & à te exemplar huius voluminis mutuatum. Vide quantum timeam cachinnos tuos: vt etiam nunc eadem ingeram. De tuo codice quasi Pamphili exemplar accepimus. Credidi

D christiano, credidi monacho. Non putaui tantum scelus à te posse confingi. Postea vero per interpretationem tuam, quæstione contra Origenem toto orbe commota, in quærendo exemplari diligentior fui; & in Cæsariensi bibliotheca Eusebij sex volumina reperi ἀπολογίας ὠριγένους. Quæ cum legissem, primum eum librum deprehendi, quem tu solus sub nomine martyris edidisti. De Filio, & Spiritu sancto in bonam partem plerisque blasphemiis commutatis. Et hoc vel Didymum, vel te, vel alium fecisse nescio quem, quod tu apertissimè in libris περὶ ἀρχῶν fecisse conuinceris: maximè cum idẽ Eusebius, vt iã duobus libris docui, scribat, Pãphilũ nihil proprij operis edidisse. Dic ergo & tu, à quo exemplar acceperis: nec mihi ad subterfugiẽdum crimen mortuos aliquos nomines, vt cum auctorem ostendere non poteris, illum proferas, qui non possit respõdere. Sin autem riuulus iste in tuis scriniis fontem habet: quid sequatur, etiam me tacente, non dubitas. Verum fac ab aliquo quopiã amatare Origenis, libri huius titulum, & auctoris vocabulum commutatũ: cur hoc in Latinam linguã vertis? Videlicet vt testimonio martyris, omnes Origenis scriptis crederent, præmissa munitione tanti auctoris, & testis. Nec tibi sufficit doctissimi viri Apologia, nisi scribas & proprium volumen pro defensione eius: quibus per multos disseminatis, tuto iam libros περὶ ἀρχῶν vertis è Græco: & hos ipsos præfatione commẽdas, dicens nonnulla in his ab hæreticis deprauata, quæ tu de aliorum librorum Origenis lectione correxeris. Item in epistola ad Ctesiphontem. Illã autẽ temeritatem, imo insaniam eius, quis digno posset explicate sermone? quod librum Sexti Pythagorici hominis absque Christo, atque ethnici, immutato nomine, Sixti martyris, & Romæ ecclesiæ Episcopi prænotauit: in quo, iuxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, &

de

A de eius dicũt esse substantia, multa de perfectione dicũtur: vt qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris nomine E
bibant de aureo calice Babylonis. Deniq; in ipso volumine, nulla Prophetarũ, nulla Patriarcharũ, nulla Apostolorũ,
nulla Christi fit mentio: vt Episcopũ, & martyrem sine fide Christi fuisse contendat: vnde & vos plurima cõtra ecclesiã
vsurpatis testimonia. Fecerat hoc & in sancti Pamphili martyris nomine, vt librum primum sex librorum defensionis
Origenis, Eusebij Cæsariẽsis, quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat, nomine Pamphili martyris prænotaret: quo
scilicet egregia illa quatuor Origenis περὶ ἀρχῶν volumina, Latinis infunderet auribus. Rursus decimo octauo capite
in cõmentarijs super Ezechielem. Pulchrè (inquit) in Sexti Pythagorici sententiolis dicitur. Adulter est vxoris propriæ
amator ardentior. Quem librum quidam in linguam Latinam transferens, martyris Sixti nomine voluit illustrare, nõ
considerans in toto volumine, quod in duas partes frustra diuisit, Christi nomen, & Apostolorum omnino reticeri.
Cum Eusebij quoque Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphili martyris vocabulo commutarit, vt facilius
tali laudatore, libros impiissimos περὶ ἀρχῶν Romanis conciliaret auribus. Rursus libro secundo aduersus Ruffinum.
Nunc tantum tuis assertionibus obuiasse sufficiat, & hoc breuiter prudentem instruxisse lectorem, me istum librum,
qui sub nomine Pamphili ferebatur, vidisse primum scriptum in codice tuo: & quia non erat mihi curæ, quid pro hæ-
retico diceretur, sic semper habuisse, quasi diuersum esset opus Pamphili & Eusebij: postea vero, quæstione mota,
scriptis eorum respondere voluisse; & ob hanc causam legisse, quid pro Origene vnusquisque sentiret; perspicueque
deprehendisse, quod primus liber sex voluminum Eusebij ipse esset, qui vnus sub nomine Pamphili à te editus est, tam
Græcè quam Latinè: immutatis dumtaxat sensibus de Filio & de Spiritu sancto qui apertam blasphemiam præfere-
B bant. Vnde etiam ante annos fermedecem, cum Dexter, amicus meus, qui præfecturam administrauit prætorij, me
rogasset, vt auctorum nostræ religionis ei indicem texerem; inter cæteros tractatores posui & hunc librum à Pamphi-
lo editum, ita putans esse, vt à te & tuis discipulis fuerat diuulgatum. Sed cum ipse dicat Eusebius, Pamphilum nihil F
scripsisse, exceptis breuibus epistolis ad amicos, & primus liber sex voluminum illius, eadem & eisdem verbis conti-
neat, quæ sub nomine Pamphili à te ficta sunt: perspicuum est, te idcirco librum hunc disseminare voluisse, vt sub per-
sona martyris hæresim introduceres, eumque de ipso libro quem Pãphili simulas multa peruerteris, & aliter in Græ-
co, & aliter in Latino sit: fraudem tuam errori meo imputare non debes, credidi enim eius esse librum, quem titu-
lus præferebat, sicut περὶ ἀρχῶν, & multa alia Origenis opera, plurimorumque Græciæ tractatorum, quę aut ante non
legi, aut nunc compellor legere, quæstione hæreseos suscitata; vt sciam, quæ vitare debeam, quæ probare. Hactenus
de Apologia Pamphilo martyri falso adscripta, ex ipso Hieronymo diximus. Quod autem Eusebius Cæsariensis, Aria-
nus fuerit. & si notius sit, quam prodi debeat, ipsum eundem Hieronymum audiamus. In epistola Pammachio, &
Oceano, qui est numero LXV. ita de hac re scribit. Fortissimos libros contra Porphyrium scribit Apollinarius: Eccle-
siasticam pulchrè Eusebius historiam texuit. Alter eorum dimidiatam Christi introduxit œconomiam. Alter impieta-
tis Arij apertissimus propugnator est. Item libro primo aduersus Ruffinum. Laudaui Eusebium in Ecclesiastica hi-
storia in digestione temporum, in descriptione terræ sanctæ: & hæc ipsa opuscula in Latinum vertẽs, meæ linguæ ho-
minibus dedi. Nunc ex eo Arianus sum, quia Eusebius, qui hos libros condidit, Arianus est. Item secundo libro ad-
uersus Ruffinum. Statim de portu egrediens, nauem impegit, referens enim de Apologia Pamphili martyris, quam
nos Eusebij, Arianorum principis probauimus: de qua dixerat, prout potuimus, vel res poposcit, Latino sermone di-
gessimus, intulit, &c. Et post pauca. Vir doctissimus Eusebius (doctissimum dixi, non catholicum: ne more solito mihi
& in hoc calumniam struas) per sex volumina nihil aliud agit, nisi vt Origenem suæ ostendat fidei, id est, Arianæ per-
C fidiæ, & multa ponit exempla: & hoc constanter probat. Tibi ergo in quo somnio Alexandrini carceris reuelatum est,
vt quæ ille vera profitetur, falsata confingas? Sed forsitan hic vt Arianus, ab hæreticis addita, in occasionem sui traxit
erroris: ne solus malè sensisse contra Ecclesiam putaretur. Quid respondebis pro Didymo, qui certè in Trinitate ca-
tholicus est? cuius etiam nos de Spiritu sancto librum in Latinam linguam vertimus. Explicans autem impias illius
hæreses, ita paulo superius ait. Dicit Eusebius, imo, vt tu vis Pamphilus, in isto volumine, Filij & patris ministrum Spi-
ritum sanctum non de eadem patris, filijque substantia: Animas hominum lapsas esse de cœlo, & in hoc quod sumus,
de angelis commutati, in restitutione omnium, æquales & angelos & dæmones, & omnes fore: & multa alia tam im-
pia, & nefaria, quæ etiam replicare sit criminis. Quid faciet assertor Origenis, & interpres Pamphili? Si in iis quæ e- G
mendauit tanta blasphemia est: in illis, quæ ab hæreticis falsata confingit, quanta sacrilegia continentur? Hactenus
Hieronymus. Reuertentem autem Eusebium ipsum postea ad sanam fidem, susceptum à synodo fuisse, idem Hiero-
nymus in libro contra Luciferianos his verbis aperit. Nam cum in synodo Nicæna, quæ propter Arianam perfidiam
congregata est, octo Episcopos Arianos susceptos sciamus, & Episcopus iam in mundo nullus sit, nisi quos synodus
illa ordinauit: quomodo potuerunt aduersum eam facere, propter quam exilium sustinuerunt? Lvc. d. An tandem &
tunc recepti sunt Ariani? quinam quæso? Ort. d. Eusebius Episcopus Nicomediensis, Theogonus Episcopus Nice-
nus. Saras presbyter Libyæ. Eusebius Episcopus Cæsareæ Palesthinæ, & reliqui, quos enumerare longum est. Hæc
Hieronymus. Noluisse enim Eusebium Nicenæ fidei subscribere, propterea que in exilium ablegatum, ex secundo
Tripartitæ historiæ libro apparet. Subscripsit tamen postremo pœnitentia ductus: proptereaque ab exilio reuocatus
D susceptus à synodo fuit, vt ea de re eodem proditur libro. Quod etiam apparet ex eius epistola ad Cæsarienses scripta.

IN APOLOGIAM H
EVSEBII CÆSARIENSIS
FALSO PAMPHILO ADSCRIPTAM,
pro Origene, Ruffini ad Macarium Procemium.



Ognoscendæ veritatis amore permotus, ô vir desideriorum Macari, iniungis mihi rem, quę tibi agnitæ veritatis gratiam conferat: mihi tamen non dubito quin offensam maximam comparet eorum, qui se læsos putant ab eo, qui de Origene non aliquid malè senserit. Et quamuis non meam de eo sententiam, sed sancti martyris Pamphili sciscitatus sis, & librum eius quem pro Origene in Græco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in Latinum: tamẽ non dubito futuros, qui & in eo læsos se putent, si nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen & ipsos deprecamur, nihil præsumpto vel præiudicato animo agere. Sed quoniam ad iudicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est, ne fortè ignorantes delinquant: considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christũ peccare est. Et ideo non accõmodent criminatoribus aurẽ suam: nec ab alio discant alterius fidem, maximè cum coram experiri sit copia: & oris sui cõfessio, quid vel qualiter vnusquisque credat,

A ostendat. Sic enim scriptum est. *Quia corde creditur ad iu-*
Rom 10. *stitiam, ore autem confessio fit ad salutem: & ex verbis suis*
vnusquique iustificabitur, & ex verbis suis condemnabitur.
Qualiter ergo sentiat Origenes de singulis, tenor libelli
huius edoceat. De his autem quæ apud eum contraria si-
bi inueninntur, quid causæ sit, in vltimo breui addita as-
sertione docuimus. Nos autem sicut traditum nobis est à
sanctis patribus, retinemus quod sancta Trioitas coæter-
na sit, & vnius naturæ, vniusque virtutis, & substantiæ, &
quod filius Dei in nouissimo tempore homo factus est: &
pro peccatis nostris passus est, & in ea ipsa carne, in qua
passus est, resurrexit à mortuis: propter quod & resurre-
ctionis spem bumano generi tribuit. Carnis vero resurre-
ctionem non per aliquas præstigias, sicut nonnulli calū-
niantur, dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nunc vi-
uimus resurrecturam, credimus: non aliam pro alia, nec
corpus aliud quam huius carois dicimus. Siue ergo cor-
B pus resurrecturum dicimus, secundum Apostolnm dici-
1 Cor. 15. mus (hoc enim nomine vsus est ille) siue carnem dicimus,
secundum rtaditionem symboli confitemur. Stulta enim
adinuentio calumniæ est, corpus humnanum aliud puta-
re esse quam carnem. Siue ergo caro secundum commu-
nem fidem, siue corpus secundum Apostolum dicitur
quod resurget: ita credendum est, sicut Apostolus defini-
uit: quia quod resurget in virtute, resurget & in gloria, &
incorruptibile resurget & spirimale corpus: quia corru-
ptio incorruptionem non possidebit. Saluis ergo his præ-
rogatiuis futuri corporis vel carnis: resurrectio carnis cre-
denda est integrè & perfectè, vt natnra carnis eadem ser-
uetur, & incorrupti ac spiritualis corporis status & gloria
non infringatur. Sic enim scriptum est. Hæc in Hieroso-
lymis in ecclesia Dei à sacerdote eius Ioanne prædican-
tur: hęc nos cum ipso & dicimus & tenemus. Si quis præ-
ter hæc vel credit vel docet, vel à nobis aliter credi quam
C exposuimus putat, anathema sit. Nostræ ergo fidei docu-
mentum, si quis habere vult, habeat ex his: siquidem aut
legimus, aut huius fidei nostræ facimus rationem secun-
dum Apostolum probantes omnia, quod bonum est te-
1. Tess. 5. nentes: ab omni specie mala nos abstinentes. *Et si qui hanc*
regulam sequuntur, pax super Israel Dei, Amen.

APOLOGIA EVSEBII CÆSARRIENSIS pro Origene, Ruffino Interprete, falsò antea Pamphilo Martyri adscripta.

NIhil mirum fratres videmini esse perpessi, qnod
ita vos Origenis subterfugit intellectus, vt vos
quoque æstimetis de illo, quæ & alij nonnulli. Qui siue
per imperitiam sui (quia non valent sensus eius altitudi-
nem contueri) siue prauitate mentis, qua studium gerunt,
non solum dicta eius incusare: verumetiam aduersus eos
qui hæc legunt, hostiles inimicitias sumere: tam pertina-
D citer id agentes, vt nulla prorsus venia eos dignos ha-
beri putent: ne ea quidem quæ impartiri solet, verbi
gratia, his qui Græcorum secularium libros, vel nonnun-
quam etiam hæreticorum percunctandi atqne cogno-
1. Tess. 5. scendi studio decurrunt: sibi solis scilicet concedi debe-
re peritiam probandi sermonis putant, vt si quid bene
ab aliquo dictum est retinere sciant: ab omni specie ma-
la abstinere se nouerint. Ab his vero qui Origenis libros
legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum,
quo probabiles iubentur effici trapezetæ, scientes quod
bonum est retinere: ab omni autem specie mala se absti-
nere: sed tantummodo si legere libros illius visus fuerit,
statim ab his hæreticorum perfundatur infamia. Deni-
que cum multis huius vitæ & religiosis proposito viris,
in quibus nihil prorsus culpæ inueniunt, inimicitias pro-
pter hoc solum habent: si eorum studia circa memorati
viri libros propensius esse perspexerint: inuidiosius e-
tiam ista fingentes, quod ab his in loco sanctorum apo-
stolorum vel prophetarum tam ipse quam dicta eius ha-
beantur. Sed de hoc certum non habeo, vtrum calum-
niandi voto tantummodo ista iactitent: & an verè ab
aliquibus simplicioribus & propensiori affectu diligen- E
tibus virum, aliquādo fortassis tale aliquid audierint. Nos
tamen perspectis frequenter his, quæ ab eo cum magno
timore Dei, & cum omni humilitate dicuntur: cum veniá
petit pro his quæ per nimiam discussionem, & multam
scrutationem scripturarum animo disputantis occurrūt:
quæ cum exponit, frequenter addere solet & profiteri, se
non hæc quasi diffinitiua pronunciare sententia, nec sta-
tuto dogmate terminare: sed inquirere pro viribus, & sē-
sum discutere scripturarum: nec tamen profiteri quod
integre perfecteque comprehenderit: suspicari magis se
de quamplurimis dicens: nec tamen certum esse, quia in
omnibns, qnod perfectum est, & integrum assecutus sit.
Sed & nonnunquam inuenimus eum de multis hæresi-
bus profitentem, in quibus ea quidem quæ in quæstionē
veniunt, mouet: nec tamen absolutiones eorum adiungit,
sed cum omni humilitate & veritate non erubescit fateri
sibi non liquere. Audiuimus etiam illud ab eo frequenter
intexi, quod hodie ne quidem isti imperitissimi omniū F
obtrectatores eius dicere dedignantur: vt si quis melius
de his locis quæ ille disseruit, dixerit vel exposuerit: illi
potius qui rectius dixerit, quam sibi auscultādum. Præ-
terea comprehendimus eum nunquam diuersas exposi-
tiones eisdem capitulis facere, & cum omni reuerentia,
quasi quis sciat se de sanctis scripturis dicere, cum multa
quæ sibi occurrerunt exposuerit: præcipit his qui legunt
probare de singulis quæ dixerit: & quod rectius prudens
lector iudicauerit, obtinere: profecto, quia nec ipsum la-
tebat, quod non omnia quæ mouerat vel discusserat, pro-
babilia vel fixa haberi deberent: pro eo quod multa my-
stica in scripturis sanctis, & in secreto recondita esse cre-
dantur: illud denique eius si intentius aduertamus, quam
integrè & catholicè de omnibus tractatibus suis in præ-
fatione eorum librorum quos in Genesim scribit, prote-
status est: omnem eius sensum ex hoc facile cognosce-
mus. Orig. Nisi omnimodo pigri essemus ac desides: ne
ad inquirendum quidem accedere Domino & saluatore
nostro ad hoc nos prouocante, profecto reuocassemus
pedem: considerantes quod longe simus ab ea magni-
tudine spiritualis intelligentiæ, quæ de tam magnis rebus G
inuestigari debeat intellectus. Pamph. Et paulo post ait.
Orig. Si cui vero in disceptatione profundum aliquid
occurrerit, de hoc quidem dicendum est: sed non cum
omni affirmatione. Hoc enim aut temerarij hominis est,
eius qui sensum humanæ infirmitatis perdiderit, oblitus-
que sui sit: aut certè perfectorum virorum, & eorum
qui confidenter se sciant ab ipso Domino Iesu didicisse,
id est, à verbo veritatis & ab ipsa sapientia, per quam om-
nia facta sunt, agnouisse: vel eorum qui diuina respon-
sa ingressi, turbinem & caliginem vbi ipse Deus est, cæli-
tus acceperunt: in quod vix ille Moyses ingressus, vel in-
telligere talia potuit, vel proferre. Nos vero pro eo solo
quod mediocriter licet: credimus tamen Domino Iesu,
& eius gloriamur esse discipuli: nec tamen audemus di-
cere, quod facie ad faciem ab ipso traditam susceperi-
mus intelligentiam eorum, quæ diuinis libris referuntur,
quæ quidem certus sum, qnod ne ipse quidem mundus
pro virtute ac maiestate sensuum capere potest. Propter
quod pronunciare quidem de his quæ dicimus, sicut A-
postoli potuerunt, non audemus. In eo autem gratias
agimus, quod cum multi imperitiam suam nesciant, H
& motus suos incompositos & inordinatos, interdum
etiam & ineptos ac fabulosos cum omni intentione, si-
cut sibi videtur, qnasi verissima assertione annuntient:
nos de rebus magnis, & his quæ supra nos sunt, ignoran-
tiam nostri non ignoramus. Pamph. Cum ergo hæc eum
de se dicere audiamus, & huiuscemodi mente ac vo-
to quæ dicit asserere, miramur in tantum temeritatis
aliquos esse profectos, vt qui se ita humiliat & iudi-
cat, astruant quod ab aliis dicta eius, vel libri pro ser-
monibus apostolicis, vel dictis propheticis habeantur:
aut quod ille ipse vel prophetis, vel apostolis ab ali-
quo comparetur. Et quidem quod & honore presbyterij
in ecclesia præditus fuerit, & vitam abstinentissimam

egerit,

A egerit, & valde philosophicam: quodque puræ religionis obseruauerit disciplinam, & præ cæteris verbo Dei & doctrinæ operam dederit, dubium non est, & ex his quæ ad nos laboris ac studij eius certissima designantur indicia: præcipuè vero per eos tractatus, quos pene quotidie in ecclesia habebat ex tẽpore: quos & describentes notarij ad monimentum posteritatis tradebant. Consequens igitur erat ex his omnibus, laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum: & neque defensionis studio plus dare ei meriti, quam mensura deposcit; neq; rursus obtrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab ecclesiastica doctrina temere pronunciare, cum vtrũq; istud præcipitiũ prouidens ante diuinus sermo prohibuerit, dicens. *Non sit in te mensura maior, neque mensura minor: abominabile est enim in conspectu domini vtrumque.* (Prou. 20. Ibid.) Vnicuique enim prout dignũ est retribuere, iustitiæ propriũ est. Propter quod & mensura integra, & pondus æquale, & acceptabile est apud Deum, non hoc quod mẽtitur veritatẽ: per quod vel plus donatur rebus quam merita deposcũt, vel subtrahitur meritis quod debetur. Quãto rectius agerent obtrectatores isti, si absque vlla animi præuentione cum omni religione veritatis, quam omnibus proximis nostris cum charitate iubemur expendere, intelligerent & ipsum vnũ de proximis esse, quibus charitatẽ ex mandato debemus: & assumptos libros eius legerent, cum ea venia, quam ipse in præfationibus suis deposcit, sicubi venia dignum aliquid inuenirent. Nunc vero B è contrario videas eos maledictis quidẽ probrisq; non parcere: eos vero qui scripturarũ intelligendarum secundum mandatum domini, & saluatoris nostri studium gerunt, à lectione librorum eius deterrere: quælibet alia etiam inepta, nihil profutura quam illius commentarios legi debere affirmantes, in quibus sæpe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam vt eorum contentiosa præsumptio, vel vt verius dicam, præiudicatrix vesania, facilius declaretur: accidere solet vel casu, vel interdum studio, vt nomine in codice non prætitulato, legatur aliquid ipsius in auribus obtrectatorum, quasi alterius tractatoris. Quod tamdiu placet & laudatur, atque omni admiratione habetur, quamdiu nomen non fuerit indicatum. At vbi Origenis cognita fuerint esse quæ placebãt, statim displicent, statim hæretica esse dicuntur: & ea quæ paulo C antea ad cœlum vsque ferebantur, iisdem vocibus, eademque lingua vsque ad inferos dimerguntur. Præterea etiã illud est inuenire, quod nonnunquam tales sunt accusantes eius, qui nec Græcam nouerint linguam: alij omnimodis imperiti, nonnulli etiam si aliquid videntur habere peritiæ, non tamen etiam studij habuisse inueniuntur, vt libris eius operam dederint: aut si acciderit vt etiam legerint, non continuo etiam tantæ eruditionis fuerint, vt altitudinem sensus eius assequi quiuerint, quo ea quæ ille diuerso prospectu pro locis & causis disserere solet, aduertere voluerint. Multos inuenies, quos si interrogas in quibus libris aut in quibus locis dicta sint hæc quæ arguunt, confitentur se quidem nescire ea de quibus affirmat nec legisse vnquam: audisse autem alios dicentes. Ex quo cuiuis plena ridiculi sententia eorum videbitur, cum de his iudicant, atque ea condemnãt, quæ nec discere D quidem prius, aut nosse potuerunt. In alios vero noui furoris morbus, & inaudita cladis incessit insania: cum tã multa eius volumina referta totius veritatis & instructionis habeãtur: & satis raro & perpauca forte loca sint, in quibus vel imperitiores quique, vel quod melius maliuoli posse sibi videantur offendi: omnia quidem illa quæ & catholica, & ad ædificationem animæ atq; sententiæ instructionem etiam ipsi apta fatentur, omittunt & negligunt: nec aliquid inde, vnde possunt & debent, proficere volunt: ea vero sola quæ ad calumniam proficiant, summo studio ediscunt, vt qui boni nihil vnquam fortè didicerint, hæc quæ ipsi non esse bona dicunt, apprime memoriæ retinenda commendant, quo videlicet promptius ea proferentes, exercitatius valeant concinnare calumnias. Aliud quoque est genus hominum fœdum sane & turpe, quantum ad probitatem pertinet morum: sed ad calumniandum vehemẽtius, & tertius ad incusandum, E quos Græci καταλαλοῦντες appellauerunt, qui summam quidem studium, sed & satis intentam operam libris eius dederunt, ita vt & magistro eo in omnibus vterentur, & se ei tanquam speciales discipulos manciparent. Sed vbi ad id loci ventum est, vt iam se magistros malint quam discipulos nominari, vbi auditoribus plausus sectari cœptus est: ibi si forte aliquis audientium, quæ laudantur Origenis esse obmurmurauerit, ne vel laude cedatur magistro, vel culpæ iudicio, alienum esse Origenem continuo protestantur: nihil sibi cum illius doctrina cõmune esse confirmant. Anathema quoque eum dicere non dubitant improbè & inferre maledicta non parcunt: ne illũ quidem apostolicum sermonem ferentes, quod designat: Quia *maledici regnum Dei non possidebunt.* In tantum autẽ (1. Cor. 6.) horum, de quibus diximus, progressa est malitia, vt quidam etiam conscribere aduersus eum ausi sint, & libellis editis derogare ei viro, qui per tot annos magister ecclesiæ fuit: qui in ecclesia senuit, qui aduersus eas hæreses, quæ illo tempore ecclesiã impugnabant, ita constanter, ita fortiter dimicauit, vt omnia eorum diabolicæ machinationis fundamenta subuerterit: non studiorum laborem, non continentiæ, non institutionis, non humilitatis, quæ supra cæteras omnes virtutes eius maximã gratiam continet, non illud certè considerantes quod presbyteri F dignitate in ecclesia honoratus est. Quæ si omnia ad reuocandam linguam, comprimenduumq; sermonem sufficere non possunt: illud saltem contemplari debuerant, quantã irridendi materiã gentilibus, quantam hæreticis tribuant: cum eos, quos assertores Christiani dogmatis & defensores putabant confutari nunc videant & repelli à propriis: & velut ciuili bello gaudeant impugnatũ, quem ipsi hostiliter impugnare non poterant. Quoniam ergo quam plurimi ex simplicioribus quibusq; fratribus à supradictis læduntur: non solum vt de ipso male sentiant, sed etiam de his qui studio scientiæ & intelligendarum scripturarum inter cæteros etiam libros, illius libros cõspiciunt, ita vt vos quoq; ipsi in dubium veneritis: ne fortè vt multitudini, vel auctoritati calumniatorum fides deberet adhiberi de his, quæ passim & sine respectu diffamantur, visum nobis est primum quidem curare suspicionem nostram, simul etiam per occasionem nostri, omnium qui ei obtrectant, confutare calumnias. Quod itã nobis prosequi rectius visum est, vt non nostris verbis & assertionibus defensionem pareremus: sed ex suis propriis vocibus, quib. ipse aliena hæc esse, quæ isti obiiciunt, pro- G prio sermone testatur, id est, omne quicquid præter catholicã fidẽ prædicatur: quia si nostris verbis hæc asserere velimus, suspitiosum forte videri possit, eo quod nos amore si quid ipse praue senserit celauerimus. Vbi autem eius ipsius, qui accusatur, vocibus, & ad omnes obiectiones accusatorum, verbis suis eum non nostra assertione defendimus: quæ vltra relinqui potest criminatoribus occasio, saltem his qui non veri studio, sed velut libidine quadam culpandi semper agitantur? Et quando nunc de eo sermo est, qui vtiq; apud homines defunctus est: quid apud homines iudices pro defuncto fortius & firmius valere debet, quam & literæ & scripta defuncti? Incipientes H igitur indiciis scriptorum suorum ostendere, quid de singulis senserit: ex his præcipuè libris testimonia cõgregabimus, quos accusatores eius quã maximè criminantur, id est, quæ per spatiũ & quietẽ in secreto conscripsit. Hæc enim asserũt maximè à prædicatione ecclesiastica discrepare: ex his præcipuè libris, quos περὶ ἀρχῶν attitulauit, In quibus quam plurima à calumniatoribus incusantur. In his ergo ipsis inter principia, quasi expositione fidei visus sit, proferemus: tum inde & ex his quæ sparsim vel per ipsos libros, vel cæteros sensit, assignabimus eum prædicationem apostolicam custodisse. Est ergo lectio ex primo περὶ ἀρχῶν quam promisimus, hæc Orig. Sicut enim multis apud Græcos & barbaros pollicentibus veritatem, desiuimus apud omnes eam quærere, qui eã falsis opinionibus asserebant: posteaquam credidimus filium esse Dei Christũ, & ab ipso nobis hanc discendã esse persuasimus: ita cum multi sint qui se putant sentire, quæ Christi sunt, & nonnulli eorũ diuersa prioribus sentiant: seruetur ve-

A ro ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, & vsque ad præsens ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. Illud tamen scire oportet, quoniam sancti apostoli fidem Christi prędicantes, de quibusdam quidem, quæcunque necessaria crediderunt, omnibus credentibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionem diuinæ scientiæ videbantur, manifestissimè tradiderunt, rationem solius assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui spiritus dona excellentia, & præcipue sermonis sapientiæ & scientiæ per ipsum Spiritum sanctum percipere merebantur. De aliis vero dixerunt quidem, quia sint, quomodo autem & vnde sint, siluerunt profecto, vt studiosiores quiq; ex posteris suis amatores sapientiæ & scientiæ exercitium habere possent, in quo ingenij sui fructum ostendere valerent, hi videlicet qui dignos se capaces sapientię præpararent. Species vero eorum quæ per prædicationem apostolicam manifestè traduntur, istæ sunt. B Primo, quod vnus est Deus, qui omnia creauit atq; composuit, quiq; ex nihilo esse fecit vniuersa, Deus à prima creatura omnium iustorum, & à conditione mundi, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim patriarcharum, Moysi & prophetarum: & quod hic Deus in nouissimis diebus, sicut per prophetas suos ante promiserat, misit dominum Iesum Christum, primo quidem vocaturum Israël, secundo vero etiam gentes: post perfidiam populi Israël, hic Deus iustus & bonus pater domini nostri Iesu Christi, legem & prophetas & euangelia ipse dedit, qui & apostolorum Deus est, & veteris ac noui Testamenti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse qui venit, ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cum in omnium conditione patri ministrasset, per ipsum namq; omnia facta sunt, nouissimis temporibus seipsum exinaniens, homo factus est. Incarnatus est cum Deus esset: & homo factus, mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natus ex virgine & C Spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Christus natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communi hac morte verè mortuus: verè enim à mortuis resurrexit, & post resurrectioné conuersatus est cum discipulis suis, & assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non iam manifeste discernitur verum natus sit, aut innatus. Pamphilus. Qui de nato, vel innato requirit, sine dubio creaturæ in eo nullam habet opinionem, alioquin & hoc adduxisset ad inquisitionem. Et adiungit Origenes: Vel filius etiam ipse Dei habendus sit, nec ne. Orig. Sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sancta scriptura, & sagaci perquisitione inuestiganda. Sane quod iste Spiritus sanctus vnumquemque sanctorum vel prophetarum, vel apostolorum inspirauit, & non alius spiritus in veteribus, alius vero in his qui aduentu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis prædicatur. D Post hæc iam quod anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabitur, siue æternæ vitæ, ac beatitudine hæreditate potitura, si et hoc sua gesta præstiterint: siue æterno igne ac suppliciis mancipanda, si in hæc eam scelerum culpa detorserit. Sed & quia erit tempus resurrectionis mortuorum, cum corpus hoc quod *in corruptione seminatur, surget in incorruptione*: & quod *seminatur in ignominia, surget in gloria*. (1. Cor 15.) Est & illud definitum in ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationabilem, liberi arbitrij & volũtatis: esse quoque certamen aduersus diabolum & angelos, eius contrariasque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant, nos vero si recte consulteq; viuamus, ab huiuscemodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere non nos necessitati esse subiectos, vt omnimodo etiamsi nolimus vel bona, vel mala agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, impugnare fortasse nos possũt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem, non tamen necessitate cogimur vel recte agere, vel male. Quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursus & motus causam dicũt humanorum esse gestorum, non eorum quæ extra arbitrij E libertatem accidunt, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate. De anima vero vtrũ ex semine traducis ducatur, ita vt ratio ipsius, vel substantia inserta ipsis corporalibus seminibus habeatur, an vero aliud habeat initium: & hoc ipsum initium si genitum est, aut non genitum, vel certe si extrinsecus corpori inditur, nec ne, non satis manifesta prædicatione distinguitur. De diabolo & angelis eius, contrariisque virtutibus, ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sint quidem hæc: quæ autem sint, vel quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod angelus fuerit iste diabolus, & apostata effectus quam plurimos angelorum secum declinare persuaserit, qui & nunc vsque angeli ipsius nuncupentur. Est præterea & illud in ecclesiastica prædicatione, quod mundus iste factus sit, & à certo tẽpore cœperit, & sit pro ipsa sui corruptione soluendus. Quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. F Non enim euidenter de his in ecclesiastica prædicatione sermo profertur. Tum deinde quod per spiritum Dei scripturæ conscriptæ sint, & sensum habeant non eum solum qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quam plurimos. Formæ enim sunt hæc quæ scripta sunt sacramentorum quorundam, & diuinarum rerum imagines. De quo totius ecclesiæ vnus est sensus, esse quidem omnem legem spiritualem, non tamen ea quæ spirat, lex omnibus esse nota, nisi his solis, quibus gratia sancti Spiritus in verbo sapientiæ ac scientiæ condonatur. Pamph. Et post pauca ait. Orige. Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione, esse angelos Dei quosdam, & virtutes bonas qui ei ministrarent ad salutem hominum consummandam: sed quando isti creati sint, aut quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur. De sole autem & luna & stellis, vtrum animantia sint, an exanima, manifeste non traditur. (Sap 6.) Oportet igitur, velut elementis ac fundamentis huiuscemodi vti secundum mandatum, quod dicit. Illuminate vobis lumen scientiæ, eum qui cupit seriem quandam & corpus ex horum omnium ratione conficere, G vt manifestis & necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, & vnum, vt diximus, corpus efficiat, exemplis & affirmationibus, vel his quas in sanctis scripturis inuenerit, vel quas ex consequentia ipsius indagine ac recti tenore repererit. Pamphil. Hæc quidem in principio primi libri περὶ ἀρχῶν disseruit, vt ostenderet quæ sint illa quæ manifeste in ecclesiastica prædicatione tradita sunt, & quæ sint quæ non aperte definiuntur. De quibus singulis secundum eam diuisionem quam supra ostendit, sparsim disputat. In reliquo vero corpore librorum, ea quidem quæ ex definito prædicari ab ecclesia supra docuit, omnibus adhibitis probamentis ex scripturis sanctis manifestius & constantius asserens. De his vero, de quibus ostendit non manifeste neque ex definito in ecclesia prædicati, opinionibus magis, & his sensibus qui disputanti & tractanti de talibus occurrere potuerunt, quam certis aliquibus ac definitis assertionibus vtitur, id est discutiens & pertractans potius quam affirmans. In omnibus tamẽ locis sermonis sui meminit eius, quem supra exposuimus, H cum ait, illam solam recipiendam & credendam esse veritatem, quæ in nullo apostolicis & ecclesiasticis dogmatibus aduersatur. Et non solum in his libris, quorum supra fecimus mentionem, sed & in omnibus quæ de scripturis exponit, hac sententia vti solet, & in his pręcipue, in quibus plures vnius capituli interpretationes exponit, hoc asserens, se quidem ne quid quod dici possit omitteret, plura vel diuersa, prout sentire potuit protulisse, illud autem teneri debere, quod apostolicus & ecclesiasticus lector probaret. Hoc idem facit etiam cum hæreticorum discurrit sectas, quibus omnibus confutatis atque victis, vnam solam eam, quã supra exposuit, catholicæ veritatis sententiam tenet. De quibus singolis qualiter responderit hæreticis, & quomodo vniuersa eorum dogmata destruens, ipse semper apostolicam confirmauerit fidem, si velimus omnes eius sententias congregare, & lon-

A & longum satis est, & erit tam nobis qui scribimus onerosum, quam legentibus tædiosum. Sed sufficit pauca proferri, in quibus omnium profectò facile dignoscentur iudicia. Neque enim contra domini seotentiam sentiendum est, vt qui in paucis inuenitur fidelis, non etiam (Matth. 25.) in multis & haberi debeat fidelis & credi. Primum ergo ex eis libris ponemus exemplum, quod illi superiori conuentat, ex eo libro quem in epistola Pauli Apostoli ad Titum scripsit, de eo capitulo, io quo dicit Apostolus. *Hæreticum hominem post trinam correptionem deuita, sciens* (Ad Tit. 3.) *quia peruersus est & peccat, qui est à semetipso damnatus*: de quo dixit, qualis sit qui hæreticos, & qualis sit qui catholicus est & ecclesiasticos. Origenes. Noman hæresis, quātum ego deprehendere potui, etiam in epististola Pauli Apostoli ad Corinthios, designatur hoc modo. *Oportet enim & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos.* Et (1. Cor. 11.) iterum ad Galatas, inter opera carnis, hæresis quoq; nomē ascribitur, sicut ait: *Manifesta autem sunt opera carnis,* (Gal 5.) *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dis-* B *cordiæ, hæreses, ebrietates, cōmessationes, & his similia, quæ & prædixi vobis: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Per quæ cognoscimos, quoniam sicut hi qui fornicationib. & immunditiis atque impudicitiis, & idolorū cultib. maculati sunt, regnū Dei non possidebunt ita, & hi qui in hæresim declinauerint. Neq; enim putādum est tanti apostoli tam absolutam sententiam posse vllo genere vacillare. Apostolus enim est omnium ecclesiarū Christi, *non ab homine, neque per hominem, sed per Iesum* (Gal. 1.) *Christum & Deum patrem* electus: propterea ergo secundum auctoritatem sentētiæ ipsius, oportet nos sicut reliqua omnia quæ numerauerat, ita nomeo hæresis deuitare, neque cum talibus orationis societate misceri. Pamp. Et post hæc paucis quibusdam per medium insertis adiecit. Orig. Quid vero sit hæreticus homo, pro viribus oostris, secundum quod sentire possimus, describamus. Omnis qui se Christo credere profitetur: & tamen alium Deum legis & prophetarum, alium euangeliorum Deum dicit, & patrem domini nostri Iesu Christi, non eum dicit esse, qui à lege & prophetis prædicatur, sed alium nescio quem ignotum omnibus atque omnibus auditum: huiusmodi homines hæreticos designamus, quamlibet C varius ac diuersis ac fabulosis concinnent ista figmentis, sicut sectatores Marcionis & Valentini & Basilidis, & (Marcionista. Valentiniani. Basilista. Ethmani. Apelliani.) hi qui se Ethnianos appellant: sed & Apelles, licet non omnibus modis Dei esse legem deneget & prophetas, tamen & ipse hæreticus designatur: quoniam Deum qui hunc mundum condidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum construxisse pronunciat: illum autem ingenitum Deum in consummatione seculi misisse Iesum Christum ad emendationem mundi, rogatum ab eo Deo qui eum fecerat, vt mitteret filiū suum ad mundi sui correctionem. Etsi quidem hic solummodo qui de Deo patre aliter seont quam regula pietatis exposcit: hæreticus habendus est, & sufficeret vtique quod superius dictū est: sed nunc vnum idemq; credendum est, etiam de eo qui de domino nostro Iesu Christo falsi aliquid senserit, siue D secundum eos, qui dicunt eum ex Ioseph & Maria natū, (Ebionitæ.) sicut sunt Ebionitæ, & Valentiniani: siue secundum eos qui primogenitum eum negant, & totius creaturæ Deū, & verbū & sapientiam, quæ est initium viarum Dei, antequā aliquid fieret ante secula fūdatam, atq; ante omnes colles generatam, sed hominem solum eum dicentes: vel secundum eos qui Deum quidem fatentur, non tamen hominem assumpsisse, id est, animā corpusq; terrenū, qui sub specie quasi amplioris gloriæ Iesu domino deferendæ, omnia quæ ab eo gesta sunt phantasticè magis quam verè gesta esse testantur: quiq; neq; de virgine natum testantur, sed triginta annorum virū apparuisse eum in Iudæa. Alij vero ex virgine quidem eum credunt esse progenitum, sed putasse se magis virginem peperisse, non tamen verè confirmant: latuisse quippe etiā virginem putatiuæ generationis asserunt sacramētum. Qui quomodo non longe ab ecclesia ponendi sunt, cum philargyriæ morbo languentes, dogmata statuerunt, quibus ab suum

E nomen discipulos declinarent? Sed & eos qui hominem dicūt dominum Iesum præcognitum & prædestinatum, qui ante aduentum carnalem substantialiter & propriè non extiterit, sed quod homo natus patris solam in se habuerit Deitatem, ne ipsos quidem sine periculo ecclesiæ numero sociari: sicut & illos superstitiose magis quam religiose, vti ne videantur duos Deos dicere: neque rursus negare saluatoris Deitatem, vnam eandéque substātiā patris ac filij asseuerant, id est, duo quidem nomina secundū diuersitatē causarum recipientem, vnam tamen hypostasin subsistere, id est, vnam personam duobus nominibus subiacentem, qui Latinè Patripassiani appellan- (Patripassiani.) tur. Sed & sunt qui Spiritum sanctum, alium quidem dicant esse qui fuit in prophetis, alium autem qui fuit in apostolis domini nostri Iesu Christi: vnum atque idem delictū impietatis admittunt, qui quantum in se est naturā deitatis secant & scindunt, dicentes vnum legis & aliom euangeliorum Deum. Sed & illi qui non omnes humanas animas vnius eiusdéque dicūt esse substantiæ, sed diuersas naturas animarum, inter eos hæreticos numeran- F di sunt, qui iniquitatem in excelso loquuntur, ac iniustitiam iniquitatemque eius accusant. Necnon & illi qui (Psalm. 72.) liberi arbitrij potestatem ex animabus auferre nituntur, velut perniciosō dogmate communi humanæ vitæ & virtuti continentiæ, labem quandam inferri iudicandi sunt: ne humani propositi reputetur bonum quid vel facere, vel dicere, vel sentire, ex quo ad contemptum, aut negligentiam diuini iudicij mens humana formabitur. Sit autem in ecclesiastico ordine, etiam de peccatorum suppliciis fides, & de his qui præmia bonæ conuersationis & vitæ io regno domini iusto eius iudicio recepturi sunt. Si quis ergo horum aliquid quæ supra exposuimus, commutare vel subuertere conatur, velut peruersus & à semetipso damnatus, secundum sententiam apostoli, etiam à nobis præcepto obsequentibus eius, similiter habendus est. Designat autem ecclesiasticum virum cum omnibus quæ supra exposuimus, etiam de mortuorum resurrectione fides, de qua sanctus apostolus Paulus ita pronunciat. Quia si qois negat resurrectionem mortuo- (1. Cor. 15.) G rum, consequens est vt Christi resurrectionem neget. Habentur nihilominus in ecclesiastico ordine etiam de diabolo rationes, & de omni exercitu eius, quod agones quosdam & certamina aduersus omnes homines, præcipuè tamen aduersus eos, qui credunt in Christum Dominum Iesum mouent, & quod necessitatem quidē imponere peccandi per agones & certamina non valent: persuadere tamen & decipere ad subuersionem possunt eos, qui non omni custodia sua corda præmuniunt. Habendum est autē in ecclesiasticis obseruationibus, qood neque hominum quis à Deo in perditionem traditus est: sed vnusquisque pereuntium sua negligentia pereat & culpa, qui habens arbitrij libertatem, eligere quod bonum est & potuit, & debuit. Quod etiam de ipso diabolo sentiendum est, qui in conspectu domini omnipotentis describitur restitisse & deseruisse statum suum in quo fuerat immaculatus. Qui vtique potuisset in hoc statu in quo ab initio fuit, vsque in finem perseuerare si voluisset. Designatus, vt arbitror nobis est, prout potuimos, & descriptus qois & qualis esset hæreticus, & quæ vel in H quibus eorum dogmata falsæque opiniones habeantur, & quæ sit ecclesiasticæ obseruantiæ portas. Pamp. Et post pauca addit hæc. Orig. Requisierunt sanè quidam: vtrum hæresim aut schismata oporteat vocari eos qui Cataphrygæ nominantur, obseruantes falsos prophetas, & (Cataphrygæ.) dicentes. Ne accedas ad me, quoniam mundus sum. Non enim accipio vxorem: ooo est sepulcrum patens guttur meum: sed sum nazaræus Dei, non bibens vinum sicut illi. Pamp. Istæ voces sunt eius, qui velut hæreticus accusatur, & corruptio & perditio animarum, ab his qui nequaquam ostium ori suo & claustra labiis suis imponere à propheta didicerunt. Quæ quidem non in publico ab eo dicta sunt, id est, in communi ecclesiæ (Eccle. 28.) auditorio, ne fortè putetur propter audientes fauorabilem aptasse sermonem: sed ex illis hæc libris protulimus, quos in secreto apud semetipsum, nullo ar-

A

ORIGENES.

DE EO QVOD NON SIT PATER antequam filius, sed coæternus sit Filius Patri. In Libro primo de Genesi.

NOn enim Deus, cum prius non esset pater, postea pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus ex causis, quibus homines mortales impediri solent: vt non statim ex quo sunt & patres esse possint. Si enim profectus est Deus semper, nec deest ei virtus qua pater sit, & bonum est esse cum patrem talis filij: quid differt, aut quare hoc bono fraudat se, vt non statim si ita dici potest, ex quo potest esse pater, efficiatur pater? Idipsum autem etiã de Spiritu sancto dicendum est. Pamph. Aliud quoque testimonium de eadem re ex libris epistolæ ad Hebræos. Orig. Lux autem æterna quid aliud sentiendum
B
est quam Deus pater: qui nunquam fuit quando lux quidem esset, splendor vero ei non adesset? Neque enim lux sine splendore suo vnquam intelligi potest: Quod si verum est, nunquam est quando filius non fuit. Erat autem non sicut de æterna luce diximus, ne duo principia lucis videamur inducere: sed sicut ingenitæ lucis splendor, ipsam illam lucem initium habens ac fontem. Natus quidẽ ex ipsa, sed non erat quando non erat. Pamp. Aliud testimoniũ de eadem re de libris epistolæ ad Romanos. Orig. Quod promiserat, inquit, per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est secundum carnem ex semine Dauid. Factus est quod ante non erat. Manifestum est enim quia secundum carnem non erat prius, secundum spiritum vero erat ante, & non erat quando non erat.

ORIGENES.

ITEM IN PRIMO PERI ARCHON. quod extra vllum initium est generatio filij Dei.

C

SI ergo semel rectè receptum est vnigenitum filium Dei, sapientiam eius esse substantialiter subsistentem: nescio si vltra iam euagari sensus noster debeat ad suspicandum, ne forte ipsa substantia eius corporeum aliquid habeat: cum omne quod corporeum est, vel habitu, vel colore, vel magnitudine designetur. Et quis vnquam sani sensus, habitum vel colorem, aut mensuræ magnitudinẽ in sapientia requisiuit, in eo quod sapientia est? Quomodo autem extra huius sapientiæ generationem fuisse aliquando Deum patrem, vel ad punctum momenti alicuius, potest quis sentire, vel credere: qui tamen pium aliquid de Deo intelligere nouent, vel sentire? Aut enim non potuisse Deum dicit generare sapientiam antequam generaret, vt eam quæ non erat, postea genuerit vt esset: aut potuisse quidem, & (quod nec dici de Deo quidem fas est) noluisse generare. Quod vtrumque & absurdum
D
esse & impium omnibus patet: id est: non ex eo quod non potuit Deus perficere vt posset, & ex eo cum posset, dissimularet generare sapientiam. Propter quod nos semper nouimus Deum patrem vnigeniti filij sui ex ipso quidem nati, & quod est ab ipso trahentis: sine vllo tamen initio, non solum eo quod aliquibus temporum spatiis distingui potest, sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam mens intueri solet: & nudo (vt ita dixerim) intellectu atque animo conspicari. Extra omne ergo quod vel dici vel intelligi potest initium, generatam esse credendum est sapientiam. Pamph. Aliud testimonium de eisdem. Orig. Qui autem initium dat verbo Dei, vel sapientiæ Dei, intuere ne magis in ipsum ingenitum patrem impietatem suam iactet: cum eum neget semper patrem fuisse & genuisse verbum: & habuisse sapientiam anterioribus vel temporibus vel seculis, vel si quid aliud est quod nominari potest. Pamph. Item, aliud testimonium de eisdem. Orig. Efficitur ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, vt ait sermo scripturæ, vapor quidam primæ & ingenitæ virtutis Dei: hoc quidem quod est inde trahens: non est autem quando non
E
fuerit. Si enim quis voluerit dicere, quasi prius non extiterit, sed postea ad subsistentiam venerit: dicat causam quare qui eam substituit pater, ante hoc non fecerit. Quod si aliquod semel initium dederit, quo vapor iste ex Dei virtute processit, iterum interrogabimus: Quare non & ante illud quod dixit initium? Et ita semper de anterioribus inquirentes, & verbo interrogationis ascendentes, peruenimus ad illum intellectum: vt quoniam semper & poterat Deus & volebat, nunquam vel decuit, vel aliqua causa existere potuit, vt non bonũ hoc quod volebat, semper habuerit. Ex quo ostẽditur semper fuisse vaporem istum virtutis Dei, nullum habentem initium nisi ipsum Deum. Neque enim decebat aliud ei esse initium nisi ipsum vnde est & nascitur Deum. Secundum 1.Cor. 1.
Apostolum vero dicentem: quia Christus *Dei virtus est*: iam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. Pamp. Item aliud testimoniũ de eisdem. Orig. F
Sempiternum vel æternum propriè dicitur quod neque initium vt esset habuit, neque cessare vnquam potest esse quod est. Hoc autem designatur apud Ioannem, cum dicit. *Quoniam Deus lux est*. Splendor autem lucis eius sapientia sua est: non solum secundum quod lux est, ita vt æternitatis splendor sit sapientia sua. Quod si integrè intelligatur, manifestè declarat, quia sustinentia filij ab ipso patre descendit, sed non temporaliter, neque ab vllo alio initio, nisi (vt diximus) ab ipso Deo. Pamph. Itẽ aliud testimonium de libro primo. Orig. Infandum autem est & illicitum, Deum patrem, generationem filij sui vnigeniti atque substantiæ eius, exæquare alicui vel hominum vel aliorum animantium generationi: sed necesse est exceptum aliquid esse & Deo dignum, cuius nulla prorsus cõparatio non in rebus solum, sed ne in cogitatione quidẽ vel sensu inueniri potest: vt humana cogitatio possit apprehendere quomodo ingenitus Deus efficitur pater vnigeniti filij. Est namque ita æterna ac sempiterna generatio, sicut splendor generatur ex luce. Non enim per adoptionem spiritus, filius fit extrinsecus: sed natura filius est. Pamp. Item de eodem aliud testimonium Orig. Videamus ergo quid sit saluator noster. Splendor dicitur etiam gloriæ, id est, splendor luminis æterni. Et certum est, quia splendor ex lumine inseparabiliter generatur: & donec permanet lux, permanet semper & splendor. Saluator ergo noster, qui sapientia est: sapientia autem Dei ipsa est splendor æternæ lucis: inseparabiliter & indesinenter generatur ex patre. Sic enim & ipsa de se sapientia per Salomonem dicit. *Ante omnes colles generat me.* Non enim dixit, ante omnes colles genuit me, sed generat me, in quo significantia sempiternitatis est.

Ioan. 1.
G
Heb. 1.
Prou. 8.

IN LIBRO SECVNDO DE SPIRITV SANCTO.

TEmpus est nunc, nos pro viribus nostris de Spiritu sancto pauca disserere, quem Dominus & saluator noster in euangelio secundum Ioannem paracletum nominauit. Sicut enim idem ipse Deus, atque idem ipse Christus: ita idem ipse & Spiritus sanctus est, qui & in prophetis & apostolis fuit: id est, siue in illis qui ante aduentũ Christi Deo crediderunt: siue in illis qui per Christum confugerunt ad eum. Et duos quidem deos audiuimus ausos esse hæreticos dicere, & duos Christos: duos autem Spiritus sanctos nunquam audiuimus ab aliquo prædicari.

Ioan 14. 15. & 16.
H

QVOD EADEM SIT INCONVERTIbilitas Spiritus sancti, quæ & Patris & Filij. De lib. 1. Peri archon.

NVlla ergo natura est secundum quod nos sentimus, quæ non possit recipere malum: idcirco non confirmamus omnem naturam recepisse malum, id est, malam effectam: sed sicut est dicere, quia omnis hominis natura recipit, vt possit nauigare, non tamen ex eo etiam omnis homo nauigauit: & iterum omni homini pos-

A sibile est discere artem grammaticam vel medicinam, non tamen idcirco ostenditur omnis homo vel medicus esse, vel grammaticus: ita si dicimus nullam esse naturam, quæ non possit recipere malum, non tamen continuo recepisse etiam malum designatur: & rursum nulla creatura est, quæ non recipiat bonum, nec tamen idcirco omnis natura probatur recepisse quod bonum est. Páph. Et post pauca addidit. Orig. Nulla ergo natura est, quæ nõ recipiat malũ, excepta Dei quæ fons omniũ est. Et Christus sapientia est: & sapientia vtique recipere stultitiã non potest. Et iustitia est, iustitia autem nũquam profecto iniustitiam capiet. Et verbum est vel ratio, quæ vtique irrationabilis effici non valet. Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebræ non comprehendunt. Similiter autem & natura Spiritus sancti, quæ sancta est, non recipit pollutionem. Nattaliter enim vel substantialiter sancta est.

B Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac, vel inspiratione Spiritus sancti habet vt sanctificetur, nõ ex sua natura hoc possidens, sed accidens: propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & iustitiam accidentem quis habere potest, vnde & decidere eã possibile est. Sed & sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quamuis in nostra potestate sit positum, & studio nostro, & vitæ merito, si sapientiæ operam demus, effici sapientes, & si semper id studij geramus, semper sapientiæ participemus: & id nobis vel plus, vel minus accidat, vel pro vitæ merito, vel pro studij quantitate.

QVOD ÆQVALIS SIT TRINITAS, & quod spiritus non sit creatura.

De lib. 1. Peri archon.

DE Spiritu sancto quia est, multæ nos scripturæ docuerunt: sicut Dauid in quinquagesimo psalmo dicit. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Et in Daniele dicitur. *Spiritus sanctus qui est in te.* In nouo vero testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super Christum descendisse perscribitur, & cum ipse dominus insufflauit in apostolos post resurrectionem, dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Et ad Mariam dicitur ab angelo. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Paulus vero docet, quia nemo potest dicere dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Et in actibus Apostolorum per impositionem manuum apostolicarum, Spiritus sanctus, dabatur in baptismo. Ex quibus omnibus discimus tantæ & auctoritatis & dignitatis substantiam Spiritus sancti, vt salutare baptisma non aliter nisi excellentissimæ omniũ Trinitatis auctoritate, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognominatione compleatur, & innato Deo Patri, & vnigenito eius filio, nomen quoque Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat quanta maiestatis sit Spiritus sancti, cum eum qui dixerit verbum in filium hominis audiat veniã sperare posse: eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, veniam non habere, neque in præsenti sæculo, neque in alio futuro? Pamph. Et post pauca adiecit. Orig. Veruntamen vsque ad præsens nullum sermonẽ in scripturis sanctis inuenire potuimus per quem Spiritus sanctus factura esse, vel creatura diceretur. Pamph. Et insertis compluribus testimoniis de virtute Spiritus sancti, post aliquanta etiã hæc adiecit. Orig. Si reuelante filio cognoscit patrem Spiritus sanctus: ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod vtique & impium pariter & stultum est, Spiritum sanctũ confiteri, & ignorantiam ei asscribere. Non enim cum aliud aliquid esset anteaquam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc, vt esset Spiritus sanctus: vt quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat patrem: postea vero quam recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam vtique in vtiitate Trinitatis, id est, Dei patris inconuertibilis, & filij eius etiam ipse Spiritus sanctus haberetur, nisi quia & ipse semper erat Spiritus sanctus. Pamph. Et post pauca adiecit. Orig. Rectum tamen videtur inquirere quid causæ sit, quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet & Patre & Filio & Spiritu sancto: non percepturus salutem, nisi sit integra Trinitas: nec possibile est participẽ fieri Patris, & Filij sine Spiritu sancto. De quibus discutientes, sine dubio necessarium erit, vt operationem specialem Spiritus sancti, specialem Patris ac Filij describamus. Arbitror ergo operationem quidẽ esse Patris & Filij tam in sanctis quam in peccatoribus, irrationabilibus hominibus, & in mutis animalibus: sed & in his quæ ex anima sunt, & in omnibus omnino quæ sunt: operationem vero Spiritus sancti nequaquam prorsus incidere, vel in ea quæ exanima sunt, vel in ea quæ animantia quidem, sed muta sunt. Sed ne in illis quidem inueniri qui rationabiles quidẽ sunt: sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conuersi. In illis autem solis arbitror opus Spiritus sancti, qui iam se ad meliora conuertunt, & per vias Iesu Christi incedunt, id est, qui sunt in bonis actibus, & in Deo permanent. Quoniam autem operatio F
Patris & Filij est, & in sanctis & in peccatoribus manifestatur ex eo quod omnes rationabiles sunt verbi Dei, id est, rationis paticipes, & per hoc velut semina quædã insita sibi gerunt sapientiæ & iustitiæ, quod est, Christus. Sed & hoc ipsum quod est & permanet omnis creatura, & operatio est Dei patris qui dixit. *Ego sum qui sum*, quæ Exod. 3
peruenit super omnes. Ipse est enim *qui solem suum oriri iubet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Matth. 5
Pamph. Et post multam de patre & filio per scripturarũ exempla assertionem, addidit hanc Orige. Spiritus vero sancti participationem à sanctis tantummodo haberi inuenimus: propter quod dicitur. *Nemo potest dicere domi-* 1. Cor. 12.
nus Iesus nisi in Spiritu sancto. Et vix aliquando ipsi Act. 1.
apostoli digni habẽtur audire, Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos. Propter quod consequẽs esse puto, quia qui peccauerit in filium hominis, venia dignus est, pro eo quod is qui verbi vel rationis est particeps, si desinat rationabiliter viuere, videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, & propter hoc veniam promereri: qui autem iam dignus habitus est sancti Spiritus participatione & retro fuerit conuersus: hic re ipsa & opere blasphemasse dicitur in Spiritum sanctum.

QVOD SICVT PATER NOVIT initia omnium quæ sunt & finis, sic & Filius, sic & Spiritus sanctus sciat. G

PAulus Apostolus per Spiritum sanctum, qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinem diuitiarum sapientiæ ac scientiæ Dei scrutans: nec tamen ad finem, vt ita dixerim, ad intimam cognitionem præualens peruenire: desperatione rei & stupore proclamat & dicit. *O al-* Rom. 11
titudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Et quod desperatione perfectæ comprehensionis hæc exclamauerit, audi ipsum dicentem: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & quã inuestigabiles viæ eius?* Non enim dixit difficile posse scrutari, sed omnino non posse iudicia Dei: nec dixit, difficile inuestigari posse & vias eius, sed non posse inuestigari. Quantumcunque enim quis scrutãdo promoueat, & studio interiori proficiat, gratia quoque Dei adiutus, sensuque illuminatus ad perfectum finem eorum quæ requiruntur peruenire non poterit: nec omnis mens quæ creata est, possibile habet vllo genere comprehendere: sed cum inuenerit aliquantulum ex his quæ quæruntur, iterum videt alia quæ quærenda sunt. Quod si & ad H
ipsa peruenerit, multo iterum plura ex illis quæ quæri debeant, peruidebit. Propter quod sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam contuens ait. Dixi Eccles. 7
sapiens efficiar: & ipsa sapientia longe facta est à me, longe plus quam erat: & altitudinem profundam quis inueniet. Sed & Esaias sciens rerum initia à natura mortali inueniri non posse: sed ne ab his quidem naturis, quæ Esa. 41.
quamuis diuiniores sint, quam humana est: factæ tamẽ & ipsæ sunt vel creatæ. Sciens ergo quod à nullo harum neque initium, neq; finis inueniri potest, ait. *Priora quæ fu-* Esa. 6
erunt dicite, & sciemus quia dij estis: vel nouissima quæ sunt annũciate, & tunc videbimus quod dij estis. Nã & Hebræus doctor tradebat, pro eo quod initia omnium, vel finis

non

A non possent ab vllo comprehendi, nisi tantummodo à domino Iesu Christo, & à Spiritu sancto: idcirco aiebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos Seraphim solos esse, qui *duobus* quidem alis *operiunt faciem Dei*, *duabus vero pedes*, & *duabus volare eos*, & *clamantes ad inuicem sibi dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus Sabaoth: plena est terra vniuersa gloria tua.* Quod ergo sola Seraphim vtrasque alas suas habent in faciem Dei & in pedibus eius, videndum est pronunciare, quod neq; exercitus sanctorum angelorum, neq; sanctæ sedes, neq; dominationes, neq; principatus, neq; potestates scire possunt integre initium omnium & finem vniuersitatis. Sed intelligendum est sanctos istos quos numerauerimus, spiritus & virtutes, proximas quidem esse ipsis initiis: & attingere tantum, quantum consequi non valent reliqui. Veruntamen quantumcunque illud est, quod reuelante filio Dei B ac Spiritu sancto didicerunt istæ virtutes, quæ plurima quidem assequi poterunt, & multo plura priores inferioribus: omnia tamen comprehendere impossibile eis est: quia scriptum est. Quam plurima ex operibus Dei in secretis sunt. Eccl. 3. Sec. 70. Phil. 3. Vnde & optabile est, vt pro viribus se vnusquisque extendat semper ad ea quæ priora sunt, ea quæ retro sunt obliuiscens: tam ad opera meliora, quam etiam ad sensum intellectumque puriorem, per Iesum Christum saluatorem nostrum: cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

ORIGENES.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

IN omni orbe terrarum, in omni Græcia atque exteris nationibus, innumeri sunt & immensi, qui relictis patriis legibus, & his quos putabant Deos, vel obseruantia C Moysi legis: in discipulatum se Christi cultumque tradiderunt: & hoc non sine ingenti odio eorum qui simulacra venerantur: ita vt ab his frequenter & cruciatibus affligantur, nonnunquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen, & cum omni affectu custodiunt doctrinæ Christi sermonem. Et est videre quomodo breui tempore ipsa religio creuerit, pœnis multorum mortibusque proficiens: sed & bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictionum genere tolerato. Et eo maximè mirum est, quod ne doctores quidem ipsi, vel satis idonei sunt, vel satis plures. Prædicatur tamen sermo iste in omni orbe terrarum: Rom. 1. ita vt Græci ac barbari, sapientes & insipientes, religionem Christi, siue Christi doctrinam suscipiant. Ex quo dubium non est, non hæc humanis viribus aut operibus agi, vt cum omni potestate ac persuasione sermo Iesu Christi, apud omnium mentes atque animos inualescat. Nam & prædicta esse ab eo hæc ipsa, & diuinis ab eo responsis confirmata, manifestum est cum dicit. Matt. 10. Quia *apud præsides & iudices adducemini propter nomē meum in testimonium illis & gentibus.* Et iterum. Matt. 7. *Multi mihi dicent in illa die, domine domine: nonne in nomine tuo manducauimus & bibimus,* D *& in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et dicam illis. Discedite à me operarii iniquitatis, nunquam cognoui vos.* Quæ si ita quidem dicta ab eo fuissent, nec ad finem tamen ea quæ prædicta sunt, peruenissent, fortassis minus esse vera viderentur, nec habere aliquid auctoritatis. Nunc vero cum iam in effectum res quæ a fuerant ab ipso prædictæ perueniant: cum tanta autem potestate atque auctoritate prædicta sint: manifestissimè declaratur Deum vere esse, qui homo factus, salutaria præcepta humilibus tradidit. Quid vero inde dicendum est, Gen. 49. quod prophetæ de ipso ante prædixerunt, non cessaturos principes ex Iuda, neque duces de fœmoribus eius, vsquequo veniat ille, cui repositum est regnum scilicet, & vsquequo veniat expectatio gentium? Manifestissimè enim ex ipsa historia apparet, & ex his quæ hodie peruidentur: quia ex temporibus Christi vltra reges apud Iudæos non extiterunt. Sed & omnes ambitiones illæ Iudaicæ, in quibus iactantiæ quam plurimum gerebant, & in quibus gloriabantur: id est, vel de templi decore, vel de altaris insignibus: atque omnibus illis sacerdotalibus infulis, indumentisque pontificum, simul vniuersa destructa sunt. E Completa est enim prophetia, quæ dixit *Per dies multos sedebunt filii Israel sine rege & sine principe*: Osee 3. nec est sacrificium, neque altare, neque sacerdotium. Ex quo vtique subuersum est templum, nec hostiæ offeruntur, nec altare inuenitur, nec sacerdotium constat: certissimum est defecisse principes ex Iuda, sicut scriptum est. Gen. 49. *Et ducem ex fœmoribus eius, vsquequo veniat ille cui repromissum est.* Constat ergo quia venit ille cui repositum est. Quod manifestè videtur impletum de multitudine eorum, qui per Christum Deo ex diuersis gentibus crediderunt. Sed & in Deuteronomii cantico per prophetiam designatur, pro peccatis prioris populi futura esse electio insensatæ gentis, non alia vtique quam hæc quæ per Christum facta est. Deut. 32. Sec. 70. Sic enim ait. *Exacerbauerunt me in simulacris suis: & ego in zelo concitabo eos.* Est ergo satis euidenter agnoscere, quemadmodum Hebræi qui Deum exacerbasse dicuntur in his qui non sunt dii, & irritasse eum in simula- F cris suis, irritati sunt & ipsi in zelotypiam, per gentem insipientem, quam Deus elegit per aduentum Christi Iesu, & discipulos eius. Sic enim dicit apostolus. 1. Cor. 1. *Videte enim vocationem vestram fratres: quoniam non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ erant prius, destrueret. Non ergo glorietur omnis caro in conspectu Dei.* Sed & de his quæ in psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est: de eo maxime qui superscribitur canticum pro dilecto? Vbi refertur, quia lingua eius *calamus scribæ velociter scribentis: decorus specie super filios hominum: quoniā diffusa est gratia in labiis eius.* Psal. 44. Hoc est quod breui tempore transacto, eius doctrina diffusa est. Anno enim & aliquot mensibus docuit: vniuersus tamen orbis prædicatione ac fidei pietatis eius impletus est. Orta est ergo in diebus eius iustitia & multitudo permanens vsq; ad finem: qui finis ablatio lunæ appellata est: *& dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad fines orbis terræ.* Psal. 71. Esa. 8. Datum est autem & signum domui David. Virgo enim in ventre concepit, & peperit Emanuel: quod interpretatur nobiscum Deus: & impletū est quod ait ipse propheta *nobiscum Deus, scitote gentes & vincimini.* G Victi enim sumus nos, & superati ex gentibus, & velut exuuiæ eius existimus, qui eius gratiæ nostra colla subiecimus. Sed & locus natiuitatis eius prædictus est in Michea propheta dicente. Mich. 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquā minima es in ducibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populū meum Israel.* Sed & in septimanæ annorum impletę sunt vsque ad Christū ducem, quas prædixerat Daniel propheta. Dan. 9. Adest nihilominus & is qui per Iob prædictus est, beluam ingentem cōsumpturus: qui & dedit potestatem familiaribus suis discipulis calcare super serpentes & scorpiones, Luc. 10. & supra omnem virtutem inimici, nihil ab eo nocendis. PAMP. Hæc est de summis rebus, id est, de sancta trinitate Origenis fides quam ex paucissimis testimoniis de complurimis eius voluminibus assumptam edocuimus. Et quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid certè ad instructionem omnium magis vtile, vel apud istos certè ipsos qui inimica aduersus eum mente desæuiunt, quid tam irreprehensibile? Et quidem in summa hæc posuisse de fidei eius documento ac probatione sufficeret: nisi etiam ad reliqua, quorum eum criminantur, respondere necessarium videretur. H Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes, quæ à maliuolis intenduntur. Prima illa est, quod dicunt eum innatum dicere filium Dei. Secunda, quod dicunt eum per prolationem, secundum Valentini fabulas, in substantiam venisse filium Dei dicere. Tertia, quæ his omnibus valde contraria est, quod dicunt eum secundum Artemam, vel Paulum Samosatenum, purum hominem, id est, non etiam Deum dicere Christum filium Dei. Quarta post istas est, quæ omnibus aliis aduersatur, cæca.n. est malitia, quod dicunt eum dicere *Δοκεῖν*, id est, putatiuè tantum & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ iuxta historiam referuntur gesta esse, quę omnia à Saluatore gesta sunt. Quinta illa quoque criminatio est, qua asserunt eum duos Christos prædicare.

A Sexta addunt illud quoq; quod historias corporales, quæ per omnem sanctam scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus deneget. Septima, sed & de resurrectione mortuorum, & de impiorum pœnis, non leui impugnāt eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia. Octaua, quidam vero disputationes eius, vel opiniones, quas de animæ statu, vel dispensatione disseruit, culpant. Nona & vltima vero in eum est criminatio illa, quæ cum omni infamatione dispergitur *μετεμψυχώσεως*, id est, quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutari post mortem: & quod etiam ipsæ mutorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco nouissimam posuimus, vt plura de libris eius coaceruantes exempla, euidentius eius falsitas nosceretur. Si ergo bene meminimus ordines criminationum quas supra conscripsimus, incipiamus à prima.

ORIGENES.

QVOD EX DEO PATRE NATVS EST FILIVS VNIVS CVM PATRE SVBSTANTIÆ.

Ex primo libro Epistolæ ad Romanos.

B QVæral forrassis aliquis, si filius charitas est: præcipuè propter hoc quod Ioannes ad Deum patrem retulit hanc vocem dicens, quia *Deus charitas est*. Sed rursum ex ipsa eius epistola proferemus & illud quod ait. *Charissimi, diligamus inuicem: quoniam charitas ex Deo.* Qui ergo dixit, quia Deus charitas est: ipse iterum docet charitatem esse ex Deo, quam charitatem credo non esse alium nisi vnigenitum filium eius: sicut Deum ex Deo, ita charitatem ex charitate progenita. Vnigenitus filius Saluator noster, qui solus ex patre natus est, solus natura, & non adoptione filius est. Vnus ergo verus Deus *solus habet immortalitatem, lucem habitat inaccessibilem.* Vnus ait verus Deus: ne scilicet multis veri Dei nomen conuenire credamus. Ita ergo & hi qui accipiunt spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant, abba pater, filij quidem Dei sunt: sed non sicut vnigenitus filius. Vnigenitus enim natura filius, & semper & inseparabiliter filius est: cæteri vero pro eo quod susceperunt in se filium Dei, potestatem acceperunt *filij Dei fieri.* *Qui licet non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt:* non tamen ea natiuitate sunt nati, qua natus est vnigenitus filius. Propter quod quantam differentiam verus Deus habet ad eos quibus dicitur, *ego dixi dij estis*: tantam habet differentiam verus filius ad eos qui audiunt, *filij excelsi omnes.*

Ioan. 4. — 1. Thim. 6. — C — Rom. 8. — Ioan. 1. — Psal. 81.

DE LIBRO EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

QVOD HOMOVSIOS EST CVM PATRE filius, id est, vnius substantiæ.

D INterrogamus igitur eos quos piget confiteri Deum esse filium Dei: quomodo poterat sola humana natura, nihil in se habens eximium, neque aliquid diuinæ substantiæ, hæreditatem capere, omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem, & his omnibus præferri ac præponi à patre. Vnde rectum videtur quod præstantior esse debeat is qui hæreditatem capit: & genere vtique & specie & substantia & subsistentia vel natura, atq; omnibus quibuscunq; modis debet esse præstantior. PAMP. Et post pauca in eodem libro. ORIG. Cum autem discutimus hoc quod dictum est, de filio Dei, quod sit splendor gloriæ: necessario videtur simul differendū, & illud quod dictum est, non solum quia splendor est lucis æternæ, sed & quod huic simile in sapientia Salomonis refertur: in qua seipsam sapientia describit, dicens. *Vapor est enim virtutis Dei & aporrhœa omnipotentis Dei gloria purissima.* PAMP. Et post aliquanta. ORIG. Oportet autem scire nos: quia per ineffabilia quædam & secreta & recōdita quodammodo vim sibi faciens scriptura sancta, conatur hominibus indicare & intellectum suggerere subtilem, vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumpsit, vt vel ex parte aliqua possimus intelligere: quomodo Christus qui est sapientia, secundum similitudinem eius vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit, sic etiam ipse vt quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei: sic & sapientia ex eo procedens, ex ipsa Dei substantia generatur: sic nihilominus & secundum similitudinem corporalis aporrhœa esse dicitur: aporrhœa gloriæ omnipotentis pura quædam & syncera. Quæ vtræque similitudines manifestissimè ostendunt cōmunionem substātię esse filio cum patre. Aporrhœa enim homousios videtur, id est, vnius substantiæ cum illo corpore, ex quo est vel aporrhœa, vel vapor. Pamp. Satis manifeste, vt opinor, & valde euidenter ostensum est, quod filium Dei de ipsa Dei substantia natum dixerit, id est, homousion, quod est eiusdem cum patre substantiæ: & non esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura filium verum, & ex ipso patre generatum. Superest vt & secundæ criminationi illatæ sibi accusatoribus per nos quidem prolatos: sed suis verbis ipse respondeat, duobus vel tribus testimoniis adhibitis, quibus ęquum est secundum legem nostram omne verbum stare. E F

Sap. 7.

ORIGENES

NON PER PROLATIONEM NATVM ESSE DEI FILIVM SECVNDVM Valentini impietatem.

EGo arbitror quod sufficere debeat voluntas patris ad subsistendum hoc quod vult pater. Volens enim non alia via vtitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo & ab eo filij subsistentia generatur: quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingenitum, id est, innatū pręter solū Deum patrē fatentur. Obseruandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt: vt diuinam naturam in partes vocent, & Deum patrem quantum in se est, diuidant: cum hæc in corporea de natura vel leuiter suspicari, non solum extremæ impietatis sit, verum etiam vltimæ insipientiæ: nec omnino vel ad intelligentiam cōsequens, vt incorporeæ naturæ substantialis diuisio possit intelligi. Magis autem sicut voluntas procedit è mente, & neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut diuiditur: tali quadam specie putandus est pater filium genuisse, imaginem sc. suam: vt sicut ipse est inuisibilis per naturam, ita imaginem quoque inuisibilē genuerit. Verbum enim est filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed nihil habet commune ad solis huius lumen. G

Ioan. 1.

DE HIS IPSIS EX LIBRO QVARTO PERI ARCHON.

TEmpus est decursis his, quæ de patre & filio & Spiritu sancto disseruimus: de illis quoq; quæ à nobis relicta fuerant, pauca repetere. Deus pater & cum inuisibilis sit & inseparabilis à filio, non per prolationem ab eo, vt quidam putant, generatus est. Si enim prolatio est filius patris: prolatio vero dicitur, quæ talem significat generationem qualis animalium vel hominum solet esse progenies: necessario corpus est, & is qui protulit, & is qui prolatus est. PAMP. Cum deinde in consequentibus vehementius aduersus hæresim Valentini talia scribentem inuectus longè his contrariam suam sententiam secundum catholicæ fidei protulit veritatem. H

DE HIS IPSIS EX SECVNDO LIBRO SVPER IOANNEM.

VNigenitus ergo Deus Saluator noster, solus à patre generatus, natura & non adoptione filius est. Natus autem ex ipsa patris mente, sicut voluntas ex mente. Non enim diuisibilis est diuina natura, id est, ingeniti patris, vt putemus vel diuisione, vel imminutione substantiæ eius, filiū esse progenitū. Sed [illegible]ens siue cor, aut sensus de

Deo

A Deo dicendus, inconcussus permanens, germen proferés voluntatis, factus est verbi pater. Quod verbum in sinu 1 Ioan 4. patris requiescens, annuntiat *Deum* quem *nemo vidit vnquam*, & reuelat patrem, quem nemo cognouit nisi ipse solus his, quos ad eum pater cœlestis attraxerit. PAMP. Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi: nunc consequenter respondebimus etiam his, qui purum hominem, i. sine Deo, ab eo dici asserunt Christum.

ORIGENES.

QVOD NON PVRVS HOMO, SED DIVINÆ NATVRÆ SIT CHRISTVS, DE primo libro Peri archon.

Gal. 4. EX eo quod dicit Apostolus *Paulus, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum*: manifeste datur intelligi, quia non erat homo Christus Iesus, sed erat diuina natura. Non enim si homo esset, dixisset Paulus B hoc quod ait. Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem. Si enim homo fuit Iesus, & per ipsum assumptus est in apostolatum, Paulus vtique per hominẽ factus erat apostolus. Si autem per hominem erat factus apostolus, nunquam dixisset: quia neque per hominem. Sed manifeste separat ab humana natura Iesum Paulus per hæc verba. Non enim sufficit ei dixisse, neque per hominem, sed adiecit dicens: sed per Iesus Christum. Quem vtique quia sciebat excellentioris naturæ esse propterea se dixit non assumptum esse per hominem. Hæc in initio epistolæ dicens: in sequentibus libris ipsius similia adiecit, exponens illud capitulum, in quo scriptum est. Notum autem vobis facio fratres euangelium quod prædico vobis, quoniam non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationem Iesu Christi. Aduerte ergo quod scribit: quia conuenienter quis & hæc adiungens prioribus, ostẽdere poterit his qui C negant deitatem Iesu Christi, sed hominem eum solum pronunciant, quod non est homo, sed Deus filius Dei Iesus Christus. Sic enim dicit apostolus. Quia euangelium quod euangelizaui vobis, non est secundum hominẽ, sed secundum Iesum Christum Euidenter ergo ostẽdit, quia Christus Iesus non est homo, si autem non est homo sine dubio Deus est; imo non aliud erit nisi homo & Deus. Et iterum si verum est quod dicit Paulus: quia non ab homine accepi illod euangelium, sed per reuelationem Iesu Christi, certum est quia Iesus Christus, qui reuelauit, nõ est homo. Alienum est ab homine reuelare, quæ ei occulta sunt & velata sunt. Quod etiam si aliquando per hominem fiat, non tamen ab homine fit, sed ab eo qui in homine loquitur Christus. Pamp. Tempus est his ita euidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem, breuitatis studio paucorum testimoniorum probatione contentos aduersus eos, qui dicunt eum per allegorias adimere omnia quæ de Saluatore scripta sunt corporaliter facta. Orig. Adiungendum est etiã illud his quæ supra diximus: quoniam corpus Christi non erat alienum à terrena substantia, secundum hoc quod filius est Dauid, & filius est Abrahã, sicut scribit Matthæus.
D Matt 1. Rom 1. Matt. 4. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Et sicut Paulus dicit, Christum esse ex semine Abraham *& ex semine Dauid secundum carnem*. Quod ergo dictum est: qui consummatis quadraginta diebus ieiunij, & quadraginta noctibus, postea esuriit: sine dubio hoc indicat, quod euacuari & repleri similiter vt nostra corpora solent, etiam illius poterat corpus. Si vero quis obiiciat nobis huius miraculi rationem de quadraginta dierum ieiunio, facile solui potest, cum adhibetur etiam illud exemplum de Moyse & Helia, qui similiter pertulisse ieiunium Deut 9. 3. Reg. 19. Ioan 4. referuntur. Sed & illud quod itineris labore & æstu fatigatus, sedens super puteum requiescit & sitit: quid aliud indicat nisi neruorum fatigationem, & solis ardore omnino elementum corporei humoris absumptum? Quod vero in meboribus occupatus, hoc quod bibere voluerat distulit, nec bibit: non propterea dicendum est, quia nec passus est sitim. Sed & illud quod frequenter vocatur per cœnas, & conspectu omnium manducat & bibit: non decipiens vel fallens oculos videntium facit, neque putatiuè

E vt quidam arbitrantur, hæc gerit: maxime cũ ita sumeret cibum & potum, vt à quibusdam etiam quasi pro præsumptione nimia culparetur, velut cibum & potum auidius ac propensius appetens. Si autem quis violentius velit asserere, ideo hæc ita esse quia per phantasiã mãducabat: & illi quomodo id fieret, nesciebant. Respondendum est ad ea ex his quæ dominus ipse dixit. *Venit Ioannes Baptista* Matt. 11. *neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmoniũ habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo deuorator, & vinum bibens.* Ipso enim Saluatore dicente, quia venit filius hominis manducans & bibẽs: quo modo ausus est aliquis dicere, neq; manducasse eũ, neque bibisse? Quæ vtique manifesta incredulitas est doctrinæ eius. Si autem manducabat & bibebat, & substantia vini atq; escæ in carne eius efficiebatur, sine dubio per omnes corporis eius compages membrorum diffundebatur. Spiritualem. n. naturam, sicut quidã de eius corpore sentiũt, F quod imperite satis & absurdè faciunt, impossibile est vini atq; escæ substantiam recipere. Si vero quis indignans, obscœnas ad hæc inquisitiones proferat, requirens si etiã digestiones in corpore fiebant, nihil absurdum videtur fateri secundum consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis à nobis hæc exigant affirmari, ostendendum est illos satis hæc insipienter inquirere. Vbi enim ista de apostolis, vel cæteris sanctis referuntur facta, vel etiam de impiis & peccatoribus? Sed & circuncisionis eius ratio nobis quidem non generabit angustiam, dicentibus eum consequenter humano corpore & circuncisum esse, & præputium eius terræ mandatum fortassis vsque ad tempus: aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen eius circuncisio satis coangustabit eos, qui ex diuerso sũt. Spirituale enim corpus quomodo poterat circũcidi terreno ferro? Propter quod non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circuncisionis eius etiã libros edere, quibus ostendere conarentur quod in substantiam cesserit spiritualem Non minus autem angustabuntur etiam illi, qui animale corpus dicunt esse corpus Christi. Sed & de sanguine eius & aqua, quæ processit de latere eius hasta compuncto à milite, eadem sentienda G sunt. Sed his qui sciunt quid audiatur per hoc quod dici- Ioan. 20. tur: quia fixuræ clauorum erant in eius corpore, manifeste declaratur, quia caro erat terrena, id est, humanæ naturæ: quæ vtique non erat talis vt recipiendorum vulnerum subterfugeret qualitatem, quasi nõ etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset. Anima perturbatur, & tristis est pro ea vsque ad mortem. Quæ omnia euidenter ostendunt, quod non falso, sed quasi homo dixerit. *Spiritus quidem promptus est caro autem infirma.* Ea- Matt. 26. dem nihilominus ostendit etiam somni ratio, cum dicitur *Qui erat in puppi super ceruical dormiens*, sicut Marcus refert: & ab homine suscitatur è somno. Hæc enim licet Marc. 4. habeant spiritualem intellectum, tamen manente prius historiæ veritate, etiam spiritualis recipiendus est sensus. Licet enim cæcos semper curet secundum spiritualem intelligentiam cum ignorantia excæcatas illuminat mentes: tamen & corporaliter tunc cæcum sanauit, & mortuos semper suscitat: fecit tamen & tunc huiusmodi mi- H rabilia, sicut filiam principis synagogæ, & filium viduæ, & Luc 18. Ioan 11. Lazarum suscitando. Et quamuis semper cum excitatur à discipulis, compescat ecclesiæ turbines vel procellas: tamen certum est etiam tunc gesta esse ea quæ per historiam referuntur. Sic ergo sanum est sensum recipere scripturæ: nec oportet autem inclinare his, qui dicunt per Mariam, non ex Maria eum natum: quod Apostolus præsciens ita prædixit. *Cum autem venit plenitudo temporum:* Gal 4. *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Vides quia non dixit factum per mulierem, sed factum ex muliere. Pamph. Quid tam euidenter aut integre, quam ex his omnibus quæ scripsit confirmatur ab eo, & dominicorũ gestorũ veritas, & historiæ scripturarum fides? Sed persequamur consequenter etiam reliqua, in quibus accusatur quasi duos Christos dixerit: vnum Dei verbum, & alium Iesum Christum, qui ex maria natus est.

A

ORIGENES.

QVOD VNVS SIT CHRISTVS FILIVS DEI, EX PRIMO LIBRO SVPER Esaiam.

1.Cor.14. Sicut dicit Apostolus. *Quoniã æmulatores estis spirituũ:* sic cum vnus sit Spiritus sanctus, tanti per singulos dicuntur Spiritus sancti, quanti sunt hi qui habẽt in se Spiritum sanctum: ita & de Christo dicendum est. Ab vno e- Psal.104. nim Christo multi Christi fiunt: de quibus scriptura dicit. *Nolite tangere Christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.* Sic & ab vno Deo, multi dij dicuntur: omnes scilicet hi, in quibus habitat Deus: sed nobis vnus est pater Deus, ex quo omnia. Vnus est ergo verus Deus, qui, vt ita dixerim, præstator est deitatis: & vnus Christus factor Christorum, & vnus Spiritus sanctus, qui per singu- B las animas sanctorum facit Spiritum sanctum. Christus vero, sicut per hoc quod Christus est, facit Christos: ita & per hoc quod filius Dei & filius proprius & vnigenitus: omnes eos qui percipiunt ab eo spiritum adoptionis filios Dei facit PAMP. Vnum hoc testimonium est, quod Christus verus vnus sit, qui participatione sui multos faciat Christos. Adhibeamus tamen & aliud ex primo libro de Philip.2. euangelio secundum Matthæum: in quo hoc modo dicit. Orig. Si Christus Iesus *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & in similitudinem hominum factus & habitu repertus vt homo est: humilians seipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis:* dubium non est. quod natiuitas eius non est talis, vt quasi qui ante non fuerit esse cœperit, sicut de natiuitate ho- Luc.1. minum putatur: sed qui prius erat, & erat in forma Dei, venit vt etiam formam serui susciperet. Denique *quod natum est ex carne, caro est*, inquit, id est, quod natum est ex ea, quæ dixit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* hæc est forma serui, quæ vtiq; caro est. Pamp. Gal.3. Et in tertio libro epistolæ ad Colossenses de eisdem ita Ioan.1. scribit. Orig *Data* est autem lex Moysi *per angelos in manu* C *mediatoris* Christi & virtute: qui cum esset in principio verbum Dei, & apud Deum esset verbum, patri in omnibus ministrauit. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt*, id est, nõ solum creaturæ, sed & lex & prophetæ, & ipsemet est mediator Dei & hominum. Quod verbum quidem in fine seculorum homo factus est Iesus Christus: sed ante hunc manifestum in carne aduentum, mediator quidem erat hominum, sed nondum erat homo: erat tamen & tunc mediator Dei & hominum. Vnde & data lex per angelos in ipsius mediatoris manibus data esse perhibetur, vt esset lex sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum: & omnia hæc sanctificarentur à Christo. Pamph. Sufficere, opinor, etiam de his tribus testimoniis confutatam esse calumniam. Si quis sanè offenditur, quod dixit Saluatorem etiam animam suscepisse, nihil de hoc amplius respondendum puto: nisi quod huius sententiæ non Origenes auctor est, sed ipsa sancta scriptura testatur, ipso do- Ioan 10. mino & Saluatore dicente: *Nemo tollet animam meam à* Matt.26. *me.* &c, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, &c, *Nunc a-* Ioan 12. *nima mea turbata est:* & multa his similia in sanctis scriptu- D ris inuenies. Super est respondere ad illam accusationem, quæ calumniatur eum omnem scripturarum in allegoriam vertere, ex ipsis libris quos vel maximè obtrectatores eius incusant, id est, de quarto Peri archon libro proferamus: quia non negat ea quæ in scripturis referuntur etiam secundum literam gesta. Orig. Ne quis autem suspicetur nos hoc dicere: quia nullam historiam scripturæ factam esse sentiamus, quoniam aliquam ex eis non esse factam suspicamur, vel nulla præcepta legis secundum literam stare: quoniam quædam secundum literam dicimus obseruari non posse, in quibus vel ratio, vel rei impossibilitas non admittit vel ea quæ de Saluatore scripta sunt, non putare etiam sensibiliter impleta: vel præcepta eius secundum literam non debere seruari. Respondendum ergo est, quoniam euidenter à nobis discernitur, in quam plurimis seruari oportere historiæ veritatem. Quis

E enim negare possit, quod Abrahã in duplici spelunca se- Gen.50. pultus est in Hebron: sed & Isaac & Iacob, & singulæ co- Psal.59. 3.Reg.8. rũ vxores? Vel quis dubitet quod Sichima in portionẽ data est Ioseph: vel quod Hierusalem metropolis est Iudææ, in qua constructũ est templum Deo à Salomone, & alia innumerabilia? Multo. n. plura sunt quæ secundum historiam vera sunt, quã ea quæ nudum sensum continent spiritualem. Tum deinde quis non affirmet mandatum hoc Deut.5. quod præcepit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene sit tibi*, sine vlla spirituali interpretatione sufficere, & Ephes.6. esse obseruantibus necessarium: maxime cum & Paulus eisdem verbis repetens confirmauerit ipsum mandatum? Matt.19. Quid vero oportet dicere de eo quod dictum est. *Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices*, & cætera huiusmodi? Iam vero de his quæ in Matt.5. euangelio mandata sunt, ne dubitari quidem potest quin secundũ literã obseruentur, sicut cũm dicit. *Ego autẽ dico* 1.Thess.5. *vobis, non iurare omnino.* Et cum ait. *Qui autem inspexerit* F *mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Et apud Paulum Apostolum quæ præcipiuntur. Commonete, inquit, eos consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes, & alia quã plurima. Sed & de singulis sanctorum qui in scriptura sancta conscripti sunt, quousq; iustos & electos Dei esse scriptura testatur, debet esse quædam fides ab his qui saluari cupiunt. Non. n. potest esse perfecta in Deũ fides, nisi quis habeat & hãc fidẽ, qua de sanctis quod sancti sunt, creditur. Quod autẽ dicimus, tale est. Qui crediderit in Deũ, & Gen.1. dogmata eius vera esse susceperit, credit & hoc quod Adã Gen.2. quidẽ primus homo formatus est: credit & de Eua, quod vnam è costis Adã sumens Deus, ædificauerit eam, vt esset Gen.5. eius mulier: credit, & quod Enoch, qui in annis trecentis Gen.7. placuerit Deo, posteaquam Mathusalem genuit, transla- Gen.18. tus est, & de Noe, quia responsa accepit, & fabricaret arcam, & solus saluatus est ex diluuio, cum his tantummodo qui secum fuerant arcam ingressi: similiter & Abrahã quod meruerit testimonium Dei, & quod hospitio susceperit cum esset sub ilice Mambre tres viros, ex quibus Gen.21. vnus erat dominus. Credit & de Isaac, vel quomodo na- Gen.22. tus est, vel quomodo oblatus est à patre, vel quomodo re- G sponsa Dei audire meruerit. Sed & de Iacob, quod muta- Exod.4. to nomine, Israël à Deo cognominatus est: & de Moyse, quod per signa & virtutes ministrauerit Deo. Credit & Iosue 10. quod Iesu Naue exauditus à Deo, stare fecerit solem super Gabaon, & lunam super vallem Aialon. Quid autem dicendum est de fidelibus iudicibus, & de his quæ per eos gesta referuntur? & in regnorum libris de Samuel, quod 1.Reg.12. messium tempore pluuias à Deo poposcerit, & acceperit: & de Dauid, quem assumpsit dominus ab ouibus vt rege- Psal.77. ret Iacob puerum suum, & Israël hæreditatem suam: & de Nathan, quod prophetauerit, necnon & Gad? Sed de Sa- 2.Reg.7. lomone quod apparuerit ei in visu dominus: & de Helia, 1.Reg.12. quod assumptus est per ascensionem in cœlũ, effectus illis 3.Reg.3. omnibus quæ scripta sunt signis & prodigiis: sed & de E- 4.Reg.2. liseo, quoniam non solum resuscitauit filium Sunamitis, & 13. sed & mortuum super ossa sua proiectũ? Oportet ergo vnumquemque fidelium credere, & omnibus quæ scripta sunt de Ezechia, quod in diebus eius retrorsum repeda- 4.Reg.20. uerit vmbra solis. Est ergo fides nostra primo quidẽ om- H nium in dominum nostrum Iesum Christum: consequẽter vero in omnes etiam sanctos patriarchas, vel prophetas, vel apostolos Christi, eo ordine, quo superius diximus. Pamph. Sufficienter ista ad probationem catholicæ fidei eius, & qualiter etiam de ipsa scripturarum historia senserit, dicta sint. Et quoniam inter cæteras criminationes quas ei inferunt, etiam quã maximã ponunt, quod resurrectionem mortuorũ deneget, quæ vtiq; futura manifeste in ecclesia prædicatur: consequens etiam est de hoc ipsius nos verbis calumniosos ostendere, & mendaces euidenter arguere eos, qui etiam scripta de hoc edere aduersus eũ nõ pepercerunt, tã ex ipsis igitur libris quos de resurrectione scripsit, quã ex cęteris eius diuersis voluminibus, approbabimus etiam in hac parte quam catholicè senserit. Orig. Quomodo. n. non videtur absurdum, vt hoc corpus quod pro Christo pertulit cicatrices, & pariter

A cum anima persecutionum tolerauit tormenta sæua, carcerum quoque & vinculorum ac verberum supplicia pertulit, igne etiam cruciatum, ferro cæsum est: insuper & bestiarum cruentos morsus, crucis patibula, ac diuersa pœnarum genera perpessum est, tantorum certaminum præmiis defraudetur? Quippe si sola anima, quæ non sola certauerat, coronetur, & corporis sui vasculum, quod ei cum magno labore seruiuit, nulla agonis & victoriæ præmia consequantur: quomodo non contra omnem rationem esse videatur, vt naturalibus vitiis atque ingenitæ libidini propter Christum caro resistens, & virginitatem obtinens cum ingenti labore, qui continentiæ labor vtique aut maior corporis quam animæ est, aut certe vtriusque æqualis est, præmiorum tempore altera, vel vt indigna reiiciatur, altera veniat ad coronam? PAMP. His assertionibus incipiens vti de resurrectione mortuorum,
B per totam voluminis sui seriem euidentissimis approbationibus vsus est. In secundo vero libro eiusdem materiæ cum prædixisset, quasi ad gentiles loqueretur, huiuscemodi suam sententiam declarauit. Orig. Nos vero post corruptionem mundi, eosdem ipsos futuros esse homines dicimus: licet non eodem statu, neque in eisdem passionibus. Non. n. iterum ex conuentione viri & mulieris erunt, sed verbi gratia, ea ratio quæ continet Pauli substantiam. Paulı autem nunc dico corporalis quæ salua (Cor 15.) permanet, & cum voluerit Deus secundum ea quæ dicta sunt, per sacramentum tubarum in *nouissima tuba* facere vt mortui resurgant: per illam ipsam substantialem rationem quæ salua permanet, vt de terræ puluere resuscitētur à mortuis, ex omnibus locis in quibus ratio illa substantiæ corporalis in ipsis corporibus permanebat, quæ in terram prolapsa, Dei voluntate iterum resuscitantur. Et hoc arbitror asserere volentem dixisse Apostolū in prima epistola ad Corinthios. Post assertionem. n. resurrectionis mortuorum, cum proposuisset sibi ea quæ possēt ab aliis obiici de resurrectione mortuorum, sic ait. Sed (Ibidem.) dicit aliquis: *Quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpo-*
C *re venient? Stulte, tu quod seminas, nō viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum: Deus autem dat illi corpus prout vult.* Cum enim manifestissimè ostendisset, quia mortui resurgunt, & certum esset quod Saluator noster cum ipso corpore resurrexisset, quod susceperat ex Maria, non autem satis clarum esset quomodo resurrecturi essent cæteri, vel quale corpus habituri, comparat resurrectionem seminibus quæ seminantur in terra, vt puta grano frumenti, quod cum ceciderit in terram, corrumpitur: sed rationis illius virtus est insita in interioribus eius medullis, ipsa rationis virtus assumpta adiacentem sibi terram, vel aquæ humorem, seu aëris circumstantem temperiem, caloris quoque sufficientem recipiens fomitem, per diuinam potentiam cooperantem culmi, vel spicæ consurgunt. Et hoc est quod dicit, tu quod seminas non viuificatur nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est se-
D minas. Ergo hoc quod cadit in semen corpus nostrum comparatum est grano frumenti. Pamph. Et assertis his per huiuscemodi consequentiam, post pauca addidit e- (1. Cor. 15.) tiam hæc. Origen. Quod autem omnis illa repromissio resurrectionis mortuorum de hoc corpore sit, quod mortuū relinquitur, sanctę scripturæ multis modis hoc ostendūt. Sed & hæc ipsa domini nostri Iesu Christi resurrectio declarat, qui primogenitus ex mortuis dicitur. Pamph. Post hæc quibusdam per medium latius disputatis, adiecit etiam ista. Orig. Sicut enim plus habet omnis rationalis anima his quæ vel crescendi, vel nutriendi, vel motus solius officium exhibere dicuntur: sic ea ratio quæ in humano corpore est, multo amplius habet, quam quæ in reliquis est corporibus: ex eo quod etiam cum corruptum fuerit corpus humanum, subsistere rursum potest, Dei virtute conseruatum & custoditum vsque ad resurrectionis suæ tempus. Quod autem vbicunque fuerit restituatur, id est, ab omni loco in quocunque fuerit, ita ait Ioannes in reuelatione sua. (Apoc 20.) *Et reddidit mare mortuos quos habebat in se: & mors & infernus reddiderunt mortuos suos, qui erant in eis.* Forte enim, vt ego puto, mare hic pro

E humido omni appellatum est elemento, inferi autem pro aëre, mors vero pro terra. Quasi quandam namque cognationem his inter se habentibus, corpus nostrum puluerem mortis vocat scriptura, vel corpus mortis. Sane qualis fuerit vniuscuiusque præparatio in hac vita, talis erit & resurrectio eius. Qui beatus hic vixerit, corpus eius in resurrectione diuiniore splendore fulgebit, & aptus ei mansio beatorum tribuetur locorum. Huic vero qui in malitia consumpsit tempus sibi vitæ præsentis indultū, tale dabitur corpus, quod sufficere & perdurare possit in pœnis. Et arbitror quod hanc differentiam volens ostendere, Paulus Apostolus dicit. *Alia caro animalium,* (1. Cor. 15.) *alia volucrum, alia piscium*, & cætera quæ enumerauit Apostolus. Sed sicut non est putandum, quod animalium corpus accepturus sit peccator aut volucrum, aut pisciū:
F sic neque solis, neque lunæ, aut stellarum formam sperandum est accipere eos qui resurgunt in gloria: sed exempli causa dicta esse hæc ab Apostolo sentiendum est, vt designetur per hæc quod alij pro meritis suis honorabiliores & clariores erunt, beatiora quoque habitacula sortituri: aliorum vero indignissimus & abiectissimus pro gestorum scelere erit status, qui etiam mutis animalib. dignus sit comparari. Pamp. Pauca hęc ad testimonium traximus ex multis & innumeris, quæ per huiuscemodi sensum in ipsis libris, quos de resurrectione conscripsit, exposuit. Non autem videtur absurdum ad maiorem satisfactionem, etiam de reliquis eius libris consonas his vel paucas adhibere sententias. In vicesimo ergo & octauo libro de Esaia propheta de illo capitulo scribens, in quo dicitur. *Resuscitabuntur mortui, & resurgent hi qui in sepulcris sūt,* (Esaie 26.) ita ait. Orig. Melius ergo est dicere, quod omnes quidem resurgemus, vt & impij veniāt in illū locū, vbi fletus est & stridor dentium: & iusti vbi recipient vnusquisque in suo ordine secundum meritum bonorum gestorum suorum cum transformabitur corpus humilitatis eorum, vt sit cōforme gloriæ corporis Christi: *quod seminatum* quidem est (1 Cor. 15.) *in corruptione, surget vero in incorruptione: quod seminatum*
G *est in ignominia, surget in gloria: quod seminatum* est in infir*mitate, surget in virtute*, resurrectionis scil. tempore: & quod seminatum est corpus animale, surget corpus spirituale. Licet ergo omnes resurgant, & vnusquisque in suo ordine resurgat: considerandum est tamen propter illum sermonem Ioannis quem in reuelatione sua dixit. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in hoc secun-* (Apoc 20.) *da mors non habet potestatem*: ne forte diuidi omnis resurrectionis ratio in duas partes possit, i. in eos qui saluandi sunt iustos: & in eos qui cruciandi sunt peccatores. vt sit vna quidem bonorū quæ dicitur prima: illa vero quæ est miserorum, secunda dicatur: & illam quidem in omnibus esse putam, hilarem, totius plenam lætitiæ: illam vero alteram totam tristem, totam mœroris plenam, & actibus, ac vitæ eorum dignam, qui in præsenti vita Dei mandata contempserunt: & iudicij eius timore neglecto seipsos tradiderunt in operationem totius immunditiæ & auaritię: nec se præparare conati sunt, vt resistere aduersario possent aduersus contrarias atque inimicas humano ge-
H neri potestates. Sepulcra autem mortuorum in hoc loco, similiter & in multis aliis, secundum certiorem scripturæ sensum accipienda sunt, non ea solum quæ ad depositionem humanorum corporum videntur esse cōstructa, vel in saxis excisa, aut in terra defossa: sed omnis locus in quocunque vel integrum corpus humanum, vel ex parte aliqua iacet, etiamsi accidat vt vnū corpus per loca multa dispersum sit: absurdū non erit omnia ea loca, in quib. pars aliqua corporis iacet, sepulcra eius corporis dici. Si enim non ita accipiamus resurgere de sepulcris suis mortuos diuina virtute: qui nequaquam sunt sepulturæ mādati, nec in sepulcris depositi, sed siue naufragiis, siue in desertis aliquib. defuncti sunt locis, ita vt sepulturæ mādari non potuerint: non videbuntur annumerari inter eos, qui de sepulcris resuscitari dicuntur: quod vtiq; valde absurdum est. Pamp. Nihilominus in illo ipso libro interiectis quibusdā, dicit. Orig. Cùm ergo Paulus scribit, quod *sicut stella à stella differt in gloria, ita erit & re-* (1 Cor. 15.)

A *surrectio mortuorum*: & quod dicit: *seminatur in corruptione, surget in incorruptione*, & cætera huiusmodi: manifestè hæc de solo corpore scribit. Non enim anima seminata est in corruptione, aut in infirmitate, aut in ignominia. Denique euidenter adiungit his omnibus, & dicit. Seminatur corpus animale, vt ne quis putaret animam esse quæ seminatur corruptione vel in ignominia, vel in infirmitate. Pamp. Hæc quidem ex his libris quos in Esaiam scripsit. Non præteribimus vero illum locum, quem de primo psalmo disseruit, in quo etiam ita de resurrectione scribit. Orig. Sicut enim in nobis eadem species permanet ab infantia vsque ad senectutem, licet characteres multam videantur immutationem recipere: ita intelligendum est hanc speciem, quæ nunc est in nobis, ipsam permansurum etiam in futuro, plurima tamen immutatione melios & gloriosius facta. Necesse est enim animā in locis corporeis habitantem, vti corporalibus talibus quæ apta sint his locis in quibus degit: sicut, verbi causa, si in aquis maris non habitare vel degere poscerer, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videretur habere talem corporis statum & compositionem, qualem habent illa animalia quæ in aquis viuunt: ita nunc cum
B cœlorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriam, consequens est aptandas esse etiam corporum qualitates Nec ideo tamen prior hæc species exterminabitur, licet gloriosior eius effecta sit permutatio. Sicut.n. ipsius domini Iesu, vel Moysi, vel Eliæ species, non erat alia in transformatione quam fuerat ante transformationem: ita non erit alia sanctorum species, etiam si multo gloriosior fiat. Pamp. Sed & in 15. psalmo, exponens *Psal. 15.* illum versiculum: *Insuper & caro mea requiescet in spe*, de carne domini, ait hæc. Orig. Dominus Iesus Christus hæc dicit; cuius primo caro requieuit in spe. Crucifixus enim primogenitus ex mortuis factus, post resurrectionem assumptus in cœlum, secum terrenum corpus euexit, ita vt terrerentur & obstupescerent cœlestes virtutes, videntes carnem ascendisse in cœlum. De Elia enim scri-
4 Reg. 2. C ptum est, quarti Regum secundo: quia quasi in cœlum assumptus est: & de Enoch quia translatus est: non tamen dictum est, quia ascendit in cœlum. Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem cum omni fiducia assuero: quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem euexit ad cœlum. Denique nouitate ipsa perterrentur cœlestes virtutes: quia quod numquam viderant ante, nunc videbant carnem ascendisse in cœlum.
Esai. 63. Et propterea dicunt. Esaiæ sexagesimotertio. *Quis est iste qui venit de Edom*, id est, à terrigenis: rubor vestimentorum eius ex Bosor? Videbant enim in corpore vestigia vulnerum: ex Bosor, id est, in carne suscepta. Pamphilus. Et post pauca. Origenes. Hæc propter illud quod dictum est, qoonia m caro mea requiescet in spe. In qua spe? Non solum, quia ex mortuis resurgit (parum enim hoc est) sed in ea spe requiescit, quod assumpta est in cœlum. Pamphilus. Quid hoc euidentius & clarius ab aliquo potest dici de resurrectione carnis, quam assignauit non solam resurrecturam à mortuis, verum etiam in cœlos, si
D qua tamen id meruerit, assumendam, secuturam scilicet eum qui primogenitus ex mortuis factus, primus in cœlum naturam carnis inuexit? Quid tamen in decimo
Psal. 18. octauo psalmo, exponens illum versiculum: *In sole posuit tabernaculum suum*, senserit, audiamus. Origines. Quid est qood dixit. In sole posuit tabernaculum suum? Quidam quidem dicebant, quod Saluator noster ascendens è terris ad cœlum, & corpus suum assumens, peruenit vsque ad eum circulum, qui solis zoa nominatur: & ibi, aiunt, posuit tabernaculum corporis sui. Non enim vltra erat possibile id progredi. Sed hæc illi ita sentiunt pro eo quod allegoriam nolunt in scriptura sancta recipere: & ideo puræ historiæ deseruientes, huiusmodi fabulas & figmenta componunt. Nos vero deprecamur omnipotentiam Dei, vt nos dignetur audire: & secreta nobis spiritualis intelligentiæ dignetur aperire. Quod ergo à nobis in hoc loco sentitor, hoc est. In sole posuit tabernaculum suum: quæro quid sit tabernaculum Christi, & quæ sit habitatio, in qua tabernaculum Christi collocatur. Habitatio Christi tabernaculi, sol esse dicitur: tabernaculum vero Christi, ecclesiam intelligo. Solem autem quem alium
E sentire debeo: nisi illud *lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*? Ipsum video solem de quo dictum est, Malachiæ quarto. Quia *timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in alis eius.* *Ioan. 1.* *Mala. b. 4.*
In sole ergo posuit tabernaculum suum, id est, in sole iustitiæ ecclesiam suam collocauit: In illo enim sole iustitiæ ecclesia collocata est, quæ æternum diem facit, sicut dictum est, quarti Ezdræ secūdo. *Erit tibi dominus lux æterna: & Deus gloria tua.* Pamphilus. Erubescant etiam illi *4 Esdra 2.* qui & hoc de ipso non dubitauerunt concinnare figmentum, quod dixerit corpus vel carnem Christi vsque ad solem vectari: & ibi esse derelictam. Hoc enim ille dictum ab aliis, non recte dictum esse confutat. Sed ostenderunt se ne hæc quidem intelligere posse obtrectatores eius: quæ ille ab aliis non recte dicta coarguit: & quæ sunt, quæ ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam
F retundant: qui dicunt eum corpus quidem resurgere cōfiteri, carnem vero negare. Desinant aliquando à maledictis, videntes eum carnem verbi Dei cum ipso verbo Deo in cœlum, quo verbum Dei ascendit, imponere. His coniungit de suppliciis peccatorum ..quæ quoqoe nos consequenter ad ea quæ supra dicta sunt, coniungemus: quoniam in ordine criminationum iste fuerat ordo digestus.

ORIGENES

DE POENIS PECCATORVM.

EGo arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas vel quantitas sibi contraria, febres generat: & febres diuersi vel modi vel temporis, secundum eā mensuram qua intemperies collecta materiam suggerit, ac fomitem febrium: quæ materiæ qualitas ex diuersa in-
G temperie congregata, causa vel acerbioris morbi vel prolixioris existit: ita anima cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregauerit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas: cum mens ipsa vel conscientia per diuinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in se signa quædam ac formas cum peccaret, expresserat: & singulorum gestorum suorum quæ vel fœde ac turpiter gesserat, vel etiam impie commiserat, historiam quandā scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam. Tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atque compungitur: & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Quod ita sensisse etiam Apostolum Paulum puto cum dicit *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendētibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum secuneum euangelium meum per Iesum Christum.* Pamph. Sed & in con- *Rom. 2.* sequentibus rursum de peccatorum pœnis hoc modo scribit. Orig. Multa sunt enim quæ nos latent, quæ
H illi soli cognita sunt, qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatem, pro his vitiis quæ per escam potumque collegimus, necessariam habemus interdum austerioris ac mordacioris medicamenti curā: nonnunquam vero, si id vitij qualitas depoposcerit, rigore ferri & sectionis asperitate indigemus: quod si & hæc supergressus fuerit modus morbi, ad vltimum conceptum vitium ignis exurit: quanto magis intelligendum est medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerum diuersitate collegerant, vti huiusmodi pœnalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animæ perdiderunt? Pamph. Item post pauca addidit. Orig. Quomodo autem pernecessaria pœna est, ea quam per ignem infert Deus, Esaias docens de Israël quidem dicit. *Abluet dominus sordes filiorū ac filiarū Siō, & sanguinē expurgabit è medio ipsorum, spiritu iudicij & spiritu adustionis.* De Chaldæis autem sic dicit: Habes carbones *Esai. 4.* *Esaie 47.*

ignis

A Esa. 70. Malach. 3. ignis, sedebis super eos: hi erunt tibi adiutorio. Et in aliis dicit, *Sanctificabit eos Dominus in igne ardēti*. Et in Malachia propheta ita dicit. *Sedēs Dominus cōflabit sicut aurū, & sicut argentū populū suum: conflabit & purgabit eos, & fundet eos, & fūdet purgatos filios Iuda.* PAMPH. Hæc quidē ex libris peri archon. Innumerabilia verò dispersa sunt per quæ oēs libros eius assertionis huius testimonia, quæ nos studio breuitatis omittimus: commemorantes de his solummodo quæ in sexto psalmo de hoc ipso pœnarum genere disputauit. Psal. 6. ORIGEN. Possibile est considerare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamuis magni sint, breuis sunt certè temporis: pro eo quod si paulo vehementiores extiterint, continuò etiam vitæ scelerum inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis confessione in ipsis tormentis animam reddunt, alij verò in ipso iam coronæ aditu positi, denegant fidem, quam vsque ad mortem B proposuerant confiteri. Et hoc non vtique diminutione propositi patiuntur: sed vi doloris nimia, & insuperabili, superati. Si ergo in hac præsenti vita tam intolerabiles sunt pœnarum dolores, cum iam crassiori anima vtitur indumento: quid putandum est cum id spirituale effectum ex resurrectione recipiet, & eo vehementius vtique quo subtilius sentiet vim doloris? Puto enim quod quanta differentia est in præsenti sæculo nudum verberari quam vestitum, ad persentiendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera quam vestitum: tantam puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum crassitudinis huius indumento deposito, velut nudum corpus cœperit sentire tormenta. PAMPHIL. Sufficere arbitrio etiam ad huius criminationis calumniam propulsandam, pauca hæc de eius libris testimonia protulisse, quæ innumera sparsim per libros eius manifestum est contineri. Nunc autem ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quæ ei de anima obiiciunt, id est, quod ante corpus eam factam dicat existere. Sciens namque etiam istud dogma C de anima, non aperte neque manifeste haberi in ecclesiastica prædicatione: sicubi occasionem aliquam, vel suspicionem potius disputandi ei scripturæ sermo suggessit: discutiēs & pertractans ea quæ sensui eius occurrerunt, discernenda hæc legentibus exposuit & probanda non manifesto dogmate, vel abruptæ sententiæ auctoritate diffiniens: frequenter & illud addens. Si tamen habere videtur, aut probatur aliquid consequentiæ sermonis, quem de anima tractauimus. Denique in tā multis & tam diuersis eius libris nusquam omnino inuenitur vnus ab eo liber propriè de anima conscriptus: sicut habet vel de martyrio, vel de oratione, vel de resurrectione. Nusquam prorsus librum propriè de anima scriptum edidit: sed in diuersis locis, sicut superius diximus incurrentes sibi opiniones ex scripturæ occasione disserebat, quod potius maximi signi reuerentiæ eius ac timoris in diuinis dogmatibus esse deberet: quod tanti sensus vir, & tantæ prudentiæ, cum vtique magister esset ecclesiæ, & tanta ab eo dicta scriberentur, non est ausus id D sibi auctoritatis assumere, vt propriè de anima librum ederet scriptum. Procul dubio hæc obseruatio eius illud indicat, quod nihil audebat de hac re manifesto dogmate confirmare. Denique in eo libro quem in epistolam ad Titum scribit, hæreticum describens, & animæ faciens mentionem, hæc dicit. ORIGEN. Sunt vero & alia quædam dogmata, quæ in apostolicis traditionibus non habentur, de quibus requires, si oportet, eos qui quomodo liber de his sentiunt vel pertractant, hæreticos putandos, vt puta, verbi causa dixerim, si quis rationem humanæ animæ inquirat, eum de ea neque quod ex semine traducis ducatur: neque quod honorabilior & antiquior corporum compage sit, tradiderit ecclesiastica regula: propter quod multi nec comprehendere potuerunt, qualiter sentiri oporteret de animæ ratione. Sed & qui aliquid sentire, vel disserere nisi sunt, à nonnullis in suspicione habentur, vel noui aliquid introducentes PAMPH. Denique post pauca ait. ORIG. Sed & tu ipse apud temetipsum

E discutiens considera, si oportet eum qui quolibet modo de his opinatur, vel hæreticum, vel ecclesiasticum temere definire: aut si non est periculosū de eo pronunciare, quoniam & ipse peruersus sit & peccet, & sic à semetipso damnatus quod hæreticus dicitur, si quis forte ex his quæ supra diximus, quālibet opinione, licet nonnūquam plurimis peregrinam videatur, inducere PAMPH. Hæc quidem ipse in eo libro quem supra diximus scribit: nos vero his adiungimus etiam ista quæ nobis ipsa æquitas videtur exposcere. Si manifeste ecclesia traderet vel prædicaret contraria his quæ ille sensit, sine dubio velut contrarius & resistens ecclesiasticis statutis meritò culparetur: non verò cum diuersitas sit apud omnes ecclesiasticos, & aliis alia de anima sentiāt, & omnes diuersa: quomodo hic magis quā cæteri incusandus est, maxime cum ea quæ à reliquis affirmantur, multo magis & absurda, & sibi ipsis sint contraria? Quidā enim opinantur præparatis F iam in ventre mulierū deformatisque corporibus, tūc ad præsens creari animas, & inseri iam deformato corpori. Hæc vero sentientes, præter hoc quod manifestas probationes ex sanctis scripturis adhibere non possunt, insuper Gen. 2. etiā iniustitiam quodammodo conditoris accusant, quòd non æqualiter, id est, æquas vitæ conuersationes tribuat omnibus. Statim enim vt creata fuerit anima, cum nihil vtique adhuc in se culpæ commiserit, inseritur interdum si ita acciderit, cæco corpori, vel alias debili: aliæ verò sanis corporibus, & aliæ infirmioribus. Et aliis quidem multum vitæ tempus tribuitur, aliis verò breuissimum: ita vt interdum simul vt natæ fuerint, exturbentur è corpore: & aliæ quidem ad conuersationem agrestem quandam & barbaram, & vbi nihil humani aut honesti est, & super omnia vbi paternæ institutionis impietas obtinet, diriguntur. Aliæ verò ad viros honestos, sobrios, humanos: vbi & humanarum legum obseruatio viget: interdū etiam ad parentes religiosos, vbi educatio nobilis & honesta, vbi etiam eruditio rationabilis, transmittuntur. G Quomodo igitur assertiones eorum in talibus diuinam prouidentiam rectè omnia dispensantem, & æqua lance moderantem, tanquam bonam & iusti Dei poterunt assignare? Matt. 15. Iam verò isti qui ex traduce animas venire affirmant, & simul cum corporali eas semine seminari: siquidem vt quidam ipsorum affirmare solent, non aliud dicunt animam esse quā insufflationem spiritus Dei, illam scilicet quam in initio facturæ mundi Deus insufflasse dicitur in Adam, de ipsa Dei esse eam substantia profitentes. Quomodo non & isti videbuntur quodammodo hæc præter scripturæ regulam, & rationem pietatis asserere, quod substātia Dei est: peccat? insuper etiam quod & pœnis subdenda sit pro peccato? Ioan. 51. Sed & illud quod sequitur, quod per absurdū est incurrere, non præuident: quia necesse est eam simul cum corpore mori, & esse mortalē, si simul cum corpore vel seminata, vel formata, vel nata est. Tum deinde illi qui vnam quidem ex nullis subsistentibus à DEO factam esse dicunt animam, id est, illam quæ prima facta est in Adam, & ex ea iam omnium hominum animas existere, & secundum corporalem sine dubio suc- H cessionem, traducem quoque fieri animarum, etiam ipsi qui aliud ostendunt, nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cætera ex solo semine oriuntur, ita etiam de hominibus sentiamus, vt cum corpore simul in eodem semine etiam anima diffundatur: quid dicemus de his qui imperfecti adhuc & de ventre abortī sunt, & qui nonnunquam antequam vasculorum naturalium receptaculis semina sint suscepta, depereunt? In quibus sine dubio inuenitur, quod simul etiam illæ quæ naturali ratione seminibus insertæ inerant animæ, extinctæ sint pariter & corruptæ. Siue ergo ex insufflatione DEI fuit: siue ab vna illa quæ prima facta est, necessario simul cum corporibus corrumpentur, si eandem cum corporibus etiam originem sumunt, secundum ipsorum rationem. Aut enim nihil omnino ex rationabili atque immortali anima participabit illud quod adhuc in ventre receptum est, & repulsa est illa ratio, quæ affirmat eam in seminis traduce simul cum corporibus seminatam: aut si participat, ne-

A cessitas imminet mortalem esse confiteri animam: quod fides nostra vtique non recipit. Veruntamen quid est quod ex his omnibus ostendi volumus? Illud profectò, quod sicut eos qui vnam quamlibet de his, quas supra exposuimus, opinionem veram putant, non rectâ ratione hæreticos quis appellat, pro eo quod neque ex diuinis scripturis certi aliquid de his, vel manifeste dictum esse videatur, neque in prædicatione ecclesiastica contineri: ita neque nunc virum culpari iustum est, differentem quod sibi visum est, maximè cum illud præcipue seruauerit, quod in ecclesia de animæ confessione seruari omnino debet, id est, ne diuersas diceret esse naturas animarum: quinimo & dicentes redarguit: & vehementiori assertione conuincit. Ipse autem fatetur vnius substantiæ omnes animas, & immortales ac rationabiles liberi arbitrij ac voluntatis: iudicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt, esse tamen eas factas à Deo qui vniuersa condidit & creauit. Quando autem factæ sint, olim simul, aut nunc per singulos nascentium, quid periculi
B est alterum è duobus opinari? Sed respondere possibile est, vt omnis penitus culpandi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cœli, diuersa singuli etiam ipsi qui sunt in ecclesiis sentiunt, aliis siquidem opinantibus esse animantia & rationabilium animantium: aliis verò putantibus quod irrationabilia sint, immo verò quòd non solum vera anima, sed omni sensu penitus careant, & sola sine sensu ac spiritu sint corpora, nemo tamen meritò alterum eorum qui hæc ita diuerse sentiunt, hæreticum dixerit, propter hoc quod non ita aperte de his traditum est in apostolica prædicatione: ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio eius vel origine diuersa opinantur, non est rectum hæreticos pronunciare: maxime cum in reliquis ecclesiasticæ doctrinæ regulis, quod rectum est & catholicum, teneant. PAMPH. Nouissima criminatio est μετενσωματώσεως, id est, transformationis animarum. Ad quod, sicut in cæteris fecimus, ipsius
C qui accusatur, respondebimus verbis, illud primo pernecessario commonentes: quia accusatores eius non intelligentes qualiter ab eo de ista quæstione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, vt non semper velut ex vna persona pronũciari videatur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ econtrariò dici potuerunt, disputentur: & hanc esse artem disputandi non aduertentes, obiiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex aduersantis persona disseruit. Denique quod discutiendi hæc & non confirmandi dixerit causa, ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adiecit, ostendit hoc modo, dicens: ORIG. Sed hæc quantum ad nos pertinet, non sunt dogmata: sed discussionis gratia dicta sunt, & abiiciantur. Pro eo autem solo dicta sunt, ne videatur quæstio mota non esse discussa. PAMPH. Sed hæc in eo loco dixit, in quo de animabus animalium requirebat, non de transmutatione animarum.

D

DE ANIMARVM TRANSMVTATIONE IN LIBRO SEPTIMO EVANGELII secundum Matthæum.

Matt. 11. QVIDAM quidem opinantur ex eo quod dictum est, Ipse est Elias qui venturus est, animam Eliæ eandem fuisse quam Ioannis. Quod enim dixit: ipse est Elias, non ad aliud, sed ad animam referendum putauerunt: & ex hoc pene solo sermone dogma introduxerunt μετενσωματώσεως, id est, transmutationis animarũ: quasi etiam ipso hoc Iesu confirmante. Sed oportuerat intueri: quia si hoc verum esset, in multis vtique prophetarum vel euangeliorum scriptis simile aliquid inueniri deberet. Tum deinde etiam ille sermo qui huic adiungitur, ostendit secretiorem quendam & arcanum sensum in his quæ dicta sunt requirendum: magis quam quòd illi secundum literæ solius intelligentiam susceperunt, cum dicit. *Qui habet aures audiendi audiat.* Addendum autem & illud est: quia si pro peccatis secundum quod ipsi

E sentiunt, transmutatio fiat animarum, propter quæ peccata Eliæ anima transmutata est in Ioannem, qui ab ipso angelo nasciturus pronunciatur, à quo & Iesus saluator noster? Quomodo ergo non euidentissimum mendacium est hoc, vt ille qui tam perfectus fuit, vt nec communem quidem istam mortem gestaret, veniret ad transmutationem animæ, quæ secundum illorum assertionem, non potest accidere nisi ex peccatis? Denique quomodo hoc exponent quod dictum est ad Ioannem, Tu Elias es, & dicit, non sum? Sed vt ostendatur conuenire hoc etiam illi verbo quod dixit Dominus. Si vultis suscipere, ipse est Elias qui venturus est: hoc quod dixit, Elias ipse est, referendum est ad spiritum & virtutem Eliæ. Ioannes enim præcessit in spiritu & virtute Eliæ conuertere corda patrum ad filios. Matt. 15.

DE EO IPSO EX DECIMOSEXTO libro super Matthæum.

F QVidam qui alieni sunt à catholica fide, transferri animas ex humanis corporibus in corpora animalium putant, secundum differentiam peccatorum: nos verò qui hoc nusquam inuenimus cautum in diuina scriptura, dicimus: quia per multam vitæ negligentiam humana prudentia cum fuerit inculta atque neglecta; efficitur velut irrationabile pecus per imperitiam vel negligentiam, non per naturam. Similiter autem & hi qui Matt. 15. tales fuerint effecti ex propositi sui negligentia qua erudiri neglexerint, si eruditioni se atque exercitio rationabili tradant, rationabiles efficiuntur atque prudentes: sicut scriptum est de illis euangelicis canibus, qui manducabant de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, ex quibus conuersa Chananæa facta est filia Dei, secundum quod dicit ad eam saluator. O filia, magna est fides tua. Sicut enim virtus animi confert vnicuique vt sit filius Dei: ita malitia mentis & verborum insania atque impudentia, facit vnumquemque secundum auctoritatem scripturæ appellari canem. Similiter autem intelligendum est etiam de cæterorum animalium mutorum appellationibus. G

DE EODEM EX DECIMOTERTIO libro super Matthæum.

IN his Elias nõ anima Eliæ mihi videtur vti, ne incurramus in dogma alienum ab ecclesia Dei de transmutatione animarum: quod nec ab apostolis traditum est, neque vsquam in scripturis cautum est. Contrarium namque est his quæ dicta sunt ab Apostolo: quoniam quæ videntur, temporalia sunt. Et vbi sunt quæ omnes scripturæ confirmant, quod præsens seculum finiendum est? Sed nec illud poterit stare, quod dictum est. *Cœlum & terra transibunt*: neque illud quod di- Matt. 24. 1. Cor. 7. ctum est per apostolum. Transibit enim habitus huius mundi: & illud. Cœli peribunt, & ea quæ sequuntur. H Si enim, vt aiunt auctores huius dogmatis, nemo potest in id initium restitui, quod primo fuit ab initio mũdi vsque ad finem: qua ex causa immutari vel transferri animam secundo vel tertio opus est vel frequenter? Hoc enim modo reddi delicta vniuscuiusque personæ perhibent, & pœnas lui, si in diuersa corpora frequentius transmutentur. Quod vtique superfluo fiet, si finis ei nullus emendationis occurrat: nec erit vnquam quando non anima transferatur. Et si semper pro delictis, animabus ad corpora diuersa redeundum est, quis vnquam mundo dabitur finis: vt impleatur quod dictum est, Cœlum & terra transibunt? Quod & si concedatur, verbi gratia, vt sit aliquis sine peccato, quem iam non sit necesse reuolui in corpus: per quot tempora putabimus inueniri vnam fortasse vix animam, quæ penitus pura sit, nec permutatione corporis indigeat? Quod & ipsum si concedatur, rursum suo dogmati contrarium efficitur. Si enim demus paucas quasque animas per singulas ad per-

A perfectionem posse restitui, vt vltra in corpora venire non indigeant: necesse est, licet per infinita secula & vniuersa tempora, singulis quibusque animabus ad perfectionem restitutis, cessare iam vsum corporum, & per hoc finem mundum recipere ac resolui. Non tamen ita videtur sanctæ scripturæ, quæ dicit multitudinem peccantium relinquendam esse in fine seculi. Quod ex eo manifestissimè
Luca 18. indicatur, quod in euangelio scriptum est. *Veruntamen putas veniens filius hominis inueniet fidem super terram? Sicut enim in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis.* PAMPHILVS. Et posteaquam de scripturis multa disseruit: ipse iam suam sententiam hoc modo declarat ORIGE. Erit autem his qui tunc erunt vindicta, non transmutatio animarum. Non enim iam ad peccandum locus erit: sed alia genera erunt pœnæ. Transmutatio namque corporum, pœnam non faciet peccatorum: ita vt nulli extrinsecus putentur inferri supplicia, quin potius est
B peccatoribus pœnarum modus, id est, vt pro his quæ in hoc corpore gesserunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est, quod istæ singulæ rationes, his, qui possunt eius consequentiam diligenter aduertere, contrariæ sunt huic dogmati, quo perhibentur animæ transmutari. Quod si gentilium auctores sequi volunt, qui opinionem istam ex principiorum suorum consequentia persecuti sunt, dicentes: cum hæc fiant, sine dubio nunquam mundum istum posse finiri: consequens est eos qui hæc volunt, scripturæ nostræ non credere, quæ manifestissime pronunciat finem mundi futurum, & non exquirere in ipsis scripturis expositiones, siue assertiones ineptas & inconsequentes: ex quibus nullo genere ostendi potest, quod secundum scripturas nostras numquam finis seculi futurus sit.

ORIGENES.

DE EADEM RE EX LIBRO DE PROuerbiis Salomonis.

C Videtur autem mihi & illa assertio, quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseuerat, peruenisse etiam in aliquos eorum, qui Christo credere videntur, ex quibusdam scripturæ sanctæ occasionibus: non intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. Non enim animaduertunt quomodo homo efficiatur aut pullus, aut equus, aut mulus: & putauerunt transmutari humanam animam in pecudum corpora, vt æstimarent quod aliquando serpentis suscipit corpus vel viperæ: aliquando equi vel cæterorum animalium. Iam ergo consequens est, & hoc illos dicere debere, quod diabolus qui leo in scripturis dicitur, corpore leonis vtatur: aut draconis artubus, cum draco nominatur. Ita erit vt secundum illos transmutatio ista animarum perueniat & in dæmonum naturam: vt sit aliquando vel leo vel draco anima habens diabolum. PAMPHI. Et paulò post, ORIGE. Sed superfluæ sunt istæ omnes adinuen-
D tiones. Manifestum est enim quod vna pœna tam dæmonum naturæ, quam humano generi peccatorum, à Do-
Matt. 25. mino præfinita sit: illam quam Dominus sua sententia designauit, dicens. *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius*: ostendens quia eadem species pœnarum, peccatoribus hominibus & diabolo, atque angelis eius præparata sit: licet in eadem pœna diuersa sit quantitas pœnæ. Alius enim grauius ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum: alius autem remissius, cuius leuiora & faciliora peccata sunt.

Apologiæ pro Origene finis.

RVFFINVS DE ADVLTERATIONE LIBRORVM ORIGENIS AD Macarium.



E IN his quæ in superiori libro, secundum apologeticū sancti martyris Pamphili, quē pro Origene Græco sermone edidit, pro vt potuimus vel res poposcit, Latino sermone digessimus: illud est quod te desideriorū vir Macari admonitum esse volo, vt scias hanc fidei quidem regulam, quā de libris eius supra exposuimus esse, quæ & amplectenda sit, & retinēda. In omnibus enim his catholicum inesse sensum euidenter probatur: inueniri tamen in eis libris quædam ab his non solum diuersa, sed nonnunquam etiam contraria: & ea quæ veritatis regula non admittit, quæ nos quoque nec recipimus,
nec probamus. Sed hoc vnde acciderit, opinionem quæ F
ad nos vsq; peruenit, ne à te quidem vel ab his, qui quod verum est, scire cupiunt, cælari volo. Si qui tamen sunt, qui audientes id quod verum est, & quod ipsa ratio indicat, acquiescant: & obtrectandi studio non quoduis malint verum esse, quam id quod eis obtrectandi materiam perimat. Dubitari non puto, quod hoc nullo genere fieri potuit, vt vir tam eruditus, tam prudens, certe quod indulgere etiam accusatores eius possunt: vir qui neque stultus, neque insanus fuerit, ipse sibi contraria & repugnantia in suis sententiis scriberet. Aut etiam si vllo genere concedamus hoc accidere potuisse: fortassis enim dicit aliquis, quia ea quæ in prima ætate cōscripsit, potest fieri vt obliuisceretur in ætate vrgenti, & aliter quam aliquando senserat, post proferret: quid faciemus quod interdum in eisdem locis atque vt ita dixerim in consequēti pene capite, sententiæ contrarij sensus inueniuntur inserti? Nunquid in eodem opere eiusdem libri interdum, vt diximus, statim in consequenti capitulo oblitus sui esse potuit: verbi causa, vt qui superius dixerat nusquam
inueniri in omni scriptura, vbi Spiritus sanctus factus vel G
creatus esse diceretur, continuò subiiceret, inter cæteras creaturas factum esse Spiritum sanctum: aut iterum qui patrem & filium vnius substantiæ, quod Græce ὁμοούσιον dicitur, designauit, in consequentibus statim capitulis, alterius esse substantiæ: & creatum poterat dicere eum, quem paulo ante de ipsa natura Dei patris pronunciauerat natum? Vel iterum de resurrectione carnis, qui tam euidenter pronunciauit naturam carnis in cœlum ascendisse cum verbo Dei, atque inibi cœlestibus apparuisse virtutibus, nouum & admirandum eis sui visum præbentem, possibile erat vt hanc iterum non diceret esse saluādam? Quia ergo hæc incidere ne in eum quidem poterant, qui vel mente motus, vel cerebro esse insanus: quid sit in causa, quam possum breuiter edocebo. Quanta sit hæreticorum temeritas, quam nihil his sancti, nihil pensi sit, facile intelligi datur ex his quæ frequenter & ausi sunt, & conuicti. Nam sicut ipsorum patri diabolo
ab initio falsare verba Dei atque inflectere à suo ordine H
& sui veneni interserere virus studium fuit: ita & istis successoribus suis, hanc suæ artis hæreditatem reliquit.
Denique cum dixisset Dominus ad Adam. *Ex omni ligno* Gen. 2.
paradisi manducabitis: ille cum vellet Euam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, vna tantummodo interiecta syllaba, in quantas coartauit angustias? Ait enim. Quid est quod dixit Deus, vt ex omni ligno paradisi non manducetis? Quod scilicet per hoc graue esse præceptum Dei apud hominem conquerens, præuaricationem præcepti facilius persuaderet. Hæc exempla patris sui, atque hanc artem magistri sui secuti hæretici, quoscunque veterum nobilium tractatorum inuenerūt de his quæ ad gloriam Dei pertinent plene & fideliter disputasse: ita vt ex lectione eorum vnusquisq; fideliū proficere possit & instrui, non pepercerunt scriptis eorum venenatū virus infundere, siue interpolando quæ dixerāt, siue quæ nō dixerāt, inserendo: quo facilius videlicet sub nomine doctissimi cuiusque & nobilis inter scriptores ecclesiasticos viri, hæresis suæ astrueretur assertior

A ex eo quod ita sensisse etiam aliqui de claris viris & catholicis viderentur. Et horum manifestissimas inter Græcos scriptores ecclesiasticos probationes tenemus. Et quamuis quam plurimi sint ex veteribus, in quorum libris huiuscemodi deprehenditur adulterium, tamen paucorum sufficit adhiberi testimonia: ex quibus facilius quid etiam Origenis libris acciderit, agnoscatur. Clemens apostolorum discipulus, qui Romanæ ecclesiæ post apostolos & episcopus & martyr præfuit, libros edidit qui appellantur, *ἀναγνωρισμός*, id est, recognitio: in quibus cum ex persona Petri apostoli doctrina quasi vere apostolica in quam plurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma scribitur, vt nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, filium Dei creatum ex nullis extantibus asseuerans. Tum deinde etiam illud adulterij inseritur genus, vt naturam diaboli cæterorumque dæmonum non propositi voluntatisque malitia, sed excepta ac separata creaturæ produxerit qualitas: qui vtique in B cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrij facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris eius inserta, quæ ecclesiastica regula omnino non recipit. Quid quæso de his sentiendum est, quod apostolicus vir, imo pene Apostolus, non ea scribit quæ apostoli dicunt: cui Paulus Apostolus testimonium dedit, dicens. *Cum Clemente & adiutoribus meis cæteris, quorum nomina sunt in libro vitæ*: & scribebat hoc quod libris vitæ contrarium est? An id potius credendum est quod supra diximus, quod peruersi homines assertionem dogmatum suorum sub virorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt ea, quæ nec illi sensisse, nec scripsisse credendi sunt? Clemens quoque alius Alexandrinus presbyter & magister ecclesiæ illius, in omnibus pene libris suis, trinitatis gloriam atque æternitatem vnam eandemque designat: & interdum inuenimus aliqua in libris eius capitula, in quibus filium Dei creaturam dicit. Nunquid credibile est de tanto viro tam in omnibus catholico, tam erudito, vt vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo non dicam credere, sed vel C audire quidem impium est, scripta reliquerit? Dionysius quoque Alexandrinus episcopus eruditissimus assertor ecclesiasticæ fidei, cum in quamplurimis in tantum vnitatem, atque æqualitatem trinitatis defendat, vt imperitioribus quibusque etiam secundum Sabellium sensisse videatur: in his tamen libris suis, quos aduersus Sabellij hæresim scribit, talia inueniuntur inserta, vt frequenter Ariani auctoritate ipsius se defendere conentur. Propter quod & sanctus episcopus Athanasius compulsus est Apologeticum pro libris ipsius scribere: pro eo quod certus erat, non illum diuerse potuisse sentire, sibique ipsi contraria scribere, sed quod inserta hæc à maleuolis fuisset. Et hæc quidem nos, ducti rei ipsius consequentia, de sanctis viris & ecclesiæ doctoribus sensimus quod scilicet non putemus, eos qui rectam ecclesiasticam fidem in quamplurimis astruxerunt, in aliquibus sibimetipsis diuersa sensisse. De Origine vero quo similiter, vt in his quos suprà diximus, aliqua diuersitas inuenitur, istud nō sufficit sentire, quod de præiudicatis iam catholicis sen-D titur vel intelligitur viris: nec similis causæ similis sufficit excusatio: nisi & ipsius hæc conquerentis & deplorantis scriptis & vocibus probemus. Quid enim ipse dum adhuc in carne esset viuens, sentiens, vidensque perpessus sit de librorum suorum, vel sermonum corruptionibus vel adulterinis editionibus, ex ipsius epistola quam scribit ad quosdam charos suos Alexandriæ, euidenter docetur: & per hæc quæ sit causa, quod in ipsius scriptis quædam sibi contraria inueniantur, agnosces.

ITEM DE ADVLTERATIONE LIBRORVM ORIGENIS, EX EPIstola ipsius.

VErba Origenis ex epistola ipsius, quam ad quosdam charos suos in Alexandria scripsit, contra eos qui libros eius adhuc eo viuente adulterauerunt. Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos, ascribunt nobis & doctrinæ nostræ crimen blasphemiæ, E quod à nobis nunquam audierunt, de quo ipsi viderint nolentes obseruare mandatum illud quod dicit. Quia *Maledici regnum Dei non possidebunt*: dicentes patrem malitiæ ac perditionis, & eorum qui de regno Dei ejiciūtur, 1.Cor 6. id est, diabolum, me dicere esse saluandum: quod ne aliquis quidem mente motus, & manifeste insaniens dicere potest. Sed nihil mihi mirū videtur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est epistola Pauli apostoli. Quidam .n. sub nomine Pauli apostoli falsam epistolā scripserunt, vt conturbarent Thessalonicenses: *quasi instaret dies Domini*, & seducerent eos. Propter hanc epistolam in secunda ad Thessalonicenses scripsit, hæc dixit. 2.Thess 2. *Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & vestram congregationem in ipsum, vt non moueamini cito à sensu vestro, neque terreamini, neque per spiritū, neque per verbum, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Nemo vos seducat vllo modo.* Talia ergo quædam video etiam nobis accidere. Nam quidam auctor hæreseos, cum sub præsentia multorum habita inter F nos fuisset disputatio, & descriptum accipiens ab his qui descripserāt codicem, quæ voluit addidit, & quæ voluit abstulit, & quod ei visum est permutauit: circumferens tanquā ex nomine nostro insultans, & ostendens ea quæ ipse conscripsit. Pro quib. indignantes fratres qui in Palæstina sunt, miserunt ad me Athenas hominē qui acciperet à me ipsum autenticum exemplar, quod ne relectū quidem, vel recensitum à me antea fuerat: sed ita neglectum iacebat, vt vix inueniri potuerit. Misi tamen, & sub teste Deo loquor, quoniam cum conuenissem illū ipsum qui adulterauerat librum, quare hoc fecisset, velut satisfaciens mihi respondit. Quoniam magis ornare volui disputationē ipsam atque purgare. Videte quali purgatione disputationē nostram purgauit? Tali nempe quali purgatione Marcion purgauit euāgelia, vel Apostolum, vt quali successor eius post ipsum Apelles. Nam sicut illi subuerterunt scripturarum veritatem: sic & iste sublatis quæ vere dicta sunt, ob nostri criminationem inseruit G quæ falsa sunt. Sed licet homines hæretici & impij sint, qui hæc facere ausi sunt: tamen habebunt & illi iudicem Deum, qui talibus aduersum nos criminationibus accommodant fidem. Fecerunt autem hoc & alij nonnulli, conturbare volentes ecclesias. Denique in Epheso cum me vidisset quidem hæreticus & congredi noluisset, neque omnino os suum aperuisset apud me, sed nescio qua ex causa id facere vitasset: postea ex nomine meo & suo conscripsit qualem voluit disputationem, & misit ad discipulos suos, vt ego quidem cognoui, ad eos qui Romæ erant: sed non dubito quin & alios qui per diuersa sunt. Insultabat autem & apud Antiochiam, priusquam ego illuc venirem: ita vt & ad quamplurimos nostrorum perueniret ipsa disputatio quam parauerat. Sed vbi affui, multis eum præsentibus argui. Cumque iam sine vllo pudore perrenderet imprudenter asserere falsitatem, poposci vt liber deferretur in medium: vt scelus meum agnosceretur à fratribus, qui vtique cognoscerent quæ H soleo disputare, vel quali soleo vti doctrina. Qui quidem cum ausus non esset proferre librum, conuictus ab omnibus & confutatus est falsitatis: & ita persuasum est fratribus, ne aurem criminationibus præberent. Si quis ergo vult credere mihi in conspectu Dei loquenti: etiam de his quæ in epistola mea conficta sunt & inserta, credat. Sin autem quis non credit, sed vult de me male loqui, mihi quidem nihil damni confert: erit autem ipse falsus testis apud Deum, aduersum proximum suum testimonium falsum vel dicens, vel dicentibus credens. Hæc ipse adhuc superstes conqueritur, quæ scilicet per semetipsum deprehendere potuit adulterata esse in libris suis atque falsata. Meminimus sane etiam in alia epistola similem nos de librorum suorum falsitatate legisse querimoniam. Cuius epistolæ exemplar in præsenti non habui: vt etiam ipsius testimonium his pro vitæ veritatis adiungerem. Sed sufficere arbitror ad satisfaciendum his qui non contentionis atque obtrectationis studio,

sed

A sed amore veri audiunt quæ dicuntur. Nam quod in veteribus sanctis ac præiudicatis catholicis viris, quorum superius fecimus mentionem, solo argumento ex rerum consequentia ac recti tenore præsumpto ostenditur ac probatur: quod si quid in libris eorum contra ecclesiasticam fidem inuenitur, id insertum ab hæreticis potius, quam ab his ipsis scriptum putetur. Hoc in Origene non argumento solo simili vt in illis, sed testimonio querimoniarum suarum ex suis scriptis prolato, absurdum non puto si credatur, ne velut stultus aliquis, aut insanus contraria sibi scripsisse videatur. De hæreticorum vero temeritate vt credi istud scelus facile possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum, quod abstinere impias manus ne à sacrosanctis quidem euangelij vocibus potuerunt. Apostolorum verò vel actus vel epistolas qualiter polluerint, qualiter corroserint, qualiter in omnibus maculauerint, vel addendo impia, vel auferendo quæ pia sunt: si quis volt plenius scire, ex his libris Tertulliani,
B quos aduersus Marcionem scripsit, plenissime recognoscet. Quid ergo iam erit magnum, si Origenis scripta temerarunt hi, qui saluatoris Dei nostri dicta ausi sunt temerare? Nec sane diuersitas dogmatum alicui assertionis nostræ deneget fidem, quod alterius hæresis fuerint illi, qui euangelia deprauarunt: ad alteram vero hæresim respiciant ista quæ dicimus Origenis libris inserta. Cognoscat qui de his dubitat, quod sicut in omnibus sanctis est spiritus Dei, sicut & Apostolus dicit: quia *spiritus prophetarum prophetis subiectus est*: qui iterum ait, quod omnis vnum spiritū portabimus: ita & in hæreticis vnus est diaboli spiritus, qui eandem eos ac similem semper malitiam docet. Verum ne cui forte minus ad credendum videantur idonea ea quæ ex libris Græcorum scriptorum exempla protulimus, quamuis Græcus scriptor sit pro quo satisfacere videmur; tamen quoniam quodammodo in Latinam linguam sermo deuolutus est, & satisfieri etiam Latinis hominibus pro his qui ex calum-
C niosis interpretationibus vulnerantur, magnopere poposcisti: non pigebit etiam Latinis scriptorib. talia quædam accidisse, monstrare, & calumnias immensas ex adulteratione librorū suorum sanctis & probatissimis viris esse commotas. Et ne quid perfectæ credulitati desit, res quæ sunt adhuc memoriæ nostræ retexam, quo testimonij veritas neminem lateat. Hilarius Pictauiensis episcopus confessor fidei catholicæ fuit: hic cum ad emendationem eorum qui Ariminensi perfidiæ subscripserāt, librum instructionis plenissime conscripsisset: cumque libellus ipse in manus inimicorum & maleuolorum, vt quidam dicebant, corrupto notario: alij vero alia occasione narrabant, quid interest: tamen cum in manus inimicorum ipso ignorāte venisset, ita ab eis corruptus est illo sancto viro nihil penitus sentiente: vt postea cum ad concilium episcoporum secundum ea quæ se in libello ipsius nouerant corrupisse, hæreticum eum inimici arguere cœpissent, & ipsi libelli sui fidem pro sui defensione flagitaret, de domo sua prolatus libellus talis inuen-
D tus est, quem ipse non agnosceret: fecere tamen eum excommunicatum de concilij conuentione discedere. Verum quia viuenti & adhuc in corpore posito, res quamuis scelerata & inaudita contigerat, dolo cognito, facto deprehensa, retecta scelerum machina potuit emendari. Adhibita enim curatio est assertionibus, satisfactionibus, & omnibus quæ viuētes pro se facere possunt. Nam mortui nihil pati refutant. Sancti Cypriani martyris solet omne epistolarum corpus in vno codice scribi: huic corpori hæretici quidam qui in Spiritum sanctum blasphemant, Tertulliani libellum. De trinitate reprehensibiliter, quantum ad veritatem fidei nostræ pertinet, scriptum inserentes, & quamplurimos codices de talibus conscribentes, per totam Constantinopolim vrbem maximam distrahi pretio viliori fecerunt, vt exiguitate pretij homines illecti, ignotos & latentes dolos facilius cōpararent: quo per hoc commentum hæretici perfidiæ suæ fidem tanti viri auctoritate conquirerent. Accidit tamen vt recenti adhuc facto quidam ex nostris fratribus catholicis inuenti, admissi sceleris commissa retege-

> Cor. 14.
> 1 Cor. 12.

rent: & ex parte aliqua, si quos possent, ab erroris huius E laqueis reuocarent. Quamplurimis tñ in illis partibus, sanctū martyrem Cyprianum huius fidei, quæ à Tertulliano nō rectè scripta est, fuisse persuasum est. Adiiciam adhuc vnius facti talis exēplū: quod memoriæ quidem recentioris est, commissæ autem nequitiæ antiquū satis, & quod omnes veterum fabulas vincat. Damasus episcopus, cum de recipiendis Appollinarianis deliberatio haberetur, editionem ecclesiasticæ fidei, cui idem editioni si ecclesiæ iungi velint, subscribere deberent, conscribendam mandauit cuidam amico suo presbytero viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est dictanti in ipsa editione de incarnatione Domini hominem dominicum dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ: nouitatem sermonis incusare cœperūt: adesse sibi cœpit qui dictauerat, & ex auctoritate veterum scriptorum catholicorum virorum confutare eos qui impugnabant. Accidit vt vnus ex ipsis qui nouitatē ser- F monis causabantur, ostenderet in libello Athanasij episcopi scriptum esse sermonem de quo quæstio habebatur: quasi suasus iem ille cui probatum fuerat, rogauit sibi dari codicem, quo & aliis ignorantibus & contradicentibus satisfaceret. Accepto codice inauditum excogitauit adulterationis genus. Locum ipsum in quo sermo iste erat scriptus rasit, & ipsum sermonem rursum rescripsit quē raserat. Codex redditus simpliciter receptus est. Mouetur iterum pro eodem sermone quæstio. Ad probationem codex profertur: inuenitur sermo de quo erat quæstio, ex litura in codice positus. Fides proferēti talem codicem derogatur, eo quod litura illa corruptionis ac falsitatis videretur indicium. Sed quoniam, vt iterum eadem dicam, viuenti hæc facta sunt à viuente: continuo egit omnia vt fraus commissi sceleris nudaretur, & nequitiæ macula non innocenti viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret: sed in auctorem facti atque in vberiorem eius infamiam redundaret. Si ergo & Origenes talia ab hæreticis & maleuolis se esse perpessum in epistola sua propria voce conqueritur, & multis aliis catholicis viris tam vi- G uis quàm defunctis eadem acciderunt, similesque fraudes scriptis eorum probantur illatæ: quæ tandem animi obstinatio est, in æquali causa nō æquali vti venia, sed ex eisdē accidentib. aliis excusationis reuerentiā, aliis infamiam criminationis irrogare? Quin potius aperiēda est hoc in loco veritas latens. Non. n. possibile est tam iniquo iudicio vti quenquam hominum, vt de causa æquali non æqualiter sentiat. Sed quod auctores obtrectatorum eius hi sunt qui vel in Ecclesia disputare latius solent: vel etiam libros scribere, qui totum de Origene vel loquuntur, vel scribunt. Ne ergo plures ipsorum furta cognoscant, qui vtique si ingrati in magistrum non essent, nequaquam criminosi viderentur, neque simpliciores quosque ab eius lectione deterrerent. Denique quidam ex ipsis qui se velut euangelizandi necessitatem per omnes gentes & per omnes linguas habere putat, de Origene male loquens: sex millia libro- H rum eius se legisse, quamplurima fratrum multitudine audiente confessus est. Qui si vtique vt ipse dicere solet, pro cognoscendis malis eius ipsos legebat, sufficere poterant ei decem libri ad cognoscendum, aut viginti certe, vel quam plurimum triginta. Sex millia autem libros legere, non iam velle cognoscere est: sed totam pene vitam suam disciplinis eius, & studiis dedere. Quomodo ergo meritò iste audiendus est, cum eos culpat, qui instructionis suæ causa perpauca eius, salua fidei regula atque integra pietate, legerunt? Sufficere hæc ad ostendendum qualiter de Origenis libris sentiendum sit, puto: quod omnis qui non contentionis, sed veritatis studium gerit, facilè his tam euidentibus assertionibus acquiescat. Quod si quis in contentione sua permaneat, nos talem consuetudinem non habemus. Definitum enim est apud nos, si quando eum legimus, secundum sancti apostoli commonitionem tenere quæ bona sunt: si quid autem inuentum fuerit in his, quod cum fide catholica non cōsonat, hoc & ab hæreticis suspicamur insertum: & tam ab illius sensu quam à nostra fide dicimus alienum. In quo

A etiam si fallimur: nihil, vt opinor, periculi huiusmodi errore incurrimus. Nam & ipsi Deo iuuante permanemus illæsi, vitando ea quæ suspecta habemus & improbamus: & accusatores fratrum non inueniemur apud Deum, quia diaboli proprium esse hoc opus dicitur accusandi fratres. Vnde & diabolus à criminando nomen accepit. Simul & maledicorum sententiam, quæ à regno Dei separat eos qui tales sunt, declinamus.

PROLOGVS RVFFINI IN PERI ARCHON ORIGENIS ad Macarium.

SCio quamplurimos fratrum scientiæ scripturarum desiderio prouocatos, poposcisse ab aliquantis eruditis viris & Græcarũ literarum peritis, vt Origenem Romanũ facerent, & Latinis aurib. condonarent.
B Inter quos etiã frater & collega noster Hieronym. ab episcopo Damaso deprecatus, cum homilias duas de cãtico canticorũ in Latinum transtulisset ex Græco, ita in illo opere ornatè magnificeque præfatus est: vt cuiuis legendi Origenem, & auidissime perquirendi desiderium commoueret, di-
Cant. 3 cens, illius animæ conuenire quod dictum est. *Introduxit me rex in cubiculum suum*: asserens, quod cum in cæteris libris omnes vincat, in canticis canticorũ etiã ipse se vicerit. Pollicetur sane in ipsa præfatione se & ipsos in cantica canticorum libros & alios quamplurimos Origenis Romanis auribus largiturum. Sed ille, vt video, in stylo proprio placens, rem maioris gloriæ sequitur, vt pater verbi sit potius quam interpres. Nos ergo rem ab illo quidem cœptam sequimur & probatam, sed non æquis eloquentiæ viribus tanti viri ornate possumus dicta. Vnde vereor ne vitio meo illud accidat, vt is vir quem ille alterum post apostolos ecclesiæ doctorem scientiæ ac sapientiæ merito comprobauit, inopia sermonis nostri longe esse inferior videatur. Quod ergo sæpius conside-
C rans reticebam: nec deprecantibus me frequenter in hoc fratribus, annuebam. Sed tua vis, fidelissime frater Macari, tanta est, cui obsistere nec imperitia quidem potest. Propter quod ne te vltra tam grauem paterer exactorem etiam contra propositum meum cessi: ea tamen lege atque ordine, vt quantum fieri potest interpretãdo sequar regulam prædecessorum & eius præcipue viri, cuius superius fecimus mentionem, qui cum vltra septuaginta libellos Origenis, quos homiliaticos appellauit, aliquantos etiam de Tomis in Apostolum scriptis transtulisset in Latinum; in quibus cum aliquanta offendicula inueniãtur in Græco, ita elimauit omnia interpretando atque purgauit, vt nihil in illis quod à fide nostra discrepet, Latinus lector inueniat. Hunc ergo nos etiam, licet nõ eloquentiæ viribus, disciplinæ tamen regulis in quãtũ possumus sequimur: obseruantes scilicet, ne ea quæ in libris Origenis à seipso discrepantia inueniuntur atque contraria proferamus. Cuius diuersitatis causam, plenius tibi in Apologetico, quem Pamphilus pro libris ipsius Origenis scripsit, edidimus: breuissimo libello superaddi-
D to, in quo euidentibus vt arbitror probamentis corruptos esse in quamplurimis ab hæreticis & maliuolis libros eius ostendimus: & præcipuè istos, quos nunc exigis vt interpreter, id est, Peri archon: quod vel de principiis, vel potestatibus dici potest: qui sunt reuera alias & obscurissimi & difficillimi. De rebus enim ibi talibus disputat, in quibus philosophi omni sua ætate consumpta inuenire potuerunt nihil. hic verò noster quantum potuit id egit, vt creatoris fidem & creaturarum rationem, quam illi ad impietatem traxerant, ad pietatem conuerteret. Sicubi ergo nos in libris eius aliquid contra id inuenimus, quod ab ipso in cæteris locis piè de trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus: aut secundum eam regulam protulimus, quam ab ipso frequenter inuenimus affirmatam. Si qua sane velut peritis iam & scientibus loquens, dum breuiter transire vult obscurius protulit: nos vt manifestior fieret locus, ea quæ de ipsa re in aliis eius libris apertius legeramus adiecimus, explanationi studentes. Nihil tamen nostrum

diximus: sed licet in aliis locis, dicta tamen sua sibi reddimus. Hæc autem idcirco in præfatione commonui, ne forte calumniatores iterum se criminandi putent inuenisse materiam. Sed viderint quid peruersi & contentiosi homines agant: nobis interim tantus labor, si tamen orãtibus vobis Deus annuerit, idcirco susceptus est, non vt calumniosis os, quod fieri non potest, licet fortè etiam hoc Deus faciet, clauderemus: sed vt proficere ad scientiam rerum volentibus materiam præberemus. Illud sane omnem, qui hos libros vel descripturus est, vel lecturus, in conspectu Dei patris & filij Spiritus sancti contestor, atque conuenio, per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, per illum qui præparatus est diabolo & angelis eius æternum ignem: si non illum locum æternæ hereditate possideat, vbi est fletus & stridor dentium, & vbi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur, ne addat aliquid huic scri-
pturæ, ne auferat: ne inserat, nec immutet, sed conferat cũ F
exẽplaribus vnde conscripserat: & emendet ad literam & distinguat: & inemendatum vel indistinctum codicem non habeat: ne sensuum difficultas, si distinctus codex non sit, maiores obscuritates legentibus generet.

ORIGENIS FRAGMENTVM LIBRORVM Peri Archon.

OMnes qui credũt & certi sunt quod *gratia & veri-* Ioan. 14
tas per Iesum Christũ facta sit, & CHRISTVM veritatem esse norunt, secundum quod ipse dixit. *Ego sum veritas*: scientiam quæ prouocat homines ad bene beateque viuendũ, non aliunde quam ipsis verbis Christi doctrinaque suscipiunt. Christi autem verbis dicimus, non his solũ quæ homo factus atque in carne positus docuit: & prius namque Christus Dei verbum in Moyse atque prophetis erat. Nam sine verbo Dei quomodo poterant prophetare de Christo? Ad cuius rei probationem, non
esset difficile ex diuinis scripturis ostendere, quomodo G
vel Moyses, vel prophetæ spiritu Christi repleti vel locuti sunt, vel gesserunt omnia quæ gesserunt: nisi studij nobis esset præsens hoc opus omni qua possumus breuitate succingere. Vnde sufficere æstimo vno hoc
Pauli testimonio debere nos vti ex epistola quam ad He- Heb. 11.
bræos scribit: in qua ita ait. *Fide magnus factus Moyses, negauit se dici filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem habere peccati iucunditatẽ: maiores diuitias æstimans thesauris Aegyptiorum improperium Christi*. Sed & post assumptionem eius in cœlos, quod in apostolis suis locutus sit, hoc modo indicat
Paulus: *An probamentum eius quæritis qui in me loquitur* 2. Cor. 13.
Christus? Quoniam ergo multi ex his qui in Christo se credere confitentur, non solum in paruis & minimis discordant, verum etiam in magnis & maximis, id est, vel de Deo, vel de ipso Domino nostro Iesu Christo, vel de Spiritu sancto: non solum autem de his, sed & de aliis
creaturis, id est, vel de dominationibus, vel de virtutibus H
sanctis: propter hoc necessariũ videtur, prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere: tum deinde etiam de cæteris quærere. Sicut enim multis apud Græcos & barbaros pollicentibus veritatem, desiuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postea quam credidimus filium esse Dei Christum, & ab ipso nobis hanc discendam persuasimus: ita cum multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. Illud tamen scire oportet: quoniam sancti apostoli fidẽ Christi prædicantes, de quibusdam quidem quæcunque necessaria crediderũt, omnib. credentibus, etiam his qui pigriores erga inquisitionẽ diuinæ sciẽtię videbantur, manifestissimè tradiderunt: rationem scilicet assertionis

eorum

A eorum relinquentes ab his inquirendã, qui Spiritus diuina excellentia, & præcipue sermonis sapientiæ & scientiæ per ipsum Spiritum sanctum percipere merebantur. De aliis vero dixerunt quidem quia sint: quomodo autem aut vnde sint, siluerunt: profecto vt studiosiores quoque ex posteris suis amatores sapientiæ & scientiæ exercitiũ habere possent, in quo ingenij sui fructum ostendere valerent: hi videlicet qui dignos se & capaces sapiẽtiæ præpararent. Species vero eorum quæ per prædicationem Apostolicam manifeste traduntur, istæ sunt. Primo, quod vnus est Deus, qui omnia creauit atque composuit: quique ex nullis esse fecit vniuersa, Deus à prima creatura & conditione mundi omnium iustorum, Deus Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, duodecim Patriarcharum, Moysi & Prophetarum. Et quod hic Deus in nouissimis diebus, sicut per Prophetas suos ante promiserat, misit dominum nostrum Iesum Christum: primo quidem vocaturum Israël, secũ-

B do vero etiam gentes, post perfidiam populi Israel. Hic Deus iustus & bonus pater domini nostri Iesu Christi, legem & Prophetas & Euãgelia ipse dedit: qui & Apostolorum Deus est, & veteris & noui testamenti. Tum deinde quia Iesus Christus ipse qui venit ante omnem creaturam natus ex patre est. Qui cum in omnium conditione patri ministrasset (per ipsum enim omnia facta sunt) nouissimis temporibus se ipsum exinaniens, homo factus est, incarnatus est cum Deus esset: & homo mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile: eo solo differens, quod natum ex virgine & Spiritu sancto est. Et quoniam hic Iesus Christus natus & passus est in veritate, & non per imaginem, communem hanc mortem, vere mortuus est: vere enim & à mortuis resurrexit, & post resurrectionem conuersatus cum discipulis suis, assumptus est. Tum deinde honore ac dignitate patri ac filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctum. In hoc non iam manifeste discernitur vtrum natus aut in-

C natus. Sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sancta scriptura, & sagaci inquisitione inuestiganda. Sane quod iste Spiritus sanctus vnumquemque sanctorum vel prophetarum vel Apostolorũ inspirauerit: & non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in aduẽtu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in Ecclesiis prædicatur. Post hæc iam quod anima substantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo discesserit, & pro suis meritis dispensabitur, siue vitæ æternæ ac beatitudinis potitura hæreditate, si hoc ei sua gesta præstiterint: siue igne æterno ac suppliciis mancipanda, si in hoc eam scelerum culpa detorserit. Sed & quia erit tempus resurrectionis mortuorũ: cum corpus hoc *quod in corruptione seminatur, surget in incorruptione: & quod seminatur in ignominia, surget in gloria.* Est & illud definitũ in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam esse rationabilem, liberi arbitrij & voluntatis: esse quoque ei certamen aduersus diabolum & Angelos eius, contrariasque virtutes: ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant: nos vero, si recte consulteque viuamus, ab huiuscemodi nos exuere

1. Cor 15.

D conemur. Vnde & consequens est intelligere non necessitati esse subiectos, vt omni modo etiam si nolimus, vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij simus, impugnare fortasse nos possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur vel recte agere, vel male. Quod fieri arbitrantur, qui stellarum cursus & motus causam dicunt humanorum esse gestorum: non eorum quæ extra arbitrij accidunt libertatem: sed eorum quæ in nostra posita sunt potestate. De anima vero vtrum ex semine traducis ducatur, ita vt ratio ipsius vel substantia inserta ipsis corporalibus seminibus habeatur. An vero aliud habeat initium: & hoc ipsum initium si genitum est, an non genitũ: vel certe si extrinsecus corpori inditur necne, non satis manifesta prædicatione distinguitur. De diabolo & Angelis eius contrariisque virtutibus, ecclesiastica prædicatio docuit, quoniam sint quidem hæc: quæ autem sint, vel quomodo sint, non satis clare exposuit. Apud plurimos tamen ista habetur opinio, quod Angelus iste fuerit

E diabolus, & apostata effectus, quam plurimos Angelorũ secũ declinare persuaserit, qui & nunc vsq; Angeli ipsius nuncupantur. Est præterea & illud in Ecclesiastica prædicatione definitum, & quod mundus iste factus sit, & à certo tẽpore cœperit, & pro ipsa sui corruptione soluendus: quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid post mundum erit, iam non pro manifesto multis innotuit. Non enim euidenter de his in Ecclesiastica prædicatione sermo profertur. Tum deinde quod per Spiritum Dei scripturæ conscriptæ sint & sensum habeant, non eum solum qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quam plurimos. Formæ enim sunt hæc quæ scripta sunt Sacramentorum quorundam & diuinarum rerum imagines. De quo totius Ecclesiæ vnus est sensus, esse quidem omnem legem spiritualẽ, non tamen ea quæ spirat lex, esse omnibus nota: nisi his solis quibus gratia Spiritus sancti in verbo sapientiæ ac scientiæ condonatur. Statim sequitur Appellatio autẽ ἀσωμάτου, id est, incor-

F porei, non solum apud multos alios: verumetiam apud nostras scripturas inusitata est & incognita. Si vero quis velit nobis proferre ex illo libello, qui Petri doctrina appellatur, vbi saluator videtur ad discipulos dicere, non sum dæmonium incorporeum. Primo respondendum est ei, quia liber ipse inter libros ecclesiasticos non habetur. Et ostendendum quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cuiusquam, qui Spiritu Dei fuerit inspiratus. Quód etiam si ipsum concederetur, non idem sensus ex isto sermone ἀσωμάτου indicatur, qui Græcis vel gentilibus auctoribus ostenditur, cum de incorporea natura à philosophis disputatur. In hoc enim libello incorporeum dæmonium dixit, pro eo quod ipse ille quicunque est habitus, vel circumscriptio dæmonici corporis, non est similis huic nostro crassiori & visibili corpori: sed secundum sensum eius qui composuit illam scripturam intelligendum est, quod dixit, id est, non esse tale corp⁹ quale habẽt dæmones: quod est naturaliter quod-

G dam subtile & velut aura tenue, & propter hoc vel putatur à multis, vel dicitur incorporeum: sed habere se corpus solidum & palpabile. In consuetudine vero hominũ, omne quod tale non fuerit, incorporeum in simplicioribus vel imperitioribus nominatur: velut si quis aërem istum quo fruimur, incorporeum dicat: quoniam quidem non est tale corpus, vt comprehendi ac teneri possit vrgentique resistere. Quærimus tamen si vel alio nomine res ipse quam Græci philosophi ἀσώματον, id est, incorporeum dicũt, in scripturis sanctis inuenitur. Deus enim quomodo ipse intelligi debeat requirendum est, corporeus, an secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturæ quam corpora sunt. Quod vtique in prædicatione nostram manifeste non designatur. Eadem quoque de Christo etiam & de Spiritu sancto requirenda sunt: sed & de omni anima atque omni rationabili natura nihilominus requirendum est. Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione, esse Angelos Dei quosdam & virtutes bonas, qui ei ministrent ad salutem hominum

H consummandam: sed quando isti creati sunt, & quomodo sint, nõ satis in manifesto distinguitur. De sole autem & luna & stellis, vtrum animantia sint, aut exanima, manifeste non traditur. Oportet igitur velut elementis ac fundamentis huiusmodi vti secundum mandatum quod dicit. Illuminate vobis lumen scientiæ, eum qui cupit seriem quandam & corpus ex horum omnium ratione cõficere: vt manifestis & necessariis assertionib. de singulis quibusq; quid sit in vero rimetur, vt vnum, vt diximus, corpus efficiat exemplis & affirmationibus: vel his quas in sanctis scripturis inuenerit, vel quas ex cõsequentia ipsius indagine ac recti tenore repererit. Scio quoniam conabuntur quidam secundum scripturas nostras dicere Deũ corpus esse: quoniam inueniunt scriptum esse apud Moysen: quod *Deus noster ignis cõsumens est.* In Euãgelio vero secũdum Ioannem, *Deus Spiritus est: & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Ignis vero & Spiritus non aliud apud eos quam corpus esse putabitur. Quos interrogare volo, quid dicant de eo quod scriptum est, Quia Deus lux est: sicut Ioannes in epistola sua

Heb 12. Ioan 4.

A dicit. *Deus lux est, & tenebræ non sunt in eo.* Ista nẽpe lux
1 Ioan. 1. est, quæ illuminat, omnẽ sensum eorũ qui possunt cape-
re veritatem: sicut in tricesimoquinto psalmo dicitur. *In
lumine tuo videbimus lumen.* Quid enim aliud lumen Dei
dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei,
per quam quis illuminatus, vel veritatem rerum omnium
peruidet, vel ipsum Deum cognoscit, qui veritas appel-
Psal. 35. latur? Tale est ergo quod dicimt. *In lumine tuo videbimus
lumen*, hoc est, in verbo tuo & sapientia tua, qui est filius
tuus, in ipso te videbimus patrem. Numquid nam quia
lumen nominatur, simile putabitur solis huius lumini?
Et quomodo vel eius aliquis dabitur intellectus, vt ex i-
sto quis corporali lumine causam scientiæ capiat, & veri-
tatis inueniat intellectum? Si ergo acquiescunt huic as-
sertioni nostræ, quam de natura luminis ipsa ratio demõ-
strauit, & fatentur non posse corpus intelligi Deum se-
cundum luminis intellectum: similis quoque ratio etiam
de igne consumente dabitur. Quid enim consumit Deus
secundum hoc quod ignis est? Nunquid nam putabitur
B consumere materiam corporalem, vt est lignum, vel fœ-
num, vel stipula? Et quid in hoc dignum de Dei laudibus
dicitur, si Deus ignis est huiusmodi materias consumẽs?
Sed si consideremus quia Deus consumit quidem & ex-
terminat: sed consumit malas mentium cogitationes,
consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum
se credentium mentibus inserit, & eas animas quæ verbi
eius ac sapientiæ efficiuntur capaces, vna cum filio suo
Ioan. 14. inhabitans, secundum quod dictũ est *Ego & pater venie-
mus, & mansionẽ apud eum faciemus*, omnibus eorũ vitijs
passionibusque consumptis, purum sibi eas seque dignũ
efficit templum. Sed & his qui per hoc quod dictum est:
quoniam Deus spiritus est, corpus esse arbitrantur: hoc
modo respondendum est. Consuetudo est scripturæ san-
ctæ, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori & so-
2. Cor. 3. lidiori designare vult, spiritum nominare: sicut dicit. *Lite-
ra occidit, spiritus autẽ viuificat*: in quo sine dubio per lite-
ram, corporalia signat: per spiritum, intellectualia, quæ
& spiritualia dicimus, Apostolus quoq; dicit. *Vsque in ho-
C diernum autem, cum legitur Moyses, velamẽ est positũ super
cor eorum. Cum autẽ conuersus quis fuerit ad dominum, aufe-
retur velamen. Vbi autẽ spiritus domini ibi libertas.* Donec
enim quis non se conuerterit ad intelligentiam spiritua-
lem, velamen est positum super cor eius: quo velamine,
id est, intelligentia crassiore, scriptura ipsa velari dicitur
vel putatur. Et hoc est quod ait superpositum esse vela-
men vultui Moysi, cum loqueretur ad populum, id est,
cum lex vulgo recitaretur. Si autem conuertamus nos ad
dominum vbi est, & verbum Dei: & vbi Spiritus sanctus
reuelat scientiam spiritualem, tunc auferetur velamen: &
tunc reuelata facie in scripturis sanctis gloriam domini
speculabimur. Sed & cum de Spiritu sancto multi sãcti
participant, non vtique corpus aliquod intelligi potest
Spiritus sanctus, quod diuisum in partes corporales per-
cipiat vnusquisque sanctorum: sed virtus profecto san-
ctificans est; cuius participium dicuntur habere omnes
D qui per eius gratiam sanctificari meruerũt. Et vt facilius
quod dicimus possit intelligi, ex rebus quamuis impari-
bus sumamus exemplum. Multi sunt qui disciplinæ siue
artis medicinæ participent: & nunquid putandum est
omnes eos qui medicinæ participant, corporis alicuius
quod medicina dicatur in medio positi, sibi auferre par-
ticulas, & ita eius participium sumere? An potius intelli-
gendum est, quod quicunque promptis paratisque men-
tibus intellectum artis ipsius disciplinæque percipiunt,
hi medicinæ participare dicantur? Sed hæc non omni-
modo similia exempla putanda sunt de medicina sancto
spiritui comparata: sed ad hoc tantummodo comprobã-
dum: quia non continuo corpus putandum est id, cuius
participatio habetur à plurimis. Spiritus enim sanctus
longe differt à medicinæ ratione vel disciplina: pro eo
quod Spiritus sanctus substãtia est intellectualis, & pro-
prie subsistit & extat. Nihil autem tale est medicina. Sed
Ioan. 4. ad ipsum iam sermonem Euangelij transeundum est, vbi
scriptum est. Quia *Deus spiritus est*: & ostendendum est,
quam consequenter his quæ prædiximus, intelligi de-
beat. Interrogemus namque quando ista dixerit saluator
noster vel apud quem, vel cum quo loqueretur. Inueni-
mus sine dubio quod ad Samaritanam mulierem loquẽs
ista protulerit: ad eam quæ putabat, quod in monte Gari-
zim secundum Samaritanorum opinionem, adorari o-
porteret Deum, dicens. *Quoniã Deus spiritus est.* Quære-
bat enim ab eo Samaritana mulier, putans eum vnum es-
se ex Iudæis, vtrum in Hierosolymis adorari oporteret
Deũ, aut in hoc monte: & ita dicebat. *Patres nostri omnes
in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quia Hierosolymis
est locus vbi adorare oportet?* Ad hæc ergo quæ opinabatur
Samaritana, putans quod ex locorũ corporaliũ prærroga-
tiua minus recte adoraretur Deus, aut à Iudæis in Hiero-
solymis, aut à Samaritanis in monte Garizim: respondit
saluator recedendum esse à præsumptione corporalium
locorũ huic qui vult Deum sequi, & ita ait: *Venit hora vt
veri adoratores, neq; in Hierosolymis, neque in hoc mõte ado-
rent patre. Deus spiritus est, & eos qui adorãt eum, in spiritu
& veritate oportet adorare.* Et vide quã consequenter ve-
ritatẽ spiritu sociat, vt ad distinctionem quidem corporũ F
nominaret spiritũ: ad distinctionẽ vero vmbræ vel imagi-
nis veritatẽ. Qui enim adorabãt in Hierosolymis, vmbræ
vel imagini cœlestiũ deseruientes, non veritati neq; spiri-
tui, adorabant Deum. Similiter autem & hi qui adorabãt
in monte Garizim. Omni igitur sensu qui corporeum ali-
quid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confuta-
to: dicimus secundum veritatem quidem Deum incõ-
prehensibilem esse atque inæstimabilem. Si quid enim
illud est, quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus,
multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod sen-
simus necesse est credi.

RVFFINI AD ANASTASIVM VRBIS ROMÆ EPISCOPVM, APOLOGIA pro fide sua.

AVdiui quosdam, cum apud beatitudinẽ tuam con- G
trouersias siue de fide, siue de alijs nescio quib. quæ-
stionibus commouerent: etiam mei nominis fecisse men-
tionem. Et tua quidem sanctitas, velut ab ipsis incunabu-
lis per ecclesiasticæ traditionis regulas instituta, de ab-
sente, sibique bene & in fide & in charite Dei cognito,
calumniantibus non accommodauit auditum. Ad me
tamen, quoniam appetitæ æstimationis meæ fama per-
uenit, æquum putaui, vt quoniam ipse post triginta fere
annos parentibus redditus sum, & durum satis atque
inhumanum erat, si tam cito desererem eos quos tam
tarde reuiseram; simul & quia tam longi itineris labor
fragiliorem me reddit ad iterandos labores, literis meis
satisfacerem beatitudini tuæ: nõ vt de sancta mente tua,
quæ velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquũ non
recipit, maculam suspitionis abstergerem: sed vt æmulis
aduersum me forte oblatrantibus, baculum quendam
tibi confessionis meæ, quo abigerẽtur, offerrem. Quam-
uis igitur fides nostra persecutionis hæreticorum tempo-
re, cum in sancta Alexãdrina Ecclesia degeremus, in car- H
ceribus & in exilijs, quæ pro fide inferebantur, probata
sit: tamen & nunc, si quis est, qui vel tentare fidem nostrã
cupit, vel audire, vel discere: sciat quod de Trinitate ita
credimus. Quod vnius naturæ sit, vnius Deitatis, vnius
eiusdemque virtutis, atque substantiæ: nec inter patrẽ &
filium & Spiritum sanctum sit prorsus vlla diuersitas: nisi
quod ille pater est, & hic filius, & ille Spiritus sanctus.
Trinitas, in personis subsistẽtibus, vnitas in natura atque
substantia. Filium quoque Dei in nouissimis diebus na-
tum esse confitemur ex virgine & Spiritu sancto: carnem
naturæ humanæ atque animam suscepisse, in qua passus
est, & sepultus, & resurrexit à mortuis: in eadẽ ipsa car-
ne resurgens, quæ deposita fuerat in sepulcro: cum qua
carne simul atque anima post resurrectionem ascendit in
cœlos; vnde & venturus expectatur ad iudicium, iudex
viuorum ac mortuorum. Sed & carnis nostræ resurre-
ctionem fatemur integre & perfecte futurã, huius ipsius
carnis nostræ, in qua nunc viuimus: non vt quidam ca-
lum-

A luminantur, alteram pro hac resurrecturam dicimus: sed hanc ipsam nullo omnino eius membro amputato, vel aliqua corporis parte desecta: sed cui nihil omnino ex omni natura sua desit, nisi sola corruptio. Hoc enim pro-
1. Cor. 15. mittit sanctus Apostolus, *Quod seminetur corpus in corruptione, & resurgat in incorruptione: & seminetur in infirmitate, surgat in virtute: seminetur in ignominia, surgat in gloria: & seminetur corpus animale, resurgat corpus spirituale:* Hæc nobis de resurrectione tradita sunt ab his à quibus sanctum baptisma in Aquileiensi Ecclesia consecuti sumus: quæ puto ipsa esse, quæ etiam Apostolica sedes tradere & docere consueuit. Dicimus quoque & iudicium futurum, in quo iudicio vnusquisque recipiat propria corporis prout gessit, siue bona, siue mala. Quod si homi-
Matt. 25. nes recepturi sunt pro operibus suis: quanto magis & diabolus, qui omnibus exstitit causa peccati? De quo illud sentimus quod scriptum est in euangelio: quia & ipse diabolus & omnes Angeli eius, cum his qui opera eius
B faciunt, id est, qui criminantur fratres, cum ipso pariter æterni igni hæreditatem patientur. Si quis ergo negat diabolum æternis ignibus mancipandum, partem cum ipso æterni ignis accipiat, vt sentiat quod negauit. Audio & de anima quæstiones esse commotas. De qua re vtrum recipi debeat querimonia, aut abiici, vos probare. Si autem & de me quid sentiam quæratur: fateor me de hac quæstione apud quamplurimos tractatorum diuersa legisse. Legi quosdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani seminis traducem etiam anima diffundatur: & hi quibus id poterant assertionibus, confirmabant. Quod puto inter Latinos Tertullianum sensisse vel Lactantium, fortassis & alios nonnullos. Alij asserunt quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas & infundat. Alij quod factas iam olim, id est, tunc cum omnia Deus creauit ex nihilo, nunc eas iudicio suo dispenset in corpore. Hoc sensit & Origenes, & nonnulli alij Græcorum. Ego vero cum hæc singula legerim, Deo teste dico: quia vsque ad præsens certi vel definiti
C aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero, & si cui ipse reuelare dignabitur. Ego tamen hæc singula & legisse me non nego, & adhuc ignorare confiteor: præter hoc quod manifeste tradit Ecclesia: Deum esse & animarum & corporum conditorē. Sane quia audio etiam inde esse disputatum, quod quædam Origenis, rogatus à fratribus, de Græco in Latinum transtuli: puto quod omnes intelligant, hæc pro solo liuore culpari. Si enim aliquid est quod displiceat in auctore, quare id ad interpretem detorquetur? Sicut in Græcis habetur, rogatus sum vt Latinis ostenderem. Græcis sensibus verba dedi Latina tantummodo. Siue ergo in illis sensibus laus inest aliqua, non est mea: siue culpa, similiter non est mea. Quinimo etiam illud adieci, sicut in præfatiuncula mea designaui, vt inquantum possem aliquanta deciderem: illa tamen quæ mihi in suspitionem veniebant, quod non ab ipso Origene ita dicta, sed ab aliis viderentur inserta, propter hoc quod de eisdem rebus in aliis locis eiusdem auctoris Catholice dictum legeram. Nemo ergo mihi ex hoc, quæso te san-
D cte ac venerabilis & beate pater, conflet inuidiam: nemo factionibus vtatur & calumniis, quod in Ecclesia Dei fieri non licet. Vbi enim simplicitas tuta erit & innocentia, si hic non erit? Origenis ego neque defensor, neque assertor sum, neque primus interpres. Alij ante me hoc idem opus fecerant: feci & ego postremus rogatus à fratribus. Si iubetur ne fiat, iussio obseruari debet in posterum. Si culpantur qui ante iussionem fecerūt, culpa à primis incipiat. Ego enim præter hanc fidem, quam supra exposui, id est, quam Romana Ecclesia, & Alexandrina, & Aquileiensis nostra tenet, quæque Hierosolymis prædicatur, alienam nec habui vnquam in isto homine, nec habeo, nec habebo. Et si quis aliter credit, quisque ille est, anathema sit. Reddent autem in die iudicij rationem hi, qui offendicula & dissensiones & scandala fratribus propter inuidiam solam generant & liuorem.

ANASTASII ROMANI EPISCOPI AD IOANNEM HIEROSOLYMORVM EPIScopum de Ruffino sententia. E

PRobatæ quidē affectionis est hoc, vt laudabiliter de sacerdote sacerdos loquatur. Pro tanto igitur præconio, quod in merita mea effusissime cōtulisti, vt amori tuo gratias ago: ita splēdorē tuæ sanctitatis, & eas quas in dño habes virtutes, subinde quodāmodo paruitatis nostræ fauorabilis sermo prosequitur: iam eminenter vir omniū præstantissime, laudū tuarum fulges nitore cōspicuus, vt par esse meritis sermo nō possit. Porro autē tāto titulorū tuorū rapior incitamēto, vt etiā quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudib. est tuis, quod me tātū de cœlestis animi istius serenitate laudasti. Tuus enim episcopatus ordo perspicuus per diuersum orbē velut radians, etiā ad nos splendoris sui detulit claritatē. In me
quippe totū amicitiæ tribuis, examini nihil relinquis. Aut F
si iure me laudas, tu quoque similiter relaudandus non es? Obsecro igitur ob vtrunque, vt memetipsum laudare iam desinas. Duplex enim causa me hoc poscere constringit, ne consacerdotis tui sensibus aut dolorem falsa laus ingerat, aut pudorem vera succendat. Sed ad causam reuertar. Ruffinus de quo me consulere dignatus es, cōscientiæ suæ habet arbitrum diuinam maiestatem, apud quam se integro deuotionis officio ipse viderit, qualiter debeat approbare. Origenes autem, cuius in nostram linguam composita deriuauit, ante quis fuerit, in quæ processerit verba, nostrum propositum nesciuit. Quod vero sit animi mei studium, cum tua paulisper hoc conferam sanctitate. Hoc igitur mente concepi, quod qui vrbis nostræ populis de translata Origenis lectione patefecit, quandam puris mentibus velut nebulam excitans iniectam, fidem Apostolorum maiorum traditione firmatā, velut deuiis anfractibus illum voluisse dissoluere. Discere hoc loco libet, quid agat in Romanam linguam ista translatio. Approbo, si accusat auctorem, & execrandum
factum populis prodit: vt iustus tandem odus teneatur, G
quem iamdudum fama constrinxerat. Si vero interpres tantorum malorum erroribus consensum præstat, & legenda impia dogmata prodit in populos: nihil aliud sui opera laboris extruxit, nisi vt propriæ veluti mentis arbitrio hanc, quæ sola, & quæ prima apud Catholicos Christianos vera fides iam ab Apostolis exinde vsque ad tempus præsens tenetur, inopinatæ titulo assertionis euerteret. Absit hæc ab Ecclesia Romana nequaquam Catholica disciplina. Nunquam profecto eueniet, vt aliqua hoc admittamus ratione, quod iure meritoque damnamus. Quapropter in toto orbe Christi Dei nostri diffusa prouidentia probare dignabitur, accipere nos omnino non posse, quæ Ecclesiā maculent, probatos mores euertant, aures circumstantium vulnerent, iurgia, iras, dissentionesque disponant. Quare nosce qualē epistolam ad fratrem & coëpiscopum nostrum Venerium diligentiori cura perscriptam paruitas nostra trāsmiserit, sibique hāc
conscientiam fecerim, quod non superflua laborem formidine, neque vano timore soliciter: mihi certe cura non H
deerit Euangelij fidem circa meos custodire populos, partesque populi mei, per quæque spatia diuersa terrarū diffusas, quantum possim literis conuenire: ne qua prophanæ interpretationis origo subrepat, quæ deuotas mētes immissa sui caligine labefactare conetur. Illud quoq; quod euenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum principum mānasse responsa, quibus vnusquisque Deo seruiens, ab Origenis lectione reuocetur: damnandūque sententia principum, quem lectio rerum prophana prodiderit. Hactenus sententiæ meæ forma processerit. Quod te vero vulgi de Ruffino querela solicitat, vt quosdam malis suspitionibus persequaris: hanc etiam opinionem constringā diuinæ lectionis exēplo: sicut scriptū est. *Non* 1 Reg. 16.
sicut videt homo, ita & Deus. Nā Deus videt in corde, homo in facie. Itaq; frater charissime, omni suspitione seposita, Ruffinum scito, quod propria mente Origenis dicta in Latinum transtulit ac probauit: nec dissimilis ab eo est,

A qui alienis vitiis præstat assensum. Illud tamē scire cupio, ita haberi à nostris partib. alienū, vt quid agat, vbi sit, nescire cupiamus. Ipse denique viderit, vbi possit absolui.

RVFFINI AQVILEIENSIS IN DIVVM HIERONYMVM INVECTIVARVM, liber primus.

PErlegi scripta tua, Apromane charissime, quæ ab amico & fratre bono de oriente ad virū nobilissimum Pammachium missa, transmisisti ad me: recordatus sum
Psal.5.6. sermonis prophetici qui ait. *Filij hominū dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorū machæra acuta.* Verū ad hæc vulnera quæ infliguntur ex lingua inter homines, medicus pene nullus est. Et ideo conuerti me ad Iesum cœlestem medicum, qui mihi antidotum potentissimum dedit de Euangelij sui pyxide prolatum, quod vim doloris spe futuri apud se iusti examinis solaretur. Porro ergo ipsa, quam temperauit Iesus, hæc erāt verba.
B
Matt.5. *Beati*, inquit, *estis cum vos persecuti fuerint homines, & dixerint aduersū vos omne malum mentientes. Gaudete & exultate, quoniā merces vestra multa est in cœlis.* Sic enim persecuti sunt & prophetas, qui erant ante vos. Et ego quidem quantū in me est, hoc medicamento contentus, de reliquo silere decreuerā, dicens apud me ipsum.
Matt.10; Matt.27. *Si patrēfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis nos*, licet indignos *domesticos eius*? Et si illi dictum est: Quia seductor est, & seducit turbas: ego cur indigner si audiam me hæreticum dici, & pro ingenij tarditate, vel potius cæcitate talpā nominari?
Matt.11. Et cum dominus meus, imo omnium Deus Christus, dictus sit *homo vorax, & vini potator, amicus publicanorū & peccatorū*: ego cur indigner si audiā, homo carnalis & in delitiis degēs? Verum quoniā respondēdi mihi vel ex parte iusta quædā necessitas videtur imponi: ex eo quod dicatur multos offendi de his quæ ab eo scripta sunt, nisi quid sit in causa pandatur, cōpellor contra votum meum
C & propositū respondere, ne forte reticendo videar crimē agnoscere, quamuis Christiano cætera crimina silendo depellere, exemplo domini gloriosum sit: sed tamen hoc in fide si fiat, maximū scandalum generat. Quia ergo in initiis huius inuectionis suæ, promittit se omissurū personas, & rebus tantum & criminib. responsurum, vtrumq; autem falsum est, nā cui respondeat crimini, quod nullus obtendit? Quomodo autem omittit personas, cum interpretem librorū toto inuectionis suæ textu indesinenter incuset & laceret? Nos omissa omni ironia, & ὑποκρίσεως tergiuersatione, quæ Deo execrabilis est, licet incomptis verbis & oratione incōposita respondebimus: veniā imperitiæ nostræ à legentibus concedendam non immerito præsumentes: quia non alios accusamus, sed nosmetipsos à maledictis purgare contendimus. Et ideo studemus, vt non tantum in nobis sermo, quantum veritas luceat. Sed priusquam incipiam purgare cætera, illud eum ante omnia vere dixisse confiteor, quod ait se non reddere male-
D dictum pro maledicto: hoc satis verum est. Nō enim pro maledictis, sed pro benedictis & laudib. conuicia & maledicta restituit. Neque, vt ait, verberanti dexteram maxillam offert alteram: sed palpanti & læuiganti maxillā, morsum improuisi dentis infigit. Cum enim nos in eo eloquentiā ac studium laudauerimus (interpretando duntaxat ex Græcis) & fidei eius nusquā derogauerimus, ille vtrunq; in nobis dānat: & ideo veniā etiā ipse nobis concedat, si forte aliquid aut asperius, aut incōptius dicimus: quia imperitū hominem ad respondendum lacessiuit, quē sciret non posse per multam dicendi artē, & eloquentiæ copiam id agere, vt is quem læsum vellet ac vulneratum, nec vulneratus videatur esse nec læsus. Hoc ergo eloquētiæ genus ab ipso requiratur, qui ad culpādum, seu vituperandum leui rumusculo commotus velut quis censor accurrit. Qui vero obiectas depellere à se maculas cupit, necessitate sibi responsionis imposita, non quam eleganter & ornate: sed quam vere respōdeat, cogitabit. Et quoniam inter principia ipsa ait. Quasi sine me hæretici esse non possint: primo hoc nobis ostendendū est, quod nec

E cum ipso, nec sine ipso hæretici sumus, vt cum de nobis constiterit quid simus, tunc demum nec de aliorum quidem dictis ad nos retorqueri possit infamia. Ego, sicut & ipse & omnes norunt, ante annos fere triginta in monasterio iam positus, per gratiam baptismi regeneratus, signaculum fidei cōsecutus sum per sanctos viros Chromatium, Iouinum, & Eusebium, opinatissimos & probatissimos in Ecclesia Dei Episcopos: quorum alter tunc presbyter beatæ memoriæ Valeriani, alter archidiaconus, alius diaconus, simulq; pater mihi & doctor symboli ac fidei fuit. Illi ergo sic mihi tradiderunt, & sic teneo, quod Pater & Filius & Spiritus sanctus vnius Deitatis sint, vnius substātiæ, coæterna, inseparabilis, incorporea, inuisibilis, incomprehensibilis trinitas, & sibi soli, vt est, ad perfectū nota: *quia nemo nouit filium nisi pater, neq; patrē quis nouit nisi filius. Et Spiritus sanctus est qui scrutatur etiā alta Dei.* Matt.11; & ideo caret omni visibilitate corporea: sed intellectuali illo Deitatis oculo videt patrē filius & Spiri-
F tus sanctus, sicut pater videt filium & Spiritum sanctum: nec est prorsus vlla in trinitate diuersitas, nisi quod ille pater est, & hic filius, & ille Spiritus sanctus. Trinitas in personarum distinctione, vnitas in veritate substantiæ: & quod vnigenitus filius Dei, per quem à principio omnia quæ sunt, facta sunt, siue visibilia, siue inuisibilia, in nouissimis diebus carne humana suscepta homo factus est, & passus est pro salute nostra. Et tertia die suscitata illa ipsa carne, quę posita fuerat in sepulcro, resurrexit à mortuis. Et cum ipsa eadem carne glorificata ascendit ad cœlos: vnde & expectatur venturus ad iudicium viuorum & mortuorum. Sed & simili modo nobis quoque spem resurrectionis dedit, vt eodem ordine, eadē consequētia, pari eademque forma qua ipse dominus resurrexit, nos quoq; resurrecturos esse credamus, non nubes, aut auras tenues, vt calumniantur: sed hæc ipsa, in quibus nunc vel viuimus, vel morimur, nostra corpora recepturi. Nam quomodo verum erit quod resurrectionem carnis credimus, nisi in ea vere & integre carnis huius natura ser-
G uetur? Absq; vllis ergo præstigiis, veræ & integræ carnis huius nostræ, in qua nūc sumus, resurrectionē fatemur. Verum ad maiorem rei fidem addo aliquid amplius: & calumniosorū necessitate compulsus, singulare & præcipuum Ecclesiæ nostræ mysterium pando. Etenim cum omnes Ecclesiæ ita sacramentū symboli tradant, vt postquam dixerint. Peccatorū remissionem, addant. Carnis resurrectionē. Sancta Aquileiensis Ecclesia Dei Spiritu futuras aduersum nos calumnias præuidente, vbi tradit carnis resurrectionem, addit vnius pronominis syllabā: & pro eo quod cæteri dicunt, carnis resurrectionem: nos dicimus huius carnis resurrectionem: quo scilicet frontem, vt mos est, in fine symboli signaculo contingentes, & ore carnis huius videlicet, quam contingimus, resurrectionem fatentes, omnem venenatæ aduersum nos linguæ calumniandi aditum præstruamus. Est ne aliquid hac confessione plenius? Est aliquid ista expositione per-
H fectius? Sed nihil, vt video, profuit nobis tanta hæc cautela Spiritus sancti. Inueniunt adhuc male loquaces linguæ calumniandi locum. Membra, inquit, singula nominatim nisi dixeris, & caput cum capillis suis, manus, pedes, ventrem, atque ea quæ sub vētre sunt, nisi expressius designaueris, carnis resurrectionem negasti. Hæc sunt nouelli sapientis inuenta, quæ beatos Apostolos tradēres fidem Ecclesiæ latuerunt: nec vlli sanctorum nisi huic soli per carnis spiritū reuelata sunt. Et nunc indecenter quidē proponit: sed audiat & honestius & verius quā proponit. *Primitiæ dormientium* Christus est, qui & *primogenitus ex mortuis dicitur*: sicut & Apostolus de resurgentibus 1.Cor.15. dicit. *Initium Christus est, deinde hi qui sunt Christi.* Habentes ergo indubitatas resurrectionis nostræ primitias, Christum, quid de cæteris dubitamus, cum certum sit quod qualibus membris, & qualibus capillis, qua carne, & quibus ossibus Christus resurrexit, & nos omnes resurgamus? Quia & ipse propterea se post resurrectionem Luc.24. palpandum discipulis præbuit, ne vlla de resurrectione eius cunctatio remaneret. Cum ergo ita eundē, & (vt ita dicam) palpabile & manu attrectandum nobis Christus

dede-

A

dederit suæ resurrectionis exemplum: ita aliquis insanit, vt aliter se resurrecturum putet, quam resurrexerit ille qui primus resurrectionis aditum patefecit? Vnde etiam illud veritatem huius confessionis affirmat, quod natura quidem carnis huius est ipsa, nec vlla alia quæ resurget, purgata tamen à vitiis resurget corruptione deposita: vt

1. Cor. 15

verum sit illud quod dicit Apostolus. *Quia seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignominia, surget in gloria: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Tanquã ergo spirituale & gloriosũ, & incorruptibile corpus suis propriis, & nõ aliunde assumptis exornabitur & illustrabitur membris; secundum eam gloriam, quam propositum nobis Christi seruat exemplum: sicut

Philip. 3.

Apostolus dicit. *Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, cõforme corpori claritatis filij sui.* Cum igitur per omnia in resurrectionis spe Christus proponatur ad formã, & primogenitus ipse sit resurgentiũ, atque omnis creaturæ ipse sit caput, sicut scriptũ est. *Qui est caput omnium,*

Colos. 1.

B

primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatũ tenens: quid inaniter verborũ pugnas, & malarum suspitionum certamina commouemus: cum in ea confessione, quam supra exposui, Ecclesiastica fides constet, & clarum sit quod ad incusandum non moueat aliquem diuersitas fidei, sed peruersitas animi? Verum quoniam in hoc loco cum de resurrectione carnis argueret, vt ei mos est, miscuit seriis ridicula & ludicra dicens: Mulieres quasdam de nostris mammillas suas tenentes, vel leues contractantes genas, cum plausu fœmoris & ventris dicere solere: quid nobis prodest resurrectio, si corpus iterum fragile resurget? Futuræ Angelorum similes, Angelorum habebimus & naturam. Quas hic mulierculas incuset, & si laceratione dignæ sint, ipse viderit. Aut si enim se putat qui prædicat, non esse lumm talione mordere: vel certe si æquanimiter fert suas mulierculas veris & non fictis, neque cõmentitiis remorderi: hic inquam ipse viderit. Nos interim quod ille promiserat implentes, non reddimus talionem. Sed, vt video, isti cui displicet mulier, quæ negat se ex resurrectione fragile corpus habituram, sine du-

C

bio placet ei fragilitatem corporis permansuram. Et vbi

1. Cor. 15.

est quod dicit Apostolus. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale:* quam fragilitatẽ vis esse in corpore spirituali? Et quod resurget in virtute, quomodo iterũ fragile erit? In virtute quod fragile est quomodo erit? Nonne melius dicunt mulierculæ quam tu, quæ negant vltra fragilitatem corpori dominaturam? Quid illas irrides, quæ sequuntur Apostolum dicentem. Quia corruptibile hoc induet incorruptionem: & mortale hoc induet immortalitatem? Apostoli non docuerunt fragile corpus futurum esse, quod resurget à mortuis: sed econtrario in virtute, & in gloria resurrecturum dicunt. Tu hoc vnde nunc profers? Nisi forte à Iudæis aliquibus noua nunc lege promulgatur Ecclesiæ, vt etiam ista discamus. Est enim Iudæorum vere de resurrectione talis opinio, quod resurgent quidẽ sed vt carnalibus delitiis, & luxuriis, cæterisque voluptatibus corporis perfruantur. Quæ autem alia est fragilitas corporis, nisi corruptela membrorum, irritatio gulæ, &

D

incitamenta libidinis? Sed patimini quæso vos, si tamen Christum amatis, in incorruptione absq; his esse corpus quod resurget à mortuis, fas sit aliquando cessare. Credamus in resurrectione desinere etiam licitos coitus, ne & illicitis subrepant, quamdiu horum nõ sit obliuio: quid tam sollicite, quid tam curiose discutitur & pertractatur venter, & ea quæ sub ventre sunt? Et carnales & deliciosos esse dicitis: cum vos, vt video, ab his cessandum nec in resurrectione credatis. Neque ergo naturam carnis huius, in qua nunc viuimus, resurgere denegemus: neq; rursus cum ea carnis vitia pariter inuoluamus: Sed caro quidem resurget, & non alia pro alia, sed hæc ipsa: nec naturã perdet, sed fragilitatem & vitia deponet: alioqnin nec immortale erit quod fragile permanserit. Et ideo nos neque vobiscum, neque sine vobis hæretici sumus. Ecclesiæ enim fides, cuius nos alumni sumus, media incedens inter vtrunque discrimen, neqne naturæ carnis vel corporis (quod resurget à mortuis) denegat veritatem: neque

E

econtra Apostoli sententiam incorruptionem futuri regni dicit à corruptione possidendam. Non ergo carnem, vel corpus perditis, vt ait, aut amputatis membris resurgere dicimus: sed totum & integrum corpus, corruptione tantum & ignominia ac fragilitate depulsa; atque omnibus mortalitatis vitiis pariter amputatis: ita vt nihil prorsus ex natura sua desit spirituali illi corpori, quod resurget à mortuis, nisi illa corruptio. Latius quam proposueram, huic vni titulo de resurrectione respondi, verens ne iterum per breuitatem aliquib. calumniis pateremus. Et ideo non solum corporis in quo calumniatur, sed & carnis fecimus frequenter mẽtionem: & non solum carnis, sed addidimus huius carnis: & non solum huius carnis, sed & naturam huius carnis commemorauimus: nec contenti fuimus hoc, sed ne membrorum quidem resurrecturis integritatem diximus defuturam. Ita tamen vt secundum Apostoli definitionem, corpus quod resurget ex corruptibili, incorruptibile: ex ignobili, gloriosum: ex fragili, immortale: ex animali, spirituale credatur: ita vt demum spiritualis corporis membra, absq; vllis esse cor-

F

ruptelæ vel fragilitatis suspitionibus sentiamus. Designaui fidem meam de trinitate: designaui de incarnatione, passione ac resurrectione: & de secundo aduentu in gloria, & de iudicio futuro domini Saluatoris nostri. Designaui & de resurrectione carnis nostræ: & nihil (vt opinor) ambiguum dereliqui. Quid nunc superest? Nihil arbitror quantum ad fidem pertinet. Sed in eo te, inquit, arguo, quod Origenem interpretatus es, qui restitutionem omnium dicit futuram, in qua non solum omnes peccatores absoluendos: sed & ipsum diabolum & Angelos eius, quando que dicit relaxandos esse de pœnis, vt restitutio omnium consequenter possit intelligi. Et animas ante dicit creatas esse quam corpora, easq; de cælo deductas, & corporibus insertas. Ego nunc nihil pro Origene ago, nec Apologeticum pro ipso scribo. Siue enim stat apud Deum, siue lapsus est, ipse viderit: suo domino stat aut cadit. Sed cogor in aliquibus eius facere

G

mentionem: quia dum illum arguit rhetor noster, non iam oblique, sed palam mucrone districto me petit: & totus fertur in me. Et quid dico me petit? Iam vero vt in me desæuiat, nec institutori suo parcendum putat se ex his quos interpretatus sum libellis eius, posse in me aliquid calũniæ retorquere: quia inter cætera quæ culpat in nobis, etiam inuidiosius hoc addidit, dicens: me hoc opus ad interpretandum delegisse, quod neque ipse, neque alius quis veterum interpretum delegisset. Huius ergo rei causam primo cur hoc opus potissimum adorsus sim, quia hinc maxime mordeor, quam potero paucissimis & verissimis absoluam. Licet id apud te, fili mi charissime, qui rem vt gesta est nosti, superfluum videatur: tamẽ & ignorantes conuenit noscere: simul etiam quia & hoc non solum ipse, sed & omnis schola eius iactat de nobis, quod cum aliter promiserimus nos in præfationibus translaturos, aliter fecerimus in opere, ideo non solum ipsis, sed & aliis respondebimus, quibus vel proprius liuor mentem, vel criminatio aliena conturbat. Vir fide, eruditione, nobilitate, vita clarus Macarius, cũ opuscula

H

aduersus fatum, vel mathesim haberet in manibus, eaque vtili & pernecessario labore componeret: in aliquantis vero, quia erat perdifficilis materia, de diuinæ prouidentiæ differere dispensationibus hæsitaret: per soporem sibi à domino tale aliquid dicebat ostensum: quod nauis ei quædam demonstraretur eminus aduentare per pelagus, quæ cum portum fuisset ingressa, nodos suæ hæsitationis absolueret. Exurgens vero cum de visu solicitus cogitaret, nos superuenisse aiebat in tempore: quibus continuo & opuscula sua, & ambiguitatem indicauit & visum. Quid porro Origenes, quem opinatissimum apud Græcos audierat, sentiret de talibus percunctatur, breuiterque sibi eius de singulis quibusque sententias orat exponi. Ego rem primum dicebam factu esse difficilem: sanctum tamen Pamphilum martyrem dixi quadam ex parte tale aliquid operis conscripsisse in Apologetico suo. Continuo id sibi poscit in Latinum verti. Nullum dicebam me vsum huiuscemodi operis habuisse: & ad

A Latinum sermonem tricenali iam pene incuria torpuis-
se. Perstitit tamen deprecans qualicunque sermone no-
titiam sibi tantum eorum quæ cupiebat, ostendi. Cum-
que id quo potui sermone fecissem, maiori desiderio ac-
census est ad illa ipsa plenius cognoscenda, è quibus pau-
ca illa quæ transtuleram videbantur assumpta. Excusan-
tem me vrgere vehementius cœpit, & sub Dei testimo-
nio conuenire: ne sibi ad opus bonum quæ se auxilia iu-
uare possent, denegarem. Cumque vehementer insiste-
ret, & desiderium eius secundum Deum esse perspice-
rem: acquieui tandem, & interpretatus sum quidem. In
præfatiunculis tamen vtriusque operis, & maxime in
Pamphili libello, quam primum transtuleram, exposui
primo omnium fidem meam: & protestatus sum, me
quidem ita credere, sicut fides Catholica est. Si quid au-
tem vel legeretur, vel interpretaretur à me, id me salua
fidei meæ facere ratione. In istis vero Peri archō libellis,
etiam illud admonui, quod cum in ipsis libris inuenien-
tur quædam de fide ita Catholice scripta vt ecclesia præ-
B dicat: quædam autem his contraria, cum de vna eadem-
que re dicantur: mihi visum sit hæc secundum illam sem-
per regulam proferenda, quam ipse Catholicæ sententiæ
expositione protulerat: & ea quæ à semetipso inuenien-
tur esse contraria, vel inserta ab aliis (id enim epistolæ suæ
querimonia contestatur) abiicerem: vel certe vt nihil æ-
dificationis in fide habentia præterirem. Non autem su-
perfluum puto videri, inserere etiam ipsa loca de præfa-
tiunculis meis, vt nihil careat teste quod dicimus. Sane
ne in legendo error sit ex his quæ huic scripturæ nunca-
liunde inserimus: si quidem mea sunt, simplices aduer-
sum capita habent notas, si accusatoris mei, duplices. Ex
præfatiuncula in Apologetico Pamphili, post aliquanta
ita diximus. Qualiter ergo sentiat Origenes, tenor libelli
huius edoceat. De his autem quæ apud eum contraria
sibi inueniuntur: quid causæ sit, in vltimo breui adiecta
assertione docebimus. Nos autem sicut traditum est no-
bis à sanctis Prophetis ita tenemus: Quod sancta trinitas
coæterna sit, & vnius virtutis atque substantiæ: & quod
C filius Dei in nouissimo tempore homo factus est, & pro
peccatis nostris passus est: & in ea ipsa carne, in qua pas-
sus est, resurrexerit à mortuis: propter quod & resurre-
ctionis spē humano generi tribuit. Carnis vero resurre-
ctionem, non per aliquas præstigias, sicut nonnulli ca-
lumniantur, dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nūc
viuimus resurrecturam credimus: non aliam pro alia, ne-
que corpus aliud, quam huius carnis dicimus. Siue ergo
corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum
dicimus: hoc enim nomine vsus est ille. Siue carnem di-
cimus, secundum traditionem symboli cōfitemur. Stulta
enim adinuentio calumniæ est, corpus humanum aliud
putare esse quam carnem. Siue ergo carnem secundum
communem fidem, siue corpus secundum Apostolum
dicimus quod resurget: ita credendum est, sicut Aposto-
1 Cor. 15. lus definiuit. Quia quod resurget, in virtute resurget, &
in gloria & incorruptibile ac spirituale corpus. Saluis er-
go prærogatiuis futuri corporis vel carnis, resurrectio
D carnis credenda est integre atque perfecte: vt & natura
carnis eadem seruetur, & incorrupti ac Spiritualis cor-
poris status & gloria non infringatur. Sic enim scriptum
est. Quia corruptio incorruptionem non possidebit.
Hæc sunt, quæ in Hierosolymis in Ecclesia Dei, à sancto
sacerdote eius Ioanne prædicantur: hæc nos cum ipso &
dicimus, & tenemus. Si quis præter hæc vel credit, vel
docet, vel à nobis aliter credi quam exposuimus putat,
anathema sit. Nostræ ergo fidei documentum si quis ha-
bere vult, habeat ex his. Si quid autem legimus, aut asse-
rimus, aut interpretamur, salua huius fidei nostræ facim⁹
1 Thes. 5. ratione: secundum Apostolū *omnia probantes, quod bonū*
Psal. 124. *est tenentes: ab omni specie mala nos abstinentes. Et si qui*
hāc regulam sequuntur: pax super illos, & super Israel Dei.
Cum igitur hæc ego antequam calumniatorum aliquis
exurgeret, de mea fide præfatus sim, ne quis forte diceret,
quod ab ipsis admonitus vel coactus, hæc modo dice-
rem, quæ ante non senseram: cumque me si quid
illa interpretandi necessitas poposcisset, integro fidei
meæ statu facturum esse promiserim: quomodo ad- E
huc locus calumniantibus datur, cum vtique prima
confessionis meæ vox, ab omni suspitione contrarij
dogmatis tutum me faciat & munitum? Præterea e-
nim, vt & superius prædixi, domini sermone didici:
quia ex suis vnusquisque verbis, & non ex alienis vel
iustificabitur, vel condemnabitur. Sed & in ea nihilo-
minus præfatiuncula, quam in ipsis Peri archon libris
præmisimus, qualiter interpretationis nostræ fidem
obseruandam diximus, ex ipsis æque sermonibus
comprobetur. Æquum namque est etiam ex ipsa quæ
ad rem pertinent inseri. Nam cum honoris gratia men-
tionem fecissemus huius viri, qui hæc nunc adducit ad
crimen, pro eo quod ante nos ipse prior Origenis quam
plurima fuisset interpretatus: & eius vel eloquentiam in
explicando, vel in interpretando diligentiam laudasse-
mus, cumque nobis sequendum in opere simili dicere-
mus: post aliquanta etiam ad hoc adiecimus. Hunc ergo
etiam nos, licet non eloquentiæ viribus, disciplinæ ta-
men regulis in quantum possumus, sequimur: obseruan- F
tes hoc, ne ea quæ in libris Origenis à semetipso discre-
pantia inueniuntur atque contraria, proferamus. Me-
mēto qui legis, ne hic te breuiter dictus sermo prætereat
quem dixi: quia non proferam ea quæ in libris Origenis
à semetipso discrepantia inueniuntur atque contraria.
Non enim generaliter promisi me prolaturum quæ es-
sent fidei contraria, sed quæ ipsi sibi essent contraria, vel
quæ à semetipso discrepant, non quæ à me vel ab alio ali-
quo discreparent. Non ergo hoc sermone subripientes i-
nimici calumnias generent, vt dicant me promisisse, quia
si quid contrarium est, vel discrepat à fide nostra, profe-
ram. Hoc etiam si facere potui, tamen promittere non
auderem. Et si quidē factum hoc in opere meo inuenies,
amplecti poteris. Si vero in aliquo tibi minus impletum
videtur, culpare non poteris, quia professionis meæ tale
vinculum non tenes. Sed coniungamus etiā cætera. Cu-
ius diuersitatis, inquā, causas plenius tibi in Apologetico
quem Pamphilus pro libris ipsius Origenis scripsit, edidi- G
mus, breuissimo libello superaddito, in quo euidenti-
bus, vt arbitror, probamentis, corruptos esse in quā pluri-
mis ab hæreticis & maliuolis libros eius ostendimus: &
præcipue istos quos nūc exigitis vt interpretemur, id est,
Peri archon, quod vel de principiis, vel de principatibus
dici potest, qui sunt reuera & obscurissimi & difficillimi.
De rebus enim talibus ibi disputat, in quibus philosophi
omni sua ætate consumpta, nihil inuenire potuerūt. Hic
vero noster quantum potuit id egit, vt creatoris fidem, &
creaturarum rationē, quam illi ad impietatem traxerant,
ad pietatem iste conuerteret. Etiam hic diligentius inspi-
ce, vt non te prætereat, quod creatoris quidem fidem di-
ximus, creaturarum vero rationem: scientes quod ea quæ
de Deo dicuntur, ad fidem pertinent: quæ vero de crea-
turis disputamus, ad rationem. Sed quod sequitur adhuc
addamus. Sicubi ergo nos in libris eius aliquid contrarij
inuenimus, quod ab ipso in cæteris locis pie de trinitate
fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut
prætermisimus, aut secundum eam regulam protulimus, H
quam ab ipso frequenter inuenimus affirmatam. Nun-
quid & hic incaute aliquid diximus? Nunquid dixi, quia
secundum fidei nostræ regulam protuli, quod erat vti-
que iam penitus modum interpretis, & ex Græco in La-
tinum vertentis excedere? Sed secundum eam regulam
protulisse me dixi, quā ab ipso frequenter inuenimus af-
firmatā. Item his addidimus. Si qua sane velut peritis
iam & scientibus loquens, dum breuiter transire vult ob-
scurius protulit, nos vt manifestior fieret locus, & ea quæ
de ipsa re in aliis libris apertius legeramus adiecimus, ex-
planationi studentes. Nihil tamen nostrum diximus:
sed licet in aliis locis dicta, sua, tantum sibi reddidimus.
Puto quod etiam apud iniquissimos iudices sufficere mi-
hi posset sola ista confessio, qua dixi. nihil nostrum dixi-
mus, sed licet in aliis locis dicta, sua tamen sibi reddidi-
mus. Nunquid me in aliquo obnoxium feci? Nunquid
promisi me meum aliquid dicturum? Vbi est quod accu-
sant, quod calūniantur, quod cōfingunt me dixisse, quia
mala

A mala tuli, & bona dixi, & quæcunque bona sunt transtuli? Erubescant aliquando, & desinant falsa proferre, & diaboli in se opus fratres criminando suscipere. Audiant, quia nihil nostrorum diximus: & iterum ac sæpius audiant, quia nihil nostrum diximus, sed licet in aliis locis dicta, sua tamen sibi reddidimus. Et ne nos absque domini misericordia huic operi manus existiment commodasse, videant nos hæc ipsa ante prædixisse quæ faciunt. Post hoc enim addidimus etiam ista. Hæc tamen idcirco in præfatione commonui: ne fortè calumniatores iterum se criminandi putent inuenisse materiam. Quod dixi, iterum, illa est causa: quia iam sancti Episcopi Ioannis epistolam de fide ad sanctum Theophilum scriptam, criminati sunt: quando corpus humanum aliud nescio quid fingebant esse quam carnem: idcirco iterum posui. Sed videris, inquam, quid peruersi atque contentiosi homines agant. Nobis interim tantus labor, si tamen orantibus vobis Deus iuuerit, idcirco susceptus est, non vt calumniosis os, quod fieri non potest, licet fortè etiam

B hoc Deus faceret, clauderemus: sed vt proficere ad scientiam rerum volentibus, materiam præberemus. Vt autem scias & quod falsaturi hæc essent, & præuidimus & prædiximus: vide quid in sequentibus iunxerimus. Illud sanè, omnem qui hos libros descripturus est, vel lecturus, in conspectu Dei Patris & Filij & Spiritus sancti cōtestor atque conuenio per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, si non illum locum æterna hæreditate possideat, vbi est fletus & stridor dentium, & vbi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur: ne addat aliquid huic scripturæ, ne auferat, ne inserat, ne immutet. Et tamen post ista omnia tam horrifica, tamque horribilia adiurationum sacramenta, falsare hæc atque corrumpere non timuerunt illi, qui se dicunt credere resurrectionem carnis futuram. Qui vel hoc ipsum si crederent quod Deus est: nunquam hæc tam criminosa & nefanda committerent.

C Vbi tamen in his quæ præfati sumus, aut Origenes laudibus vsque ad cœlum, vt criminatur, elatus est: vbi Apostolus aut Propheta, aut tale aliquid à nobis, quale ipse de eo scripserat, dictum est? Aut in quo prorsus alio inueniunt criminandi locum? Fidem nostram præmisimus, quæ puto quod in omnibus cum ecclesiastica confessione concordet. Interpretandi obseruantiam distinximus: cuius re verà nobis in quam pluribus exemplum ipse præbuerat, qui nunc accusator existit. Quid propositi in interpretando gesserim designaui. Iam si plenè id, aut minus plene implere valui, à legentibus comprobetur, à quibus vel laudari, vel rideri solet: non tamen ad crimen vocari: cum in alteram linguam vel propriè, vel minus propriè aliena verba vertuntur. Verum quoniam eorum fecimus mentionem, qui hæc ipsa, quoquo modo sunt, tamen nisi falsa sint, criminari ea nullatenus potuissent: ipsum caput in quod manus falsarias imposuerunt, conueniens puto huic Apologiæ nostræ inserere: ne me studio meo subtrahere putent hoc, quod illi addito suo falsa crimina obtendunt.

D Etenim cum in quodam supradicti operis loco, quem interpretati sumus, quæstio haberetur aduersum eos qui Deum corporeum dicunt, & humanis eum membris habituque describunt: quod asserere præcipuè Valentinianorum & Anthropomorphitarum hæresis solet: cui isti accusatores nostri nimis, vt video, dextras dederunt, & Origenes ecclesiasticam contra eos fidem defendens, omni genere incorporeum esse Deum, & idcirco etiam inuisibilem confirmaret, prouocante se ordine quæstionis, respondit contra hæreticos in hoc loco quædam: quæ à nobis isto modo versa sunt in Latinum. Ex primo libro Peri archon post aliquanta. Verum istæ assertiones minus fortasse auctoritatis habere videntur apud eos qui ex sanctis scripturis de rebus diuinis institui volunt: & inde sibi approbari quærunt, quomodo natura Dei supereminet corporum naturam. Vide ergo si non etiam Apostolus hoc

Colos. 1. idem ait, cum de Christo loquitur dicens. *Qui est imago inuisibilis Dei primogenitus omnis creaturæ.* Non enim,

E vt quidam putant, natura Dei alicui visibilis est, & aliis inuisibilis: quia non dixit Apostolus, imago inuisibilis Dei hominibus, aut inuisibilis peccatoribus, sed valde constanter pronunciat de ipsa natura Dei dicens, imago inuisibilis Dei. Sed & Ioannes in Euangelio dicens. *Deum* Ioan. 1. *nemo vidit vnquam*: manifeste declarat omnibus qui intelligere possunt: quia nulla natura est, cui visibilis sit Deus, non quasi qui visibilis sit quidem per naturam, & velut fragilioris creaturæ euadat atque excedat aspectū: sed quoniam naturaliter videri impossibile est. Sed si requiras à me, quid etiam de ipso vnigenito sentiam, si ne ipse quidem visibilem dicam Dei naturam, qui naturaliter inuisibilis est: non tibi statim vel impium videatur esse, vel absurdum: rationem quippe dabimus consequenter. Aliud quidem est videre, aliud noscere. Videri & videre corporum est: nosci & noscere intellectualis naturæ est.

F Quicquid ergo proprium corporum est, hoc nec de patre, nec de filio sentiendum est. Quod vero ad naturam pertinet deitatis, hoc inter patrem & filium constat. Denique etiam ipse in euangelio non dixit: quia nemo videt patrem nisi filius, neque filium nisi pater: sed ait. *Ne-* Matt. 11. *mo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius.* Ex quo manifeste indicatur, quod quicquid inter corporeas naturas videre & videri dicitur: hoc inter patrem & filium noscere dicitur & nosci, per virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem. Quia ergo de incorporea natura & inuisibili, nec videre proprie dicitur, nec videri: idcirco neque pater à filio: neque filius à patre videri in euangelio dicitur, sed nosci. Quod si proponat nobis aliquis, quare dictum est: *Beati mundo corde, quo-* Matt. 5. *niam ipsi Deum videbunt*? multo magis ex hoc, vt ego arbitror, assertio nostra firmabitur. Nam quid aliud est corde Deum videre, nisi secundum quod supra exposuimus, mente eum intelligere atque cognoscere? Istud est caput, quod iste qui ad insidiandum mihi de Oriente transmissi sunt, non solum peruersa intelligentia: verum etiam

G verborum adulterio conati sunt infamare. Quod ego idcirco, vt alia quoque nonnulla eius quem interpretabar scriptoris, suspectum habere non potui, neque prætermittendum iudicaui: quia non in eo aliquid de comparatione patris ac filij dicebatur, sed de ipsa deitatis natura quærebatur: si ei aptum vllo genere visibilitatis vocabulum videretur. Respondi vt supra diximus his hæreticis, qui idcirco Deum visibilem esse asserunt: quia & corporeum dicunt, pro eo quod visio proprie corporis est. Vnde & illi Valentiniani, quod supra diximus, hæretici: corporaliter & visibiliter generasse patrem, & generatum filium dicunt. Refugiens ergo, vt opinor, Origenes visionis appellationem tanquam suspectam: ait melius esse in natura deitatis, id est, inter patrem & filium vti illo sermone, quem ipse dominus definiuit, dicens: Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius: omnem ergo occasionem supradictis hæresibus credidit excludendam, si notionem in natura deitatis potius diceret, quam visionem: dum visio occasionem aliquam præbere videatur hæreticis.

H Notio vero vnius naturæ inter patrem & filium seruat indissociabilem veritatem: præcipuè quia euangelij talis auctoritas est. Simul & cautelæ per hoc plurimum credidit fore, ne Anthropomorphitæ quoquo modo audirent visibilem Deum. Hæc ratio, quia non faciebat aliquam differentiam trinitatis, visa mihi est non debere penitus abiici, etiam si aliqua verba in Græco incautius fortasse posita, declinauimus. Sit sanè adhuc in iudicio legentium: vtrum & hoc aduersum supradictas hæreses vtile, aut minus vtile videatur. Tamen ponamus quod etiam hi, qui norunt de literis & huiuscemodi sensibus iudicare, quibus cum peritia adest & timor Dei: qui nihil per contentionem, neque per inanem gloriam gerunt, quorum animus ab inuidia, & fauore, & odio vacat, dicant non multum ad instructionem, vel ad expugnandas supradictas hæreses caput istud valere: nunquid nam id non licet præterire, & tanquam minus validum ad depellendos aduersarios transcurrere? Pone quia sit otiosum, nunquid & criminosum? Quomodo criminis

A

loco ducetur, vbi inuisibilitatis æqualitas inter patrem & filium & Spiritum sanctum confirmatur? Non puto hoc ita quiquam videri. Et quid dico cuiquam? Sed ne istis quidem ipsis criminatoribus meis aliquid in meis literis visum esse quod possit offendere. Denique si hoc putassent: ipsa sicut transtuleram, mea verba posuissent. Sed nunc ausculta quid faciunt: & flagitij eorum require si vllum præcessit exemplum. In eo loco vbi scriptum erat. Quod si requiris à me, quid etiam de ipso vnigenito sentiam: si ne ipse quidem visibilem dicam naturam Dei, qui naturaliter inuisibilis est. non tibi statim vel impium videatur esse, vel absurdum: rationem quippe dabimus consequenter. Pro eo quod nos scripsimus (rationē quippe dabimus consequenter) illi scripserunt: non tibi statim impium vel absurdum videatur esse, quia sicut filius patrem non videt ita nec Spiritus sanctus videt filium. Hoc si in foro positus, vel negotiis sæcularibus commisisset iste, qui de monasterio Romam quasi calumniandi peritissimus missus est: norunt omnes quid consequeretur ex legibus publicis eiusmodi criminis reus. Nunc vero quia sæcularem vitam reliquit, & à tergiuersatione illa actuum publicorum ad monasterium conuersus est, & adhæsit magistro nobili: ab ipso edocetur iterum pro mo-

B

destia furere, insanire: pro quiete, seditiones mouere: pro pace, mouere bellū: pro concordia, mouere dissidia: perfidus esse pro fide, pro veritate falsarius. Crede mihi quod huius sceleris nequitia etiam verum fuisset exemplar, nisi Hiezabel tibi illa occurrisset. Illa est enim quæ hoc crimen

3 Reg. 21.

aduersus Nabuthæum Hiezraheliten vineæ causa composuit: & mandauit presbyteris iniquitatis falsis eum conscriptionibus perurgere, quasi qui benedixisset, id est, blasphemasset Deum & regē. Sed quis in hoc infelicior, illa quæ mandat, aut hi qui mandato iniquitatis obtemperant? Grauia hæc, & (vt opinor) in ecclesia pene huiusmodi facinus inauditū est. Sed additur adhuc aliquid. Requiris quid illud? Vt rei iudices fiant, & insidiatores sententias ferant. Nam errasse scribentem, aut lapsum esse in sermone, nouum non est, & vt opinor venia di-

C

gnum est: quia & scriptura dicit. In multis enim offendi-

Ia. 3.

mus omnes: qui autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Erratum putatus in verbo? Corrigatur, emendetur, si id vtilitas postulat, & auferatur. Inseri vero quæ non sunt scripta literis alienis: & falsa interseri ad hoc solum vt vitam fratris infames: temerare aliena scripta, vt scriptori inferas notam, vt subrepas auribus populorum, vt conturbes corda simplicium, vt nihil aliud ex eo nisi apud homines opinioni maculam inferas: videte si alterius est opus, nisi illius qui ab initio mendax fuit, & fratrer criminando, diabolus, id est, criminator, nomen accepit. Nam cum falsam huiusmodi sententiam apud Mediolanum recitaret, & à me, quæ exigebat, falsa esse dicerentur: interrogatus à quo accepisset exemplaria, respondit matronam quandam sibi dedisse, de qua ego, quæcunque illa est, nihil dico: sed sui eam & Dei conscientiæ derelinquo. Mihi tamen in hoc Dei & vestri sufficit testimonium, id est, tuum & sancti viri ipsius, cui hoc opus gere-

D

bam Macarij, qui schedulas ipsas meas vel ab initio legistis, vel etiam licet nondum completa, & ad integrum emendata exemplaria retinetis, id est, quia sicut filius non videt patrem, ita nec Spiritus sanctus filium videt, id est, quod ego non solum vnquam non scripsi: sed econtrario, quia ille falsauit, indico. Si quis negat, quod non ita videt filius patrem, sicut pater filium: & non ita videt Spiritus sanctus patrem & filium, sicut videt pater filium & Spiritum sanctum, anathema sit. Videt enim & verissime videt: sed vt Deus Deum, & lux lucem, & non vt caro carnem: sed vt Spiritus sanctus non corporeis sensibus, sed virtutibus deitatis. Si quis hæc negat, sit anathema in æternum. *Qui autem vos conturbat,* sicut dicit Apostolus,

Gal. 5.

portabit iudicium quicunque est ille. Memini sanè quod aliquis eorum cum argueretur falsasse hæc, respondit mihi in Græco ita haberi: me autem in Latino immutare voluisse. In quo omitto illud exequi, quia nec quidem verum dicunt: sed tamen ponamus, quia sic est in Græco: & ego in Latino hoc non scripseram. Promiseram me enim in præfatiunculis tale aliquid facturum. Quod si feceram,

E

vt quod ibi offendebat in Latino commodius scriberetur: qui absque promisso, vel quid absque ratione nostra feceram? Tu certè qui hoc in Latinis meis exemplaribus non inuenietas, in tuis chartulis hoc vnde scriptum legebas? Ego qui interpretatus sum non scripsi. Tu qui me accusas, & meas tales literas non tenes, crimen mihi vnde componis? Aut inde ego accusari debeo, vnde tu falsum dixisti? Rem planissimam dico. Quatuor libri sunt isti, quos interpretatus sum in quibus de Trinitate sparsim per singulas pene paginas disputatur. Relegantur vniuersa: si vsquam talis aliquis de Trinitate inuentus fuerit in interpretatione nostra sensus, qualem in isto capite calumniantur: tunc demum credatur etiam hoc eo sensu quo isti confingunt esse prolatum. Si vero per omne librorum corpus nunquam sit illa differentia Trinitatis, nonne vesanum stultumque pariter commentum est di-

F

cere, quod vno solo capite hæresis confirmata est ab eo, qui eam mille capitibus expugnauerit? Sed & rei ipsius consequentia prudentem quemque satis edocet. Quod si hoc in meis literis inuenisset, & vere scrupulum aliquem ex ipsa lectione cœpisset. cum me, sicut ipse nosti, Romæ positum haberet præsentem, continuo vtique perquisisset, & ipsa ad me scripta detulisset: quippe qui vsque ad ipsum tempus etiam videre me, & salutare, & in oratione communicare solitus erat: contulisset sine dubio mecum de his, quibus videbatur offendi, inquisisset quomodo à me fuisset prolatum, quomodo haberetur in Græco. Certe etiam hoc gloriæ sufficere sibi putasset: si visus fuisset in dictis nostris vel scriptis, fecisse aliquid per se emendari. Aut si furor animi non tam emendare errorem quam proferre in publicum compulisset: sine dubio nunquam elegisset absentem lacerare, quem potuisset grauius confutare præsentem. Sed istum quia falsi conscientia deter-

G

rebat, ad me quidem cuius erant scripta quæ volebat criminari non detulit: sed per domus, per matronas, per monasteria, per singulos quosque fratrum circumfert, quo solo possit conturbare auditu. Et hoc fecit sub ipso tempore, quo confestim ex vrbe discederet, ne vel comprehensus facti sui redderet causas. Etiam inde, vt intelligi datus secundum præceptum magistri per totam Italiam me criminari, instigare turbas, conturbare ecclesias, aures quoque polluere sacerdotum, & in his omnibus modestia nostra tanquam conscientia abuti. Hæc discipuli. Ipse vero orientalis magister, qui ad Vigilantium scribens dixerat, per me Latini cognoscunt omnes Origenis bona, & ignorant mala: istos ipsos quos ego nunc transtuleram re interpretatus est: & omnia quæ à me vel improbabilia prætermissa fuerant inseruit: quo scilicet nunc contra sententiam suam Romani per ipsum cognoscant

H

Origenis mala, & ignorent bona. Hinc iam non solum Origenem, sed meipsum in suspicionem hæresis conatur adducere. Hinc emittit incessabiliter canes suos, qui me per vrbes, per vicos, per iter quoque transeuntem, calumniarum latratibus insectentur: & fanda aduersum me omnia, atque infanda tentantur. Quid quæso te, sceleris admisimus, si fecimus quod fecisti? Sed tamen nefarium est vti exemplis tuis, de te ipse quid iudicas? Veruntamen dic mihi, ô magister, iam enim ad te conuertenda responsio est: ad legentem aut ad interpretantem, si qua illa est scriptoris culpa, recta reuocatur? Absit, inquit. Nequaquam. Quid me subtiliter circumuenis? Nunquid non & ego legi? Nunquid non & ego interpretatus sum? Sed lege ea quæ interpretatus sum, vide si quid in his dogmaticum inuenies: certe si aliquid horum quæ nunc ad damnationem voco, reperies. Postremo ait: Si vis plenius nosse, quomodo apud me etiam suspicio huiuscemodi dogmatum semper execrabilis fuerit, lege commentarios meos in Epistola Pauli ad Ephesios: & ex his quæ scripsi, quid de eo senserim, legens eum vel interpretans, nosces. Et hæc est tua tanti magistri grauitas, vt eum quem in aliis laudas, condemnes in aliis: & quem in præfationibus tuis alterum post Apostolos ecclesiarum magistrum dixisti, nunc hæreticum dicas? Quis hæreticus ecclesiarum magister aliquando dici potuit? Erraui, inquit,

A inquit, in hoc. Sed quamdiu præfatiunculam subiicis? Commentarios lege, sed illos quos designaui: & cui hoc iustum videtur, vt is qui tot libros conscripsit, in quibus omnibus pene præconia vsque ad cœlum fert, qui tot iam annis & lecti sunt ab omnibus & leguntur: ex quibus quamplurimi ita edocti iam de hoc mundo decesserunt, & perrexerunt ad dominum, hanc de Origene sententiam tenentes, quam ex librorum istius assertione didicerant: & abierunt sperantes iuxta huius testimonium inuenturos se eum secundum apostolos ecclesiarum magistrum, & nunc iterum scribit, inuenerunt eum cum impiis hæreticis & gentilibus condemnatum. Quomodo se ex contentione commutet & dicat: quia illum quem triginta ferè annis continuis legens & scribens apostolis exæquaui, nunc hæreticum pronuncio. Nunquid aliquos nouos eius libros modo legit, quos ante non legerat? Sed ex his eisdem dictis, eum & tunc apostolum, &
B nunc hæreticum dicit: & nullo modo hoc ita fieri potuit. Aut enim tunc recte dixit, & modo liuore quodam & contentione peruertitur, & audiendus non est. Aut si tunc malè dixit, & modo seipsum condemnat: quale ergo de se cæterorum expectabit iudicium is, qui secun-
Ad Tit. 3. dum Apostoli sententiam, à semetipso damnatur? Et quid, inquit, absciditur pœnitentia? Non: erratur & in verbo maxime: licet quidem de errore pœnitere. Sed simul aliquis pœnitentiam agit, simul accusat, simul iudicat, simulque condemnat? Quasi vero si qua meretrix vna se nocte, aut duabus à scortando contineat, debet continuo leges de pudicitia scribere, & non solum leges condere: verum & sepulchra obruere omnium quæ iam defunctæ sunt fœminarum, quod eas suspicetur sui similem vitam duxisse? Pœnitentiam agens quod hæreticus fueris, benefacis. Quid hoc ad me, qui nunquam hæreticus fui? Pœnitentiam agis pro errore, recte facis: si tamen ipsam pœnitentiam legitime geras, non accusando, sed deprecando: non condemnando, sed flendo. Nam quæ pœnitentiæ veritas est, vbi indulgentiæ decretum ipse sibi pœnitens dictat? Qui pœnitet pro his quæ male locu-
C tus est, vulnus suum non iterum male loquendo curat,
Gen. 4. sec. 70. sed silendo. Sic enim scriptum est: *Peccasti, quiesce*. Sed nunc ipse te reum statuis: & iterum reatu ipse te absoluis, & ex reo ipse te iudicem facis. Hæc iam non tua qui irrides nos, sed nostra, qui ita nos irrideri patimur, est miseria. Veruntamen veniamus ad hos duos commentarios, quos cæteris omnibus opusculis suis condemnatis ac renunciatis, solos excepit, & quam caste se in his & continenter egerit, videamus. Ex his enim solis & fidem suam probari vult, & quod Origeni in omnibus aduersetur.

Proferantur ergo isti qui ei soli ex omnibus scriptis suis placent, id est, in epistolam Pauli ad Ephesios libri tres, & in Ecclesiasten (vt puto) vnus. Sed nunc interim qui primus occurrit in epistola ad Ephesios commentarius, selegatur. Etiam ibi consocium & concordem, & σύμψυχον, vt ipse ait, in his quæ arguit, approbo. Et primo omnium de quibus irridet mulierculas, quæ se dicūt post resurrectionem non habituras fragile corpus, quippe quę angelorum futuræ sint similes, quid ipse sentiat, videa-
D mus. In tertio commentariorum libro in epistola Pauli
Ephes. 5. ad Ephesios sub eo capitulo vbi scriptum est. *Qui vxorem suam diligit seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit*: post aliquanta ita ait. Foueamus igitur & viri vxores, vt animæ nostræ corpora, vt & vxores in viros, & corpora redigantur in animas: & nequaquam sit sexuum vlla diuersitas, sed quomodo apud angelos non est vir & mulier: ita & nos qui similes angelis futuri sumus, iam nunc incipiamus esse quod nobis in cœlestibus repromissum est. Hæc te in tuis commentariis scripsisse sciens, quomodo eos ad exemplum fidei tuæ, & ea quæ arguis confutanda proponis, & quomodo de tuis verbis mulieres arguis? Deinde quæ mulier dixit aliquando, quod vxores in viros conuertantur: & corpora redigantur in animas, quod tu scribis? Si corpora in animas redigentur: ergo secundum te non solum carnis resurrectio non erit, sed nec corporum: quod confiteri istos,

quos tu fecisti hæreticos, dicis. Vbi iam vltra corpus quę- E
rimus, si in animam redigitur? Erit enim iam totum anima, & nusquam corpus. Et iterum, si vxores in viros cōmutabuntur, pro eo quod subiunxisti, vt nequaquam sit sexuum vlla diuersitas, quasi vt hoc ostenderes, quia sexus quidem femineus interibit ex eo quod redigatur in virum, solus autem manebit virilis: nescio quidem si hæc tibi de se dicere feminarum sexus permittat. Tamen & si ab illis concedatur: qua consequentia poteris ostendere ibi virilem sexum esse necessarium, vbi femineus necessarius non probatur? quia naturali quodam vinculo in tantum sexus alter eget alterius, vt si alter non sit, alterius opus non sit. Etenim si luteam formam ex resurrectione homo tantum recepturus putatur, quam in paradiso habuit, vbi est quod scriptum est: quia *masculum & fœminā* Gen. 1.
fecit eos, & benedixit eis? Si vero vt tu & mulierculæ quas
incusas, dicitis, neque vir, neque mulier est: quomodo F
ergo aut corpora redigentur in animas, aut mulieres conuertentur in viros: cum vel paradisus vtrumque sexum non patiatur, vel similitudo angelorum, vt tu quoque fateris, nullum omnino recipiat? Et miror quomodo ab aliis exigas de sexuum diuersitate sententiam, de qua tu volens disserere, tantis te inuoluis nodis, vt euoluere te nullatenus possis. Quanto rectius faceres, si nos quos culpas, imitareris in talibus, & hæc soli Deo vt se veritas habet, nosse permitteres: & te potius ignorare fatereris, quam ea scriberes quæ paulo post tu ipse damnares? Velim mihi conscientia sua teste nunc diceret, non dico si in aliquo opusculo meo, sed in epistola saltem mea quam alicui familiari meo negligentius scripsissem, inuenisset scriptum: quia corpora in animas redigantur, & vxores in viros: si non hæc etiam æreis literis scribi per portas ciuitatum præcepisset: si non in foro, in curia, pro rostris etiam recitari. Quantos ex hoc accusationum titulos, quę volumina conscripsisset, quam me totis armis ac telis fœcundissimi sui pectoris perurgeret, dicens: quia si mihi non creditis dicenti, quia fallit cum corpus dicit resurge- G
re & carnem negat, vel cum fatetur quidem carnem, membra autem negat & sexum: ecce videte quomodo ipse scripsit in epistola sua: quia corpora vertantur in animas, & vxores in viros. Sed nos te quidem hæc scribentem, non solum non arguimus hæreticum, sed satis facimus tāquam magistro. Mulieres tamen illæ, quas tam indignis & inhonestis contumeliis lacerasti, exhibebunt ante tribunal Christi, & hæc quæ his commentariis doces, & illa quæ oblitus tui, rursum cum contumeliis scribis: & ibi vtraque recitabuntur, vbi cessabit iā fauor hominum: & redempti laudibus plausus silebunt, & tecum pro his vel dictis vel gestis tuis iudicabuntur apud iustum iudicem Christum. Verum pergamus discutere quid etiam de quæstionibus scribat: hoc enim ad fidem pertinet, in quib. de carnis resurrectione sic variat cætera vt quæstiones. Item ex commentariorum libro primo de epistola Pauli ad Ephesios de eo capitulo vbi dicit Apostolus. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus* Ephes. 1.
sancti & immaculati coram ipso, ita ait. Pro constitutio- H
ne mundi in Græco scriptum habet καταβολὴν τοῦ κόσμου. Non idipsum autem καταβολὴ, quod constitutio sonat. Vnde & nos propter paupertatem linguæ, & rerum nouitatem: & sicut quidam ait, quod Græcorum & sermo latior & lingua felicior sit: conabimur non tam verbum ex verbo transferre (quod impossibile est) quam vim verbi quodam explicare circuitu. καταβολὴ enim propriè dicitur, cum quid deorsum iacitur, & in inferiorem locum mittitur de sublimi: vel cum aliqua res sumit exordium. Vnde & hi qui ædium futurarum prima iaciunt fundamenta καταβεβλῆσθαι, id est, deorsum initia fundamentorum iecisse dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere, quod Deus vniuersa sit machinatus ex nihilo: non creaturam, non conditionem, non facturam, sed καταβολὴν, id est, initium fundamenti ad eum retulit: vt non iuxta Manichæum, & cæteras hæreses, quæ factorē & materiam ponunt, aliquid vnde creaturæ factæ sint, antecesserit creaturas: sed omnia ex nihilo extiterint.

A dicere descripsi. Denique dixi, quia inuadunt quidam occasionem. Nec ego nego, quod de alio dicere videaris. Sed iste alius quem hæc dicere ais, vtrum tibi concors & consonans, an vero contrarius sit & inimicus, non denegasti. Cum enim alium istum contrarium tibi aliquem nominas, soles ponere quædam dicta eius, sed statim ea destruere & impugnare, vt Marcionis & Valentini, Arij, & cæterorum. Cum vero alium quendam nominas, & dicta eius cum validissimis assertionibus scribis: testimoniis quoque scripturarum copiosissimis munis, nonne etiam nos tardissimi, & quos tu talpas dicis, videmus istum cuius dicta ponis & non destruis, non alium quàm te esse, & fieri hæc rhetorica figura, cum sub aliena persona suam sententiam proferunt? Fiunt ista ab oratoribus: cum aut offendere aliquos metuunt, aut inuidiam declinare cupiunt. Nam si tu te ex hoc defensum putas, quod his in dictis alium nomines, multo erit excusabilior ille quem insimulas.
B Nam ille non solum hoc in consuetudine habet, vt dicat alios ita dicere, & quibusdam ita videri: sed multo cautius dicit ille, de talibus se hoc non definire, sed opinari magis. Quod si alijs melius visum fuerit, dicit vt his omissis, illa teneantur. Vide quanta ille cautione vsus est: & tamen à te ad damnationem vocatur. Tu quia tantummodo alium nominas, effugisse te putas. Ex his enim eum damnas, in quibus eum sequeris & imitaris. Sed progrediamur legendo commentarios, ne immorando per singula, excludamur ab agnitione plurimorum. Item ex eodem libro, de eodem capitulo vbi scriptum est. *Vt simus in laudem gloriæ eius*, qui ante sperauimus in Christo.

Gal. 1. Si sperauimus, tantum dixisset in Christo, & non præmisisset, ante sperauimus, quod Græce dicitur προηλπικότας, esset manifestior sensus, eos qui sperauerunt in Christo sorte vocatos, & esse prædestinatos secundum propositum eius, qui vniuersa operatur iuxta consilium voluntatis suæ.
C Nunc vero præpositionis adiectio, id est, ante, ad illam nos intelligentiam trahit, de qua superius disputauimus, exponentes hoc quod scriptum est:

Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram ipso*: quod scilicet, sicut iam nos benedixerat in omni benedictione spiritali in cœlestibus, & elegerat nos ante constitutionem mundi: ita etiam nunc sperasse ante dicamur in Christo, ex eo tempore quo electi, & prædestinati, & benedicti sumus in cœlestibus. Hucusque interim, quæ enim sequuntur maiora sunt. Nunc ergo gratias ago Deo, quod me pondere grauissimæ suspicionis releuauit. Fortasse enim videbar aliquibus de alio isto contentiosius vel calumniosius agere cum secundum rhetoricam figuram, istum quem dicit alium, ipsum perhiberem esse. Sed ne qua vlli auditorum nunc prorsus dubitatio remaneret, quis esset iste alius de quo superius dixerat, declarauit. Tanquam vere bonus magister, & qui nollas velit ex dictis suis ambiguitates discipulis remanere, dignatus est in hoc loco illum, quem supra alium dixerat, euidentius quis esset ostendere.
D Ait ergo. Nunc vero præpositionis adiectio, id est, ante, ad illam nos intelligentiam trahit, de qua superius disputauimus.

Ibidem. Vides quia nos sumus, inquit, & non alius nescio quis quem putabatis, qui superius disputauimus, exponentes illud quod scriptum est. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Et quod ibi ex persona alterius dictum, à minus intelligentibus putabatur: ne quis error his quos iusserat ex istis libris quid de Origene sentiret, sententiam suam noscere remaneret, ad suam personam nunc reuocans: nec alium aliquem nominans, dicit ea quæ superius legimus, quod scilicet sicut iam nos benedixerat in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo, & elegerat ante constitutionem mundi: ita etiam sperasse dicamur in Christo, ex eo tempore, quo electi & prædestinati & benedicti sumus in cœlestibus. Absoluit ergo me (vt puto) ipse suo testimonio omni suspicione calumniæ, quod alius iste non sit alius quam ille ipse. Sed & maiora adhuc ex consequentibus, sicut promisimus, ostendemus. Post hoc enim quod dixerat, nos ante sperasse in Christo, &

E ex eo iam tempore, id est, ante constitutionem mundi, & antequam in corporibus nasceremur, in cœlis esse benedictos & electos: iterum illum suum alium introducit, & dicit. Alius vero hoc dogma non sustinens, quod ante fuerimus & sperauerimus in Christo, quam in isto corpore degeremus, illo intelligentiam transferet. Hoc in loco omnem suum fœtorem, quisque ille est, iste eius alius exhalauit. Dicat enim nobis hic, quem vult alium esse qui hoc dogma non sufferat, quod antequam in hoc corpore degeremus & fuerimus, & sperauimus in Christo: hoc est enim pro quo damnari iubet Origenem. Quem vult hic alium intellexisse? an aliquem contrarium sibi? Quid dicis magister? Bicoroi illo vtgeris, de quo exponere discipulis soles. Si enim hic alium iustum qui ante fuisse animas quam in corpore degerent, non
F recipit, te esse dixeris: proditum est, quod in superioribus celabatur. Inueniris enim tua confessione alius ille tu esse, qui definis omnia dogmata quæ damnari iubes. Si vero non es tu in superioribus alius, ne tibi ea quæ improbas ascribantur: nec hic tu eris alius, qui non sustineas ante fuisse animas quam in corpore degeremus. Elige vtramlibet excusationis partem. Istum alium quem frequenter inducis, te vis intelligamus: an alterum aliquem catholicum eum vis videri? an hæreticum damnandum vel absoluendum? Si catholicus est iste alius tuus, qui in superioribus dicebat, ante hunc mundum visibilem fuisse animas cum angelis & cæteris virtutibus in superiori Hierusalem in cœlestibus constitutas: & ibi viuendo contraxisse causas sibi diuersitatis, vel nascendi in hoc mundo, vel alias quaslibet conditiones tolerandi: erunt ergo ista catholica dogmata, & interim impium dānare quod catholicum est. Si vero alium istum hæreticum dixeris:
G hæreticum designabis eum qui fuisse animas nō recipit, & sperasse in Christo antequam in corpore nascerentur. Qua hinc exitur magister? Quo erumpitur? Quo rursum euaditur? Quocunque te conuerteris, hærebis. Non dico nullus subtrahendi te aditus datur: sed ne respirandi quidem paululum fit copia. Sic tibi Alexandri tui Aristotelici commentarij profuere? Sic Porphyrij εἰσαγωγὴ? Sic te tot & tantorum philosophorum Græcæ & Latinæ, insuper & Iudaicæ eruditionis excoluit disciplina, vt in istas angustias tam inextricabiles deuenires: & tam miserabiliter coartareris, vt nec ad Alpes posses esse defensus? Sed parcamus. Iam deferendum est literis, & vt ipse ait, operi magno somnus non est ascribendus: quanquam ipse parcat nemini & non tam ratione dictorum quam flagello linguæ, quos libitum fuerit, verberet. Et si quis minus adulabitur, continuo hæreticus & scriptis & missis
H per diuersa centum codicibus designetur. Tamen nos non ipsum, sed patriarchā imitemur Dauid, qui comprehen- 1 Reg. 14.
sum in spelunca inimicū suum Saul, cum eum posset iugulare, noluit, sed ei pepercit, quod & iste sibi à nobis aliquoties factū, non solum verbo, sed & re atque opere, etiamsi fateri non vult corde tamen & consciētia retinet. Demus ergo veniam ei, qui dare veniā nescit, qui sine vllo humanitatis respectu de dictis alterius iudicat: & interim educamus eum de spelunca, vsquequo in illā incidat, de qua etiā si omnes conemur & cupiamus, exire non possit. Dicat ergo qui potest fieri, vt in superioribus illis vbi istud dogma confirmabatur ab eo qui iustū Deum conabatur ostendere: vbi alium quem dixit, vere ne alterius persona fuerit talis, qualē nunc condemnari vult: hic vero vbi cōtrarius est, & non recipit quæ in superioribus dicta sunt, alium seipsum dixerit? Potest id fieri, vt cōscius sibi sit, ita sensisse se cū scriberet licet stilo id nō potuerit explicare. Sit ergo venia: & ponamus in hoc loco istū alium, hunc esse ipsū qui non recipit dogma, quod dicit animas fuisse antequā in corpore degeremus, & sperasse in Christo. Repetamus ipsum capitulū, & quo rursus tendat, diligentius prosequamur. Ait itaq;. Alius vero hoc dogma non sustinēs, quod ante fuerimus, & sperauerimus in Christo, quā in isto corpore degeremus: illo intelligentiā transferet, vt dicat in aduētu domini saluatoris, quando *in nomine eius omne genu flectetur, cœlestium & terrestrium & infernorū*,

A illud quod dicis, in hoc sæculo vita vel acquiritur vel amittitur, non est verum: an occultam habet aliquam interpretationem? Non enim pœnitentiam agis pro his quæ in istis commentariis continentur. Item, quod ecclesia vnum corpus, non solum ex hominibus, sed & ex angelis, & omnibus virtutibus cælestibus intelligendum sit, ex eodem libro de eo capitulo, in quo scriptum est,
Gal. 1. *Et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam*: post pauca: Non solum, inquit, hominum: sed etiam angelorum cunctarumque virtutum & rationabilium creaturarum ecclesia intelligi potest. Itē, quod animæ, quia in illa priori vita nouerant Deum, modò eum non quasi ignotum cognoscant: sed quasi post obliuionem denuo agnoscant, ex eodem libro dicit. Quod vero ait, *in agnitione eius*, id
Ephes. 1. est, ἐπιγνώσει αὐτοῦ, quidam sic intelligunt, vt inter γνῶσιν καὶ ἐπίγνωσιν, hoc est, inter notionem & agnitionem illud intersit, quod notio eorum sit, quæ ante non sciuimus, & ea postea scire cœpimus. Agnitio vero eorum quæ prius scientes, deinceps scire desiuimus, eorumque postea recordamur: & priorem quandam vitam in cælestibus suspicamur, postquam in corpora ista deiecti, & obliti Dei
B patris, nunc eum per reuelationem cognouimus, secun-
Psalm. 21. dum illud quod scriptum est. *Reminiscentur & conuertentur ad dominum omnes fines terræ*, * & multa his similia. Quod autem ait, quia quidam hæc dicunt: puto me satis euidenter in superioribus edocuisse, quod si quando ponit, quia quidam hæc dicunt vel alius dicit, nec tamen ista quæ dicuntur destruit, iste ipse sit quidam vel alius: maximè cum iam concordes his sententias absque vlla huiusmodi interiectione personæ ab eo dictas frequenter ostenderim. Sed quid adhuc est quod ei displicet in alio? Et astra, inquit, vel cætera quæ in cœlo sunt, rationabilia dicit, & delicti capacia. Videamus ergo quid ipse de talibus sentiat: ex eodem libro, in eo capitulo, vbi scriptum est. Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis: post aliquanta. Potest, inquit, ita responderi, quod absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo: omnisque creatura paueat creatoris aduentum. Vnde &
C crux saluatoris non solum ea quæ in terris sunt, sed etiam quæ in cælis erant, purgasse perhibetur. Item quod propter corpus humilitatis, & corpus mortis, homines filij iræ appellentur: ex eodem libro de eo capitulo, vbi scri-
Ephes. 2. ptum est. *Eramus natura filij iræ, sicut cæteri*: post aliquanta. Nos vero, inquit, dicimus esse primum omnes homines natura filios iræ, propter corpus humilitatis & corpus mortis: & quod ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam. Item quod prima sit animæ factura, & deinceps corporis plasmatio: ex eodem libro sub eodem capitulo post multa. Et diligenter, inquit, obserua: quia non dixit ipsius figuratio sumus atque plasmatio, sed *ipsius factura sumus*. Plasmatio quippe originem de ter-
Ephes. 2. ræ limo trahit: factura verò iuxta similitudinem & imaginem Dei sumpsit exordium. Quod in centesimo decimooctauo Psalmo simul positum diuersa significat. *Manus tuæ domine fecerunt me, & plasmauerunt me*. Factura
D primum locum tenet, deinde plasmatio. Quid adhuc a-
Psalm. 118. liud est quod condemnari vult? Dicat vt id de eius libris, imo de eius corde proferamus. Quod enim, inquit, vnum naturam & animarum & angelorum, molestum est hoc. Sed videamus quid ipse de hoc sentiat in his libris, quos nobis ad confessionis exemplum, & ad credendi regulam ponit. Item ex eodem libro de eo capitulo, vbi scri-
Ephes. 2. ptum est. *Veniens euangelizauit pacem his qui longe, & his qui prope*: quod cum de Iudæis, & de gētibus primum dictum exposuisset, postmodum addidit hæc. Et hæc quidem iuxta vulgatam interpretationem dicta sunt. Cæterùm qui illud Apostoli legit, de Christo memorantis. *Pacē faciens per sanguinem crucis suæ his quæ in terra erant, & his quæ in cælis*: & cætera quæ in eodem dicuntur loco: nō putabit nos, qui iuxta spiritum Israël, vocamur longè: & Iudæos qui tantummodo Israël nuncupantur in carne, fuisse prope. Et hanc totam intelligentiam ad angelos virtutesque cælestes, & ad animas retorquet humanas, quod in suo Christus sanguine terrena & cœlestia copu-

lauerit, quæ inter se antea dissidebant. Et bonus pastor E
morbidam ad montes reuectans ouem, fecerit esse cum cæteris: drachmamque quæ perierat, drachmis quæ saluæ fuerint, copulauerit. Vides quantam diuersitatem naturæ facit inter animas & angelos? Quanta est, inquit, inter ouem & oues: & inter drachmam & drachmas. Sed & post pauca addidit dicens. Quod autem ait, *vt duo conderet in semetipso in vnum nouum hominem*: quod & magis videtur superiori de Iudæis & gentibus sensui conuenire, sic suæ intelligentiæ coaptauit, vt dicat hominem iuxta imaginē & similitudinē Dei factū, eandem post reconciliationem formam recepturum, quam & nunc angeli habent, & ipse perdidit. Nouum autem hominem dicit esse, qui quotidie renouatur, & habitaturus est in nouo mundo. Sicut oues ab oue, & drachma à drachmis differunt: ita & animas cum angelis esse dicit, & eandem formam, quam nunc habent angeli, prius homo habuerit & perdiderit, & hominem habiturum dicit in futuro. Si natura, si specie, si forma non differat: quomodo nullus pudor est erudito homini suas sententias sub alterius nomine condemnare, maximè cum hoc ita non secundum vulgatam expositionem, sed secundum Apostoli sensum dici debere decernas? Sed videamus quid ad hæc F
in eodem loco additur. Post pauca sic inquit. Et instaurationem noui hominis tunc plenè perfectéque complen- Ibidem.
dam, cum cœlestia, terrestriaque fuerint copulata: & in vno spiritu & sensu, eademque sententia accesserimus ad patrem. Nescio quid tale & in alia epistola (si quis tamen eam receperit) prudentibus quibusque lectoribus Paulus subindicat, dicens. *Hi omnes testimonium fidei accipien-* Heb. 11.
tes, non receperunt promissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non absque nobis consummarentur. Pro- Rom. 8.
pterea vniuersa creatura congemiscit nobiscum (qui in tabernaculo isto congemiscimus) & condolet, qui à timore Dei in vtero concepimus, & dolemus, & præstolatur reuelationem filiorum Dei, vt de vanitate seruitutis, cui nunc est subiecta, liberetur, & fiat vnus pastor & vnus G
grex & oratio domini compleatur. *Fiat voluntas tua, si-* Ioan. 10.
cut in cœlo & in terra. Cœlestia & terrestria, id est, angelos Matth. 6.
& homines, sicut ante vnā formā gesserunt, & vnū ouile habuerunt, ita & in futuro dicis esse reparāda: quia Christus venit vtraque facere vnum gregē: & hoc futuros homines dicis, vel quod nunc sunt angeli, vel quod ante ipsi homines, id est, animæ fuerunt. Et quomodo, quæso te, tam amicè, imo tam nec amicè, sed scurriliter mulierculas irridebas, quæ cum plausu ventris & fœmoris negarēt se post resurrectionem in corpore iterū fragili futuras, sed similes angelis, vel idipsum futuras esse quod angelos? Et hæc cum tanta irrisione dici à mulieribus arguis, quæ de tuis illis electis commentariis scripta proferuntur. Nunquid non hoc tibi tale videtur, quale si quis furti alium incusans, idipsum vnde alium arguit, in suo sinu contegat furtum: & posteaquam late perorauerit, & magnificè fuerit inuectus in furem, posteaquam testes produxerit, iuris quoque iurandi dederit sacramenta, post hæc omnia, furtum ipsum, pro quo alium iam se conuicisse putauerat, de sinu eius extrahatur? Tu deinde arguis alios, H
quod interrogati de talibus, non promptè, nec statim respondeant: sed cunctabundi, & nutu magis quam verbis agant. Et hoc ipse de Apostolo dicis, quo nescio quid tale in epistola sua prudentibus quibusque lectoribus subindicat. Si Paulus non indicat, sed subindicat, & non quibuscunque, sed prudentibus: nos miseros quid irrides ô noster pœnitens: si quod Apostolus non manifestè protulit, aut nescire, aut dubitare nos dicimus: & non tam intelligere, quam subintelligere: & ideo non tam indicamus, sed subindicamus? Iā si tibi reuelata sunt illa, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non a-* 1.Cor. 2.
scenderunt, si tibi venit quod perfectum est, & destructa tibi sunt ea quæ ex parte sunt, clama de his & prædica: & quæ Apostolum subindicasse dicis, tu indica qui non solum ea quæ subindicata, verum & quæ confirmata ab eo scribis esse, nunc damnas. Hæc enim omnia quæ nunc anathematizari iubes, dum Apostoli dicta exponis, astruxeras: & tanquam illius sensibus hæc inserta esse docue-

A

ras. Quid adhoc aliud est quod damnare cæteros iubes? Quod corpus hoc, inquit, carcerem & vincula esse animæ dicunt: & ipsam animam non ire asserunt, sed redire quasi ad ea loca, vbi iam ante fuerat. Proferamus ergo & de hoc quomodo ipse senserit, testimonia. Ea istis ipsis commentariis libro secundo, ex eo capitulo, vbi dicit.

Ephes. 3.

Huius rei gratia ego Paulus vinctus Iesu Christi: post pauca. Quia in pluribus, inquit, [illegible]is scriptum est, vinculum animæ corpus hoc dici, quo quasi clausa in carcere teneatur, dicimus propterea Paulum corporeis nexibus coerceri, nec reuerti & esse cum Christo, vt perfecta in gentes per eum prædicatio compleatur. Item, de eadem re ex eisdem commentariis, libro tertio, capitulo vbi dicit.

Ephes. 6.

Pro quo legatione fungor in catena: post aliquanta per illum iterum suum alium qui ipse est, ita dicit. Alius vero propter corpus humilitatis & catenam istam qua circundamur, & nec dum scimus secundum quod oportet nos scire, & per speculum videmus in ænigmate, ista eum dixisse contendit. Et tunc verè posse in confidentia euangelij aperire mysteria, cum catenam deposuerit: & de carcere liber

B

Hieronymus non habet, in carcere, sicut nec Apostolus, cuius istud testimonium est. Rom. 8.

exierit. Nisi fortè & in vinculis absque vinculis computandus est, qui conuersationem habet in cælis: & de quo dici potest. Vos autem in carcere non estis, nec in carne, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Item de eadem re, ex commentario epistolæ Pauli ad Philemonem sub eo capitulo, vbi ait. Salutat te Epaphras concaptiuus meus: post aliquanta. Nisi fortè reconditum aliquid & sacratum (vt quidam putant) in verbo captiuitatis ostendit, quod capti pariter & vincti, in vallem hanc deducti sunt lachrymarum. Vides quomodo hæc tanquam mystica & sacrata dicit haberi apud quosdam: quorum tamē & ipsum vnum esse, in multis sæpe docuimus: sed vti figura per quam scientiæ mysticæ videatur inuidiam declinare. Hæc, inquit, quomodo se habeant

C

videris. Nunquid & omnia restituenda esse in vnum statum atque in vnum corpus reintegrandos, non solum homines, sed & dæmones & angelos refugas, dictum à me potes referre? Vis mihi, inquit, non fiat, si quod ex alterius persona dicai, alterius sit: si quid sanè exinde dictum, ac nullius interiecta persona scriptum legeris, hoc mihi merito debet asscribi. Et quid omnes istos effundimus, quos superius desudauimus agones? Tantum valet frontis duritia. Sed age fiat, acquiescamus etiam in hoc, non vt res, sed vt ipse postulat, conuincatur. Ex his commentariis libro secundo de ea re quam proposui sub eo capitulo, vbi scriptum est.

Ephes. 4.

Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnū corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: post aliquāta. Quæritur, inquit, quomodo vna spes vocationis sit, cum apud patrem diuersæ sint mansiones? Ad quod, vnam spem vocationis regnum cœlorum, quasi vnam domum Dei patris esse dicemus, & in vna domo plurimas mansiones. Alia enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia stellarum. Aut certè illud subtilius indicatur, quod in fine & in cōsummatione rerum, in pristinum statum restituenda sint omnia: quando omnes vnum corpus efficiemur, & in virum perfectū reformabimur: & oratio in nobis saluatoris implebitur.

Ioan. 17.

D

Pater da, vt quomodo ego & tu vnum sumus, ita & isti in nobis vnum sint. Accepistis & hāc eius de resurrectione omnium absque vlla ambiguitate sententiā: accipite & aliam, & tunc concludam apologiæ nostræ primum volumen. Innumera sunt enim eius dicta de talib. Item ea eodem libro sub eo capitulo, vbi scriptum est.

Ephes. 4.

Ex quo totum corpus compactum & conglutinatum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniusquisq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate, sic cœpit. In fine rerum cum Deum videre cœperimus facie ad faciem: & in mensuram peruenerimus ætatis plenitudinis Christi (de cuius plenitudine nos omnes accepimus) ita vt Christus non ex parte sit, sed totus in nobis, & relictis initiis paruulorū, creuerimus in eum virum, de quo Propheta dicit. *Ecce vir oriens nomen est illi*: & Ioannes Baptista cōmemorat.

Zach. 6.
Ioan. 1.

Post me venit vir, qui ante me factus est: quoniam ante me erat. Tunc in occursu vnius fidei, & vnius agnitionis filij Dei, quem nunc pro varietate mentium non vna, nec eadem

E

fide agnitionis cognoscimus, totum corpus quod prius dissipatum fuerat & in diuersa laceratum, in suam compaginem iuncturāque redigetur: ita & vna subministratio, eademque operatio, & vnius ætatis consummata perfectio totum faciat crescere corpus æqualiter, & omnia membra iuxta mensuram suam incrementum ætatis accipiant. Hæc autem tota ædificatio, per quam ecclesiæ per partes corpus augetur, mutua in se charitate complebitur. Totas rationabiles creaturas sub vnius rationabilis animalis intelligamus exemplo: & quodcunque de huius membris dixerimus & partibus, hoc sciamus esse referēdum ad vnāquamque rationabilem creaturam. Putemus hoc animal ita per artus, venas, carnesque laceratum, vt nec os ossi hæreat nec neruus iungatur ad neruum: separatim oculi iaceant, seorsum nares, manus aliū locum teneant, in alium proiecti sint pedes, & reliqua membra in hunc modum inter se dispersa sint & diuisa. Fingamus aliquem venire tantæ scientiæ medicum, qui iuxta fabulas ethnicorum Æsculapium possit imitari, & nouam figuram, nouumque hominem Virbium suscitare, hic ne-

F

cesse habebit vnumquodque membrum suo loco restituere, & compagem copulare compagi, & quodam glutino partibus restitutis vnum corpus efficere. Hucusque nobis vna similitudo processerit. Nunc in eandem similitudinem ad id quod intelligi volumus, aliud trahatur exemplum. Paruulus crescit, & occulto æuo in perfectam adolescit ætatem: suum manus augmentum habebunt, sua pedes sentient incrementa, venter dum nescimus impletur: humeri dum falluntur oculi, dilatantur: & omnia membra per partes iuxta mensuram suam sic crescunt, vt tamen non sibi, sed corpori videantur augeri. Ita igitur & in restitutione omnium, quando corpus totius ecclesiæ nunc dispersum atque laceratum verus medicus Iesus Christus sanaturus aduenerit, *vnusquisque secundum mēsurā fidei & agnitionis filij Dei*: quem ideo agnoscere dici-

Ephes. 4.

tur, qui prius nouerat, & postea nosse desiuit, suum recipiet locum, & incipiet id esse quod fuerat: ita tamen vt non iuxta aliam hæresim, omnes in vna ætate sint positi, id est, omnes in angelos reformentur: sed vnumquod-

G

que membrum iuxta mensuram suam & officium perfectum sit. Verbi gratia, Vt angelus refuga id esse incipiat quod creatus est: & homo qui de paradiso fuerat eiectus, ad culturam iterum paradisi restituatur. Ista autem vniuersa sic fient, vt inuicem inter se charitate iungantur: & dum congaudet membrum membro, & in alterius prouectione lætatur, Christi corpus, ecclesia primitiuorum, habitet in cœlesti Hierusalem, quam in alio loco Apostolus vocat matrem sanctorum.

1. Cor. 12.
Heb. 12.

Hæc tua dicta legunt omnes Latini, quæ etiam nunc tu quoque iubes eos legere, vbi dicis, quod omnes rationabiles creaturæ, quæ sub vnius rationabilis animalis exemplo intelliguntur, ita in vnum corpus reparandæ sint, tanquam si vnius hominis membra diuulsa, rursus in eiusdem corporis soliditatem Æsculapij arte reparentur: in quibus quidem diuersa futura definis officia, vtpote membrorum, sed corpus vnum, hoc est, vnius naturæ: & hoc omnium vnum corpus, primitiuam ecclesiam vocas: & corpus esse nominas

H

Christi, cuius corporis vnum membrum suo officio restituendum, ais esse angelum refugam, qui est vtique diabolus: & in hoc quod ab initio creatus est, reparandum.

Imo Hieronymus heresim hoc asserit ait.

Similiter & hominem aliud membrum ad cultum paradisi tanquam colonum originarium reuocandum: & hæc nulla, vt fieri solet, cum de rebus talibus pedetentim cauteque dicitur, alterius interiecta persona prosequeris, vt dubitasse te aliquis in rebus tam secretis & absconditis existimet, sicut Origenes iste, cuius te & discipulū non negas, & proditorem fateris, semper facere inuenitur in talibus: sed abrupta & definita sententia, tanquam si angelus loqueretur in Daniele, aut Christus in Paulo, mortalium auribus futurorum arcana enuntias sæculorum, & ais. Nulli veterum electa à Christo plebs fidelium credat. Si Origenes aliquid de diuinæ dispensationis secretioribus suspicatus est, nemo recipiat. Et si Clemens, aut ille Apostolorū discipulus, aut ille Alexādrinæ

occle-

A ecclesiæ, & ipsius magister Origenis tale aliquid dixerunt. Etiam si Gregorius ille Ponticus vir Apostolicarum virtutum: etiam si iste alius Nazianzenus, & Didymus videns Propheta, ambo magistri mei, quibus sapientius in fide Christi nihil habuit mundus. Omnes isti vt Origenes errauerunt: sed accipiant erroris sui veniam, quia & ego aliquando erraui, & nunc pœnitentiam gero, sed veniam accipere debeo. Origenes vero cum eadem quæ ego dixerit, etiam si pœnitentiam egit, veniam non accipiet: immo pro his quæ omnes diximus, solus ipse damnetur. Ipse est qui omnia mala fecit. Ipse enim nobis prodidit, vnde est totum quidquid nos loquimur, quidquid scribimus, quidquid dicti putatur eruditi: & quod de Græcis bonis Latina facimus non bona. Nemo ergo quemquam horum audiat: sed hæc sola suscipite, quæ in meis commentariis inuenitis, & maximè in epistola ad Ephes. in quibus Origenis dicta vehementissimè confutaui. Ego autem scrutatus sum: vt credere & tenere debeatis B resurrectionem carnis ita futuram, vt corpora conuertantur in animas, & vxores dirigantur in viros: & quod ante mundi constitutionem animæ in cœlestibus fuerint, & inde ob quasdam causas soli Deo cognitas, in vallem hanc deductæ sint lacrymarum: & quod corpori mortis insertæ sint: & quod in fine sæculorum omnis natura rationabilis in vnum corpus restituatur, sicut ab initio fuit: ita vt & homo ad paradisum reuocetur, & angelus refuga supra Petrum & Paulum exaltetur, cum ipsi ad paradisum, vtpote homines, postponendi sunt: ille autem in id quod ex initio creatus est, reparetur, & fiant omnes simul ecclesia primitiuorum in cœlestibus: & sint, dum in officiis quidem singulis quibusque sunt, membra Christi: vniuersis vero cunctorum perfectum Christi sit corpus. Hæc tenentes, ô fideles prudentesque discipuli, & istas meas indubitatas definitiones custodientes Origenem tamen pro his ipsis dictis condemnantes, benè agetis, valete. Vides quia totum cum irrisione agis: & pœnitere te ideo dicis, vt fallas eos quibus scribis? Nam & si verè te pœniteat, vt debet, quid facies propter omnes illas animas, quas per tot annos hæc tua tam venenata (vt ipse ais) doctrina decepit? Denique quis vnquam per tuā pœnitentiam emendabitur: cum iste ipse libellus, in C quo & pœnitens & accusator & iudex es, auditores tuos rursum ad hæc ipsa & legenda & tenenda transmittat? Ad vltimum etiam si hæc ita non essent: ipse tamen tibi etiam post pœnitentiam, omnem aditum veniæ præclusisti. Ais etiam ipsum Origenem pro his dictis pœnituisse, libello pœnitentiæ ad Fabianum, tunc vrbis Romæ episcopum dato: & tamen post pœnitentiam, post centum & quinquaginta annos mortis suæ in ius eum trahis, & ad damnationem vocas. Quomodo ergo pro his dictis tibi venia dabitur pœnitenti, si ille qui ante te pro his pœnituit, veniam non meretur? Similiter vt scripsisti, scripsit: similiter vt pœnituisti, pœnituit. Aut similiter pro pœnitentia debetis absolui: aut si negas veniam pœnitenti (quod ego non opto) tu perurges nos pariter condemnati, secundum quandam euangelij parabolam. Oblata est domino à Iudæis adultera, vt viderent quidve ea secundum legem iudicaret: Ille misericors & miserator do- D minus, dixit. *Si quis vestrum peccatum non habet, mittat super eam lapidem.* [Ioan. 8.] *Et tunc omnes*, inquit, *discesserunt*. Et Iudæi quidem licet impij & increduli, tamen erubuerunt conscientias suas: ne cum ipsi essent peccatores, in peccatores viderentur vlcisci. Et latro ille de cruce dicebat ad alterum latronem, qui simul pendebat in cruce & blasphemabat. [Luc. 23.] Quia *nec tu Deum times, vel quod in eodem nos sumus supplicio*. Nos cum hæc eadem, quæ in nobis sunt, condemnemus in aliis, nec cum Iudæis erubescimus, nec cum latrone mitescimus.

INVECTIVARVM RVFFINI IN D. HIERONYMVM.
Liber Secundus.

Svperiore quidem libello dogmaticas illius obiectiones, quas aliis impingit immeritò, in se ipso teste retorsimus: nūc vero iam explicitis, & post tergum reiectis E his, quæ fidei vicinæ sunt causationibus, confidentius ei de cæteris criminationibus respondebimus. Est enim etiam illud accusationis eius grauissimum caput, quod similiter, vt cætera mendacia, veritatis falce resecandum est. Ait enim confœderatos esse quosdam Origeni ad periurium, & istud mysticæ eius traditionis arcanum absconditum esse in sexto Stromatum libro: nec ab vllo alio in tot sæculis, nisi à se solo deprehensum. Verū ne risum ei moueam, si me iurandi sacramento alienū me esse confirmem, à confœderatione periurij planiore via ad manifestationem veritatis incedam, ex eo quod facillimè probare possum, nec habuisse me vnquā libros istos, nec ante legisse à quoquā præstitos. Et sicut me non possum excusare de eo, quod quale sit nescio: ita ne accusari quidem possum de eo, quod vel si sit, penitus ignoro. Iste tamen qui arguit vel ab illo traditum, vel à discipulis eius dici, quod scriptum est: *Qui loquitur veritatem cum proximo suo*, proximus non sit, nisi ille qui perfectus sit, & F [Ephes. 4.] symmystes. Et iterum quod Apostolus dicit. Quia *sapientiam loquimur inter perfectos*: [1. Cor. 2.] & quod scriptum est. *Nolite mittere sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: [Matth. 7.] vt asserant, inquit, per hoc veritatem non omnibus aperiendam. Videamus quid ipse in istis ipsis electis suis commentariis libro secundo, sub eo capitulo vbi scriptum est: *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniā sumus inuicem membra*: [Ephes. 4.] post pauca. Propter quod, inquit, Paulus ipse perfectus in epistola alia loquebatur: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*. [1. Cor. 2.] Ergo hoc est quod iubet, vt vnusquisque mystica quæque atque secreta, & ea quæ Dei veritate sunt plena loquatur cum proximo suo, vt *dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam*, [Psalm. 18.] hoc est, clara quæque & lucentia indicet his, qui merētur audire. *Vos estis lux mundi*. [Matth. 5.] Porro tenebrosa & inuoluta, & omni sacramento totum nocte velata, aliis reserat, qui & ipsi nox, tenebræ, vel caligo sunt: de quibus dicitur. Et caligo sub pedibus eius, [Psalm. 17.] haud dubium quin Dei. Nam & in monte Sina Moyses ingreditur in turbinem & caliginem, [Exod. 19.] G vbi erat Deus: Et de ipso Deo scriptum est. *Posuit Deus tenebras latibulum suum*. [Psalm. 17.] Loquatur itaque veritatē atque mysteria vnusquisque cum proximo suo, nec det sanctum canibus, neque mittat margaritas ante porcos: sed quicunque oleum veritatis habuerint, illos in thalamum sponsi & penum regis inducat. Videte, quæso vos, & diligentius perspicite, si alium aliquem in omnibus his quæ scribit, nisi se & sua dicta condemnet. Si inimici sui lacerare eum & arguere pro scriptis suis vellent, quo alio ordine, quibus aliis aduersum eum sententiis vterentur: nisi quibus ipse aduersum se, tanquam aduersus alios vtitur? Condemnatio aduersum istum si proferenda sit, epistola sua sufficit, si solum nomen immutes: textus enim criminum nec in alium omnino quemque sicut in ipsum conuenit solum. Quæ damnari iubet, hæc iterum obseruari iubet: quæ agit, arguit: quæ detestatur, operatur. Beati discipuli eius, qui eum vel audiunt, vel imitan- H tur. Veruntamen quoniam periurij eius dogma proponimur, nihil ad me si iste vel agat, vel scribat: quia apud nonnullos fratrum etiam hanc nobis inurere conatus est maculam, & nunc iterare per literas, secundum ab illo datam regulam: quid ego ipse de periurio sentiam profero, vt de sese iterum sibi ipsi iudicium derelinquam. Etenim cum dominus & saluator noster dicat in euangeliis. Dictum est antiquis. *Non periurabis: reddes enim domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis: nolite iurare omnino*. [Matth. 5.] Omnis qui docet quacunque ex causa peierandum esse, ego dico quod alienus sit à fide Christi, & ab ecclesiæ vnitate catholicæ. Sed velim nunc posteaquam de meo, vt ipse statuit, anathemate satisfeci, elaborare paululum, si patienter accipitis: & hoc quod iste per orgia quædam & mysticas fœderationes periuriū obseruari dicit, quos habeat cultores & symmystas aperire. Certa est enim & satis vera Dei illa sentētia quę dicit. Quia *ex fructibus eorū cognoscetis eos*: [Matth. 7.] & iterum. *Ex fructibus*, inquit, *arbor cognoscitur*. Et nos ergo sicut iste dicit, periurij dogma susce-

A primus. Si ad hoc edocti sumus, & talis in nobis arbor plantata est: non potest fieri, vt non tales aliqui ex nobis sæpius germinauerint fructus: verumetiam mystici dogmatis auctoritate coaluerint. Et quidem quantum ad personam meam pertinet, quem solum ex his omnibus quæ scribit, lacerare se putat, non mihi ipsi feram testimonium: nec dicam quod etiam sit iurandum, cum forte necessitas exigit: & si non cautus sum, at certè timidus esse cupio. Postremo & si obseruare non possum, errasse me nouerim. Hæc ergo non dicam: tamen siue errem in his, siue caueam, iste iterum causam commissi alicuius, qua me in talibus vrgeat, non habet. Ego autem qualiter apud istum sacratissima sit horus non dogmatis, sed fœdissimi & verissimi vitij obseruantia, iterum ex scriptis eius probabo. Nihil enim ex liuore & inuidia confictum aduersum eum proferam, vt ipse contra nos facit: sed ipsum se testem, & scripta sua aduersum eum producam, vt sciat se non ab inimicis argui, sed à semetipso redargui.

B Libellum quendam de conseruanda virginitate Romæ positus scripsit: quem libellum omnes pagani & inimici Dei, apostatæ & persecutores, & quicunque sunt qui Christianum nomen odio habent, certatim sibi describebant, pro eo quod omnem ibi Christianorum ordinem, omnem gradum, omnem professionem, vniuersamque pariter fœdissimis exprobrationibus infamauit ecclesiam: & ea quæ gentiles falso in nos conferre crimina putabantur, iste vera esse, immò multa peiora à nostris geri, quàm illi criminabantur, asseruit. Nam primo illas ipsas virgines, de quarum virtute scribere videbatur, infamat: & dicit de eis his verbis. Aliæ virili habitu veste mutata, erubescunt se fœminas esse quod natæ sunt, crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Suntque quæ cilicijs vestiuntur, & cucullis fabrefactis. Vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Dicit & mille alia de his probra grauiora. Sed nec viduis quidem parcit. Ait quidem de ipsis. Nulla illis nisi ventris cura, & quæ ventri proxima sunt. Alia quoque ingerit obscœna quàm plurima. Sed & monachorum

Vita in quolibet hominũ genere reprehendere, laudi non probro dandum erat.

C omne genus, quàm fœdè, quàm turpiter laceret: longum est si ipsius verbis vel scriptis velim probare. De diaconis vero & presbyteris, quæ dedecora descripserit, pudet retexere. Initium tamen lacerationis ponam ipsius: ex quo facilius conijci possit, quantum in consequentibus augescat inuectio. Sunt alij, inquit, de mei ordinis hominibus loquor, qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus si benè oleant si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis æstimes esse quàm clericos. Et posteaquam speciatim non tam vitia quàm crimina sacerdotum vel ministrorum exprobrans, etiam ingressum eorum & salutationes ad matronas, non solum decolorauit, verum etiam execrabilem fecit: quomodò posteaquam omne genus Christianum concidit & infamauit, sibi quoque non parcat ipse, audite. Redeo enim post excessum quendam ad hoc quod proposueram, propter quod & libelli huius res poposcit fieri mentionem: & ostendam apud istum tam licita haberi periuria, vt scriptis quoque suis deprehendi ea non erubescat.

D Igitur in hoc ipso libello, cum moneret, sæculares codices legi non debere: & diceret, quid faciet cum psalterio Horatius, cum euangelijs Maro, cum Apostolis Cicero: nonne scandalizabitur frater, si te viderit in idolo recumbentem? Et cætera cum dixisset eiusmodi, quibus alienam esse à Christiano assereret librorum sæcularium lectionem, inserit etiam reuelationem quandam ad se diuinitus factam, satis horrificis refertam præceptis. Refert enim quod posteaquam sæculo renunciasset, & ad Deum fuisset conuersus, amore tamen sæcularium librorum valde teneretur, nec facilè posset tali carere desiderio: & pro hoc subito, inquit, raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantum luminis & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus conditionem, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat, mentiris ait, Ciceronianus es, non Christianus. Vbi

E thesaurus tuus est, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (iam enim cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar. Clamare tamē cœpi, & eiulans dicere. Miserere mei domine: miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua prouoluti qui astiterant, precabantur vt veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret: exacturus deinde cruciatum, si gentilium literarum libros aliquando legissem. Ego qui tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, & nomen eius obtestans dicere. Domine si vnquam habuero codices sæculares, aut si legero, te negaui. In hæc verba dimissus, reuertor inquit, ad superos. Audistis quàm nouum, quàm honorificum iuramenti sui exposuerit genus? Residente in tribunalibus iudice domino Iesu Christo, assistentibus angelis & intercedentibus pro se, inter

Matth 6.

F verbera & cruciatus iurat se sæculares libros nec habiturum vnquam, nec lecturum. Relegantur nunc quæso quæ scribit, si vna eius operis pagina est, quæ non eum iterum Ciceronianum pronunciet, vbi non dicat: sed Tullius noster, sed Flaccus noster, sed Maro. Iam vero Chrysippum & Aristidem, Empedoclem, & cætera Græcorum auctorum nomina, vt doctus videatur & plurimæ lectionis, tanquam fumos & nebulas lectoribus spargit. Denique inter cætera, etiam Pythagoræ libros legisse se iactat, quos ne extare quidem eruditi homines asserunt. Sed iste ne aliqua ex parte iuramentum suum de auctoribus gentilium prætereret, etiam ea quæ non sunt scripta legisse se scribit. Sed in omnibus opusculis suis ferè multo plura & prolixiora testimonia de his suis, quam de prophetis nostris vel apostolis ponit. Puellis quoque & mulierculis scribens, quæ non vtique nisi de nostris scripturis ædificari & cupiunt & debent, exempla eis Flacci sui & Tullij vel Maronis intexit. Iam vero in illo libello, quem de optimo genere interpretandi intitulauit: vbi præter tituli annotationem nihil optimum, sed totum pessimum est. Ibi enim asseuerat hæreticos illos quibus nunc communicat: & incurrit illam sententiam apostoli nostri, non sui (ille enim suum aut Flaccum dicit aut Tul-

Non gentilium libros post iuramentum legisse, sed quæ puer didicerat fecisse, ipse testatur.

Pythagoræ dogmata, nō libros se legisse, dicerat.

G lium) qui ait. Qui autem discernit, si manducat damnatus est. In illo ergo libello, quod nullo genere verbum de verbo interpretari ratio sinat: quod modò et iterum rationabile visum est, capita integra dictata ex codice Ciceronis inseruit. Nonne ipse dixerat, quid faciet cum psalterio Horatius, cum euangelijs Maro, cum Apostolis Cicero? Nonne scandalizabitur frater, si te viderit in idolio recumbentē? in quo vtique ipse se idololatriæ reum statuit. Si enim qui viderit legentem hoc, scādalizatur, multo amplius qui scribentē? Sed quoniā qui ad idololatriam deuoluitur, non plenè, nec integrè prophanus efficitur, nisi prius negauerit Christū: ipse Christo in faciem coram sedenti in tribunalibus assistentib. quoque clarissimis ministerijs angelorū, dicit. Si legero, vel habuero gentilium libros, te negaui. Et nunc non solū legit & habet, non solum describit & comparat: verum etiā diuinis eos verbis & sermonibus ecclesiasticæ ædificationis interserit. Res, quā dico, omnib. qui legunt libellos eius, satis nota est, & teste non indiget. Sed est hominis de tam sacrilego periurij barathro se cupientis eripere, adhibere sibi aliquod excusationis commentum & dicere. Non modo lego, sed

Apparet ex libro quem hoc mentitur Ruffinus.

Rom. 14.

1. Cor. 8.

H ea quæ in adolescentia didici, quia sum tenacis memoriæ, ita vt possim plura simul de diuersis capita cōtinuare, ipsa nunc profero. Si quis à me modo exigeret, vt probarem si hodie antequam sol oriretur, nox fuisset in terris, aut si vsque ad solis occasum dies illustrauerit mundum: quid aliud dicerē, nisi magis ab illo, qui dubitaret de eo quod omnes nouerant, causas dubitationis quàm à me probationis oportere deposci? Sed in hoc licet omnes sciant esse verū quod dicimus, & omnes intelligant: tamen quia de anima hominis res agitur, de periurij crimine, de negationis Christi sacrilegio, non potest facilis haberi condemnatio. Nunquid illū mirabimur, qui reos nec interrogatos, nec respondentes condēnat: & non solū non respondentes,

A dentes, sed nec præsentes: & non solum præsentes sed & mortuos: non solum mortuos, sed & eos quos semper ante laudauerat: & non solum eos quos laudauerat, sed & eos quos secutus fuerat & magistros habuerat? Teneatur domini sententia primo illa quæ dicit: *Nolite iudicare,*
Math 7. *vt non iudicemini.* Et iterum: *Qua mensura mensi fueritis, eadem & remetietur vobis.* Quid ergo? licet ex superfluo, vnum tamen profetam testem aduersum eum peruallidum, & cui præscribere non possit: ipsum iterum se, & sua proferam scripta. Quamuis ergo omnes libelli eius hoc testentur, & superflua de hoc mea videatur assertio: tamen vtendum aliquo speciali testimonio est, ne minus plenum his, qui fortè scripta eius non legerunt, videatur esse quod dicimus. Cum libellos eius quos aduersus Iouinianum scripsit, reprehendissem: euidam Domnioni beatæ memoriæ seni, qui sibi hoc ipsum indicauerat, iste rescribens excusat, & dicit. Nullo genere potuisse fieri se errasse, hominem qui omnium haberet scientiam. Cum ergo enumerasset vel syllogismorum genera, vel dicendi ac scribendi artes, quas videlicet ille qui eum reprehenderat ignoraret, continuo subiungit hoc. Stultus, inquit, ego: qui me putauerim hoc absque philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem elegerim eam quæ deleret, quam quæ scriberet, Frustra ergo Alexandri verti commentarios, nequicquam me doctus magister per *εἰσαγωγὴν* Porphyrij introduxit ad logicam: & vt humana contemnam, sine causa Gregorium Nazienzenum & Didymum in scripturis *κατηχητὰς* habui. Hic est qui Christo dixit. Tu negaui, si vel habuero gentilium codices, vel legero. Si nihil aliud, vel de Porphyrio silere debuerat, qui specialis hostis Christi est, qui religionem Christianam quantum in se fuit penitus subuertere conatus est scriptis suis, quem iste nunc introductorem & instructorem ad logicam habere gloriatur: nec argumentari potest se ante hæc didicisse. Ante enim quam conuerteretur, mecum pariter & literas Græcas & linguam penitus ignorabat. Post iuramentum omnia hæc, post sacramenti dati sponsionem. Si sine causa argumentamur, continuo dicetur nobis. Erras homo, *Deus non irridetur,* nec
Gal 6. syllogismi apud eum de Alexandri commentariis intexuntur. Vt video, frater, malè tibi auspicatus es, quod introductor tuus sit Porphyrius. Quo te introduxit perfidus? Si ad illum locum vbi ipse est, ibi & fletus & stridor dentium est. Ibi enim & apostatæ & inimici Dei, fortassis & periuri ibi habitant. Non bonum introductorem tibi elegisti. Magis si accipis consilium meum, ad illum nos introductorem pariter conuertamus, qui introducit ad patrem, qui dixit. *Nemo venit ad patrem nisi per me.* Do-
Ioan. 14 leo frater si credis: & si non credis, doleo te suspiciones alieni periurij in antiquis & veterulis chartulis perscrutari: cum in tuo ore iugis ac sine fine periurij inexplicabile sacrilegium perseueret. Nonne rectè tibi conueniet illud dici, quod Apostolus dicit. *Tu autem qui Iudæus cogno-*
Rom 2 *minaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo instructus per legem, confidis teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrũ infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Qui ergo doces alium, teipsum non doces? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui abominaris idola, sacrilegium* periurij *committis?* Et
D quod est vltimum & grauissimum: nomen Dei per te & *φιλονεικίαν* tuam blasphematur inter gentes. Sed transeamus iam hinc ad alterius obiecti purgationem: si tamen conuictum se periurij & præuaricationis simul, peturgẽte etiam conscientia sua, fateatur. Alioquin si inficias eat, etiam testes quàm plurimos fratrum habere possum, qui in meis cellulis manentes, in monte oliueti, quam plurimos ei Ciceronis Dialogos descripserunt: quorum & ego quaterniones cum scriberent, frequenter in manibus tenui & relegi: & quod mercedes multo largiores: quàm pro aliis scripturis solent, ab isto eis darentur, agnoui. Mihi quoque ipsi aliquando cum de Bethlehem Hierosolymam venisset, & codicem secum detulisset, in quo erat dialogus Ciceronis: & idem ipse Græcus Platonis quod dederit ipsum codicem, & aliquandiu fuerit apud

E me, nullo genere negare potest. Sed quid immoror tamdiu in te, quæ luce est clarior? cum ad hæc omnia quæ supra diximus, etiam illud addatur, vbi cesset omne commentum, quod in monasterio positus in Bethlehem, ante non multo adhuc tempore partes grammaticas executus sit: & Maronem suum Comicosque ac Lyricos & Historicos auctores, traditis sibi ad discendum Dei timorem puerulis exponebat: scilicet & vt præceptor fieret auctorum gentilium, quos si legisset tantummodo, Christum se negaturum iurauerat. Sed videamus quid adhuc aliud culpet: gentilium esse dicit hæc dogmata. Ecce qua sententia se ipse condemnet. Gentilium dicit dogmata quæ ipse conscribit, labitur: sed porrigenda manus est, non est nimiè perurgendus. Dum enim totus in eloquentia volitat, & vituperationibus atque inuectionibus fertur, immemor sui fit, & à ratione deuoluitur. Noli frater temetipsum, etiam in non necessariis temere condemnare: non continuo inter gentiles deputandus es, vel tu vel Origenes: si (vt ipse dixisti) volentes Dei iustitiam defendere, & respondere contra eos, qui vel fato vel casu cuncta moueri dicunt: & volentes ostendere iustam esse Dei prouidentiam quæ moderatur vniuersa, dixistis inæqualitatis causas vnamquamque sibi animam
F iam ex anterioris vitæ, quam in cælestibus habuit motibus ac sensibus comparasse: vel etiam si dixistis bonæ illi & incommutabili ac simplici naturæ Trinitatis conuenire, vt omnem creaturam suam in fine omnium restituat in hoc quod ex initio creata est: & post longa & spatijs sæculorum exæquata supplicia, quæ Deus non tam irascentis quàm curantis affectu infert vnicuique: quippe qui commotionis caret vitio, & medentis & curantis vice finem statuat aliquando pœnarum. Hæc ergo quam vera dixeritis, Deus viderit: tamen impietatis non multum mihi continere videntur in Deum, nec gentilitatis aliquid: maximè si hac mente dicitis, quauis ratione Dei scilicet iustitiam defendere cupientes. Pro his ergo nolite satis conturbare, neque teipsum superfluo aut pœnitentiæ subijcias, aut condemnationi. Sed illud est reuera, vnde te defendere, aut excusare non possum, quod non solum gentiliter, verum & super omnem gentilitatem, immo impietatem à te dictum probatur, quod in hoc ipso libello, cuius superius fecimus mentionem, Deum so-
G crum habere dixisti. Et quid tam impium vel prophanum à quoquam gentilium poëtarum saltem dici potuit? Stultum est enim, si requiram de te, vbi hoc in scripturis sanctis legeris. Quæro si vel Flaccus tuus, aut Maro, si Plautus Comicus, aut Terentius certè, si vel Satyricus quis inter omnia spurca sua, & impudica istud nefas in Deum ex suo ore protulerit. Fefellit te credo illa res & decepit, quod puella ad quem sermo Dei fiebat, sponsa Christi dicebatur: vt propterea etiam matrem carnalem, socrum Dei appellandam putares. Et nesciebas quod hæc non secundum carnis ordinem dicuntur, sed secundum spiritus gratiam. Sponsa enim ex eo appellatur, quod sermo Dei quasi sacrato quodam connubio iungatur animæ humanæ. Si autem tali coniunctione etiam mater puellæ Christo per fidem sociatur, rectius etiam ipsam sponsam Christi, quam socrum Dei appellare potuisses. Nam restat tibi vt & patrem puellæ, socerum Dei dicas: & sorores eius cognatas, etiam puellam nurum Dei pronuncies. Sic dum totus Plautinæ & Tullianæ cupis elo-
H quentiæ sectator videri, oblitus es, quomodo Apostolus omnem ecclesiam, id est, parentes cum liberis: matrem cum filiabus, cum sororibus fratres, omnes simul vnam nominet in virginem vel sponsam, dicens: *Statui autẽ hoc* 2.Cor. 11.
ipsum omnes vos vni viro virginem castã exhibere Christo. Sed tu dum non Paulum, sed Porphyrium introductorem te habere gloriaris, ipsum Porphyrium sequendo qui aduersum Christum, & aduersum Deum libros impios ac sacrilegos scripsit: & ab ipso, vt ais, introductus in istud blasphemiæ barathrum decidisti. Quod si verè pro maledictis tuis vis agere pœnitentiam, si non irrides ista dicendo: si non mente *φιλόνεικος* & contentiosus, propter hoc solum etiam te infamare non refugis, dummodo alium decolores: si non arte, sed fide dictorum tuorũ pœ-

A nitudinem egeris, pro hac tam graui turpique blasphemia age pœnitentiam: hinc enim in Deum blasphemasti. Nam de creaturis aliquid dicere & errare, & maximè si non contumeliæ voto, sed dum iustitiam Dei vt dicis, cupit asserere quis effluat, non est nimis execrabile commissum. In cœlum tendere os, graue est. Iniustitiam vel contumeliam in excelsum loqui, perniciosum est. Huc lugeatur, quod difficile curatur. Nam quis est, qui cum morbo regio laboret, & de ipso capite & vultu ac vita periclitetur, magnopere clamet, quod non leue παρωνύχιον pedis, aut perfacilis vngulæ suæ offensa curetur? Illud autem minimum quidem est, & responsione vix dignum, quod enumerans doctores suos quos de synagoga dicit esse mercatos, stimulans nos subiungit. Neque enim, inquit, ipse me docui, sicut quidam, nos sine dubio intuens, in quos omne ab initio lacerationis suæ pondua inuexit. Et miror hoc eum dicere voluisse, cum maiorem in me & veriorem haberet obtrectandi materiam: quod magis inter multos & præclaros magistros diu moratus,
B nihil dignum eorum, vel magisterio, vel institutionibus habeam. Cæterum iste qui in tota vita sua non totos triginta dies Alexandriæ, vbi erat Didymus, commoratus est, per totos penè libellos suos longè latéque se iactat Didymi videntis esse discipulum, & καθηγητὴν, id est, præceptorem in scripturis sanctis habuisse Didymum. Et omnis ista iactantia in vno mense quæsita est. Ego qui sex annis Dei causa commoratus sum: & iterum post interuallum aliquot aliis diebus, vbi Didymus, de quo tu solo te iactas, & vbi alij nihilominus illo non inferiores, quos tu ne facie tenus quidem nosti, Serapion & Menites, viri natura & moribus & eruditione germani, vbi Paulus senex Petri martyris discipulus, & vt ad eremi magistros veniam, quibus & attentius & frequentius vacabamus: vbi Macarius Antonij discipulus, & alter Macarius, & Isidorus, & Pambas, omnes amici Dei, qui nos hæc docebant quæ ipsi à Deo discebant: quaniam ego, si hoc ita deceret, aut expediret, de his omnibus habere ta-
C ctantiæ materiam possem? Sed erubesco, hæc etiam retexens, dum volo tibi ostendere, non vt tu dicis, nostro ingenio magistros: sed quod plus doleo, magistris defuisse magis ingenium nostrum. Verùm quid stultus ego sanctos enumero Christianos viros? Non propter istos dicit quia ipsi nos docuimus: sed quia Barrabam eius de synagoga magistrum non suscepimus, & per εἰσαγωγὴν Porphyrij, ad logicam non sumus introducti. Ignosce mihi pro hoc quod malui ante imperitus & indoctus videri, quam Barrabbæ discipulus dici. Proposito enim Christo simul & Barrahba, ego quasi imperitus Christum elegi.
Ioan 18. Tu, vt video, cum illis clamas qui dicunt: *non hunc, sed Barrabbam*. Nam Porphyrius tuus, dic quæso quid te docuit, qui aduersum Christianos, & aduersum religionem nostram blasphemiæ volumina conscripsit? Quid te isti in quibus tantum te iactas, vnus ab idolis dæmonum, & alius de synagoga, vt dicis, Satanæ magistri docuerunt boni? Nihil video nisi hoc quod & ipsi nouerant. Nam Porphyrius docuit de Christianis malè loqui, concidere virgines, continentes, diaconos, presbyteros: & omnem prorsus Christianorum gradum & ordinem libellis editis infamare. Ille vero de synagoga Barrabas tuus pro Christo electus: docuit te resurrectionem carnis, non in
C virtute, sed in fragilitate sperare: literæ occidentis amicum fieri, & inimicum spiritus viuificantis. Et alia quædam secretiora, quæ si res poposcerit, postmodum proferentur in tempore. Sed quid in longum sermo producitur? Conuiciis eius & iniuriis non respondeamus: lacerationibus eius, ad quod opus quotidie stylum eius Porphyrius exacuit, non obuiemus. Ad hoc enim Iesus noster, non Barrabbas magister, silere nos docuit. Ad illud veniamus, vt ostendatur quàm vera sunt, quæ vel pro sua excusatione, vel pro nostra accusatione conscripsit. Ait duas esse solas præfatiunculas suas, in quibus laudare visus est Origenem. In eo tamen interpretationis opere eum laudauerit, in quo nihil omnino dogmaticum, nihil de fide dictum sit: & quod penitus in his quæ eius ipse interpretatus est, nihil tale inferatur, quale nunc ad synagogæ gratiam, non ad Christianorum ædificationem re-
E prehendit. Et quamuis ei sufficere ad silentium agendum debeat, quod ea in alienis literis culpat, quæ proferuntur ex suis: tamen & in hoc quàm verum dixerit, videamus. Ex præfatione interpretationum in Ezechielem, quatuordecim homiliis, siue oratiunculis Origenis scribens cuidam Vincentio. Magnum est, inquit, mi amice quod postulas, vt Origenem faciam Latinum: & hominem iuxta Didymi videntis sententiam, alterum post apostolos ecclesiarum magistrum etiam Romanis auribus donem. Et post aliquanta. Et illud, inquit, breuiter admonens, vt scias Origenis opuscula in omnem scripturam esse triplicia. Primum eius opuscula excepta sunt, quæ Græcè σχόλια nuncupantur. In quibus ea quæ sibi videbantur obscura, aut quæ habere aliquid difficultatis, summatim breuiterque perstrinxit. Secundum ὁμιλητικὸν genus: de quo & præsens interpretatio est. Tertium quod scripsit ipse, τόμους, nos volumina possumus nuncupare: in quo opere tota ingenij sui vela spirantibus ventis dedit, & re-
F cedens à terra, in medium pelagus aufugit. Scio te cupere vt omne genus transferam dictionis: præmisi causam, cur non facere possem: hoc tamen spondeo, quia si orante te, Iesus reddiderit sanitatem: non dicam cuncta (quia hoc dixisse temerarium est) sed permulta sim translaturus, ea lege quam tibi sæpè constitui, vt ego vocem præbeam, tu notarium. Item de Canticis canticorum præfatio Beatissimo Papæ Damaso. Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Canticum canticorum ipse se vicit. Nam vndecim voluminibus explicitis, quæ ad viginti vsque versuum millia peruenerunt: primum septuaginta interpretes, deinde Aquilam, Symmachum, Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quam in Actio littore inuenisse se scribit, ita magnificè apertéque disseruit, vt mihi videatur in eo completum esse quod dicitur. *Introduxit me rex in cubiculum suum*. Itaque illo opere prætermisso, quia ingentis est otij, laboris & sumptuum, tantas res, tam dignum opus in Latinum transferre sermonem, hos duos tractatus quos in morem quotidiani eloquij, paruulis adhuc lactentibusque composuit, fideliter magis quam ornatè interpretatus sum: gustum tibi sensuum eius non cibum offerens, vt animaduertas quanta sunt illa existimanda quæ magna sunt, cum sic possint placere quæ parua sunt. Cant 5.
G Item ex præfatione commentarij in Michæam scripta ad Paulam & Eustochium, post aliquanta. Nam quod dicunt Origenis me volumina compilare, & contaminare non decere scripta veterum, quod illi maledictum vehemés existimant, eam laudem ego duco maximam, cum illos imitari volo, qui cunctis prudentibus & vobis placent. Item ex præfatione interpretationis Hebraicorum nominum, post aliquanta, ita dicit. At ne fortè consummato ædificio, quasi extrema deesset manus, noui testamenti verba & nomina interpretatus sum, imitari volens Origenem ex parte, quem post Apostolos ecclesiarum magistrum, nemo nisi imperitus negat. Inter cætera enim ingenij sui præclara monimenta etiã in hoc laborauit, vt quod Philo quasi Iudæus omiserat: hic vt Christianus impleret. Item de epistola ad Marcellam. Ambrosius quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros verè Adamantius noster & Chalcenterus explicuit, in quadam epistola, quam ad eundem de Athenis scripserat, refert nunquam se cibos, Origene præsente, sine lectione sumpsisse: nunquam iuisse somnum nisi vnus è fratribus sacris literis personaret. Hoc diebus egisse vel noctibus, vt
H & lectio orationem susciperet, & oratio lectionem. Item ex alia epistola ad Marcellam. Beatus Pamphilus martyr, cuius vitam Eusebius Cæsariensis tribus fermè voluminibus explicuit, cum Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio vellet æquare, imaginesque ingeniorum quę vera sunt & æterna monimenta, toto orbe perquireret: tunc omnes, maximè Origenis libros impensius prosecutus, Cæsariensi ecclesiæ dedicauit. Quem bibliothecam ex parte corruptam Acatius, dehinc Euzoius, qui eiusdem ecclesię sacerdotes fuerunt in mẽbranis instaurare conati sunt. Hic cũ multa repererit, & in-

A & inuentorum nobis indicem reliquerit, centesimi vicesimisexti psalmi commentarium, &, phe, literæ tractatum, ex eo quod non inscripsit, confessus est non repertum: non quod talis tantusque vir, Adamantium dicimus, aliquid præterierit: sed quod negligentia posterorum ad nostram vsque memoriam non durauit. Sed forsitan dices mihi: Quid superfluis reples paginas? Nunquid & ille dicit criminis esse nominari Origenem, aut ingenij ei laudem dari: si prædicatur talis ac tantus vir, eo magis, si qua sunt illius, in quibus aut Apostolicus vir, aut Ecclesiæ magister dicitur, vt in superioribus ipse profert, aut si quid tale est, quod fidem eius non ingenium solum commendare videatur. Hoc quidem faciam: tamen idcirco hæc protuli, vbi eum talem ac tantum virum dicit: quia in ea præfatiuncula vbi eum dicit Apostolum, vel prophetam defendi, vel vsque ad cœlum ferri, hunc puto sermonem laudis eius inscriptum. Et sicubi
B forte scientiam eius laudauimus, tales sunt omnes meæ in illum laudes. pro quibus hic tantum in te ignis accendit, quas de suis scriptis, nec imputari sibi dignum ducit. Verum quia non dignatur æqualem nobiscum personam habere in iudicio, & nos quidem etiam ex suspicionibus condemnat: ipse vero neque ex chirographis suis teneri vult, nec putat in causa obseruare scripturæ sanctæ debere sententiam, quæ iubet absque personarum acceptione iudicari, non vt æquitas, sed vt ipse vult, ita satisfaciamus pro nobis. Ait enim. Tu si interpretatus es Origenem, culpandus es: ego etiam si eadem dixi, pro quibus ille culpatur, bene feci: & legi debent, & teneri. Tu si laudasti ingenium eius vel scientiam eius, reus es: ego si ingenium laudaui, nihil est. Sed profer, inquit, vbi eum ita laudauerim, vt fidem eius excusarem. Non æque quidem, sed quocunque duxeris sequar. Libellum quendam scribens, comprehendere
C quasi indiculo quodam voluit, quanta apud Latinos Varro scripserit, & quanta apud nostros Origenes in Græcis, in quo ita ait. Marcum Terentium Varronem miratur antiquitas, quod apud Latinos tam innumerabiles libros scripserit. Græci Chalcenterum miris efferunt laudibus, quod tantos libros composuerit, quantos quiuis nostrum alienos sua manu describere non possit. Et quia nunc otiosum est apud Latinos Græcorum voluminum indicem texere, de eo qui Latine scripsit aliqua commemorabo, vt intelligamus nos Epimenidis dormire somnum: & studium quod illi posuerunt in eruditione sæcularium scripturarum, nos in congregandis opibus ponere. Scripsit itaque Varro quadragintaquinque libros antiquitatum, quatuor de vita populi Romani. Et cum enumerasset per singula omnia quæ Varro scripsit, addidit post hæc. Quorsum Varronis & Chalcenteri mentio facta sit, quæritis, videlicet vt ad Adamantium, nostrumque Chalcenterum veniamus, qui tanto in sanctarum scripturarum labore
D sudauit, vt iuste Adamantij nomen acceperit. Vultis noscere quanta ingenij sui reliquerit monimenta? Sequens titulus ostendit. Scripsit in Genesim libros tredecim. Mysticarum homiliarum libros duos, in Exodo excerpta, in Leuitico excerpta. Et post multa. Item, inquit, monobiblia, περὶ ἀρχῶν libros quatuor: de resurrectione libros duos, & alios de resurrectione dialogos duos: & cum enumerasset omnia eius opuscula, secundum indiculi fidem, addidit & dicit. Videtis ne & Græcos pariter & Latinos, vnius labore superatos. Quis enim vnquam tanta legere potuit, quanta ipse conscripsit? Pro hoc sudore quid accepit pretij? Damnatur à Demetrio Episcopo, exceptis Palæstinæ & Arabiæ & Phœnicis, atque Achaiæ sacerdotibus: in damnationem eius consentit vrbs Roma. Ipsa contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum nouitatem, non propter hæresim, vt nunc aduersum eum rabidi canes simulant: sed quia gloriam eloquentiæ eius & scientiæ ferre non poterant: & illo dicente, omnes muti putabantur. Hæc quare scripserim, & ad pauperis lucernæ igniculum, cito sermone, sed non cauto dictauerim, potestis intelligere, si Epicuros & Aristippos cogiteris. Si quis tibi nunc quæso cum ista ad pauperis, vt ais, lucernæ igniculum, cito, sed non cauto sermone dictares, astitisset propheta, & clamasset: ô scriptor cohibe hanc vocem, E reprime stylum: erit enim tempus & non multo post, cum tu schisma ab Ecclesia facies: & tu pro schismate colorem aliquem excusationis inuenias, istos quos nunc omnibus mirabiles facis libros incipies infamare, & istum quem modo Chalcenterum tuum vocas, & pro merito laudabilis laboris, ais, Adamantium nominatum, dicturus es, non tam libros ad vtilitatem animæ, quam venenata dogmata conscripsisse. Hunc quem negas iuste à Demetrio in causa fidei esse damnatum, & hunc quem negas pro dogmatum nouitate accusatum, tu execrandum pro nouitate dogmatum, dices: & ex quæ dicis, nunc aduersum eum canes rabidos simulare, hæc tu ipse simulabis. Romanum quoque senatum, vt nunc scribis, epistolis tuis commonitoriis, iuramentis, satellitibus circunuolantibus, etiam tu coges contra eum: F & talem vicem pro omnibus laboribus suis Chalcentero tuo reddes. Et ideo caue hæc nunc scribere, ne cum hæc scripseris & illa egeris; multo verius tu suis sententiis condemneris, quam ille alienis. Putasne habuisses prophetæ illi hæc tibi dicenti fidem, & non magis illum insanum tunc, quam te in hæc venturum putasses? Sed contentio hæc est, quæ nec amicis parcit: dummodo lædat inimicos. Tu vero hoc supergressus, tibi ipsi non parcis: dummodo non inimicos conficias, sed amicos. Item ex præfatione Hebraicarum quæstionum, post multa. De Origene autem, inquit, sileo: cuius nomen, si parua licet componere magnis, meo nomine inuidiosum est. Qui cum in homiliis suis, quas ad vulgus loquitur, communem editionem sequatur: in Tomis Hebraica veritate superatus, & suorum circundatus agminibus, interdum linguæ peregrinæ quærit auxilia. Hoc vnum dico, quod vellem eum inuidia nominis eius, habere etiam scientiam scripturarum, flocci pendens imagines vmbrasque laruarum: quarum naturæ esse dicitur, terrere paruulos, & in angulis garrire tenebrosis. G Verum ego iam nec mirari debeo, nec conqueri pro his quæ in me agit, qui tantis viris & talibus non pepercit. Nam & sanctæ memoriæ Ambrosium Episcopum qualibus figuris laceret, qualibus obtrectationibus secet, in his ipsis in quibus nihilominus laudat Origenem, similiter ex suis præfationibus edocebo. Præfatio de homiliis in Lucam ad Paulam & Eustochium. Ante paucos dies quorundam in Matthæum & Lucam commentarios vos legisse dixistis, è quibus alter & sensibus hebes esset: & alter in verbis luderet: in sententiis dormitaret. Quamobrem petitis, vt istiusmodi nugis contemptis, saltem triginta & nouem Adamantij nostri in Lucam homilias, sicut in Græco habentur interpreter: molestam rem & similem tormento, alieno, vt ait Tullius, stomacho & non suo scribere: quod tamen idcirco nunc faciam, quia sublimiora non poscitis. Siquidem illud quod olim Romæ sancta Blesilla efflagitauerat, vt viginti sex tomos illius in Matthæum, & alios H quinque in Lucam, & triginta duos in Ioannem, nostræ linguæ traderem: nec virium mearum, nec ocij, nec laboris esse perspicitis. Sed quantum apud me & auctoritas vestra & voluntas valet: prætermisi paululum Hebraicarum quæstionum libros, vt ad arbitrium vestrum, lucratiui operis hęc, qualiacunque sunt, non mea, sed aliena dictarem: præsertim cum à sinistro oscinem coruum audiam crocitantem, & mirum in modum de cunctarum auium ridere coloribus, cum totus ipse tenebrosus sit. Fateor itaque antequam ille obiiciat, Origenem in his tractatibus quasi puerum talis ludere: alia sunt virilia eius, & senectutis seria, quæ si vobis libuerit, & potuero: si dominus, vt in Latinum vertam sermonem, dederit commeatum, & prætermissum prius opus expleuero, tunc videre poteritis: imo per vos Romana lingua cognoscet, quantum boni & ante nescierit, & scire nunc cœperit. Ecce quæ de Origene & de Ambrosio sentiat. Quod si negare voluerit hoc quod omnes sciunt, quia de sancto Ambrosio dixerit: primo

A ex eo conuincetur, quod apud Latinos ipsius tantum, & non alterius in Lucam commentarius fertur. Deinde scit me habere epistolam suam, in qua hoc ipsum de aliis excusans: in illum conuertit suspicionem. Verum quia epistola illa etiam secretiora quædam continet, quæ interim modo publicari nolo ante tempus, ex aliis adhuc his similibus approbabimus. Interim Origenis libros, vt supra diximus, in omnem admirationem extollit & dicit, quod si eos interpretetur, Romana lingua cognoscet quantum boni & ante nescierit, & scire nunc cœperit, id est, in Matthæum, inquit, viginti sex libros, & in Lucam quinque, & in Ioannem triginta duos. Isti sunt quos magnificat: in quibus eadem prorsus omnia, sed latius & copiosius, quæ & in istis Peri archon libris, pro quibus me arguit, continentur. Quod si iste promittit se istos interpretaturũ, me quare pro similibus incusat? Sed quoniam polliciti sumus probaturos nos quomodo laceret virum omnium admiratione dignum Ambrosium

B Episcopum, qui non solum Mediolanensis Ecclesiæ, verum omnium Ecclesiarum columna quædam & turris inexpugnabilis fuit, vnam adhuc ipsius præfationem ponemus, ex qua videatis vel tantum virum quam fœde & indigne laceret: vel iterum quomodo Didymus vsque ad cœlum efferat laudibus, quem rursus vsque ad inferna demergit: vel quomodo de vrbe Roma, Deo fauente capite Christianorum, eа dicat quæ dicebantur tunc, cum gentiles in ea populi & persecutores principes morabantur. Præfatio ad Paulinianum de Spiritu sancto. Dum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritum viuerem, volui aliquid garrire de Spiritu sancto, & cœptum opusculum eiusdem vrbis Pontifici dedicare. Et ecce olla illa quæ in

Hier. 1. Hieremia post baculum cernitur, à facie cœpit aquilonis ardere: & pharisæorum conclamauit senatus, & nullus scriba vel fictus, sed omnis quasi indicto sibi prælio

C aduersum me imperitiæ factio coniurauit. Illico ego velut postliminio Hierosolymam sum reuersus: & post Romuli casam, & nudorum lupercal, diuersorium Mariæ & speluncam Saluatoris aspexi. Itaque, mi Pauliniane frater, quia supradictus Pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, iam dormiuit in domino: tam tuo quam venerabilium mihi ancillarum Christi Paulæ & Eustochij nunc adiutus oratu, canticum, quod cantare non potui in terra aliena, hic à vobis prouocatus in Iudæa immurmuro, augustiorem multo locum existimans, qui Saluatorem mundi, quam qui fratris genuit parricidam. Et vt auctorem titulo fatear, malui alieni operis interpres existere, quam vt quidam faciunt, quasi informis cornicula alienis me coloribus adornare. Legi dudum de Spiritu sancto cuiusdam libellos: & iuxta Comici sententiam, ex Græcis bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum, quod lectorem vel ingratis in assensum trahat: sed flaccidum totum, molle, nitidum, atque formo-

D sum, & exquisitis hinc inde odoribus pigmentatum. Didymus vero meus oculum habens sponsæ de Cantico canticorum, & illa lumina quæ in candentes iam segetes sublimari Iesus præcipit, procul altius intuetur, & antiquum nobis morem reddit, vt videns vocetur propheta. Certe qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet: & contemnet riuulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, sed non

Non constat quod hæc dicant de Ambrosio loquutor: culpandus ipse qui reatur. scientia: Apostolicum virum ex ipso stylo exprimens, tam sensuum nomine, quam simplicitate verborum. Audistis quomodo quem ante coruum diaetar, & totum tenebrosum, nunc iterum corniculam dicat, alienis se pennis vel coloribus depingentem: & quam turpiter laceret, & nihil virile dicat habere virum, qui ad Ecclesiarum Christi gloriam electus à Deo est: qui in testimoniis domini locutus est in conspectu persecutorum regum, & non est confusus. Ambrosius sanctus, de Spiritu sancto, non solum verbis: sed & sanguine suo scripsit: Obtulit enim persecutoribus sanguinem suum, quem in se fudit: sed à Deo ad alios adhuc reseruabatur labores. Quod etiam si secutus est Græcos Catholicos nostro-

E rum scriptores, & aliquid de eorum scriptis præsumpsit non continuo hæc debuit tua esse summa cura, hic labor, hoc studium, vt pro hac causa interpretateris librum Didymi de sancto Spiritu, vt furta illius cognoscerentur, qui fortassis etiam necessitatem scribendi passus est, vt insanientibus tunc hæreticis responderet. Hæc est Christiana modestia? Sic monita seruamus Apostoli dicentis, Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam? Deinde quomodo, vt iterum eadem repetam, tu qui prædicas non furandum, furaris? Paulo ante interpretationem Micheæ obiectam tibi dicebas, quasi Origenis dicta furateris. Tu furtum quidem non negasti, sed ais. Quod mihi illi maledictum vehemens existimant, hoc ego laudem duco maximam: cum illum imitari volo, qui cunctis prudentibus & vobis placet. Tua furta laudem tibi præstant maximam: alios furta sua apud te coruos & corniculas faciunt. Si tu Origenem,

Didymi librum de Spiritu sancto ad preces Damasi contra hæreticos male tunc de eo sentientes, vt ait: non vt furta Ambrosij, aut aliorum alienum agnosceremus. Epist. 1.

F quem alterum post Apostolos dicis, recte facis imitari, qui concidis eum, qui secutus est Didymum, quem nihilominus & prophetam nominas, & Apostolicum virum designas? Si ergo neque tanto ac tali viro Ambrosio pepercisti: & eum quem alterum post Apostolos scribis, atque omnibus placere prudentibus, ac mille aliis laudibus, non duobus, vt dicis, sed innumeris scriptis tuis vsque ad cælum extulisti, rursum hæreticum quem ante Apostolum facis: & Didymum ipsum, quem nunc prophetam videntem & oculum habentem sponsæ de Cantico canticorum, & Apostolicum virum sensuum nomine designas, iterum eum peruersum doctorem criminaris, & inter hæreticorum consortia, tua censoria, vt ais, virgula segregas: quam virgulam à quo acceperis nescio: nam Petrum semel scimus claues à Christo accepisse. Istas modo censorias virgulas qui spiritus erogat, tu videris. Si inquam istos omnes, quos tuo ore laudasti, tuo ore rursum condemnas: quid ego ad istos pulex de me conquerar, si me nunc laceres, quem & in epistolis tuis ante laudaueras, & in Chronicis tuis, Florentio & Bonoso, per vitæ vt ais, nobilitate coniunxeras? Etiam nec illud eius admirabile factum silendum

Didymus vir Origenistam, Tractatus fide acceptus, meminit: non sensu quem ipsum Ruffinum.

G est, ne pudorem incuriamus audientibus, quod Marcellini consulis neptem, quam Romanæ nobilitatis primam, paruulo filio Romæ derelicto Hierosolymam petiisse, & ibi ob insigne meritum virtutis Teclam nominatam, in ipsis Chronicis suis scripserat: post id de exemplaribus suis erasit, cum actus suos vidisset districtioris disciplinæ fœminæ displicere. Compellimur quidem plura adhuc de scriptis eius congregare, vt agnoscatur quam verum sit & hoc quod scribit, qui in suis duabus tantum præfatiunculis, Origenis meminerit: in his non fidem eius, sed ingenium: non dogmatisten eum, sed interpretem laudans. Adhibui interim decem. Sed ne dilatari nimis sermonem onerosum sit, sufficiat interim hæc, in quibus eum & quasi Apostolum laudat, & quasi Ecclesiarum magistrum: & quia non pro fide, non pro dogmatum nouitate, vt rabidi nunc

Falsò nominat fœminam à Chronicis ablatam: adhuc enim ibi legitur. Loquitur enim de Melania.

H canes simulant, aduersum eum moueatur ordo Romanus: & quia ipsum sequitur, qui omnibus prudentibus & ipsi placet: & omnia illa quæ insertæ superius eius præfatiunculæ contestantur. Verum hæc quoquo modo sint, quæcunque habes tu cum istis vel antiquis vel nouellis scriptoribus, siue eos tu Apostolos, siue eos venerarios scribas, siue prophetas eos tu, siue peruersos doctores voces: ad me ista quid spectant? Tu pro his varietatibus tuis, pro contumeliis & lacerationibus bonorum, recte pœnitentiam egeris, si tamen egeris. Mihi quare dicis. Si secuti sunt errantem, sequantur correctum? Apage, absit à me. Nunquam ego nec te, nec alium errantem secutus sum: sed in virtute Christi, nec te, nec alium quenquam, nisi Ecclesiam Catholicam sequar. Tu qui scripsisti talia, & secutus eos, quos errasse credebas, qui tam indigne de Deo scripsisse conuictus es: tu age pœnitentiam, si tamen putas tibi blasphemiæ crimen ignosci. Nunquid mea aliqua proferre potes scripta similia, in quibus me vel in iuuentute errasse conuincas, sicut tu non tam confiteris quam conuin-

Secutus Origenem plurimum errantibus, se nullo errantem secutum dicere audet.

A uinceris? Ego me interpretandi disciplina tantummodo imitatum te dixi, vel secutum: sed tamen in nullo alio, in quo etiam tibi omnem iniuriam factam esse dicis quia secutus sum quod te videram in Homiliis secundum Lucæ Euangelium fecisse: vbi de filio Dei in Græco non recte inueneras, præterieris, in illo loco vbi dicit. Luc. 1. *Magnificat anima mea dominum: & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Nosti, quia de anima, sicubi illa quæ solent dici, non præterieris: sed ea adhuc etiam ex te additis quibusdam assertionibus lucidius scripseris, vt in illo loco. Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo: vbi dicis quod non erat hoc principium substantiæ eius, de tuo addidisti, atque nanitæ. Hæc & mille alia his similia in interpretationibus tuis, siue in his ipsis homiliis, siue in Hieremia vel in Esaia, maxime autem in Ezechiele subtraxisti. De fide autem, id est, de Trinitate, cum in aliquantis locis aliter inuenisses: quæ tibi visa sunt, prætermisisti. Hoc genus interpretandi vterque nostrum tenuit. Quod si alius culparet, tu vnque respondere de- B beres, qui primus hoc feceras. Nunc ipse id culpas, sine dubio vnde ipse culpetis. Verbum de verbo interpretari, antea & stultum esse & malinosum pronunciasti. In hoc secutus sum te. Nunquid de hoc vis vt pæniteat me, quia tu modo mutasti sententiam, & ad verbum interpretatum te dicis? Si qua in fide minus ædificabant, abstulisti: ita tamen abstulisti, vt non omnia, nec in omnibus penitus amputares. Denique in Homiliis Esaiæ, visio Dei, Filium & Spiritum sanctum retulit. Ita tu transtulisti: adiiciens ex te quod sensum auctoris ad clementiorem traheret intellectum. Ais enim. Qui sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Iesus Christus, & Spiritus sanctus. Et ex tuo addidisti: ne putes Trinitatis dissidere naturam, si nominum seruantur officia. Hæc & ego in quam plurimis feci, & aut desecaui, aut ad saniorem intelligentiam declinaui. Pro his me iubes agere pœnitentiam? Non puto hoc te sentire. Quod si pro his neque tibi, neque mihi pœnitendum est, pro quibus aliis me inuitas ad pœnitentiam? Scripta mea nulla extant, in quibus error meus aliquis corrigendus sit. Tua C extant multa, quæ, vt video, nunc secundum sententiam tuam vniuersa damnanda sunt. Exceperas tibi commentarios in epistolam ad Ephesios, in quibus te putaueras aliquid emendatius condidisse. Etiam ipse vidisti quam similes per omnia esse Origenis sensibus inuenti sunt: imo & plus aliquid, quam hoc quod damnari expostulas, continere. Et nisi ipse de his iam tibi exclusisses pœnitentiæ facultatem dicens: Reuoluite commentarios meos in epistolam ad Ephesios, & inde agnoscetis, quomodo Origenis dogmatibus aduersatus sum: fortassis velles iterum & de his pœnitere, & in istis condemnare temetipsum, sicut & in cæteris. Tamen quantum in me est, concedo ego tibi & pro his pœnitere: sed & pro omnibus non solum quæ locutus es, sed & quæ locuturus es, si agas pœnitentiam, bene facis. Certum est enim quod pœnitenda sunt cuncta quæ scripseris. Quod si hinc me aliquis culpandum putat, quare omnino ali- D quid de Origene interpretatus sum: si hoc culpatur, ego in opere postremus sum: & necesse est vt culpa à primis incipiat. Et tamen nemo commissum punit, quod ne admitteretur, ante non vetuit. Licuit, fecimus. Si quid prohibet lex, obseruari in posterum solet. Sed damnare dicit, quis debere cum auctore suo libros. Sed quid facimus de isto auctore, qui eadem scribit, sicut superius plenissime ostendi? Similem excipiat eandemq; sententiam. Ego hoc nec peto, nec vrgeo, licet ille mecum hostiliter agat: sed vt video, ipse sibi hoc temerè alios condemnando conquirit. Verum vt iterum tecum ex tuis verbis loquar, ipse scribis in istis inuectiuis tuis, me interpretatione mea hoc ostendisse, quod ego quidem essem Catholicus: Origenes autem, quem interpretabar, hæreticus. Ais enim Hoc est dicere, quia ego sum quidem Catholicus: iste autem quem interpretor, hæreticus. Ais enim. Hoc legi. Si vt dicis, hoc toto opere meo ostendi quod ego Catholicus sum, & Origenes hæreticus: quid adhuc aliud quæritur? Nonne totum agis, & illum hæ- E reticum, & me Catholicum dici? Si hoc dixisse me, & hoc toto opere meo satis egisse testatis: quæ tibi iam accusationis causa superfuit? Quo profecit tibi ista in nos conuectio? Si Origenem hæreticum esse ostendi, & me Catholicum: recte feci, an non recte? Si recte: cur ad culpam & accusationem, quæ recte gesta sunt, vocas? Si non est rectum Origenem hæreticum dici: cur me hoc nomine in ius vocas? Quid opus fuit te interpretari malitiosius ea, quæ secundum tuum interpretandi morem fuerant translata, licet incultiori sermone? Quid certe opus erat auditores tuos illudere, & illis aliud opinantibus te aliud agere? Illi enim hoc existimant, quod tu aduersum eos agas, qui Origenem Catholicum defendunt: tu vero illos arguis & accusas, qui hæreticum illum designarunt. Propter hoc forte me inuitabas ad pœnitentiam? Non intellexeram. Veruntamen scito me ne de hoc quidem pœnitudinem gerere: quin dicam non omnia quæ in libris eius inueniuntur, tanquam Catholica esse suscipienda. Quæ vtrum sua sint, vt dicis: an ab aliis inserta, vt nos putamus, Deus viderit. A nobis interim, vbi ad fidei fastigium & veritatem ventum fuerit, respuuntur. Tu tamen dic, quid exposcis à nobis: hæreticum vis vt dicamus Origenem? Hoc fecis- F se nos non culpas. Sed Catholicum? Pro hoc nos accusas. Designa manifestius quid velis: si tamen potes aliquid horum medium inuenire quod velis. Isti sunt omnes sales tui de Alexandri & Porphyrii, & ipsius Aristotelis acumine congregati. Hæc est omnis illa iactantia, qua te à prima ætate vsque ad senectam in grammaticorum & rhetorum & philosophorum scholis ac disciplinis prædicas esse versatum, vt procederes Origenem pronunciaturus hæreticum: & in ea ipsa oratione, qua in illum ferebas sententiam, accusares eum, quem asserebas quod illum hæreticum designarit. Vides quia nusquam cura veritatis ac fidei, nusquam religionis ac iudicii contemplatio: sed sola male loquendi & lacerandi fratres exercitata libido versatur in lingua: sola in corde humana contentio: sola inuidia & liuor in mente: in tantum, vt cum odiorum tibi causa non esset, cognominatum te à me fratrem & collegam, licet cum præconio indignanter acciperes. Ignosce mihi quod nesciebam te ἀκατονόμαστον dici, & incompellabilem no- minari. Miror tamen, quod ea me condemnare deposcas, quæ à me narata conquereris. Ad illam sane incu- G sationis eius partem, superfluum videtur vel respondere aliquid, vbi pie, & religiose dicta martyris Pamphili, aut falsa dici vult: aut etiam si vera sint, spernenda decernit. Cui iam iste deferat, cui iam parcat? Omnes apud istum Græci scriptores antiqui Ecclesiastici errauerunt. Latinis vero quomodo deroget, quomodo carpat singulos, vel veterum, vel nouorum, diuersa eius qui legit opuscula recognoscit. Sed nunc ne martyres quidem apud eum habere possunt aliquid reuerentiæ. Non, inquit, credo, quia martyris sit. Hoc si velimus de omnibus scriptorum dicere libellis, quæ erit in singulis probatio, si dicam: non est verum, quia Stromatum libri quos dicit, Origenis sunt. Vnde ipsius esse probantur? Ex cæterorum, inquit similitudine. Sed sicut ille qui in H scriptura alicuius falsum facere vult, manus eius imitatur: ita & qui sua dicta sub alterius nomine vult inserere, stylum sine dubio imitabitur eius, cuius & nomen asciuit. Deinde, vt omnia quæ iustissime dici possunt, breuitatis causa prætereeam: si in tantum volebas audere, vt martyrem reprehenderes, dicta ipsa quæ tibi videbantur reprehensibilia, in medium proferre debueras: & tunc vnusquisque legentium vidisset, quid ibi esset absurdum, quid consequens, quid iniquum, quid certe contra Apostolicas regulas: sed tantum nescio quid impietatis, pro quo, vt dicis, expiando sanguinem suum fuderit martyr. Ipsa illa verba si legeret, iam non tua, sed sua sententia aut errasse martyrem, aut nomine martyris absurdam & impiam conscriptionem ab alio diceret esse compositam. Nunc vero sciens quia si legantur ea quæ reprehendis, nota retorquebitur in eum, qui

A culpat iniofte: ea quidem qoæ reptehendis, non profers: tua autem illa censoria virgula, & arroganti auctoritate decernis: Ille arceatur à bibliothecis, ille recipiatur: & iterum iste ipse qui hodie receptus est, crastino si eum alius aliquis præter me laudauerit, eiiciatur, & cum illo ipse qui laudauit. Hic autem Catholicus habeanir, etiam si aliquando videatur errasse: illi erroris venia non detur, etiam si ea dicat quæ ego dixi: & neque interpretetur quis eum, neque legat, ne quis mea furta cognoscat. Hic hæreticus qoidem, sed magister meus est. Et hic licet Iudæus sit, & de synagoga satanæ conductus verba vendat ad pretium, tamen magister meus est, & præfetatur omnibus: quia apud ipsos sulum scripturarom veritas permanet. Si tibi istud auctoritatis vniuersa pariter iniunxisset Ecclesia, & exigeretur à te vt de singulis, vel de omnibus iudicares: oonne graue & periculosum oous, oe tibi imponeretur, excusare debueras? Nunc vero in tantum quotidiana derogandi meditatione

B proficimus, vt iam nec martyribus parcamos Sed ponamus quod non sit martyris libellus iste, sed cuiuscunque vsiius de Ecclesia: nuoquid suis verbis vsus est quisque ille est scriptor? Vt meritis cedendum videatur auctoris, de ipsis Origenis voluminibus ponit exempla: & quid de singulis sentiat, non suis defensoriis verbis: sed eius ipsius qui accusabanir, ostendit. Et sicut aduersum te inodo, multo meis verbis vehementiora sunt tua scripta, ita illum non excusantis auctoritas, sed sua dicta defendunt. Et ideo superflua est de auctore quæstio, vbi defensio talis est, quæ assertore non egeat. Sed ad illud iam nequissimum incusationis eius caput & inuidiosissimum veniendum est, imo non inuidiosum, sed inuidum: ait enim. Quis prudentium, vel quis sanctorum aggredi voluit in Latinum vertere, quod tu ausus es? Ego ipse, inquit, sæpe rogatus à multis, non feci. Et qoidem sancti quare hoc non fecerint, facilis excusatio est. Non enim continuo qui sanctus & prudens est Latinus, etiam

C linguæ Græcæ notitiam sufficienter habet. Nec sanctitati eius detrahitur, cui deest peregrinæ linguæ ootitia. Aut iterum non continuo si scientiam quis habet Græci sermonis, etiam voluntatem interpretandi habet. Aut etiam si habet, oon statim discutiendus est ille qui pauca interpretatus est, quare non plura: aut cur non illa, sed illa? Libertas est enim in huiuscemodi opere, & est vel in arbitrio scribentis, vel in desiderio deposcentis: & tamen de sancto Hilario dicit, & de sancto Victorino: quorum alterum interpretis titulo nihil omnino arbitror transtulisse de Græco: alterum ipse dicit Heliodori cuiusdam presbyteri vsum scientia: vt quæ ille sibi hauriret ex fonte Græcorum, ipse Latino ea sermone digereret, pro eo quod aut nihil, aut paruo Græce nosset. Illi ergo cur hæc non fecerint, & facilis & manifesta est excusatio: de te saoe mirandom est quare hoc feceris? Quid enim magis audax, vel quid amplius temerarium, libros istos interpretari Origenis: quorum iam pene omnem continentiam in aliis libris scripseras? quorum omnia

D iam dicta quæ reprehensibilia nnuc dicis, sub proprij nominis sermone protuleras? An vt diuinarum scripturarum libros, quos ad plenissimum fidei instrumentum Ecclesiis Christi Apostoli tradiderunt, noua nunc & à Iudæis mutuata interpretatione mutares? Quid tibi ex his duabus causis magis videatur illicitum? Nam Origenis dicta, siue placent, vt hominis dicta placent: siue displicent, vt hominis falsa dicta facile contemnuntur. Ista vero quæ nunc tu interpretaris, & per Ecclesias & monasteria, per oppida & castella transmittis, quomodo suscipiendis? tanquam diuina, an tanquam humana? Et quid facimus, quod qoæ prophetarum vel legislatorum nominibus titulantur, veriora hæc abs te quam illa quæ Apostoli probauerunt, affirmantur? Istud commissum dic quomodo emendabitur: imo nefas quomodo expiabitur? Si enim in explicanda lege aliquid aliter sensisse damnabile apud te ducitur, ipsam legem peruertere in aliud qoam Apostoli tradiderunt, quoties damnabile iudicandum est? Cur non magis pro huius ausi temeritate dicamus: quis ex tot & tantis prudentibus & sanctis viris, qui ante te fuerunt ad istud opus ausus sit ma- E

num mittere? Quis præsumpserit sacras sancti Spiritus voces, & diuina volumina temerare? Quis præter te diuino muneri & Apostolorum hæreditati manus iniulerit? Et quidem cum ingens copia fuisse ex initio in Ecclesiis Dei, & præcipue Hierosolymis eorum qui ex circuncisione crediderant, referatur: in quibus vtique linguæ vtriusque perfectam fuisse scientiam, & legis peritiam probabilem, administrati pontificatus testatur officium. Quis ergo in ista eruditorum virorum copia ausus est instrumentum diuinum, quod Apostoli Ecclesiis tradiderunt, & depositum sancti Spiritus compilare? An non est compilare, cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? Nam omnis illa historia de Sosanna, quæ castitatis exemplum præbebat Ecclesiis Dei, ab isto abscissa est, & abiecta atque posthabita. Trium puerorum hymnus, qui maxime diebus solemnibus in Ecclesia Dei F

canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est. Et quid per singula commemoro de his, quorum comprehendere numerum nequeo? De quo vt omittam illud dicere: quod septuaginta duorum virorum per cellulas interpretantium vnam & consonam vocem, dubitandum non est, Spiritus sancti inspiratione prolatam: & maioris id debere esse auctoritatis, quam id quod ab vno homine sibi Barabba aspirante, translatum est. Vt ergo hoc omittam, vide quid dicimus, verbi causa. Petrus Romanæ Ecclesiæ per viginti & quatuor annos præfuit: dubitandum non est, qoin sicut cætera, quæ ad instructionem pertinent, etiam librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit: qoæ vtiqoe iam tunc ipso sedente & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam, & libros ei falsos & nihil veritatis continentes tradidit: & cum sciret quod verum est haberi apud Iudæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est? Sed fortasse dicit: quia sine literis erat Petrus, & sciebat quidem Iudæorum libros magis esse veros, quã istos, qui erant in Ecclesia: sed interpretari non poterat propter sermonis imperitiam. Et quid? Nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum sanctum cœlitus data? Non G

ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli. Sed concedamus, quia non potuerit Petrus Apostolus facere, quod hic modo fecit: de Paulo quid dicimus? Num & Paulus sine literis fuit? Hebræus ex Hebræis, secundum legem pharisæus, edoctus secus pedes Gamalielis: qui etiam & ipse Romæ positus, si quid Petro defuisset, putas non potuit adimplere? Quomodo ergo isti qui præcipiebant discipulis vt attenderent lectioni, emendatas eis & veras non dabant lectiones: & qui præcipiunt ne attẽdamus Iudaicis fabulis & genealogiis, quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem? Et iterum cauere nos iubent, & obseruare *maxime eos qui ex circuncisione sunt*, quomodo non præuidebant per spiritum quod futurum esset tempus post quadringentos fere annos, quando Ecclesia cognito eo qood ab Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris instrumenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tunc circuncisionem vocabant: obsecrans & exorans, vt sibi de veritate, quæ apud ipsos est, aliquid largirentur? Per totos istos quadringentos annos errasse H

1. Tim. 1.

se, & ignorasse quod verum est fateretur? Ascitam quidem se esse ex gentibus sponsam Christo per Apostolos: sed non ab eis veris monilibus exornatam: putasse se lapides esse pretiosos, nunc autem deprehendisse quod non sunt veræ istæ gemmæ, quas sibi Apostoli Christi imposuerant: erubescere se ad publicum procedere, falsis & non veris lapidibus adornatam: & ideo rogare se vt vel Barrabam illum, quem aliquando vt Christo nuberet, spreuerat: mittant ad se, qui possit cum vno electo ex suis viro ornamenta sibi vera, quæ Apostoli non præstiterant, reparare? Quid ergo mirum est, si me minimum & nullius numeri hominem laceret, si Ambrosium secet, si Hilarium, si Lactantium, si Didymum reprehendat? Nec multum dolere de iniuria mea debeo, pro eo qood opus meum ipse interpretari denuo aggressus est: cum me septuaginta interpretibus in hac æquauerit contumelia. Sed & illud quomodo accipiendum est? Quantum

Lactantium & Didymum quos eto-rarunt, reprehendit, Hilarium

A

Numquid nec etiam Ambrosius, quod constet.

tum accessisse ad incredulitatem ex hoc facto gentilibus æstimatis? Non enim latent eos, quæ apud nos arguūtur. Scientes ergo legem nostram non emendatam vel mutatam: nonne dicunt apud semetipsos, errant isti, nec est apud eos aliquid veritatis? Ecce ipsi cum volunt, leges suas corrigunt & emendant. Certum est autem errorem præcessisse, vbi emendatio subsecuta est: nec diuinum videri posse, quod ab homine mutatur. Hoc nobis præstitit tua ista nimia sapientia, vt omnes incipientes etiam à gentilibus iudicemur. Nolo sapientiam quam Petrus & Paulus non docuit: nolo veritatem quam Apostoli non probauerunt. Tua verba sunt: post quadringentos annos non debere simplices Latinorum aures nouæ doctrinæ voce pulsari. Modo tu dicis. Omnis qui putabat Susannam nuptis & innuptis exemplum pudicitiæ præstitisse, errauit. Non est verum. Et omnis qui putabat quod puer Daniel Spiritu sancto fuerit repletus, & arguerit adulteros senes, errauit. Non erat verbum. Et omnis Ecclesia per orbem terrarum, siue eorum qui in corpore sunt, siue eorum qui ad dominum perrexerunt, siue illi sancti confessores fuerunt, seu etiam sancti martyres, quicunque hymnum trium puerorum in Ecclesia domini cecinerunt, omnes errauerunt, & falsa cecinerunt. Modo ergo nobis post quadringentos annos legis veritas empta pretio de synagoga procedit. Posteaquā senuit mundus, & perurgentur cuncta ad finem, scribamus etiam in sepulcris veterum, vt sciant & ipsi qui hic aliter legerant: quia Ionas non habuit vmbram cucurbitæ, sed hederæ. Et iterum cum voluerit legislator, nec hederæ: sed alterius virgulti. Sed & Origenes, inquit, asteriscos fecit, ex translatione Theodotionis assumens, vt componeret volumina quæ appellantur Hexapla. Et quid Origenem istum, quando tibi placet condemnandum, quando placet imitandum, producis? Verisimile est vt eundem tu & defensorem adhibeas, & reum. Auctorem facti tui habere potes eum, quem & primus ipse condemnas: & ad condemnationem eius epistolis tuis Romanum cogis senatum? Ante hoc prouidere debueras. Nemo succidit arborem cui inniti parat; nemo in sua causa fidem eius explorat, cuius ipse reprobat fidem. Siue hoc fecit Origenes, siue non fecit, quid ad te? Si ad illius exemplum iudicari vis, relege sententias tuas: & vide quid dixeris. Hoc non est, inquis, se purgare: sed socios criminis quærere. Noli ergo & tu socios criminis quærere: sed purgationem facti require. Veruntamen videamus quid tale etiam reus & auctor simul Origenes fecerit. Ego illius nec vnum locum ex scripturis diuinis de Hebræis inuenio translatum. A te omnes scripturas video esse mutatas. Et quomodo factum tuum & illius simile videri potest? Apostatæ quidem & Iudæi interpretati sunt ea quorum lectione Iudæi maxime vtuntur. Et quia frequenter, si disputatio accidisset, vel immutata esse aliquanta, vel deesse vel abundare in nostris scriptoris mentiebantur: voluit Origenes nostris ostendere, qualis apud Iudæos scripturarum lectio teneretur: & in propriis paginis vel columnellis, editiones eorum singulas quasq; descripsit: & ea quæ apud illos sunt addita vel decerpta, certis quibusq; signis additis, ad versiculorum capita designauit: & in alieno non suo opere, suas tantummodo notas fixit, vt sciremus non quid nobis: sed quid Iudæis aduersum nos certantibus, aut deesse, aut abundare videretur. Quod tale esset, quale si quis accepto breuiculo, in quo militum nomina continentur, nitatur inspicere, quanti ex militibus supersint, quanti in bello ceciderint: & requirens qui inspicere missus est propriam notam: verbi causa, vt dici solet ° ad vniuscuiusque defuncti nomen asscribat, & propria rursus nota superstitem signet: numquid videbitur is, qui notam ad defuncti nomen apponit, & propria rursum nota superstitem signat, quod egerit aliquid, vt vel hic defuncti, vel ille viuentis causam acciperet, sed quod eos qui ab aliis fuerint perempti, iste annotationis designauit indiciis: Ita ergo fecit & ille ea quæ per alios interpretes siue perempta fuerant, seu etiam abundantius prolata, propriis quibusdam signis, id est, asterisci & obelisci notulis designauit. Cæterum, neque verbum aliquod de suo vnum saltem inseruit, neque nostrum exemplariorum fidem fecit in aliquo vacillare: sed ea quæ minus videbantur secundum cursum literæ plana & lucida, spiritualis intelligentiæ ostendit referta mysteriis. Quid tibi ergo Origenis factum in hoc potest præstare solatij, cuius neque opus simile aliquod ostendere potes: & in quo tantum laboras, vt litera occidat consequenté: dum ille econtrario Spiritus viuificantis esse conetur assertor? Tuum igitur frater, tuum istud est factum, nec quicquā nonc te in hoc comité vel socium in Ecclesia habuisse certum est: nisi istum solum, quem frequenter commemoras Barabbam. Quis enim alius auderet ab Apostolis tradita Ecclesiæ instrumenta temerare, nisi Iudaicus Spiritus? Illi te ô mi frater, antequam à Iudæis caperetis charissime, illi te in hæc mala præcipitant. Illi te libellis editis, notas infligere Christianis, illi te nec martyribus parcere faciunt: & de omni Christianorum ordine fanda atque nefanda scribere, turbare pacem nostram, scandala Ecclesiæ generare. Illi etiam aduersum teipsum & scripta tua, quæ quasi Christianus aliquando locutus sis, cogunt ferre sententiam. Et ideo tibi omnes sordemus: dum illi pessimis suis artibus tibi nimium placent. Nam quomodo tu si Pauli literis acquiesceres, diceretis. *Si quis frater præuentus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis*, ita efferbuisses, vt in nullo prorsus spiritualis institutionis ordinem custodires? Pone enim aliquid me scripsisse contumeliosum: pone quod tibi virorum summæ eloquentiæ, & fratri & collegæ mihi quem imitandum in disciplina interpretandi dixi, iniuriam fecerim: tamē post pacem illam summo vix sudore reparatam, hæc prima adhuc de meis iniuriis querela ad te peruenerat. Sed & illam tuam ponamus iniuriam, quod in interpretando Origenem te imitatus, aliqua præterierim, quæ mihi minus ædificationis in fide habere videbantur. Culpandus pro hoc eram fortassis, & emendandus. Scripta, vt ais, ad te fratrū missa sunt, deposcentium culpas interpretis argui. Quid tu vir spiritualis agis? Quid formæ & exempli in rebus talibus cæteris præbes? Fratris turpitudinem nō solum nudatam his qui foris sunt nuncias, sed & obtecta denudas. Pone quia non te imitatus, hoc feci, sed ebrietas aliqua subrepēs, sicut patriarchæ fecit, nudauerit, turpitudinem nostram: nunquid maledictionē cōsecutus fueras, si obuersus incedens, leui palliolo rescripti tui contexisses opprobrium nostrum, & si velasset epistola vigilātis, quem stylus nudauerat dormitantis? Sed aliud rescribere non potueram his, qui ad me talem epistolam miserant: vt nisi ita rescripsissem, aut reinterpretatus essem ea ad verbum, quæ tu es interpretatus ad sensum, etiam ego Origenem sequi viderer. Nondum dico quæ sit illa aut qualis epistola: tamen quoniam viri nobilis Pammachij continet nomen, quid fuisset absurdum, si ei tale aliquid respondisses: frater, non est temere de alterius opere iudicādum. Nam & tu ipse nosti quid feceris: quando aduersum Iouinianum, Romam misi libellos, cum eos quidam aliter intelligerent, quam ego me dictasse memineram: nonne cum iam à plurimis legerentur, & offenderētur pene omnes, cum quibus etiam tu ipse esse putabaris, exemplaria iam de foro, iam de publico subtraxisti: & hæc non ad aliquem alium, sed ad me remisisti, causam pariter, quia multi scandalum pati videbantur, insinuās: quomodo ego Apologeticum denuo descripsi, & quæ aliter intelligebātur, ad intelligentiā rectiorem prout potui, reuocaui? Æquum est ergo, vt quod nobis fieri volumus, aliis nos faciamus. Sicut enim meos libros mihi remisisti, vt à me emendarentur: ita & ad illū suos remitte: & quod culpabile videtur, insinua: vt ipse se si in aliquo errauit, emendet. Tū præterea & nos iam in multis exercuimus ingenium, & multa iam nobis opuscula desudata sunt. Ille hoc primum prope opus adiit, & fortasse compulsus: & nihil mirum si fluctuauit in primis. Nec occasio derogandi Christianis captanda est: sed emendationis vtilitas requirenda. Hæc si ad eū rescripsisses, nonne maiorem gratiam & ædificationem, vel ipsi, initia inti-

Susannæ historiam nō inueniri in Hebræo sānam dixit:

B

Sic & tribus puerorum hymnum: Non autem eo tenore.

C

D

E

F

Galat. 6.

G

H

A

imore Dei habenti, vel cæteris legentibus præbuisses, quam nunc istæ tuæ inuectiuæ mœroris & confusionis omnibus timentibus Deum præstant: qui & in te fœdissimam obtrectandi libidinem, & in me respondendi necessitatem miserabilem vident. Si enim, vt dixi, de tuis libris contra Iouinianum scriptis, nunc eadem quibus illum arguebas, ipse inueniris asserere: nunc vero in tantum prolaberis, vt sordes nuptiarum, nec martyrij cruore dilui posse confirmes: & illud quod est Manichæorum dogmatis, emendationem tibi habere facile visum est in his libris quos iam edideras, & describendos plurimis præbueras: quid erat difficultatis me non meum opus & interpretationem alieni operis, si quid forte in eo etiam non ratio, sed liuor suggesserat, emendare? maxime cum adhuc esset in schedulis, quas nondum ad plenum relegeram vel explicueram, quas non editas inuenerunt? Nonne perfacile emendari poterant ea, quæ adhuc emendata non fuerant? Verum non hinc, vbi quod culparet nihil habebat: sed totum inde mordetur, dum per hoc prodi timuit, vnde est omne quod ipse dicit, vnde doctus, vnde scripturarum videtur interpres. Sed idcirco causam, qua ad interpretandum adductus sum exposui, vt sciat me hæc non contentione (vt ipse agere solet) vel æmulatione aliqua protulisse, sed necessitate, qua superius edocui, ad boni & vtilis operis instrumentū, vt aliquid ex hoc vel ordinis, vel coloris acciperet ille, qui rudis ipse opusculum condebat antiquum. Aut non vidimus vetustas ædes nouellis ædificiis profuisse? Et interdum assumitur lapis de abditis & abstrusis antiquæ domus partibus, qui nouæ domus frontem decoret, & exornet ingressum? Et interdum totum nouellæ constructionis ædificium, vnius antiquæ trabis stabilitate munitur. Agamus ergo nunc aduersus eos, qui veteribus tectè vtuntur in nouis: non vobis licet, dicentes, transferre materiam de veteri domo ad nouam: nisi tignum tigno, & lapidem lapidi iunxeritis, nisi porticum de porticu, nisi membrum de membro: & hoc fieri non poterit, nisi secessum de secessu, nisi cloacam de cloaca transtuleritis. Habere enim domum magnam etiam hæc necesse est. Hoc namque est verbum transferre de verbo: quod ad te ante improbabile, nunc vero probabile iudicatum est: Sed tu quidem tibi & quæ non licent, licere defendis: nobis autē quæ licita sunt, impingis ad crimen. Nam tu cum sacras literas, & volumina diuina permutas, laudari vis: nos etiam si te imitantes de hominum sermonibus aliquid, quod minus ædificare credimus, præterimus, in his nobis veniam non das, in quibus exemplum dedisti. Verum agat hæc iste, vt sibi vel licere vel expedire putat. Ergo interim, vt recenseamus in fine, ea quæ sparsim pro nostra purgatione respondimus, cum de me dixerit quasi sine se hæreticus esse non possem, ostendi fidem meam: & de resurrectione carnis ipsum magis errare, qui corpus quod resurrecturum est, [a] fragile esse scripserit, comprobaui? [b] Sexus quoque diuersitatem quomodo abrascerit, & corpora in animas, & mulieres redigi in viros dixerit, docui: meæ quoque interpretationis causas, vt puto, iustissimas protuli: quod non vel contentione excitatus, vel gloriæ cupidus: sed Dei timore prouocatus, antiquæ materiæ transuexerim copias, nouellæ constructionis ædificiis profuturas, & tela vetera rubigine iam obducta deterserim: non vt ciuile bellum mouerem, sed vt hostile depellerem. Ipsum etiam caput cui manus falsarias iniecerunt, inserui: & adulterium blasphemiæ in filium Dei & Spiritum sanctum, alienū à meo nomine: sed ipsorum scelere, & ab ipsis docui esse commissum. [c] In singulis quoque, de quibus se idcirco Origenem arguere dicebat, vt nos pulsare se crederet, & infamare opus translationis nostræ, ostendi ex ipsis commentariis suis, ex quibus fidem suam expectari debere dixerat: & probari, quid & de animæ statu, & de restitutione omnium, [d] de diabolo atque Angelis refugis, eadem quæ in illo culpat, ipse conscripserit. [e] Sed & quod animæ in corpore hoc vinctæ velut in carcere teneantur, ipsum dixisse, conuici. [f] Vnum quoque esse corpus totius creaturæ rationabilis, id est, Angelorum & animarum, in his ipsis eum scripsisse commentariis, approbaui. Periurij etiam confœderationem, apud nullum ita, vt apud ipsum, ostendi sacratissimam conuersari. Veritatem ad æque, & perfectiorem doctrinam non esse omnib. publicandam, in ipsis commentariis ipsum docere conuici. [g] Tum inde sæculares libros, pro quibus sedenti, seque vberanti pro tribunalibus Christo dixerat: si vnquam legero, vel habuero gentilium codices, te negaui: nunc non solum legere vel habere: verum etiam omnem suæ doctrinæ iactantiam in his eum gerere demonstraui: in tantum, vt etiam per Isagogen impurissimi [h] Porphyrij inductum se esse glorietur ad Logicam. Et cum gentilium dogmata esse diceret quoquo modo sentire, vel de anima, vel de cæteris creaturis: ipsum multo fœdius gentibus dixisse: quod Deus [i] socrum haberet ostendi. Sed & cum se dixisset in duabus tantum præfatiunculis [k] Origenis meminisse, vt ingeniosi magis quam Apostolici viri breuitatis causa decem sola præfatiunculas protuli: in quibus eum non solum vt Apostolicum virum, sed alterum post Apostolos Ecclesiarum magistrum, & quod eum cum omnib. prudentibus sequeretur, asserui. Præterea euidenter ostendimus ex more huic esse, vt bonis omnibus deroget, & in hoc se putet aliquid esse, si opinatos quosque viros, & qui aliquid [l] nominis in literis habuerint, reprehendat. Ostēdi etiam quam indigne ministros & sacerdotes Christi lacerauerit. Sed ne monachis quidem ac virginib. ipsis quas laudauerat, vel continentibus pepercerit: atque omnem Christianorum ordinem & gradum libellis fœdis infamauerit. Sanctum quoque virum [m] Ambrosium, cuius adhuc præclaræ vitæ memoria in animis omnium viget, quam indigne & turpiter lacerauerit. [n] Didymum etiam quem dudum inter videntes prophetas & Apostulos posuerat, nunc inter eos qui diuersa ab Ecclesiis doceant, collocarit: & omnes omnino vel antiquos vel nouellos scriptores, quos nunc imperitiæ, nunc ineptiæ notet: ad vltimum, quod nec [o] martyribus parcat. Et hæc omnia vt superius dixi, non extraneis aliquibus, sed suis literis, & se ipso teste conuici, per singula quæque ex his ipsis probatissimis sibi libris testimonia proferens, quos libros etiam cum de cæteris omnibus dictis vel scriptis suis pœnitere se dicat, non quo vere pœniteat, sed quo angustamis in hoc venerit, vt aut pœnitentia sibi esset simulanda, aut non posset mordere vel lædere quem vellet: illos tamen, vt dixi, libros sibi excepit solos, tanquam minime pœnitendos. Et ideo nolui eius nunc cætera scripta contingere, vt de istis pene solis conuinceretur, de quibus ipse sibi iam locum clauserat pœnitendi. Post omnia vero ostendi, quod sacros libros, quos Apostolis Ecclesiis tanquam Spiritus sancti fidele depositum commendauerant, [p] permutauerit: & quod is qui audaciam notet in hominum opusculis vertendis, ipse maiore piaculo eloquia diuina permutauerit. Superest iam vt vnusquisque qui hæc cognoscit, tali iudicio fauorem suum alteri nostrum conferat, quali iudicio se à Deo cupit ipse iudicari: nec suam lędat animam, dum alteri fauorem præstat iniustum. Cognoscat etiam per te, fili charissime Aproniane, sanctus vir ille Pammachios, cuius epistolam amicus meus in inuectione vel accusatione hac sua protulit, in Christi adiutorio, non studiis, sed innocentiæ fauendum: nec in causa veritatis studiose agendum esse magis quam religiose. Præceptum est enim domini, *vt non secundū faciem, sed rectum iudicemus iudicium.* Quia sicut in vnoquoq; minimorum suorū Christus est: qui esurit & sitit, & nudus est, & ipse est qui reficitur & induitur: ita in his qui iudicantur iniuste, ipse est qui inique iudicatur. Et pro his qui odio habentur gratis, ipse dicturus est, Odistis me gratis. Quomodo æstimat hanc causam, & hoc factum suum in tribunalibus Christi iudicandum, cum habeat sua conscientia quod codices illius contra Iouinianum scriptos, qui iam publice legebantur & reprehendebantur, subtraxerit de manibus legentium, & culpantes prohibuerit atq; culpauerit: remiserit vero ad ipsum auctorem libros suos, insinuans ea quæ ad reprehensionem venirent, vt vel emendaret, vel rem quoquo modo posset, curaret. Meos vero non codices, sed schedulas imperfectas,

Marginal notes (left): a Mulierculárum opinionem de corporū fragilitate, impie Hieronymo adscripsit. b Corpora redigi in animas, & mulieres in viros mystice Hieronymus dixit; pro eo quod est, ex carnalis spiritualem, & ex imperfecto perfectū fieri Ruffinus. — B — interpretatio de libris περὶ ἀρχῶν, non solū à Hieronymo, sed etiā à Rom. Eccl. per Anastasiū Papam damnata est quod impias Origenis opiniones Latinis præbuerit legendas, laudaritque. — C — c Origenis falsas opiniones, hæreticasque, quas supposito nomine dein Hieronymus refert, impie illi adscripsit Ruffinus. d Dæmones subijciendos Christo, & sanctis, includendosque in perpetuū infernū carcerem, non restituendos — D — dixit immo nomine Hieronymi latius id improbat. e Ex Origenis sententia, animas esse in corporibus veluti in carcere, non ex sua dixit Hieronym. quam opinionem sæpe etiam improbat. f Vnum corpus pro vna dixit Ecclesia; quæ hic militat, in cælo triumphat.

Marginal notes (right): E — g Sæculares libros se citare vt antea legerit, non autem postea legisse ipsemet Hieronymus defendendo testatur. h Porphyrij per ... ad Logicam introductio, nunc legitur. — F — nihil eum in ... de fide. i Quod per doctum vnū de ferro, ... interpretandum. k Origenem vt doctissimum interpretem sæpe laudauit, ... vt dogmatistam vero impium, semperque ... — G — l Iuro dum quod ei displicet, ... præterquam in hæresibus, semper parcet. m Ambrosiū quam laudauit Hieronymus, ... ep. 65 & lib. 2. contra Ruffinum. n Didymum Origenianum ... — H — ... veritate vera ... o Martyri ... Hieronymus ... Origenem ... Ruffinus ... scrip...

A ctas, inemendatas, furto cuiusdam nebulonis & fraude subtractas, sibique delatas, cum me inibi haberet præsentem, mihi quidem non offerret neque conquereretur: sed ne increpare quidem, aut etiam arguere dignaretur: vel per amicum certe aliquem, aut etiam per inimicum: sed ad Orientem mitteret, & instigaret linguam eius hominis, qui eam temperare non nouerat. Quid contra religionem faceret, si me præsentem potius conuenisset: in tantum ne colloquio eius videbamur indigni, vt ab eo nec argui mereremur? Et pro nobis Christus mortuus est: & pro nostra redemptione sanguinem suum fudit. Peccatores quidem, sed de ipsius grege sumus, & inter eius ouiculas numeramur. Verum quia propter Deum contempsit nobilitatem suam, & totum se exæquauit humilibus, optimumque opus eius in fide Christi, & quod exemplo cæteris esse debeat, cõfitemur: idcirco nolumus eum humanis studiis, contentionibusque raptari, ne in aliquo

B fidei suæ sentiat detrimentum. Certe cum legerit, quod ea ipsa de quibus cæteros arguit magister ille Hieronym⁹, in ipsis electis etiam post pœnitentiam commentariis docuerit, quod sua non sint: quam verum iudicium seruet, videbimus. Putabunt enim prior error fuisse ignorantiæ, si eum emendarit agnitio. Nos autem quamuis necessitate compulsi, respondere nisi sumus ei, qui nos amarissime pulsauerat: attamen pro hoc ipso veniam petimus, si quid forte asperius prosecuti sumus: quia Deus conscientiæ nostræ testis est, quod multo plura reticuimus quam protulimus: penitus autem silere contra conscientiam criminanti, minime potuimus: cum ipsius pene fidei suæ, nonnulli iacturam ducerent silentium nostrum. Posteaquam ista dictaui, frater aliquis qui ex vrbe à vobis ad nos venerat, cum relegenti mihi assisteret, ait, prætermissum vnum adbuc excusationis locum, quem ibi audisset ab obtrectatoribus incusari. Dicebat autem de eo quod scriptum est in præfatiuncula mea, quia dixerim de isto, qui me nunc persequitur & accusat, quod in his quæ de

C Origene interpretatus est, nonnulla offendicula esse videantur in Græco, quæ ita tamen interpretando purgauerit, vt nihil in his quod à fide nostra discrepet, Latinus sermo inueniat. Aiunt, inquit, de hoc capitulo. Vides quomodo & collaudauit interpretationem eius, & testimonium ei dedit ipse, quod sine offendiculo sint ea, quæ ille interpretatus est, & ipsum secuturum se esse promisit. Cur ergo non & ea quæ ipse transtulit absque offensione sunt, sicut ipsius scripta esse ipse testatus est? Non mirares, quod ibi semper culpari mereor, vbi istum laudauero. Et recte quidem. Tamen veniamus ad rem. Dixi eum purgasse in Latina translatione, si qua offendicula fidei videbantur in Græco, & non immerito: ita tamen vt eadem etiam à me comprobem gesta. Nam sicut ille in homiliis de Esaia duo Seraphim, filium & Spiritum sanctum esse interpretatus est: & addens de suo. Nemo existimet in trinitate naturæ esse differentiam, cum nominum discernuntur officia, per hoc curare se offendicula credit

D potuisse: ita & nos vel ademptis vel immutatis quibusdã vel additis, sensum auctoris adducere conati sumus ad intelligentiæ tramitem rectiorem. Quid hic diuersum, aut quid contrarium, aut quid non idem fecimus? Sed quia ego de scriptis illius absque malitia & calumnia iudicabam, non quid obtrectationi pateret: sed quid prospectus fuerit interpretantis aspexi. Ille autem qui occasiones ad calumniam quærit, ea reprehendit in meis scriptis, quæ ante me prior ipse cõscripsit. Et reuera ego culpandus sum, si secundum meam quidem sententiam, quæ scripsit recta sunt: secundum suum vero iudicium, condemnanda. Hoc quantum ad trinitatis fidem pertinet, vbi vtrique blasphemiæ crimen ducitur, quod dixit duo Seraphim, filium esse & Spiritum sanctum, si secundum suam sententiam, qua aduersum me agit ipse iudicetur. Secundum vero meum iudicium, quod in scriptis eius absque proposito calumniæ iudicaui, absoluitur: pro his quæ de suo ad explanandum sensum auctoris adiecit. De resurrectione autem carnis, puto in translatione nostra eadem contineri, quæ in ecclesiis prædicantur. Cætera vero quæ de creaturarum rationibus dicta sunt, quod

à Pamphilo Sacros libros recte à Hieronymo versos communi more ecclesiæ, quæ interpretationem eam recepit.

Ioan 7.

Ioan 15.

E nihil ad fidem deitatis pertineant, iam superius diximus. Sed si iste hæc modo ad calumniã vocat, quæ ante offendiculum non habebãt, non prohibeo: si ei placeat reuocare sentẽtiam meam illam, qua potuisset absolui: & proferre suam, qua debebat alligari. Non ergo mea de eo sententia culpabilis putanda est, sed sua, quæ reprehendit in aliis quod in semetipso probat. Nouum autem hoc iudicij genus est: vbi accusatorem meum ego ipse defendo, & vbi tum demum me ille superatum putat, si semetipsum reum probarit. Veruntamen ponamus quod episcoporũ synodus sequatur sententias tuas: & iubebat omnes libros qui hæc talia continent, cum auctoribus suis, vt aiunt, debere damnari. Damnabuntur isti libri prius in Græcis: & quod in Græcis damnatur, sine dubio damnatum est in

F Latinis. Veniatur ad tuos libros: inuenientur eadem cõtinere secundum sentẽtiam tuam, necesse est vt cum suo auctore damnentur. Et sicut nihil profuit Origeni, quod à te laudatus est: ita nec tibi proderit, quod à me excusatus es. Me enim sequi necesse est ecclesiæ catholicæ sententiam, siue aduersus Origenis libros, siue aduersus tuos datam.

EPISTOLA XLIV.

AVGVSTINVS HIERONYMO DE EO QVOD SCRIPTVM EST, QVI TOTAM legem obseruauerit.

QVod ad te scripsi, honorande mihi in Christo frater Hieronyme, quærens de anima humana, si nascentibus singulis, nouæ singulæ nunc vsque fiant vbi peccati vinculum contrahunt: quod per sacramentum gratiæ Christi, etiam in infantibus recenter natis soluendum esse non dubitamus, cum in non paruum volumen procederet,

G nolui vlla alia onerare quæstione: sed quod vrget acrius, multo minus est negligendum. Proinde quæro, & per Deum obsecro, vt exponas mihi quod multis existimo profuturum: aut si iam vel abs te, vel ab alio aliquo expositum habes, dirigas nobis, quomodo accipiendum sit, quod in epistola Apostoli Iacobi scriptum est. *Quicunque enim totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quæ res talis ac tanta est, vt quod hinc tibi non iam olim scripsi, multum me pœniteat. De agẽda namque præsenti vita, quomodo ad vitam perueniamus æternam, non de præterita perscrutanda, quam penitus demersit obliuio, sicut est illud quod de anima quærendum putaui, hæc vertitur quæstio. Eleganter autem dictũ esse narrat, quod huic rei satis apte conuenit. Cum quidam ruisset in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eum magis exciperet ne moreretur, quam suffocaret ne loqueretur: accessit alius & eo viso admirans, ait. Quomodo huc cecidisti? At ille. Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes: non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoniã fatemur, & fide catholica tenemus, de reatu peccati tan-

H quam de puteo etiam paruuli infantis animam Christi gratia liberandam, satis est ei quod modum quomodo salua fiat, nouimus, si etiam nunquam quomodo in malũ illud deuenerit, nouerimus. Sed ideo putaui esse quærendum, ne forte ex illis opinionibus incarnationis animæ, aliquam teneamus incauti, quæ liberandam prorsus animam paruuli contradicat, negans eam esse in isto malo. Hoc igitur firmissime retento, quod anima paruuli de reatu peccati liberanda est, nec alio modo liberanda: nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Si possumus etiam ipsius mali causam & originem nosse, vaniloquis non disputatoribus, sed litigatoribus paratius instructiusque resistimus. Si autem non possumus, non quia latet miseriæ principium, ideo pigrescere misericordiæ debet officium. Aduersus eos autem, qui sibi videntur scire, quod nesciunt: hoc tutiores sumus, quod hãc ignorantiam nostrã nõ ignoramus. Aliud est enim quod nescire malum est: aliud quod sciri vel non potest, vel non opus est, vel ad vitam quam quærimus, indifferens est. Hoc vero quod de literis apostoli Iacobi nunc requiro, in hac ipsa qua viuimus, & vt semper viuamus Deo pla-

Iac. 2.

A cere studemus, actione versatur. Quomodo igitur intelli-
gendū est obsecro te, Quicunque totam legem seruauerit,
offendat autem in vno, factus est omnium reus? Ita ne qui
furtū fecerit: imo vero qui dixerit diuiti, sede hic: pauperi
autē, tu sta illic, & homicidij, & adulterij, & sacrilegij reus
est? Quod si non est: quomodo qui in vno offendat, factus
est omnium reus? An illud quod dixit de diuite & paupe-
re, ad ista non pertinet: quorum si quis in vno offenderit,
factus est omnium reus? Sed recolendum est, vnde vene-
rit illa sententia, & quæ illā superiora pepererint, quibus-
Ibidem. que connexa dependeat. *Fratres mei nolite*, inquit, *in per-
sonarū acceptione habere fidē Domini nostri Iesu Christi glo-
riæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir anulum
aureum habens in veste candida: introierit autem & pauper
in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste
præclara, & dicatis ei. Tu sede hic bene: pauperi autem dica-
B tis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iu-
dicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum
iniquarū? Audite fratres mei dilectissimi: nonne Deus elegit
pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod
repromisit Deus diligētibus se? Vos autem exhonorastis pau-
perē*, propter illum scilicet, cui dictū est: tu sta illic, cū ha-
benti anulū aureū dictum esset: tu sede hic bene. Ac dein-
de sequitur, eandē ipsam sententiam latius versans & ex-
plicans. *Nonne*, inquit, *diuites per potentiā opprimunt vos,
& trahunt ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomē,
quod inuocatum est super vos? Si quidem legem perficitis re-
Matt. 19. galem secundum scripturam. Diliges proximum tuum sicut
Iac. 2. teipsum, bene facitis. Si autem accipitis personas, peccatum
operamini, redarguti à lege quasi transgressores.* Vide quem-
admodum transgressores legis appellat, qui dicunt diuiti,
sede hic: & pauperi, sta illic. Vnde ne putarent contempti-
bile esse peccatum, in hac vna re legem transgredi, secu-
C tus adiunxit. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat
autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit. Non
mœchaberis, dixit. Et non occides. Quod si non occides, mœ-
charis autem, factus es transgressor legis*, propter id quod
dixerat: *Redarguti à lege, quasi transgressores.* Quæ cum ita
sint, consequens videtur, nisi alio modo intelligendum
ostendatur, vt qui dixerit diuiti, sede hic: & pauperi, sta il-
lic, huic ampliorem honorem quam illi deferens: & ido-
lolatra, & blasphemus, & adulter, & homicida: & ne quod
longum est cuncta commemorem, reus omnium crimi-
num iudicandus est. Offendens quippe in vno, factus est
omnium reus. At enim qui vnam virtutem habet, omnes
habet: & qui vnam non habet, nullam habet. Hoc si verū
est, confirmatur ista sententia. Sed ego eam exponi volo,
non confirmari, quæ per seipsam apud nos omnibus phi-
losophorum auctoritatibus firmior est. Et illud quidē de
virtutibus & vitiis si veraciter dicitur, non est consequēs,
vt propter hoc omnia peccata sint paria. Nam illud de
inseparabilitate virtutum, nisi forsitan fallor: tamen si ve-
rum memini (quod vix memini) omnibus philosophis
D placuit, qui easdem virtutes, agendæ vitæ necessarias esse
dixerunt. Hoc autem de paritate peccatorum soli Stoi-
ci ausi sunt disputare contra omnem sensum generis hu-
mani, quam eorum vanitatem in Iouiniano illo qui hac
sententia Stoicus erat: in aucupandis autem & defensan-
dis voluptatibus Epicureus, de scripturis sanctis diluci-
dissime conuicisti. In qua tua suauissima & præclarissima
disputatione satis euidenter apparuit, non placuisse au-
ctoribus nostris, vel ipsi potius quæ per eos locuta est ve-
ritati, omnia esse paria peccata. Quomodo autem fieri
possit, vt etiam si hoc de virtutibus verum est: non tamen
ideo cogamur fateri æqualitatem omnium peccatorum,
quantum possum adiuuante Domino aperire conabor.
Quod si effecero approbabis: vbi vero causæ defuero, tu
supplebis. Certe hinc persuadent, qui vnam virtutem ha-
buerit, habere omnes: & omnes deesse, cui vna defuerit:
quod prudentia nec ignaua, nec iniusta, nec intempe-
rans potest esse: nam si aliquid horum fuerit, prudentia
non erit. Porro si prudentia tunc erit, si & fortis & iusta
& temperans sit, profecto vbi fuerit, secum habet cæte-
ras: sic & fortitudo imprudens esse non potest vel intem-
perans, vel iniusta: sic & temperantia necesse est, vt pru-
dens fortis & iusta sit. Sic & iustitia nō est, nisi sit prudēs E
fortis, temperans: ita vbi est vna vera aliqua earum, & aliæ
similiter sunt. Vbi autem aliæ desunt, vera vna illa nō est,
etiam si aliquo modo similis esse videatur. Sunt enim (vt
scis) quædam vitia virtutibus, aperta discretione, contra-
ria: vt imprudentia, prudentiæ. Sunt autem quædam tan-
tum quia vitia sunt ideo contraria, quadam tamen specie
fallaci similia, vt eidem prudentiæ non imprudentia, sed
astutia. Nunc enim eam dico astutiam, quæ vsitatius in
malitiosis intelligi & vocari solet: non sicut nostra loqui
scriptura consueuit, quæ sæpe astutiam in bono ponit.
Vnde, *estote astuti vt serpentes*: & illud. *Vt & innocentibus* Matt. 10.
det astutiam: quamquam & apud illos Romanæ linguæ Prou. 1.
disertissimus dixerit: neque illi tamen ad cauendum dolus
aut astutia deerant, astutiam ponens in bono: sed apud il-
los rarissimum, apud nostros frequentissimum est. Item-
que in partibus temperantiæ, apertissimè contraria est ef- F
fusio parsimoniæ. Ea vero quæ tenacitas dici vulgo solet,
vitium quidem est: tamen parsimoniæ simile, non natu-
ra, sed fallacissima specie. Item dissimilitudine manifesta
contraria est iniustitiæ. Solet autem quasi imitari iusti-
tiam vindicandi se libido. sed vitium est. Ignauia fortitu-
dini perspicue contraria est: duritia vero distat natura, fal-
lit similitudine. Constantia pars quædam virtutis est: ab
hac, inconstantia longè abhorret, & indubie contra sistit.
Pertinacia vere constantia dici affectat & non est, quia illa
est virtus, hæc vitiū. Vt ergo non iterum hæc eadē cōme-
morare necesse sit: exempli gratia ponamus aliquid, vnde
possint cætera intelligi. Catilina, vt de illo scripserunt,
qui nosse potuerunt, frigus, sitim, famem ferre poterat: e-
ratque patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cui-
quam credibile est, ac per hoc & sibi & suis magna prædi-
tus fortitudine videbatur. Sed hæc fortitudo prudens
non erat, mala enim pro bonis eligebat. Temperans non
erat, corruptelis enim turpissimis fœdabatur. Iusta non
erat, nam contra patriam coniurauerat: & ideo nec forti-
tudo erat, sed duritia sibi, vt stultos falleret, nomen for- G
titudinis imponebat. Nam si fortitudo esset, non vitium,
sed virtus esset. Si autem virtus esset, à cæteris virtutibus
tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinque-
retur. Quapropter dum quæritur etiam de vitiis, verum
ipsa similiter omnia sint, vbi vnum erit: aut nulla sint, vbi
vnum non erit, laboriosum est id ostendere: propterea
quia vni virtuti duo vitia opponi solent. Et quod aperte
contrarium est, & quod specie similitudinis adumbratur.
Vnde illa Catilinæ, quia fortitudo non erat, quæ esset,
cum secum virtutes alias non habebat, facilius videbatur.
Quod vero ignauia fuerit, vbi exercitatio qualislibet gra-
uissimas molestias perpetiendi atque tolerandi supra
quam cuiquam credibile est, fuit, ægre persuaderi potest.
Sed forte acutius intuentibus ignauia apparet ipsa du-
ritia: quia laborem bonorum studiorum, quibus vera
acquiritur fortitudo, neglexerat. Veruntamen quia sunt
audaces qui timidi non sunt: & rursus timidi, quibus ab-
est audacia, cum sit vtrunque vitium: quoniam qui vera H
virtute fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet,
cogimur fateri vitia plura esse virtutibus. Vnde aliquādo
vitium vitio tollitur, vt amore laudis amor pecuniæ. Ali-
quando vnum cedit vt plura succedant velut qui ebrio-
sus fuerit, si modicum bibere & tenacitate & ambitione
didicerit. Possunt itaque vitia etiā cedere vitiis succeden-
tibus, & ideo plura sunt. Virtus vero quo vna ingressa fue-
rit, quoniam secū cæteras ducit, profecto vitia cedent
omnia quæcūq; inerant. Non enim omnia inerāt, sed ali-
quando totidē, aliquando plura paucioribus, vel paucio-
ra pluribus succedebant. Hæc vtrū ita se habeant, diligē-
tius inquirendum est. Non enim & iste diuina senten-
tia est, qua dicitur. Qui vnam virtutem habuerit, om-
nes habet: eique nulla inest, cui vna defuerit: sed homi-
nibus hoc visum est, multum quidem ingeniosis, stu-
diosis, sed tamen hominibus. Ego vero nescio quemad-
modum dicam. Non dico virum, à quo nominata di-
citur virtus: sed etiam mulierem, quæ viro suo seruat
thori fidem, si hoc faciat propter præceptum & promis-
sum Dei? & quæ primitus sit fidelis non habere pudi-
citiam

A citiam, aut pudicitiam nullam vel paruam esse virtutem. Sic & maritum qui hoc idem seruat vxori. Et tamen sunt plurimi tales, quorum sine aliquo peccato esse neminem dixerim: & vtique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit. Vnde pudicitia coniugalis in viris feminisque religiosis, cum proculdubio virtus sit: (non enim aut nihil aut vitium est) non tamen secum habet omnes virtutes. Nam si omnes ibi essent, nullum esset vitium: si nullum vitium, nullum omnino peccatum. Quis autem sine aliquo peccato est? Quis ergo sine aliquo vitio, id est, fomite quodam, vel quasi radice peccati: cum clamet
Ioan 1. qui supra pectus Domini recumbebat: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus: & veritas in nobis non est?* Neque hoc apud te diutius agendum est: sed propter alios qui forte hoc legerint, dico. Nam tu quidē in eodem ipso opere splendido contra Iouinianum, etiam hoc de scripturis sanctis diligenter probasti. Vbi etiam ex hac ipsa epistola, cuius verba sunt, quorum nunc intelle-
B ctum requirimus, posuisti quod scriptum est. *In multis e-*
Iac 2. *nim offendimus omnes* Non enim ait, offenditis, sed offendimus omnes, cum Christi loqueretur Apostolus, & cum hoc loco dicat. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Ibi non in vno, sed in multis, nec quosdam, sed omnes dicit offendere. Absit autem vt quisquam fidelis existimet tot millia seruorum Christi, qui veraciter dicunt se habere peccatū, ne seipsos decipiant, & veritas in eis non sit, nullam habere virtutem, cum virtus magna sit sapientia. Dixit au-
Eccl 2. Sir 70. tem ipsa sapientia homini. Ecce pietas est sapientia. Absit ergo vt dicamus tot ac tantos fideles & pios homines, Dei non habere pietatem, quam Græci vel εὐσέβειαν vel expressius & plenius θεοσέβειαν vocant. Quid autem pietas
Tim 1. est, nisi Dei cultus? Et vnde ille colitur nisi charitate? *Charitas igitur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, magna & vera virtus est, quia ipsa est & finis præcepti. Merito dicta est fortis, sicut mors: siue quia nemo eā
C vincit, sicut mortem: siue quia in hac vita vsque ad mortē
Ioan. 15. est mensura charitatis, sicut Dominus ait, *Maiorē hac charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: siue potius, quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus. Huic subseruit scientia cum est vtilis, nam sine illa inflat. Quod vero illa ædificando impleuerit, nihil ibi ista inane,
Eccl. 2. Sir 70. quod inflet, inueniet. Vtilem porro scientiam definiendo monstrauit: vbi cum dixisset. *Ecce pietas est sapientia*: continuo subiunxit, *Abstinere vero malis, scientia est.* Cur
Rom 13. ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo legis, sit charitas? An quanto magis est in homine, tanto magis est virtute præditus? Quanto autem minus, tanto minus est virtus, quia ipsa est virtus: & quanto minor est virtus, tanto maius est vitium? Vbi ergo illa plena & perfecta erit, nihil ex vitio remanebit. Proinde mihi videntur Stoici falli, quia proficientem hominem in sapientia, nolunt omnino habere sapientiam: sed tunc habere, cum in ea omnino perfectus fuerit: nō quia illum perfectum negant, sed nisi ex profundo quodam emergendo repente emicet in auras sapientiæ liberas, nulla ex
D parte esse sapientem. Sicut enim nihil interest ad hominē præfocandum, vtrum aquam stadiis multis super se habeat altam, aut vno palmo, aut digito, sic illos qui tendūt ad sapientiam, proficere quidam dicunt, tanquam ab imo surgentes gurgitis in aërem: sed nisi totam stultitiam velut opprimentem aquam proficiendo velut emergendo euaserint, non habere virtutem, nec esse sapientes. Vbi autem euaserint, mox habere totam: nec quicquam stultitiæ remanere, vnde omnino vllum peccatum possit existere. Hæc similitudo vbi stultitia, velut aqua: & sapientia, velut aër ponitur, vt animus à præfocatione stultitiæ tanquam emergens in sapientia repente respiret: nō mihi videtur satis accommodata sanctarum scripturarū auctoritati. Sed illa potius, vt vitium vel stultitia tenebris: luci autem virtus & sapientia comparetur, quārum ista similia de corporalibus ad intelligibilia duci possunt. Non itaque sicut de aquis in aërem surgens, vbi earum summum transierit, repente quantum sufficit inspiratur:

sed sicut de tenebris in lucem procedens, paulatim progrediendo illuminatur. Quod donec plenissime fiat, iam eum tamen dicimus, tanquam de abditissima spelunca egredientem, vicinia lucis afflatum tanto magis, quanto magis propinquat egressui, vt illud quod in eo lucet, sit vtique ex lumine quo progreditur: illud autem quod adhuc obscurum est, sit ex tenebris vnde egreditur. Itaque *& non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens*: & tamē *iustus ex fide viuit*. Et induti sunt sancti iustitia: alius magis, alius minus. Et nemo hic viuit sine peccato: & hoc alius maius, alius minus. Optimus autē est qui minimum. — E; Psal 142. Rom. Psal 131.
Sed quid ego tanquā oblitus tui loquor, doctori similis factus sum, cū proposuerim quid abs te discere velim? Sed quia de peccatorum paritate vnde in id quod agebam incidit quæstio, examinandam tibi sententiam meā promere statueram, iam eam tandem aliquando concludam. Quia & si verum est, eum qui habet vnam, omnes habere virtutes: eum qui vnam non habet, nullam habere: nec sic peccata sunt paria, quia vbi virtus nulla est, nihil quidem rectum est: nec tamen ideo non est prauo prauius, distortoque distortius. Si autem quod puto esse verius, sacrisque literis congruentius: ita sunt animæ intentiones, vt corporis membra, non quod videantur locis, sed quod sentiantur affectibus: & aliud illuminatur amplius, aliud minus, aliud omnino caret lumine & tenebroso inumbratur obstaculo: profecto ita vt quisquis illustratione piæ charitatis affectus est in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil: sic potest dici habere aliam, & aliam non habere: aliam magis, aliam minus habere virtutem. Nam & maior est in isto charitas, quam in illo, recte possumus dicere: & aliqua in isto, nulla in illo quantum pertinet ad charitatē quę pietatis est: & in ipso vno homine quod maiorem habeat pudicitiam, quam patientiam: & maiorem hodie quam heri si proficit: & adhuc non habeat continentiam, & habeat non paruam misericordiam. Et vt generaliter breuiterque complectar, quam de virtute habeo notionem, quod ad recte viuendum attinet: virtus est charitas qua id quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est: plenissima vero quæ iam non possit augeri, quam diu homo hic viuit, est in nemine: quam diu autem augeri potest, profecto illud quod minus est quam debet, ex vitio est. Ex quo vitio *non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ex quo vitio *non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens.* Propter quod vitium, *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* — F; G; Rom 1. Psal. 131. Ioan 1.
Propter quod etiā quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere *Dimitte nobis debita nostra*: cum iam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sint. Quid itaque qui recte videt, videt vnde & quando & vbi sperāda sit illa perfectio, cui non sit quod adiici possit? Si autem præcepta non essent, non vtique esset vbi se homo certius inspiceret & videret vnde auerteretur, quo conaretur, quare gratularetur, quid precaretur. Magna est ergo vtilitas præceptorum, si libero arbitrio tantum detur, vt gratia Dei amplius honoretur. Quæ si ita se habent: vnde fiet omnium reus, si in vno offendat, qui totam legem seruauerit? An forte quia *plenitudo legis charitas est*, qua Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis, tota lex pendet & prophetæ: merito fit reus omnium, qui contra illam facit, in qua pendent omnia? Nemo autem peccat nisi aduersus illam faciendo, quia non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces: & si quod aliud est mandatum, in hoc sermone recapitulatur: in eo quod diliges proximum tuum tanquā teipsum. *Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem legis est charitas.* Nemo autē diligit proximum, nisi diligens Deum, vt hoc quantum potest proximo impendat, quem diligat tanquam seipsum: & vt ille diligat Deum, quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. Ac per hoc qui totam legem seruauerit, si in vno offenderit, fit omnium reus, quia contra charitatem facit: vnde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia. Cur ergo non dicantur paria peccata? An forte quia magis facit contra chari- — Mat 6.; H; Rom 13. Matt 22.; Iac. 2.

A tatem, qui grauius peccat: minus, qui leuius. Et hoc ipso quod admittit, fit quidem omnium reus, sed grauius peccans, vel in pluribus peccans, magis reus. Leuius autē vel in paucioribus peccans, minus reus: tanto maiore scilicet reatu, quanto amplius: tanto minore, quanto minus peccauerit: tamen etiam si in vno offenderit, reus factus est omnium, quia contra eam facit, in qua pendent omnia.
Iac 3. Quæ si vera sunt, eo modo & illud absoluitur, quod ait homo etiā apostolicæ gratiæ. *In multis* enim *offendimus omnes.* Omnes enim offendimus, sed vnus grauius, alius leuius. Quanto quisque grauius leuiusque peccauerit, tanto in peccato committendo maior, quanto in diligendo Deo & proximo minor. Et rursus tanto minor in peccati perpetratione, quanto maior in Dei & proximi dilectione. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis. Et tunc perfecti sumus in charitate, quando ni-
B hil restat ex infirmitate. Nec sane, quantum arbitror, putandum est leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore? Si autem de quotidianis consessibus loquitur, quis non hic peccat, si tamen peccat, nisi cum apud seipsum intus
Iac. 2. ita iudicat, vt ei tanto melior, quanto ditior illo esse videatur. Hoc enim videtur significasse cum dicit. *Nonne iudicatis apud vosmetipsos: & facti estis iudices iniquarum cogitationum?* Lex itaq; libertatis, lex charitatis est, de qua dicit. Si tamen perficitis legem regalem, secundum scripturas: Diliges proximum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatū operamini, redarguti à lege, tanquam transgressores. Et post illam sententiam ad intelligendum difficillimā, de qua satis dixi, quod dicen-
C dum putaui, eandem legem libertatis commemorans. Sic loquamini, inquit, & sic facite: sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Et quoniam quid paulo ante dixerit, nouit: Quoniam in multis offendimus omnes: suggerit dominicam tanquam quotidianis quotidianam, & si leuioribus tamen vulneribus, medicinam. Iudicium enim, inquit, sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.
Luc 6. Hinc enim & Dominus: Dimittite, inquit, *& dimittetur vobis: date & dabitur vobis.* Superexaltat autem misericordia iudicium, non dictum est, vincit misericordia iudicium: nō. n. est aduersa iudicio, sed superexaltat: quia plures per misericordiam colliguntur, sed qui misericordiam
Matt. 5. præstiterunt. *Beati enim misericordes, quia ipsis miserebitur Deus.* Et hoc vtique iustum est, vt dimittatur eis, quia dimiserunt: & detur eis, quia dederunt. Inest quippe Deo & misericordia iudicanti, & iudicium miseranti: propter q
Psal 110. ei dicitur. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Nam quisquis velut nimium iustus, iudicium sine misericordia quasi securus expectat, iram iustissimam prouocat,
Psal 142. quam timēs ille dicit. Ne intres in iudicium cū seruo tuo.
D Vnde dicitur populo contumaci. *Quid, vultis mecum in-*
Ier. 2. *iudicio contendere?* Cum enim rex iustus sederit in throno: *quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Quæ igitur spes est, nisi superexaltet misericordia iudicium? Sed erga illos qui misericor-
Matt 6.
1 Cor 9. diā fecerunt veraciter, dicendo. *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus:* & sine murmuratione dando: *Hilarē enim datorē diligit Deus.* Deniq; sanctus Iacobus iam ex isto loco de misericordiæ operibus loquitur, vt quos vehementer illa sententia terruerat, cōsoletur: cū admonet quomodo etiā quotidiana peccata, sine quibus hic nō viuitur, quotidianis remediis expientur: ne homo qui cum vno offenderit sit omniū reus, in multis offendendo: quia in multis offendimus, propter magnum aggerem reatus sui, minuratim collectū, ad tribunal tanti iudicis perueniat, & eam quam non fecit misericordiam non inueniat: sed potius dimittendo atq; dando mereatur sibi dimitti peccata, redditique promissa. Multa dixi quibus tibi tædium fortassis inferrem, qui hæc tamen quę approbas nō expectas discere, quod ea docere consueuisti. Si quid autem est in eis, quantum ad rem ipsam pertinet: nam quali eloquio explicata sint, nō nimis curo. Si quid ergo in eis est, quod eru-
E ditionem offendat tuam: quæso vt rescribēdo admoneas, & me corrigere non graueris. Infelix est enim qui non tātos & tam sanctos studiorum labores, & dignē honorat, & de his Domino Deo nostro cuius munere talis es, gratias agit. Vnde cum libentius debeam à quolibet discere quod inutiliter ignoro, quam promptius quoslibet docere quod scio: quanto iustius abs te hoc charitatis debitū flagito, cuius doctrina nomine & adiutorio Domini tantum in Latina lingua ecclesiasticæ literæ adiutæ sunt, quantum nunquam antea potuerunt. Maxime tamen istam sententiam. *Quicunque totam legem seruauerit, offendat* Iac. 2.
autem in vno, factus est omnium reus: si quo alio modo exponi melius posse nouit tua dilectio, per Dominum obsecro, vt id nobiscum communicare digneris.

EPISTOLA XLV.

AVGVSTINVS AD HIERONYMVM de ratione animæ.

F DEum nostrum, qui nos vocauit in suum regnum & gloriam, & rogaui & rogo, vt hoc quod ad te scribo, sancte frater Hieronyme, consulens te de his quæ nescio, fructuosum esse nobis velit. Quanquam enim te multo quam ego sum ætate maiorem, tamen etiā ipse iam senex consulo: sed ad discendum quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest: quia & si senes magis decet docere quā discere, magis tamen discere quam quid doceant ignorare. Nihil equidem molestius fero in omnibus angustiis meis: quas patior in difficillimis quæstionibus, quam in tā longinqua tuæ charitatis absentia, vt vix possim meas dare, vel recipere literas tuas, per interualla, non dierum, non mensium, sed aliquot annorum: cum si fieri posset, quotidie præsentem te habere vellē, cum quo loquerer quicquid vellem. Nec ideo tamen non debui facere quod potui, si non potui, totum volui. Ecce venit ad me religiosus iuuenis, catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter, noster Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, vtile vas in domo Domini esse desiderās, ad refellendas falsas perniciosasq; doctrinas, quæ animas Hispanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus G
gladius, trucidarunt. Nam inde ad nos vsque ab Oceani litore properauit, fama excitus, quod à me posset de his quæ scire vellet, quicquid vellet audire. Neque vllum cepit aduentus sui fructum. Primo, ne de me multum famæ crederet. Deinde docui hominem quod potui: quod autem non potui, vnde discere posset, admonui: atque vt ad te iret, hortatus sum. Qua in re consilium vel præceptum meum, cum libenter & obedienter acciperet, rogaui eum vt abs te veniens per nos in propria remearet. Quam eius pollicitationē tenēs, occasionem mihi credidi à Domino esse concessam, qua tibi scriberem de his quæ per te scire cupio. Quærebam enim quem ad te mitterem: nec mihi facile occurrebat idoneus & fide agendi, & alacritate obediendi, & exercitatione peregrinandi. Vbi ergo istum iuuenem expertus sum, eum ipsum esse qualem à Domino petebam, dubitare non potui. Accipe igitur quæ mihi pero aperiri, ac disserere non graueris. Quæstio de anima multos mouet, in quibus & me esse confiteor. Nam quid H
de anima firmissime teneam, non tacebo. Deinde subiungam quid mihi adhuc expediri velim. Anima hominis immortalis est, secundum quendam modum suum. Non enim omni modo sicut Deus, de quo dictum est: qui solus habet immortalitatem. Nam de animæ mortibus, sancta scriptura multa commemorat. Vnde illud est. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sed quod ita moritur alienata à vita Dei, vt tamē in natura sua viuere nō omnino desistat: ita mortalis ex aliqua causa inuenitur, vt ēt immortalis nō sine ratione dicatur. Non est pars Dei anima. Si. n. Luc 9
hoc esset, omnimodo incōmutabilis atq; incorruptibilis esset. Quod si esset, nec deficeret in deteri⁹, nec proficeret in melius: nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere, quod non habebat: vel desineret habere, quod habebat: quātū ad eius ipsius affectiones pertinet. Quā vero aliter se habeat, non opus est extrinsecus testimonio, quisquis seipsum aduertit, agnoscit. Frustra autē dicitur ab eis, qui

ani-

A animam Dei partem esse volunt, hanc eius labem ac turpitudinem, quam videmus in nequissimis hominibus: hanc denique infirmitatem & ægritudinem, quam sentimus in omnibus hominibus, non ex ipsa illi esse, sed ex corpore. Quid interest vnde ægrotet, quæ si esset incommutabilis aliquo modo, vnde libet ægrotare non posset. Nam quod verè incommutabile & incorruptibile est, nullius rei accessu commutari vel corrumpi potest. Alioquin non Achillea tantum, sicut fabulæ ferunt, sed omnis caro esset inuulnerabilis, si nullus ei casus accidisset. Non est itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua causa, aliqua parte mutabilis est. Deum autem nefas est nisi verè summeque incommutabilem credere. Non est igitur anima pars Dei. Incorpoream quoque esse animam & si difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen

B persuasum esse fateor. Sed ne verbi controuersiam vel superfluo faciam, vel merito patiar: quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine: si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item, si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbique tota est, corpus est anima: quoniã tale aliquid ipsa non est. Porrò si corpus nõ est nisi quod per loci spatiũ aliqua longitudine, latitudine, & altitudine ita sistitur vel mouetur, vt maiore sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in parte quàm in toto, non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat non locali diffusione, sed quadã vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest: nec minor in minoribus est, in maioribus maior: sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne viua aliquid tangitur, quamuis locus ille non solũ totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet. Neque id quod sentitur per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur, vbi fit. Vnde ergo ad totam mox peruenit, quod non in tota fit, nisi

C quia & ibi tota est vbi fit. Nec vt tota ibi sit, cætera deserit. Viuunt enim & illa ei præsente, vbi nihil tale factum est. Quod si fieret, & vtrumque simul fieret, simul vtrumq; totam pariter non lateret. Proinde & in omnibus simul, & in singulis particulis corporis sui, tota simul esse non posset: si per illas ita diffunderetur, vt videmus corpora diffusa per spacia locorum, minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora. Quapropter si corpus anima esse dicenda est, non est certe corpus quale terrenum est: nec quale humidum, aut aëreum, aut æthereũ. Omnia quippe talia maiora sunt in maioribus locis, & minora in minoribus: & nihil eorũ in aliqua sui parte totum adest, sed vt sunt partes locorum, ita occupantur partibus corporum. Vnde intelligitur anima siue corpus,

D siue incorporea dicenda sit, propriam quandam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus, cogitari: sed mente intelligi, vitaque sentiri. Neque hæc perinde loquor, vt te quæ tibi nota sunt, doceam: sed vt aperiam quid firmissime de anima sentiam: ne me quisquam cum ad ea venero quæ requiro, nihil de anima, vel sciẽtia, vel fide tenere arbitretur. Certus etiam sum, animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria voluntate in peccatum esse collapsam: nec liberari posse de corpore mortis huius, vel suę voluntatis virtute tanquam sibi ad hoc sufficiente, vel ipsius corporis morte: sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Nec omnino esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem, Dei & hominum mediator homo Iesus Christus. Quæcunque autem sine gratia mediatoris & sacramento eius in qualibet corporis ætate de corpore exierit, & in pœnã futuram & vltimo iudicio recepturam corpus ad pœnam, si autem post generationem humanam, quæ facta est ex Adam: regeneretur in Christo, ad eius pertinens societa-

tem, & requiem post mortem corporis habiturã, & corpus ad gloriam recepturam. Hæc sunt quæ de anima firmissime teneo. Nunc accipe obsecro quid requiram: & noli me spernere, si te non spernat qui pro nobis dignatus est sperni. Quæro vbi anima contraxerit reatum, quo retrahatur in condemnationem, etiam infantis morte præuenti, si ei per sacramentum, quo etiam paruuli baptizãtur, Christi gratia non subuenerit. Non enim es ex illis, qui modo noua quædam garrire cœperunt: dicentes, nullum reatum ex Adam esse tractum, qui per baptismum in infante soluatur. Quod te sapere si scirem, imo nisi te id non sapere scirem, nequaquam hæc abs te quærere, aut quærendum putarem. Sed quia tenemus de hac re sentẽtiam tuam, concinentem catholicæ fundatissimæque fidei: quia & Iouiniani vaniloquia redarguens, adhibuisti testimonium ex libro Iob. *Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans cuius est diei vnius vita super terram.* Deinde adiunxisti, Tenemurque rei *in similitudinem præuaricationis Adæ.* Et liber tuus in Ionam prophetam satis hæc insigniter dilucideque declarat, vbi ieiunare paruulos, propter ipsum originale peccatum merito coactos esse dixisti: non inconuenienter abs te quæro, hunc reatum anima vbi contraxerit, vnde oporteat etiam in illa ætate per sacramentum Christianæ gratiæ liberari. Ego quidem ante aliquot annos, cum libros quosdam scriberem de Libero arbitrio, qui in multorum manus exierunt, & habentur à plurimis: quatuor opiniones de animæ incarnatione. Vtrum ex illa vna, quæ primo homini data est, cæteræ propagentur. An singulis quibusque nouæ etiam modo fiãt. An alicubi iam existentes, vel mittantur diuinitus, vel sponte labantur in corpora: ita putaui esse tractandas, vt quælibet earum vera esset, non impediret intentionem meam, qua tunc aduersus eos quantis poteram viribus, agebam: qui naturam mali, suo principio præditã, aduersus Deum conantur inducere, id est, contra Manichæos. Nam de Priscillianistis adhuc nihil audierã, qui non multum ab his dissimiles blasphemias fabulantur. Ideo quintam opinionem non addidi, quam in tua epistola inter cæteros cõmemorasti, ne aliquam præterires, vbi de hac quæstione interroganti rescripsisti religiosæ memoriæ viro, nobisque in Christi charitate gratissimo Marcellino, quod anima non sit pars Dei. Primo, quia non de incarnatione eius, sed de natura quæritur, cum hoc quæritur. Deinde quia hoc sentiunt illi, contra quos agebam: & id maximè agebam, vt creatoris inculpabilem inuiolabilemque naturam à creaturæ vitiis & labe secernerem: cum illi à substantia mali, cui proprium principium principesque tribuunt, ipsam boni Dei substantiam ex parte qua capta est, corruptam & oppressam: & ad peccandi necessitatem perductam esse contendunt. Hoc itaque excepto hæreticæ opinionis errore, ex quatuor reliquis opinionibus, quænam sit eligenda, scire desidero. Quæcunque enim eligenda est, absit vt impugnet hanc fidem, de qua certi sumus: omni animæ, etiam paruuli infantis, necessariam esse liberationem ex obligatione peccati eamque nullam esse, nisi per Iesum Christum, & hunc crucifixum. Proinde ne longum faciamus, hoc certe sentis: quod singulas animas singulis nascentibus, etiam modo Deus faciat. Cui sententiæ ne obiiciatur, quod omnes creaturas sexto die consummauerit Deus, & septimo requieuerit: adhibes testimonium ex euangelio. *Pater meus vsque nunc operatur: & ego operor.* Sic enim ad Marcellinum scripsisti, in qua epistola etiam mei commemorationem beneuolentissime facere dignatus es, quod hic me haberet in Africa qui ei ipsam facilius explicare possem sententiam. Quod si potuissem, non ille hoc abs te tam longe posito inquireret, si tamen id nobis ex Africa scripsit. Nam quando scripserit nescio, tantum scio quod de hoc bene cognouerit cunctationem meam, vnde me inconsulto facere voluit. Quamquam si consuleret etiam magis hortarer, & gratias agerem quod nobis conferre omnibus posset, nisi tu breuiter rescribere quam respondere maluisses: credo ne superfluo laborares vbi ego essem, quem putabas id optime scire, quod ille quærerat. Ecce volo vt illa sententia etiam mea sit: sed non-

Margin letters and notes of the right column: E (beside the first line); Iob. 14. Sec. 70. (beside "testimonium ex libro Iob"); F; G (beside "tum ab his dissimiles"); H (beside "cati eamque nullam esse"); Ioan 5. (beside "Pater meus vsque nunc operatur").

A dum esse confirmo. Misisti ad me discipulos, vt ea doceam, quæ nondum ipse didici. Doce ergo quod doceam: nam vt doceam, multi à me flagitant, eisque me sicut alia multa, & hoc ignorare confiteor. Et fortasse quamuis in os meum verecuodentur: tamen apud se di-Ioan. 3. cunt, *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Quod quidem Dominus ei dixit, qui erat vnus illorum, quos delectabat vocari Rabbi. Vnde etiam ad verum magistrum nocte venerat: quia fortassis erubescebat discere, qui docere coosueuerat: me autem potius magistrum audire, Matt. 23. quam velut magistrum delectat aodiri. Recolo enim quid dixerit eis, quos præ cæteris elegit. *Vos autem*, inquit, *nolite vocari ab hominibus Rabbi: vnus enim est magister vester Christus Iesus.* Nec alius docuit Moysen per Iethro: nec alius Cornelium etiam per priorem Petrum: nec alius Petrum etiam per posteriorem Paulum. A quocunque enim verum dicitur: illo donante dicitur, qui est B ipsa veritas. Quid si ideo adhuc ista nescimus: & ea neque orando, neque legendo, neque cogitando, & ratiocinando inuenire potuimus: vt probemur non solum indoctos quanta charitate doceamus, verum à doctis etiam quanta humilitate discamus? Doce ergo, quæso, quod doceam: doce quod teneam, & dic mihi: si animæ sigillatim in singulis nascentibus fiunt, vbi in paruulis peccent, vt indigeant in sacramento Christi remissione peccati, peccantes in Adam, ex quo caro est propagata peccati: aut si non peccant, qua iustitia creatoris ita peccato obligantur alieno, cum exinde propagatis membris mortalibus inseruntur: vt eas, nisi per ecclesiam subuentum fuerit, damnatio consequatur, cum in earum potestate non sit, vt eis possit baptismi gratia subueniri. Tot igitur animarum millia, quæ in mortibus paruulorum sine indulgentia Christiani sacramenti de corporibus exeunt, qua æquitate damnantur, si nouæ creatæ nullo suo præcedente peccato, sed voluntate creatoris singulæ singulis nascentibus adhæserunt quibus eas animandis ille creauit & dedit, qui vtique nouerat, quod vnaquæque earum nulla sua culpa sine baptismo Christi de corpore fuerat exitura? Quoniam igitur, neque de Deo possumus dicere, quod vel cogat animas peccatrices fieri, vel puniat in-C nocentes: neque negare fas nobis est eas, quæ sine Christi sacramento de corporibus exierint, etiam paruulorum, noo oisi in damnationem trahi: Obsecro te, quomodo hæc opinio defenditur, quæ creduntur animæ noo ex illa vna primi hominis fieri omoes: sed sicut illa vna vni, ita singulis singulæ. Ea vero quæ dicuntur alia contra hanc opinionem, facile me puto posse refellere: sicuti est illud quo eam sibi quidam videntur vrgere, quomodo consummauerit Deus omnia opera sua sexto die, & septimo requieuerit, si nouas adhuc animas creat? Quibus si diximus, quod ex euangelio in supradicta epistola posuisti, Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur.* Respondent, operatur Gen. 2. dictum est, institutas administrando, non nouas instituendo naturas: ne scripturæ Geneseos contradicatur, vbi apertissime legitur consummasse Deum omnia opera sua. Nam & quod eum scriptum est requieuisse, vtique à D creandis oouis creaturis intelligendum est, non à gubernandis: quia tunc ea quæ non erant, fecit, à quibus faciendis requieuit: quia consummauerat omnia, quæ antequam essent, vidit esse facienda, vt deinceps noo ea quæ non erant, sed ex his quæ iam erant, & faceret quicquid faceret. Ita vtrunque verum esse monstratur: & quod dictum est, vsque nunc operatur: quoniam Genesi non potest euangelium esse contrarium. Verum his, qui hæc ideo dicunt, ne credatur modo Deus sicut illam vnam, nouas animas quæ non erant, facere: sed ex illa vna, quæ iam erat, eas creare: vel ex fonte aliquo siue thesauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere: facile respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis, quas iam creauerat, sicut ex aquis alites & pisces: ex terra autem arbores, fœnum, animalia: sed quod ea quæ non erant, tunc fecerit, manifestum est. Nulla enim erat auis, nullus piscis, nulla arbor, nullum animal: & bene intelligitur ab his creatis requieuisse, quæ non erant & creata sunt, id est, cessasse, ne vltra quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur animas, nescio quo fonte E iam existentes non mittere: nec de seipso tanquam suas particulas irrorare, nec de vna illa originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commissis, carneis vinculis compedire: sed nouas creare singulas singulis, suam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat. Iam enim sexto die fecerat hominem ad imaginē suam, quod vtique secundum animam rationalem fecisse intelligitur. Hoc & nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat. Vnde & illud verum est, quod à rebus, quæ non erant, instruendis, requieuit: & hoc verum est, quod nō solum gubernādo quæ fecit: verumetiam aliquid, non quod nondum, sed quod iam creauerat, numerosius creando, vsque nunc operatur. Vel sic ergo, vel alio modo quolibet eximus ab eo quod nobis obiicitur, de requie Dei ab operibus suis: ne propterea non credamus nunc vsque fieri animas nouas, F noo ex illa vna, sed sicut illam vnam. Nam quod dicitur: Quare facit animas eis, quos nouit morituros? Possumus respondere: parentum hinc peccata vel conuinci, vel flagellari. Possumus etiam recte illius moderationi ista relinquere, quem scimus omnibus temporaliter transeuntibus rebus, vbi sunt etiam animalium ortus & obitus, cursum ornatissimum atque ordinatissimum dare: sed nos ista sentire non posse, quæ si sentiremus, delectatione ineffabili mulceremur. Non enim frustra per prophetam, qui hæc diuinitus inspirata didicerat, dictum est de Deo. Qui profert numerose seculum. Vnde musica, id est, scientia sensusve bene modulandi, ad admonitionem magnæ rei, etiam mortalibus rationabiles habentibus animas, Dei largitate concessa est. Vnde si homo faciendi artifex carminis, nouit quibus quas moras vocibus tribuat, vt illud quod canitur decedentibus, ac succedentibus sonis pulcherrime currat & transeat: quanto magis Deus cuius sapientia, per quam fecit omnia, longe omnibus artibus præferenda est, nulla in naturis nascentibus & occidentibus temporum spatia, quæ tanquam syl- G labæ ac verba ad particulas seculi huius pertinent, in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico, vel breuius vel productius quam modulatio præcognita & præfinita deposcit, præterire permittit? Hoc cum etiam de arboris folio dixerim, & de nostrorum numero capillorum: quanto magis de hominis ortu & occasu, cuius vita temporalis breuius productiusve non tenditur, quam Deus dispositor temporum nouit vniuersitatis moderamini consonare? Id etiam quod aiunt: omne quod in tempore cœpit esse, immortale esse non posse: quia omnia orta occidunt, & aucta senescunt, vt eo modo credi cogant animum humanum ideo esse immortalem, quod ante omnia tempora sit creatus, non mouet fidem nostram. Vt enim alia taceam, cœpit esse in tempore immortalitas carnis Christi, quæ tamen *iam non moritur, & mors ei vl-* Rom. 6. *tra nō dominabitur.* Illud vero quod in libro aduersus Ruffinum posuisti, quosdam huic sententiæ calumniari, quod Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur in-H dignum: vnde conantur astruere meritis gestæ ante carnem vitæ animas quasi ad ergastula huius mundi iuste posse perduci, non me mouet multa cogitantem, quibus hæc possit calumnia refutari. Et quod ipse respondisti, non esse vitium sementis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo qui frumenta furatus est: nec idcirco terram non debuisse gremio suo semina confouere, quia sator immunda proiecerit ea manu, elegantissima similitudo est. Quam & antequā legerem, nullas mihi obiectio ista de adulterinis fœtibus in hac quæstione faciebat angustias, generaliter intuēti multa bona Deū facere, etiam de nostris malis nostrisque peccatis. Animalis autē cuiuscunque creatio, si habeat pium prudentemque consideratorem, ineffabilem laudem creatori excitat: quanto magis creatio non cuiuslibet animalis, sed hominis? Si autem causa creandi quæritur, nulla citius & melius respondetur: nisi quia omnis creatura Dei bona est. Et quid dignius, quā vt bona faciat bonus Deus, quæ nemo potest facere, nisi Deus? Hæc & alia quæ possum, sicut possum, dico aduersus eos, qui hanc opinionem, qua creduntur

A dantur animæ, sicut illa vna singulis fieri, labefactare conantur. Sed cum ad pœnas ventum est paruulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis: nec quid respondeam prorsus inuenio. Non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahātur, si de corpore exierint sine Christianæ gratiæ sacramēto: sed eas ipsas quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus quā exempla deficient. Languescunt ægritudinibus, torquētur doloribus, fame & siti cruciantur, debilitantur membris, priuantur sensibus, vexantur ab immundis spiritib. Demōstrandū est itaque, quomodo ista sine vlla sua mala causa iustè patiantur. Non n. dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri, aut eum non posse resistere facientibus, aut iniuste ista vel facere vel permittere. Nunquid nam sicut animalia irrationabilia recte dicimus in vsus dari naturis excellentioribus, & si vitiosis: sicut apertissime in Matt. 8. euangelio videmus, porcos ad vsum desideratum cōcessos esse dæmonibus, B hoc & de homine recte possumus dicere? Animal est. n. sed rationale, & si mortale. Anima est rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus iustus est, Deus omnipotēs est: hoc dubitare omnino demētis est. Tantorū ergo malorū, quæ fiunt in paruulis, causa iusta dicatur. Nēpe cum maiores ista patiantur, solemus dicere, aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri: & de quibusdam exemplis, quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt, hominum coniecturæ cōceditur: sed hoc in maioribus. De paruulis autē quid respondeamus edissere, si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata: nam vtique nulla est in illis ætatibus examinanda iustitia. De ingeniorum vero diuersitate, imo absurditate, quid dicam? Quæ quidem in paruulis latet: sed ab ipsis exordiis naturalibus ducta, apparet in grādibus: quorum nonnulli tam tardi & obliuiosi sunt, vt ne prima quidem discere literarū elementa potuerint. Quidam vero tantæ sunt fatuitatis, vt non multum à pecori- C bus differant, quos Moriones vulgo vocant. Respondetur forte, corpora hoc faciunt. Sed nunquid secundum sententiam, quam defendere nolumus: anima sibi corpus elegit, & in eligendo cum falleretur, errauit? Aut cum in corpus cogeretur intrare necessitate nascēdi, alia corpora præoccupantibus animarum turbis, ipsa aliud non inuenit? & sicut in spectaculo aliquo locum, ita carnem non quam voluit, sed quam valuit, occupauit. Nunquid hæc & talia vel dicere possumus, vel sentire debemus? Doce igitur, quid sentire quid dicere debeamus, vt constet nobis ratio nouarum animarum, singulis corporibus singulatimque factarum. Ego quidem nō de ingeniis, sed saltem de pœnis paruulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de Libero arbitrio: quod quale sit, & cur mihi in ista quam habemus in manibus quæstione non sufficiat, intimabo: & eum ipsum de tertio libro locum excerptum his literis inseram. Nam ita se habet. De cruciatibus autem corporis, quibus affliguntur paruuli, quorum per ætatem nulla peccata sunt: si animæ quibus animantur, non prius quam ipsi homines D esse cœperunt, maior querela & quasi misericors depromi solet, cum dicitur, Quid mali fecerunt, vt ista paterentur? Quasi possit esse innocentiæ meritum, antequam quisquā nocere aliquid possit. Cum autem boni aliquid operatur Deus in emendatione maiorum, cum paruulorum suorum, qui eis chari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur: cur ista non fiant, quando cum transierint pro non factis erunt, in quibus facta sunt? Propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati, rectius elegerint viuere: aut excusationem in futuri iudicij supplicio non habebunt, si vitæ huius angoribus, ad æternam vitam desiderium noluerint conuertere. Quis autē nouit, quid paruulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contonditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur? Quis inquam ergo nouit, quis ipsis paruulis in secreto iudiciorum suorū bonæ compensationis reseruet Deus? Quoniam quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid

ista perpessi sunt. Non n. frustra etiam infantes illos, qui E cum dominus noster Iesus Christus necādus ab Herode Matt. 2. quæreretur, occisi sunt, in honore martyrū receptos cōmendat ecclesia. Hæc tunc dixi, cum hanc ipsam, de qua nunc agitur, vellem cōmunire sententiam. Sicut. n. paulo ante commemoraui, quæcunque illarum de animæ incarnatione quatuor opinionum vera esset, inculpatam substantiam creatoris, & à nostrorum peccatorum societate remotissimam nitebar ostendere: & ideo quæcūque illarum veritate posset conuinci & repudiari, ad curā intentionis meæ, quā tunc habebam, non pertinebat: quādoquidē cunctis diligentiori disputatione discussis, quæcūque illarum recte vinceret cæteras, me securissimo fieret: quando etiā secūdum omnes id quod agebam, inuictum persistere demonstrabam. Nunc vero vnam volo si possim ratione recta eligere ex omnibus: & propterea huius ipsius, de qua defensionem nūc agimus, in his quæ cōmemoraui de illo libro verbis meis attentius intuens, F validam firmamque nō video. Nam velut firmamentum eius illud est quod ibi dixi. Quis autē nouit quid paruulis, de quorum cruciatibus duritia maiorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur? Quis, inquam, ergo nouit, quid ipsis paruulis in secreto iudiciorum suorum bonæ compensationis reseruet Deus? Quoniam quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Sed hoc non immerito dici video de his, qui vel pro Christi nomine ac vera religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur, vel sacramento Christi iam imbuti sunt: quia sine societate vnius mediatoris, liberari à damnatione non possunt, vt possit eis etiā pro illis malis, quæ hic in diuersis afflictionibus pertulerunt, compensatio illa præstari. Nūc autem cum ista quæstio non possit absolui, nisi etiam de his paruulis respondeatur, qui post grauissimos cruciatus sine sacramēto Christianæ societatis expirant: quæ circa eos cōpensatio cogitanda est, quibus insuper & damnatio præparata est? Nam & de baptismo paruulorum in eodem libro, nō quidem sufficienter, sed quātum illi operi satis esse vide- G batur, vtcūque respondi: quod etiam nescientibus & fidē suam nondum habentibus, prodest: non tamen de damnatione eorum paruulorum qui sine illo ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicēdum putaui: quia nō quod nunc agitur, agebatur. Sed vt omittamus & contemnamus ea quæ breui tempore patiuntur, nec transacta reuocantur: nunquid similiter contemnere possumus, quod per vnū hominem mors, & per vnum hominem resurrectio mor- 1. Cor. 15. tuorū? *Sicut enim in Adā omnes moriuntur, & sic in Christo omnes viuificabuntur.* Per hanc enim apostolicam diuinam claramque sentētiam satis euidenter elucet, neminē ire in mortem, nisi per Adam: neminem ire in vitā æternam, nisi per Christum. Hoc est quippe omnes & omnes: quia sicut omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam: sic omnes homines ad secundam, id est, spiritualem regenerationem veniūt, quicunque ad Christum perueniunt. Ideo ergo dictum est, & hic omnes, & ibi omnes: quia sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur: ita omnes H qui viuificabuntur, non nisi in Christo viuificabuntur. Ac per hoc quisquis nobis dixerit, quemquam in resurrectione mortuorum viuificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est. Item quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profecto & contra apostolicam prædicationē venit, & totam condemnat ecclesiam: vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari omnino non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadem damnatione maneat, de qua dicit Apostolus. *Per vnius delictū in omnes homines ad cōdemnationē.* Rom. 5. Cui delicto obnoxios paruulos nasci, & omnis credit ecclesia, & ipse iam contra Iouinianum disputans & exponens Ionam prophetam, sicut paulo ante commemoraui, fide verissima definiuisti: credo & in aliis locis opusculorū tuorum, quæ vel non legi, vel in præsentia nō recordor.

A Huius igitur damnationis in paruulos causam requiro:
quia neque animarũ, si nouæ fiũt singulis singulæ, video
esse vllum in illa ætate peccatum: nec à Deo damnari ali-
quam credo, quam videt nullum habere peccatum. An
forte dicendum est in paruulo, carnem solam causam es-
se peccati: nouam vero illi animam fieri, qua secundum
Dei præcepta viuente in adiutorio gratiæ Dei, & ipsi car-
ni edomitæ ac subiectæ possit incorruptionis meritum
comparari. Sed quia in paruulo anima nondum id agere
potest, nisi Christi accesserit sacramentum: per hanc gra-
tiam carni eius acquiritur, quod illius moribus nondum
potuit. Si autem sine illo sacramento anima paruuli exie-
rit, ipsa quidem in æterna vita erit, vnde eam nullũ pecca-
tũ potuit separare: caro vero eius nõ resurget in Christo,
nõ percepto ante mortẽ illius sacramẽto. Hanc opinionẽ
Psal 115 nunquã audiui, nunquam legi. Sed plane audiui & *credidi,*
Ioan.5. *propter quod & locutus sum: quia veniet hora quando om-*
B *nes qui in monumentis sunt, audient vocẽ eius: & procedent*
1.Cor.15. *qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Ipsa est de qua di-
Ioan 5. citur. *Et per vnum hominem resurrectio mortuorũ.* Ipsa est
qua in Christo omnes viuificabuntur. Qui autem male
egerunt, in resurrectionem iudicij. Quid hic ergo de il-
lis infantibus intelligendum est, qui priusquam possent
agere vel bene vel male, sine baptismo corpore exuti
sunt? Nihil hic de talibus dictum est. Sed si caro eorum
ideo non resurget, quia nec boni aliquid fecerunt, nec
mali: nec illorum resurrectura est, qui percepta baptismi
gratia in illa ætate defuncti sunt, in qua nihil bene vel
male agere potuerunt. Si autem illi inter sanctos resur-
gẽt, id est, inter eos qui bene egerũt, inter quos & illi re-
surrecturi sunt, nisi inter eos qui male egerũt, ne aliquas
humanas animas credamus corpora sua non recepturas,
siue in resurrectionem vitæ, siue in resurrectionem iudi-
cij? Quæ sententia priusquam refellatur, ipsa nouitate
iam displicet. Deinde quis ferat, si credant se illi qui ad
baptismum cum suis paruulis currunt, propter carnem
eorum, non propter animas currere? Beatus quidem Cy-
C prianus non aliquod decretum condens nouum; sed ec-
clesiæ fidem firmissimam seruans, ad corrigendum eos
qui putabãt ante octauũ diẽ natiuitatis, nõ esse paruulum
baptizandũ: nõ carnẽ, sed animam dixit esse perdendã: &
mox natũ ritè baptizari posse, cum suis quibusdã episco-
pis censuit. Sed contra Cypriani aliquã opinionẽ, vbi quod
videndũ fuit, fortasse non vidit, sentiat quisq; quod libet:
tantũ cõtra apostolicã manifestissimã fidẽ nemo sentiat,
Rom.5. qui *ex vnius delicto, oẽs homines in condemnationem* duci
prædicat: ex qua condẽnatione nõ liberat, nisi gratia Dei
per Iesum Christum dñm nostrum: in quo vno oẽs viui-
ficantur, quicũque viuificantur. Cõtra ecclesiæ fundatis-
simum morem nemo sentiat, vbi ad baptismũ si propter
sola paruulorum corpora curreretur, baptizandi offeren-
tur & mortui. Quæ cum ita sint, quærẽda causa est atque
reddenda: quare damnentur animæ, quæ nouæ creantur
singulis quibusque nascẽtibus: si præter Christi sacramẽ-
tum paruuli moriantur. Damnari n. eas si sic de corpore
D exierint, & sancta scriptura, & sancta testis est ecclesia.
Vnde & illa de animarum nouarum creatione sententia,
si hanc fidẽ fundatissimam nũ oppugnat, sit & mea: si op-
pugnat, nõ sit & tua. Nolo mihi dicatur pro hac sentẽtia
Zach 12. debere accipi quod scriptũ est. *Qui finxit spiritum hominis*
Psal 32. *in ipso: & qui finxit sigillatim corda eorum.* Aliquid fortis-
simũ atque inuictissimum requirẽdum est, quod nos nõ
cogat, Deum credere vllarũ animarum sine culpa aliqua
damnatorem. Nam vel tantundẽ valet, vel plus est forsitã
Psal 50. creare quam fingere: & tamen scriptum est. *Cor mundum*
crea in me Deus. Nec ideo putari potest anima hoc loco
optare se fieri priusquã aliquid esset. Sicut ergo iã existens
creatur innouatione iustitiæ, sic iam existens fingitur cõ-
firmatione doctrinæ. Nec illud quod in Ecclesiaste scri-
Eccl.12. ptum est. *Tunc conuertetur in terram puluis sicut fuit: &*
spiritus reuertetur ad dominum, qui dedit illum: istam con-
firmat sententiam, quam volumus esse nostram. Plus n.
hoc suffragatur eis qui ex vna putant omnes esse animas.
Nam sicut conuertitur, inquiunt, puluis in terram sicut
fuit: & tamen caro, de qua hoc dictum est, ad hominem

E non reuertitur, ex quo propagata est, sed ad terram, vn-
de primus homo factus est: sic & spiritus ex illius vnius
spiritu propagatus: non tamen ad eum reuertitur, sed ad
dominum à quo illi datus est. Verum quia hoc testimo-
nium ita pro istis sonat, vt non omnimodo huic opinio-
ni, quam defendi volo, videatur esse contrarium: admo-
nendam tantum credidi prudentiam tuam, ne talibus te-
stimoniis ex his angustiis me coneris eruere. Nam licet
nemo faciat optando, vt verum sit, quod verum non est:
tamẽ si fieri posset optarem, vt hæc sentẽtia vera esset, si-
cut opto: vt si vera est, absque te liquidissime atque inui-
ctissime defendatur. Hæc autem difficultas etiã illos se-
quitur, qui iam existentes alibi animas, & ab initio diui-
norum operum præparatas, à Deo mitti opinãtur in cor-
pora. Nam & ab his hoc idem quæritur: si animæ incul-
patæ obedienter veniunt quo mittũtur, cur in paruulis,
F si non baptizati vitam istam finierint, puniuntur? Eadem
prorsus in vtraque sentẽtia difficultas est. Illi sibi videtur
de hac facilius exire quæstione, qui animas asseuerãt pro
meritis vitæ prioris singulas singulis corporibus implica-
ri. Hoc. n. putant esse in Adam mori, in carne scili. quæ
propagata est ex Adam supplicia pendere: à quo reatu in-
quiunt, gratia Christi liberat pusillos cum magnis. Hoc
quidem recte, veraciter, optimeque, quod gratia Christi
liberat à reatu peccatorum pusillos cum magnis. Sed in
alia superiore vita peccare animas, & inde præcipitari in
carceres carneos non credo, non acquiesco, non consen-
tio. Primo quoniã nescio per quos circuitus fieri id aiunt
isti, vt post nescio quanta volumina seculorum iterũ ad
istam sarcinam corruptibilem carnis, & supplicia pendẽ-
da redeundum sit: qua opinione quid horribilius cogi-
tari possit, ignoro. Deinde quis tandem iustus defunctus
est, de quo nõ (si isti vera dicunt) soliciti esse debeamus: Luc.16.
ne in sinu Abrahæ peccans in flammas illius diuitis deii-
ciatur? Cur. n. non & post hoc corpus peccari possit, si &
ante potuit? Postremo longe aliud est in Adam peccasse. Rom.5.
Vnde dicit Apostolus. *In quo oẽs peccauerunt*, & aliud est
extra Adã, nescio vbi peccasse: & ideo in Adam, id est, in
carnem quæ ex Adam propagata est, tanquam in carce- G
rem trudi. Illam vero opinionem, quod ex vna fiant oẽs
animæ, nec discutere volo, nisi necesse sit. Atque vtinam
ista de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur,
vt hic iam necesse non sit. Quamuis autem desiderem,
rogem, votis ardentibus exoptem & expectem, vt per te
mihi dominus huius rei auferat ignorantiam: tamen si
(quod absit) minime meruero, patientiam mihi petam à
domino Deo nostro, in quem sic credimus, vt si aliqua
nobis non aperiat, etiam pulsantibus nullo modo aduer-
sus eum murmurare debeamus. Memini prius ipsis aposto-
lis dictũ. *Multa habeo vobis dicere: sed non potestis illa por-* Ioan.16.
tare modo: In his quantum ad me attinet etiam hoc depu-
tem. Nec qui hoc sciam me indigner indignum, ne hoc
ipso etiam cõuincar indignior. Multa. n. alia similiter ne-
scio quæ commorare vel enumerare non possum: & hoc
tolerabiliter ignorarem, nisi metuerem ne aliqua istarum
opinionum contra illud quod firmissima fide retinemus, H
incautis obreperet mentibus. Sed antequam sciam, quæ-
nam earum potius eligenda sit, hoc me non temere sen-
tire profiteor, eam quæ vera est nõ aduersari robustissimæ
ac fundatissimæ fidei, qua Christi ecclesia, nec paruulos
homines recentissime natos à damnatione credit: nisi
per gratiam nominis Christi, quam in suis sacramentis
commendauit, posse liberari,

EPISTOLA XLVI.

AVGVSTINVS AD OPTATVM EPI-
scopum Mileuitanum. De origine
animarum.

QVamuis tuæ sanctitatis nullas ad meipsũ datas ac-
ceperim literas: tamen quia illæ quas ad Mauritaniã
Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream præsentem in-
uenerunt, quo nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zo-
zimo apostolicæ sedis episcopo ecclesiastica necessitas
traxo-

A traxerat, factum est, vt ea quæ scripsisti, etiam ipse perlegerem, tradente mihi eandem epistolam tuum famulo Dei sancto Renato, in Christo nobis fratre Charissimo: quo petente, & mihi licet aliis occupato vehementer instante, ad eas sum respondere compulsus. Accessit huc etiam alterius sancti & debito cum honore nominandi fratris nostri, & quantum ab illo comperi, necessarij tui Murensis, cum in supradicto oppido teneraremur aduentus, qui mihi retulit etiam sibi missas de hac re literas venerationis tuæ, & me de hac ipsa quæstione consuluit, vt quid inde sentirem, vel meis, vel suis scriptis ad te faceret peruenire: vtrum scilicet animæ, vt corpora, propagatione nascuntur, sintque ex illa vna, quæ primo homini creata est: an creator omnipotens, qui vtique vsque nunc operatur, sine vlla propagatione nouas faciat singulis & proprias. De qua re antequã admonem aliquid synceritatem tuam: scire te volo in tam multis opusculis meis, nũquam me fuisse perausum de hac quæstione

B definitam proferre sententiam, & impudenter referre in literas alios informãdo, quod à me non fuerit explicatũ. Quare autem rerũ atque causarũ consideratione permoueat, vt in neutrã assertioné meus inclinetur assensus, sed sic adhuc inter vtrãque disceptem, nimis lõgum est hanc epistolã exponere: nec tam necessarium, vt hoc omisso nõ possit de hac quæstione quod satis est, disputari, & si non ad auferendam cunctationem, certe ad cauendam temeritatem. Illud. n. vbi vel maxime fides Christiana consistit, quod per hominem mors, & per hominem resurre-

1. Cor. 15. Rom. 5. ctio mortuorum. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*: & quod *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*: & quod *iudicium quidẽ ex vno in condemnatioẽ: gratia autẽ ex multis delictis in omnes homines in iustificationem vitæ*, & si qua alia testimonia declarant, neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti & dãnationis obstrictum: neminemque indeliberari, nisi renascendo per Christum, tam inconcusse tenere debemus,

C vt sciamus qui hoc negauerit, nullo modo ad fidem Christi, & ad eam quæ per Christum datur pusillis & magnis Dei gratiam pertinere. Vnde si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculũ non est. Neque enim in Christum credimus vt nascamur, sed vt renascamur, quomodocunque nati fuerimus. Hactenus autem dicimus, sine periculo latere animæ originem, vt non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam; nec de Deo natam, sed ab illo factã, atque in eius genus adoptãdam, mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ: nec eam corpus esse, sed spiritum: nec creatorem esse, sed creatum: nec ideo venisse in hoc corpus corruptibile quo grauatur, quod illuc eam vitæ in cœlestibus, vel in quibuslibet aliis mundi partibus, antea male gestæ

Rom. 9. merita compulerunt. Nondum. n. natos apostolus, cum de Rebeccæ geminis loqueretur, nihil egisse dicit boni vel mali: vt nullis ex operibus quib. alter non distinguebatur ab altero, sed ex vocante diceretur, minori seruiturum esse maiorem. His ergo firmissime constitutis, si

D tam reconditum atque abditum est in occultis operibus Dei, vt nec scripturarum diuinarum manifesto eloquio declaretur: vtrum propterea nihil boni vel mali, nondum nati egisse credendi sint, quia nõ ex aliis propagatas, sed mox ex nihilo creatas animas singuli accipiunt? An quia cum essent originaliter in parentibus adhuc ipsi nulli erant, qui suas & proprias vitas agerent? Illa tamen sit fides salua, qua credimus nullum hominem siue maioris, siue paruulæ quamlibet & recentis ætatis, liberari à contagio mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Christũ Iesum. Cuius hominis eiusdémque Dei salubertuna fide, etiam illi iusti facti sunt salui, qui prius quã veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est nostra & illorũ: quo-

2. Cor. 4. Psal. 115. niam hoc illi crediderũt futurum, quod nos credimus factũ. Vnde dicit Apostolus Paulus *Habentes autem eundẽ spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi, propter*

E *quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur.* Si ergo eundẽ spiritũ fidei & illi habebant, qui venturum in carne Christũ prænunciauerunt, quem etiam illi qui eum venisse nuntiarunt: sacramẽta esse potuerunt pro temporũ diuersitate diuersa, ad vnitatem tamẽ eiusdẽ fidei concordissime recurrentia. Scriptum est in actibus Apostolorum, loquente Apostolo Petro. *Nunc ergo* Act. 15. *quid tentatis Deum imponere iugum super colla discipulorũ: quod neq; patres nostri, neque nos potuimus portare? Sed per gratiam domini Iesu credimus. Saluos nos fieri, quemadmodum & illi.* Si ergo & illi, id est, patres portare iugum veteris legis non valentes, per gratiam domini Iesu saluos se fieri crediderunt: manifestum est, quod hæc gratia etiam antiquos iustos viuere fecit ex fide. *Iustus enim* Rom. 1. Rom. 5. Galat. 3. *ex fide viuit. Lex autẽ subintrauit vt abundaret delictum*, & superabundaret gratia, per quam sanaretur delicti abundantia. *Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia.* Cui tamen bono lex data sit: consequenter adiunxit, dicẽs. Sed cõclusit scriptura omnia sub

F peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Dãda itaque fuerat lex, quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem, ne superbus animus humanus à seipso posse esse iustũ putaret: *& ignorans Dei iustitiam*, id est, quæ homini ex Deo est, *& suã volens constituere*, id est, quasi suis viribus partã, *iustitiæ Dei subiectus nõ* fieret. Oportebat itaque vt addito mãdato, cuius vox est: *Non* Exod. 20. *concupisces*, superbo peccatori etiam præuaricationis crimen accederet, atque ita gratiam medicinæ non sanata per legem, sed conuicta infirmitas quæreret. Proinde cũ omnes iusti, hoc est veraces Dei cultores, siue ante incarnationem siue post incarnationem Christi, nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiæ plenitudo: profecto quod scriptũ est, *non esse aliud* Act. 4. 1. Cor. 15. *nomen sub cœlo, in quo oporteat saluos fieri nos*: ex illo tẽpore valet ad saluandũ genus humanum, ex quo in Adam vitiatũ est. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*: quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo.

G Sicut per Adam omnes iniusti, Ita per Christum omnes iusti homines. Sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filij seculi: ita & per Christum omnes immortales in gratia fiunt filij Dei. Cur autem creentur etiam illi quos creator præsciuit ad damnationem non ad gratiam pertinere: beatus Apostolus tanto succinctiori breuitate, quanto maiori auctoritate commemorat. Deum Rom. 9. enim dicit, volentẽ ostendere irã, & demõstrare potentiã suam, attulisse *in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionẽ: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*, quem superius dixerat tanquã figulum luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Merito autem videretur iustum, quod fiunt inde vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa vniuersa ex Adã massa damnata. Quod ergo fiunt inde nascendo vasa iræ, pertinet ad debitã pœnã: quod autẽ fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitã gratiam. Ostẽdit ergo Deus irã suam, nõ vtiq; animi perturbationem, sicut est quæ ira hominis nuncupatur, sed iustam, fixamque vindictã, q̃ de stirpe inobediẽtiæ ducitur,

H propago peccati atq; supplicij. Et *homo natus ex muliere*, sicut in libro Iob scriptum est: *breuis est vitæ, & plenus iracundiæ*. Eius. n. rei vas est, qua plenus est: vnde iræ vasa Iob. 14 dicuntur. Ostendit & potentiam suam, qua bene vtitur etiam in aliis, multa illis naturalia & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercẽdos, & cõparatione admonendos bonos accõmodans, vt in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis nõ suis meritis, qui in eadẽ massa paria fuerint, sed in illi° miseratione discreti sũt. Quod maxime apparet in paruulis: de quib. cũ per Christi gratiam renascantur, & istã vitam in illa tenera ætate finientes, in æternã transeunt & beatã, dici nõ potest, quod libero discernũtur arbitrio ab aliis infantibus, qui sine hac gratia in ipsius massæ dãnatione moriuntur. Si aũt hi soli crearentur ex Adã, qui essent per gratiã recreãdi, & præter illos qui in Dei filios adoptãtur, nulli alij homines nascerẽtur, lateret beneficiũ quod donaretur ingratis: quia

A nullis ex eadem damnabili stirpe venientibus, debitum supplicium redderetur. Cum vero *attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*, non solum ostendit iram, & demonstrauit potentiam suam redhibendo vindictam, & bene vtendo non bonis: sed etiam notas fecit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ita. n. quid sibi præstetur, discit gratis iustificatus: dum non suo merito, sed gloria largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnato, cum quo eadem iustitia fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem creãdo nasci voluit, quos ad suã gratiam non pertinere præsciuit, vt multitudine innumerabili plures sint eis, quos in regni sui gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est: vt etiam ipsa reiectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum iustum, quantalibet numerositas iustissime damnatorum. Atque vt hinc quoq; intelligant, qui ex ipsa damnatione redimuntur, hoc fuisse debitum massæ illi vniuersæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent, non solum in eis qui originali peccato multa B addunt malæ voluntatis arbitrio: verumetiam in tã multis paruulis, qui tantummodo vinculo peccati originalis obstricti sine gratia mediatoris ex hac luce rapiũtur. Tota quippe ista massa iustæ damnationis reciperet debitũ, nisi ex ea faceret, non solum iustus, sed etiam misericors figulus alia vasa in honorem secundum gratiam, non secundum debitum, dum & paruulis subuenit, quorũ nulla merita dici possunt: & maiores præuenit, vt habere aliqua merita possint. Quæ cum ita sint, si assertio tua non eo tendit, vt nouas animas dicas, propter innocentiam nouitatis suæ, antequam ad peccandum libero vtantur arbitrio, damnationi originali obnoxias esse non posse: sed eas fide catholica confiteris, etiam si in illa tenera ætate de corpore exierint in damnationem perditionis ituras: nisi sacramento mediatoris, qui *venit quærere & saluum facere quod perierat*, liberentur: quære vbi, vel vnde, vel quãdo cœperint damnationis meritũ habere, si nouæ sunt: ita sane vt Deum non facias, nec aliquam creaturã quam condidit Deus, vel peccati earum, vel innocentiũ damnationis auctorem. Et si inueneris quod te admonuit quærere, quod ipse fateor adhuc nõ inueni: defende quantum potes, atque assere animarũ infantiũ eiusmodi C esse nouitatẽ, vt nulla propagatione ducantur, & nobiscum quod inueneris fraterna dilectione communica. Si autem non inueneris, quare, vel quando, vel quomodo fiant animæ infantium peccatrices, & nihil in seipsis habentes malitiæ, à quo cogantur ex Adam trahere vnde damnentur, cum eas credas non ex illa prima peccatrice propagatas, sed nouas atq; insontes includi carne peccati. Nec sic iã temere in aliam sententiã tua deflectatur assensio, vt eas ex illa vna credas propagãdo traduci, ne forte alius inueniat possit, quod ipse non possis: vt aliquando inuenias, quod nunc non poteris. Nam & illi qui animas ex illa vna propagari asserunt, quã Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentib. trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas nõ spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo peruersius quid dici potest? Neque hoc Ter- D tullianum somniasse mirandum est, qui etiã ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Qua demẽtia repulsa à corde & ore Christiano, quisquis animã fateturest, non esse corpus sed spiritum confitetur, & tamen in filios ex parẽtibus duci: in eo quidem nullis coartatur angustiis, quod omnes animas etiam paruulorum, quos ecclesia nõ vtique in falsa, sed in vera peccatorum remissione baptizat, vera fides prædicat trahere originale peccatum, propria primi hominis voluntate commissum: & in omnes posteros generatione transmissum, ac sola regeneratione purgandum. Sed cum considerari & pertractari cœperit, quid dicatur, mirum si vllus sensus cõprehendit humanus: quonam modo tanquam lucerna de lucerna accendatur, & sine detrimento alterius alter inde ignis exsistat: sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem: vtrum incorporeum semen animæ, sua quadam occulta & inuisibili via, seorsum ex parte currat in matrem cum fit conceptus in fœmina: an quod est incredibilius in semine corporis lateat. Cum E autem fluunt irrita sine vllis conceptibus semina, vtrum semen animæ non simul exeat: an summa celeritate atq; atomo temporis vnde exierat, recurrat, an pereat? Et si perit, quomodo ipsa, cuius mortale semen est, immortalis est anima? An immortalitatem tunc accipit, quando formatur vt viuat, sicut iustitiam quando formatur vt sapiat, & eo pacto Deus eam fingat in homine, etiamsi anima seminaliter trahatur ex anima: sicut fingit in homine corporis membra, quamuis corpus seminaliter trahatur ex corpore. Si etiam spiritualis creatura non fingeretur à Deo, nõ scriptum esset: *Qui finxit sigillatim spiritum hominis in ipso*. Et in eo quod legitur. *Qui finxit sigillatim corda hominum*, si per corda significatæ sunt animæ, fingi eas posse quis dubitet? Sed quæritur, vtrum ex vna anima hominis primi: sicut fingit sigillatim facies hominum, ex vno tamen corpore hominis primi. Cum hæc atque huiusmodi de hac re multa quærantur, quæ nullo F sensu cordis probari possunt, & à nostra experientia longe remota sunt, atque in abditissimis naturæ sinibus latent: non erubescendum est homini confiteri se nescire quod nescit, ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur. Quis autem negat non vnius tantum, sed omnis animæ creatorem Deum atque factorem, nisi quis eius eloquiis apertissime refragatur? Sine vlla quippe ambiguitate per prophetam dicitur. *Omnem flatum ego feci*, animas videlicet intelligi volens: quod verba consequentia manifestant. Non itaque vnũ quem facto ex terra homini primo inspirauit, sed omnem flatum ipse fecit: ipse adhuc facit. Quæritur tamen vtrum omnem flatum ex vno illo flatu, sicut omne corpus hominis ex vno illo corpore faciat: an vero noua quidem corpora faciat ex vno, animas autem nouas ex nihilo. Quis enim congrua suis originibus genera rerum etiam de seminibus facit: nisi qui ipsa semina sine seminibus fecit? Sed vbi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & aperte diuina scriptura non subuenit, temere hinc aliquid definire humana coniectura præsumit. Secundum vitas autem, quas proprias habere incipiunt, nouos homines dici- G mus nasci, siue anima siue corpore. At vero secundum originale peccatum veteres nascuntur, ideo baptismate renouantur. Aliquid ergo certum de animæ origine nondum in scripturis sanctis comperi. Nã hi qui nouas sine vlla propagine asserunt animas fieri, inter testimonia quibus id nituntur ostendere, ponunt etiam illa duo quæ paulo ante commemoraui. *Qui fingit spiritum hominis in ipso*: Et, *Qui finxit sigillatim corda hominum*: de quib. vides quemadmodum possit à resistentibus responderi. Vtrum. n. cum fingit, ex alio fingat, an ex nihilo, incertum est. Illud tamen inter cætera testimonia videtur esse præcipuum, quod in libro Salomonis Ecclesiaste legitur: *Et reuertetur puluis in terrã suam sicut erat: & spiritus reuertetur ad dominũ suũ qui dedit illum*. Sed facillime respondetur. Corpus in terram, de qua factum est primũ hominis corpus: sed spiritus ad Deum, à quo facta est prima hominis anima. Sicut enim nostrũ corpus inquiunt, H quamuis ex primo illo corpore propagatum sit, eo tamen redit, vnde ipsum primum corpus effectum est: sic anima nostra, quamuis ex illa anima propagata, non ad nihilum, quia immortalis est, sed ad illum redit, à quo ipsa prima anima facta est. Ac per hoc illud quod scriptum est. De spiritu cuiusq; hominis, quod redeat ad Deũ qui dedit eum, non soluit istam obscurissimam quæstionem: quia siue ex illo vno, siue ex nullo alio, Deus vtiq; dedit eum. Itemque illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt, inter alia testimonia, quæ suæ causæ suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius & expressius pro se possunt putare proferendum: quam id, quod in Genesi scriptũ est *Omnes autem animæ quæ introierunt cum Iacob in Ægyptum, & qui exierũt de femoribus eius*. Hoc. n. velut euidentissimo testimonio possunt credi animæ in filios ex parentibus propagari: quoniam satis aperte dictum videtur, animas etiam de fœmoribus Iacob, non sola exisse corpora filiorum, vt eo modo etiã illud intelligi velint à parte totum: quod dixit Adam,

cum

Marginal references: Matt. 18. (beside "ras: nisi sacramento mediatoris…"); Zach. 12. Psal. 32. (beside "Qui finxit sigillatim spiritum…"); Esa. 57. (beside "Sine vlla quippe ambiguitate…"); Zach. 12. Psal. 32. (beside "Qui fingit spiritum hominis…"); Eccles. 12. (beside "Et reuertetur puluis…"); Gen. 46. (beside "Omnes autem animæ…").

A Gen. 2. eum illi mulier eius ostenderetur. Hoc nunc os ex ossibus
meis, & caro de carne mea. Nō enim dixit, & anima de a-
nima mea: sed ita fieri potest, vt carne nominata vtrun-
que intelligatur: sicut hic animas nominauit, & tamen
etiam corpora in filiis intelligi voluit. Sed hoc testimo-
nium certe quasi tam clarum atque manifestum, enodā-
dæ huic quæstioni non sufficeret: nec si ita legeretur ge-
nere fœminino, quæ exierunt de fœmoribus eius, vt a-
nimas intelligeremus quæ exierunt. Ideo autem non suf-
ficeret, quoniam & animæ nomine corpus solum signi-
ficari posse, modo quodam locutionis ostenditur, quo
significatur per id quod cōtinetur id quod continet: si-
cut ait quidam, Vina coronantur, cum coronarētur vasa
vinaria. Vinū enim continetur, vas continet. Sicut ergo
appellamus ecclesiam basilicam, qua cōtinetur populus,
qui vere vocatur ecclesia: aut nomine ecclesiæ, id est,
populi qui continentur, significamus locum qui cōtinet:
Leuit. 21. ita quod animæ quæ corporibus continentur, intelligi
B corpora filiorum per nominatas animas possunt. Sic e-
nim melius accipitur etiam illud quod lex inquinari di-
cit eum qui intrauerit super animam mortuam, hoc est
super defuncti cadauer, vt nomine animæ mortuæ, mor-
tuū corpus intelligatur, quod animā continebat: quia &
absente populo, id est, ecclesia, locus tamē ille nihilomin⁹
ecclesia nuncupatur. Hæc responderentur, si sicut dixi,
fœminino genere positū esset, quæ exierunt de fœmorib.
Iacob: id est, quæ animæ. Nunc vero cū masculinū genus
sit positū, id est, qui exierūt de fœmoribus Iacob: quis nō
ita intelligere malit, omnes animæ eorum qui exierunt de
fœmorib. eius, id est, animæ hominum, vt etiam sic possit
intelligi secundum corpus tantūmodo exisse homines de
fœmoribus patris: quorum erant illæ animæ, per quarum
numerum intelliguntur tot homines. Vellem autem le-
gere libellum tuum, cuius mentionem fecisti in literis
tuis, ne forte ibi aliqua testimonia non ambigua posui-
sti. A me autem cum quæsisset amicus mihi charissimus,
& diuinarum studiosissimus literarum, quid de hac quæ-
C stione sentirē, eique remota verecundia hinc æstus meos
& ignorantiam fassus essem: scripsit inde longe trans ma-
re ad doctissimum virum, cui respondit ille, vt potius me
consuleret, nesciens quod iam fecerat, nec aliquid à me
certum vel definitum audire potuerat. Significauit tamē
in eadem breui epistola sua, se potius fieri quam propaga-
ri animas credere: simul etiam admonens animarum pro-
pagationem, quia ipse in Oriente est, occidentalem ec-
clesiam solere sentire. Hac ergo maiori occasione cōper-
ta, scripsi ad eum non breuem librum, consulens eum &
petens, vt prius me doceat: & tunc ad me mittat quos do-
ceam. Qui liber meus non doctoris, sed inquisitoris, &
potius discere cupientis, apud me legi potest, mitti vero
vspiam non debet, vel cuiquam foris dari, nisi cum re-
scripta domino adiuuante percepero: id quod ille sentit
promptissime ac libentissime defensurus, si me docere
potuerit, quomodo animæ neque ex Adam veniāt: & ta-
men iustam ex illo sortem damnationis inueniant, nisi
ad remissionem peccatorum renascendo perueniant. Ab-
D sit enim vt credamus vel animas paruulorum in lauacro
regenerationis falsam accipere peccatorum mundatio-
nem: vel Deum esse, vel aliquam naturam quam Deus
non condidit, illius ex qua mundantur, inquinationis
auctorem. Donec ergo aut ille rescribat, aut ego, si Deus
voluerit, aliquo modo discam, si nullam de illa peccatri-
ce originem ducit: quæ causa sit animæ subeundi origi-
nale peccatum, quod necesse est esse in omnibus paruu-
lis: & quod eam nec Deus cogit insontem, quia peccan-
di auctor non est: nec vlla mali natura, quia non est, nihil
tale audeo prædicare. Te autem, si libenter vel patien-
ter admittis charissime frater, admoneo, ne hæresim no-
uam incautus incurras, quæ antiquissimæ fidei stabilita
molitur fundamenta euellere, aduersus Dei gratiam dis-
putando: quam dominus Christus pusillis & magnis in-
effabili bonitate largitur, cuius vel auctores, vel certe a-
cerrimi ac notissimi suasores, cum Pelagius & Celestinus
extitissent, conciliorum episcopalium vigilantia in adiu-
torio Saluatoris qui suam tuetur ecclesiam, etiam à duo-
bus venerabilibus antistitibus apostolicæ sedis, Papa In- E
nocentio, & Papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint
pœnitentiam, toto orbe Christiano damnati sunt. De
quibus exempla recentium literarum, siue quæ speciali-
ter ad Afros, siue quæ vniuersaliter ad omnes episcopos
de memorata sede manarunt, ne forte ad sanctitatem ve-
stram nondum peruenerint, vobis curabimus mitti ab
eis fratribus, quibus & has literas, vt tuæ venerationi di-
rigerent, dedimus. Hi autem nō ideo sunt hæretici, quia
dicunt animas originem de illa prima peccatrice nō du-
cere, quod vel aliqua fortasse ratione vera dici potest, vel
sine fidei labe nesciri. Sed hinc conantur efficere, vnde
omnino apertissime hæretici iudicantur: animas paruu-
lorum nihil mali ex Adam trahere, quod sit lauacro re-
generationis expiandum. Nam Pelagij de hac re argu-
mentatio, quæ inter alia eius damnabilia etiam literis a-
postolicæ sedis adiecta est, ita se habet. Si anima, inquit,
ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem
peccati: sola ergo pœnam meretur. Iniustum est enim, vt
hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum pec- F
catum portet & alienum: quia nulla ratione conceditur,
vt Deus qui propria peccata dimittit, imputet alienum.
Si ergo ita potes animarum asserere sine vlla propagatio-
ne nouitatem, vt ratione iusta & à fide catholica non a-
liena, etiam sic peccato primi hominis ostendantur ob-
noxiæ: assere quod sentis vt potes. Si autem eas non ali-
ter à propagatione potes facere alienas, nisi vt simul fa-
cias ab omni peccati vinculo liberas, cohibe te ab huius-
modi disputatione omnino. Non est enim falsa etiam in
paruulorum baptismate remissio peccatorū: nec verbo-
tenus dicitur, sed veraciter agitur. Nam vt iam verbis v-
tar, quæ in ipsa epistola beatissimi antistitis Zozymi legū- Psal. 144.
tur. *Fidelis dominus in verbis suis*, id est, opere, cōfessione,
& remissione peccatorū, in omni sexu, ætate, conditione
generis humani, eandē plenitudinē tenet. Nullus.n. nisi
qui peccati seruus est, liber efficitur: nec redemptor dici
pōt, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captiuus, sicut
scriptum est. Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Per
ipsū.n renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur
mūdo: ipsius morte mortis ab Adā omnib. nobis introdu- G
ctæ atq; trāsmissæ vniuersæ animæ illud propagatione Ioan 8.
contractum chirographū rumpitur, in quo nullus omni-
no natorū antequā per baptismū liberetur, non tenetur
obnoxius. In his.n verbis apostolicæ sedis tā antiqua atq;
fundata, certa & clara est catholica fides, vt nefas sit de il-
la dubitare Christiano. Quoniā ergo morte Christi, non
vnius aut aliquarum, sed vniuersæ animæ propagatione
contractum mortis chirographum rumpitur: si potes a-
nimas sic à propagatione defendere, vt tamen hoc chiro-
grapho, quod sola Christi morte rūpendum est, rectis-
sima ratione demonstrentur obstrictæ, nec sua propaga-
tione, sed carnis hoc debito iuste appareant obligatæ, nō
solum nemine prohibente defende, verumetiam nobis
quomodo id tecum defendere possimus, ostende. Si au-
tem aliter non potes, quod de animarum nouitate sen-
tis, asserere, nisi vt eas dicas peccato primi hominis non
teneri aut per propagationem non suam, sed carnis au-
ctore Deo, vel nescio qua mali natura, innocentissimas H
fieri peccatrices: melius origo animæ latet, dum tamen eā
non dubitemus Dei esse creaturam, qua vel Deus pecca-
ti auctor dicitur, vel cōtra Deum aliena natura introdu-
citur, vel baptisma paruulorum in irritum ducitur. Vt
aūt à me tua dilectio de hac quæstione aliquid audiat de-
finitum, non parui æstimandum, imo præcipue necessa-
riū atque retinēdum, quomodolibet se origo habeat ani-
marū, siue ex illa vna, siue ex nulla alia propagentur: me-
diatoris tamen animā nullum ex Adam traxisse peccatū,
dubitare fas non est. Si. n. nulla propagatur ex altera, vbi
omnes tenentur propagati carne peccati: quanto minus
credendum est, ex propagine peccatricis animam veni-
te potuisse, cuius caro venit ex virgine, non libidine con-
cepta, sed fide, vt esset in similitudine carnis peccati, non
in carne peccati? Si autem peccato primæ animæ pecca-
tricis ideo cæteræ tenentur obnoxiæ, quia ex illa sunt
propagatæ: profecto illa quam sibi vnigenitus coapta-

A uit, aut peccatum inde non traxit, aut omnino inde tracta non est. Neque enim non potuit animam sibi trahere sine peccato, qui soluit nostra peccata: Aut qui nouam creauit ei carnem, quam sine parente fecit ex terra non potuit nouam creare carnem, quam sine viro sumpsit ex fœmina: Hæc sicut potui, non quidem ad me datis, sed tamen ad charissimos nostros sanctitatis tuæ literis, non peritia quam desiderasti, sed sollicita dilectione respondi. Si grate accipis, & admonitionem fraternam etiam vtilem non errando, sed prudenter considerando cum ecclesiæ pace conseruas: Deo gratias. Si autem me ista nondum nosse miraris: vel etiā nec miraris, & ad me aliquid certum de origine animarum salua ista fide, quæ certissima atque clarissima est, in tua charitate docere non renuis, multo vberius Deo gratias.

EPISTOLA XLVII.

DIVI AVGVSTINI HOMILIA,

B
de Pastoribus.

SPes tota nostra, quia in Christo, & quia omnis vera & salubris gloria nostra ipse est, non tunc didicit primum charitas vestra. Estis.n.in eius grege qui intendit & pascit Israel. Sed quoniam sunt pastores qui pastorū nomine gaudere volunt, pastoris autem officium implere nolunt: quid ad eos propheta dicat, sicut lectum audiuimus, recenseamus. Audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore. Et factum est ad me verbū domi-
Ezech 34. ni, dicēs. *Fili hominis propheti za super pastores Israel.* Hāc lectionem cum legeretur, audiuimus. Hinc cum vestræ sanctitati aliquid loqui decreuimus, adiuuabit ipse vt vera dicamus. Si nos nostra dicamus, pastores erimus pascentes nos, non oues. Si autem illius sunt quæ dicimus, per quælibet ipse nos pascet. Hæc dicit dominus Deus. *Væ pastorib. Israel, qui pascunt se solos.* Nunquid oues pascunt pastores, id est, nō se pascūt pastores, sed oues? Hæc prima causa est, quare arguantur pastores isti: quia sei-
C
Philip. 2. psos pascunt, non oues. Qui sunt qui se ipsos pascunt? De quibus dicit Apostolus. *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Nos enim quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum nostrum cōstituit, habemus duo quædam. Vnum, quod Christiani sumus: Alterum, quod præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus, propter nos est: quod autem præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attenditur vtilitas nostra: in eo quod præpositi, non nisi vestra Sunt autem multi Christiani, & nō præpositi, qui perueniunt ad Deum faciliore fortasse itinere: & tanto expeditius ambulantes, quanto minorem sarcinam por-
Eccl. 18. tant. Nos autem, excepto quod Christiani sumus, vnde rationem reddimus Deo de vita nostra: sumus etiā præpositi, vnde rationem reddimus. Deo de dispensatione nostra. Ad hoc istam difficultatem proponimus, vt cōpatientes nobis, oretis pro nobis. Veniet enim dies, quo cuncta adducuntur in iudicium. Et ille dies si seculo longe est, vnicuique homini vitæ suæ vltimus prope est.
D Tamen vtrunque latere Deus voluit: & quādo veniat finis seculi, & quando sit in vno quoque homine huius vitæ finis. Vis non timere diem occultum: quando venerit, inueniat te paratum. Cum ergo præpositi ad hoc sint, vt his qui subiecti sunt consultant, non in eo quod præsunt omnino vtilitatem suam attendant, sed eorum quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, vt in eo quod præpositus sit gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat, se pascit, non oues. Ad vos sermo dirigitur. Audite tanquam oues Dei, & videte quemadmodum vos securos fecerit Deus. Qualescunque sunt qui vobis præsunt, id est, qualescunque nos simus nobis: Deus securitatem dedit, qui pascit Israel. Nam Deus non deserit oues suas & mali pastores pœnas
Ezech 34. debitas luent, & oues promissa percipient. Videamus ergo quid alloquatur pastoribus seipsos pascentibus, non oues, sermo diuinus neminem palpans. *Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis: & quod crassum est, interficitis, &* E
oues meas non pascitis: quod infirmatum est, non cōfortastis: & quod ægrotat, non corroborastis: & quod contribulatum est, non colligastis: & quod errabat, non reuocastis: & quod periit, non inquisistis: & quod forte fuit, cōfecistis: & dispersæ sunt oues meę, eo quod nō sit pastor Dicitur in pastores pascentes semetipsos, non oues: quid diligāt, quid negligant. Quid ergo diligunt? Lac consumitis, & lanis vos tegitis. Propter quod dicit Apostolus. Quis plan- 1. Cor 9.
tat vineam, & de fructu eius non sumit? *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Inuenimus ergo esse lac gregis quicquid à plebe distribuitur præpositis ad sustentandum victum temporalem. Inde enim loquebatur Apostolus, cum hæc diceret quæ commemoraui. 2. Thess. 3.
Et quidem Apostolus, quamquam elegeret manibus suis laborare, nec ipsum lac quærere ab ouibus, tamen lactis potestatem percipiendi habere se dixit, & sic dominum exposuisse: vt qui euangelium annunriant, de Matt. 1
euangelio viuant. Et dicit alios coapostolos suos vsos fuisse hac potestate: non vsurpata, sed data. Plus ille fe- 1. Cor 9.
F
cit, vt nec quod debebatur acciperet. Ipse ergo donauit & debitum, sed alius non exegit indebitum: Ille plus fecit. Fortassis.n. illum significabat, qui ægrum cum adduceret ad stabulariū, dixit *Si quid amplius erogaueris, in redeundo reddam tibi.* De his ergo qui non indigent lacte Luc. 10.
gregis, quid plura dicamus? Misericordiores sunt, vel potius ipsi misericordiæ officium largius impendunt. Possunt enim, & quod possunt, faciunt. Laudentur hi, neque damnentur illi. Nam & ipse Apostolus datum non quærebat, fructuosas tamen oues esse cupiebat, non steriles sine lactis vbertate. Itaque cum esset quodam tempore in magna indigentia, vinctus in confessione veritatis: missum est illi à fratribus vnde necessitati & indigentiæ eius ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, & dixit. *Benefecistis cōmunicare necessitatib. meis. E-* Philip 4.
go.n. didici in quibus sum sufficiens esse: Scio & abundare, & penuriā pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Verūtamen vos benefecistis vsib. meis mittere. Sed vt ostenderet in 6
eo quod illi benefecerunt quod non ipse quæreret: ne inter illos esset qui seipsos pascunt, non oues: non tam suæ gaudet subuentum esse necessitati, quam illorum gratulabatur fœcunditati. Quid ergo ibi quærebat? Non requiro, inquit, datum, sed requiro fructum. Non ergo, inquit, vt expleat, sed ne vos inanes remaneatis. Qui ergo non possunt facere quod Paulus, vt in manibus suis transigant, accipiant de lacte ouium, sustentent suam necessitatem: nō hoc sibi quærant tanquā cōmodum sum, vt ex necessitate suæ pecuniæ videantur annuntiare euāgelium, sed hominibus illuminandis præbeāt lucem verbi veritatis. Sint enim tanquam lucernæ, sicut dictum est. Luc. 12.
Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes: & *nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super can-* Matt 5.
delabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adūceres oleum ne extingueretur? Porro si lucerna accepto oleo, non luceret, non erat plane digna, quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuo frangeretur. Vnde enim H
viuitur necessitatis est accipere, charitatis est præbere: non tanquam venale sit euangelium, vt istud sit pretium eius, quod sumunt qui annuntiant vnde viuant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate euangelium seruiunt: non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutem. Quid ergo isti increpantur, vnde arguuntur, qui cum lac sumerent, & lanis se tegerent, oues negligebant? Sua ergo tantum *quærebant*, non Philip.
quæ Iesu Christi. Sed quoniam diximus quid sit lac sumere, quæramus quid sit lanis se tegere. Qui præbet lac, victum præbet: qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo quæ à populis quærunt, qui semetipsos pascunt non oues: commodum supplendæ necessitatis, & fauo-

A & fauorem honoris & laudis. Etenim vestimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem tegit. Etenim vnusquisq; homo infirmus: & quid est, quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? Carnem portans mortalis est: manducat, dormit, surgit, natus est, moriturus est. Si ergo cogitatis quid sit, & ipse homo est: tu tamen honorando eum velut angelum, contegis quod infirmum est. Huiusmodi indumentum acceperat à bona Dei plebe idem Paulus, cum diceret. (Galat. 4.) *Sicut angelum Dei suscepistis me: testimoniũ vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Sed cum tantus honor exhibitus esset: nunquid propter ipsum honorẽ sibi exhibitum, ne forte cum argueret negaretur, & minus ipse Apostolus laudaretur, pepercit errantibus. Nã si hæc fecisset, esset inter illos qui seipsos pascunt, non oues: diceret apud seipsum, Quid ad me pertinet? Quisque quod velit agat: victus meus saluus erit, & lac & lana satis est mihi: erat quisque quo potest. Ergo integra tibi sũt omnia: sic eat quisque quo potest. Nolo te præpositum facere, vnum te constituo de ipsa plebe. (1. Cor 12.) *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mẽbra.* B Proinde ipse Apostolus, cum eos commemorat quales fuerint erga illum: ne quasi oblitus eorum honorificentia videretur, & testimonium perhibet: sicut angelum Dei susceperint eum, & quod si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare: & tamen accedit ad ouem languidam, ad ouem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. (Galat. 4.) *Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans?* Ecce & accepit de lacte ouium, sicut paulo ante memorauimus, & indumentum ex lanis ouium: sed tamen oues non neglexit. (Philip. 2.) Non enim *sua quærebat, sed quæ Iesu Christi.* Absit ergo vt dicamus vobis. Viuite vt vultis, securi estote. Deus neminem perdit: tantummodo fidem Christianam tenete. Non perdet ille quod redemit: non perdet pro quibus sanguinem suum fudit: & si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite. Quid mali est? Et festa ista quæ celebrantur per vniuersas ciuitates in lætitia conuiuantium & publicis mensis seipsos vt putant iocundantium, reuera magis pereuntium, ite celebrare. Magna est Dei C misericordia, quæ totum ignoscat. (Sap. 2.) *Coronate rosis vos antequam marcescant.* In domo Dei vestri quãdo volueritis, conuiuamini: impleamini cibo & vino, cum vestris: ad hoc enim data est ista creatura, vt perfruamini: non enim impiis & paganis eam dedit Deus, sed vobis eam dedit. Hæc si dixerimus, fortè congregabimus turbas ampliores, & si sint quidem qui nos sentiant hoc dicentes non rectè sapere, paucos ostendimus. Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra: & sumus pastores nosmetipsos pascentes, non oues. Cum autem dixissem quæ diligant isti pastores: dicam & quæ negligant. Vitia enim ouium latè patent, crassæ oues perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, vtentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali illi pastores non parcunt talibus: parum est, quod illas languentes & infirmas & errantes & perditas non curant: sed istas fortes & pingues necant, quantum in ipsis est. Illæ viuent de misericordia Dei: tamen quantum ad pastores malos attinet, D occidunt male viuendo, malum exemplum præbendo. (Tit. 2.) An frustra dictum est sermo Dei eminenti in membris summi pastoris. Circa omnes teipsum bonorum operum præbe exemplum, & forma esto fidelis. Attendite enim ouis etiam fortis plerunque præpositum suum male viuentem, si declinet oculos à regulis domini: & intendeos in hominem, incipit dicere in corde suo. Si præpositus meus sic viuit, ego quid sum, qui non faciam quod ille facit? Si fortem ergo occidit ouem, iam de cæteris quid faciet: qui illud, quod non ipse fortificauerat, sed forte aut robustum inuenerat, male viuendo interfecit: Dico charitati vestræ, & si viuunt oues, & fortes sunt oues in verbo domini, & tenent istud, quod audierunt à domino suo. (Matt. 23.) *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite*: tamen qui in conspectu domini male viuit, quantum in illo est, eum à quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur: quia ille non mortuus, sed homicida est. Quomodo cum lasciuus homo intendit in mulierem ad concupiscendam eam, ecce illa casta est, & mœchus est iste. E Domini enim vera & aperta est sententia. (Matt. 5.) *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Non peruenit ad illius cubiculum, & interiore iam suo cubili volutatur. Sic omnis qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit & fortes oues. Qui ergo imitatur præpositum malum, moritur: qui non imitatur, viuit: tamen quantum ad illos pertinet, ambos occidit. Et quod crassum est interficitis, & oues meas non pascitis. Iam audistis qui diligant, audite qui negligant. Quod infirmum est, non confortastis: & quod tabuit, non corroborastis: & quod contribulatum est, id est, confractũ, non colligastis: & quod errabat, non reuocastis: & quod perijt, non inquisistis: & quod forte fuit, confecistis, id est, interfecistis & occidistis. Infirmum quippe animum gerit ouis, quando tentationes sibi profuturas non credit. Pastor enim negligens, quando sic credit talis infirmus non illi dicit. (Eccl. 2.) *Fili accede ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Qui autem hoc loquitur, confortat F infirmum, & ex infirmo facit firmum, vt non eum crediderit prospera huius seculi sperare. Si autem doctus fuerit sperare prospera seculi, ipsa prosperitate corrumpitur. Superuenientibus autem aduersitatibus sauciatur aut fortassis extinguitur. Non ergo eum ædificat super petram qui sic ædificat, sed super arenam. *Petra autem Christus est.* Christi autem passiones imitandæ sunt, non à Christiano delitiæ conquirendæ. Confortatur infirmus, cum ei dicitur. Spera quidem tentationes huius seculi, sed ab omnibus eruet te dominus, si ab illo non recedet retro cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum, venit ille pati, venit ille mori, venit ille sputis liniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te: tu nihil pro illo, sed pro te. Quales autem sunt qui timent eos lædere, quibus loquuntur: non solum non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem huius seculi, quam Deus ipsi seculo non promisit. Ille prædicit labores vsque in finem venturos ipsi seculo, & tu vis ab istis laboribus exceptum esse Christianũ: G quia qui Christianus est, aliquid plus passurus est in seculo. Etenim ait. Apostolus. (2. Tim 3.) *Omnes qui pie volunt in Christo viuere, persecutionem patientur.* Tu dicis: si volueris in Christo pie viuere, abundabunt tibi omnia bona: & si filios non habes, suscipies & nutries omnes. Nemo tibi moritur: hæc enim est ædificatio tua. Attende quid facias, vbi ponas: super arenam est quod constituis: venturus est imber, influxurus est fluuius, flaturus est ventus, & impingent in domum istam, & cadet, & fiet ruina eius magna. Leua de arena, & pone supra petram; in Christo sit quem vis esse Christianum. Attende ad passiones Christi. Attende ad illum sine vllo peccato, quæ non rapuit exoluentem. Attende scripturam dicentẽ. (Psal. 68. Heb. 12.) *Flagellat autem omnem filium quẽ recipit.* Et para te flagellari, aut certe nõ quæras recipi. *Flagellat autem omnem*, inquit, *filium quem recipit.* Et tu forte exceptus à passione flagellorũ, exceptus à numero filiorum. Itane, inquies, flagellat omnem filium? Prorsus H flagellat omnem filium vt & vnicum. (Ioan 1.) Et vnicus ille de patris substantia natus, æqualis patri in forma Dei: verbum, per quem facta sunt omnia, nõ habebat vbi flagellaretur: ad hoc carne indutus est vt sine flagello nõ esset. Qui ergo flagellat vnicum sine peccato, nunquid relinquit adoptiuum cum peccato? In adoptionem vocatos (Galat 4. Psal 2.) nos esse Apostolus dicit. Adoptionẽ filiorum accepimus, vt essemus vni cohæredes, essemus etiam hæreditas. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Exemplũ nobis proposuit in passionibus tuis. Sed ne futuris tẽtationibus deficiat infirmus, nec falsa spe decipiendus, nec (Eccl. 2.) errore frangẽdus sit, dicei. *Præpara animam tuam ad tentationem.* Sed forte incipit labi, contremiscere, nolle accedere: (1. Cor 10.) habes aliud. *Fidelis Deus qui non vos sinit tentari supra quam ferre potestis.* Illud autẽ promittere & prædicare futuras passiones, infirmum confirmare est. Ti-

A menti autem nimium & ex hoc deterius cum polliceris misericordiam Dei: non quia tentationes deerunt, sed quia non permittit tentari supra quam potestis ferre, fractum colligare est. Sunt enim qui cum audierint venturas tribulationes, armant se magis, & quasi potum suum, sicut paruam sibi eam putant fidelium medicinam, sed quærunt martyrum gloriam. Sunt alij qui auditis futuris, & necessario venientibus tentationibus, quas proprie oportet venire Christiano, quas nemo sentit, nisi qui voluerit esse vere Christianus. Imminentibus ergo sibi aliquibus, franguntur & claudicant. Affer consolationis alligamentum, alliga quod fractum est: dic ne timeas, non deerit in tentationibus ille, in quem credidisti. Fidelis Deus qui non sinit tentari supra quam potes ferre. Nō hoc à me audis, Apostolus dicit, qui etiā dicit. *An vultis experimentum eius accipere qui in me loquitur Christus?* (2. Cor 13.) Hoc ergo cum audis ab ipso Christo, audis & ab illo pastore qui pascit Israel. Illi enim dictum est. *Potabis eos in lachrymis, in mensura.* (Psal 79. 1. Cor 10.) B. Quod enim ait Apostolus. *Non sinit tentari vos supra quam potestis ferre:* hoc ait propheta, In mensura. Tantum tu noli dimittere corripientem & adhortantem, terrentem & consolantem, percutientem & sanantem. *Quod infirmum est*, inquit *non confortastis*: pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ Iesu Christi, ex commodo lactis & lanæ gaudentibus, oues omnino non curantibus. *Et quod male habuit non corroborastis*, aut infirmum, id est, nō firmum. Nam dicuntur infirmi etiam ægrotantes. Sed inter infirmum & ægrotum, id est, male habentem, hoc mihi videtur interesse. Etenim ista fratres quæ distinguere vtcūque conamur, forte & nos possumus maiore diligentia melius distinguere: & alius peritior vel lumine cordis plenior: interim ne fraudemini quantum ad verba attinet scripturæ, quod sentio loquor. Infirmo ne accidat tentatio & eum frangat, timendum est. Languēs autem iam cupiditate aliqua ægrotat, cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, à subeundo iugo Christi. Attendite illos homines volentes bene viuere, iam statuētes bene viuere, C & minus idoneos mala pati, sicut parati sunt bona facere. Pertinet autem ad Christianam firmitatem, non solum operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt. Qui ergo videntur feruere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mundi, ab ipsis bonis operibus reuocantur, languidi & ægroti iacent: quippe in ipso languore tāquam sine vllis viribus nihil boni possunt operari. Talis in anima paralyticus ille fuit, quem cum domino inferre non possent qui eum portabant, tectum aperuerunt & deposuerunt. (Luc 5.) Id est, tāquam si in anima hoc velis facere vt tectum aperias, & deponas ad dominum animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, & vacantē ab omni opere bono: grauatam vtique peccatis suis, & languentem morbo cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta sunt membra omnia, & est paralysis interior, vt peruenias ad medicum (forte enim latet medicus, hoc est iste verus intellectus in scripturis occultus est) exponendo quod occultum est, aperi tectum, & depone paralyticum. D Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audistis quæ audiant. Quod male habuit, non corroborastis, & quod contribulatum est, non colligastis. Iā hinc diximus. Fractus. n. erat terrore tentationis. Accidit aliquid, vnde quod fractum est colligetur consolatione illa: *Fidelis Deus qui non vos sinit tentari supra quā potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiā exitū, vt possitis sustinere.* (1 Cor 10.) Et quod errabat, non reuocastis. Ecce vnde inter hæreticos periclitamur. Et quod errabat, non reuocastis: & quod periit, nō inquisistis. Hinc inter manus latronū, & dentes luporum furentium vtcunque versamur. Et pro his periculis nostris vt oretis, oramus. Et contumaces oues, quia quæruntur errantes, alienas sese à nobis dicunt. Errore suo & perditione sua dicūt: quid vos vultis? quid vos quæritis? quasi non ipsa causa sit, vt quærere eas velimus. Et quare quærimus? Quia errant & pereunt. Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? Quid me quæris? Quia in errore es, reuocare volo: quia periisti inuenire volo. E Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare, sic vis perire, quanto melius ego nolo. Prorsus audeo dicere. Importunus sum. Audio. n. dicentem Apostolū. *Prædica verbū, insta opportune, importune.* (2. Tim 4.) Quibus opportune? quibus importune? Opportune vtique volentibus, importune nolentibus. Prorsus importunus audeo dicere, tu vis errare, tu vis perire, ego nolo. Non vult postremo ille qui me terret. Si voluero, vide quid dicat, vide quid increpet. Quod errabat, nō reuocastis: & quod periit, non inquisistis. Te magis timebo quam ipsum? *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi.* (2. Cor 5.) Nō te timeo? non. n. potes euertere tribunal Christi. Reuocabo errantē, requirā perditū. Et si me laniēt inquirētem vepres syluarum: per omnia angusta me coarctabo: omnes sepes excutiam, quantum mihi virium dominus terrens donat, omnia peragrabo, reuocabo errantem, requirā pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Parum est quod doleo te errātem atque pereuntem: timeo ne negligens te, etiam quod forte est, occidam. F Vide enim quod sequitur. Et quod forte fuit, confecistis. Si neglexero errantem atque pereuntē, & eum quis fortis est, delectabit errare atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendite qui fortis est, putat nihil esse ire in hæresim, quando aliquod commodum de seculo reluxerit vnde mitetur. Statim mihi dicit fortis ille periturus, cum te perditum non requiro. Et hac & hac Deus est. Quid interest, homines inter se litigantes hoc fecerunt, vbicunque colendus est Deus. Si forte illi dixerit aliquis Donatista. Non tibi do filiam meam, nisi fueris de parte mea: Illi opus est, vt attendat & dicat. Si nihil mali esset esse de parte eorum, non contra illos dicerent tanta pastores nostri: nō pro illorum errore satagerent. Si ergo essemus & taceamus, contraria locuturus est, vtique si malum esset esse in parte Donati, loquerentur contra, redarguerent eos, satagerent lucrari illos: si errarent, reuocarent illos. Nō frustra ergo cum iā dixisset superius. G Quod crassum est interfecistis. Ipsa est enim reperta sententia, nisi ex his quæ supra dixit, nata esset. Quod errabat, non reuocastis: & quod periit, non requisistis: & hoc faciendo, quod forte est, interfecistis. Proinde audi quid sequitur de ista negligentia malorū, imo falsorum pastorū. *Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non sit pastor, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* (Ezech 34.) Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cum oues non hærent pastori. Nam præsens est pastor, sed male agentibus non est pastor. Et inhærent pastoribus, seipsos, non oues pascentibus, & lætalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se: & de illarum morte se satiari cupientes. Tales enim sunt omnes, qui gaudent de erroribus alienis: bestiæ sunt pastæ mortibus dispersarum. *Et dispersæ sunt: & errauerunt oues meæ in omnem montem, & in omnem collem altum.* Viam mōtibus & collibus: tumor terrenus, & superbia seculi extulit: Superbia Donati fecit sibi partem subsequentem, cum Parmenianus illius confirmauit errorem. Ille mons est, ille collis est. H Sic omnis cuiuslibet auctor erroris terrena elatione intumescens promittit ouibus requiem, bona pascua: & aliquando inueniūt ibi oues pascua de pluuia dei, non de doctrina mōtis. Habent enim & ipsi scripturas, habent sacramenta. Non sunt ista montium, sed cum inueniuntur in montibus, male remanent in montibus. Errando enim in montibus & in collibus deserendo gregem, deserunt vnitatem: deserit vnitas cohortes aduersus leones & lupos. Inde ergo reuocet Deus ipse. Reuocet modo, audieris ipsum reuocantem. Errauerunt, inquit, oues meæ in omnē mōtem, & in omnem collem altum, hoc est, in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Sunt enim & mōtes boni. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* (Psal 120.) Et vide quia non tibi in montibus spes est. *Auxilium*, inquit, *meum à domino, qui fecit cœlum & terram.* (Ibid.) Noli putare iniuriam facere te montibus, sanctis, quando dixeris: Auxilium meum non in montibus, sed à domino qui fecit cœlum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clama-

A 1.Cor,1. clamabat: audio in vobis schismata fieri, vt vnusquisque vestrũ dicat: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi.* Leua oculos in istum montem, audi quid dicat: & in ipso remaneas. Audi etiam quid sequatur. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ergo postea quam leuaueris oculos tuos in montes, vnde venit auxilium tibi, id est, in auctores scripturarum diuinarum, attende omnibus medullis suis, omnibus ossibus clamantem. *Domine quis similis tibi?* vt securus sine vlla iniuria montium
Psal.34. dicas: *Auxilium meum à domino qui fecit cælum & terra.* Non solom tunc tibi non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis fauebunt. Si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Angelus multa diuina & mira ostendens homini ab homine adorabatur: nunquam leuantem oculos in montem: at ille se reuocans ad
Apoc 22. dominum. *Noli*, inqoit, *facere: illum adora. Nam ego conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. In omnem montem, & in omnem collem: & in omnem faciem terræ dispersæ*
B *sunt*: & in omnem faciem terræ lucent. Quid est in omnem faciem terræ dispersæ sunt? Omnia terrena sectantes, ea quæ in faciem terræ lucent, ipsa amant, ipsa diligunt. Nolunt mori, vt abscondatur vita ipsorũ in Christo super omnem faciem terræ, & dilectionem terrenorum. Et quia errantes oues sunt super omnem faciem terræ, non omnes hæretici per totam faciem terræ, sed tamen hæretici per totam faciem terræ: alij hic, alij ibi: nusquam tamen desunt, ipsi se non nouerunt. Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia. Verbi gratia. Diuersis locis sunt diuersæ: sed vna mater superbia omnes genuit: sicut vna mater nostra catholica, omnes Christianos fideles toto orbe diffusos. Non ergo mirum si superbia parit dissensionem, charitas vnionem. Tamen ipsa catholica mater, & ipse pastor in ea vbique quærit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab istis, alios ab illis non se inuicem scientibus: sed tamen illas omnes nouit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratia. Est in Africa pars Donati. Eunomiani nõ sunt in Africa, sed cum par-
C te Donati. Est hic catholica. Sunt in oriente Eunomiani: ibi autem non est pars Donati, sed ibi est catholica. Illa sic est tanquã vitis crescendo vbique diffusa: illi sunt tanquam sarmẽta inutilia, agricolæ falce præcisa merito sterilitatis suæ, vt vitis putaretur, non amputaretur. Sarmẽta ergo illa vbi præcisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens per omnia, & sarmẽta sua nouit, quæ in illa mãserunt: & iuxta se, quæ de illa præcisa sunt. Inde tamen reuocat errantes: quia & de ramis fractis dicit Apostolus.
Rom 11. *Potens est enim Deus iterum inserere illos*: siue dicas oues errantes à grege, siue dicas ligna præcisa de vite. Nec ad reuocandas oues, nec rursus ad inserẽda ligna, minus idoneus est Deus, quia ille summus pastor, ille verus agricola. *Et in omnem faciem terræ dispersæ sunt: & non fuit qui reuocaret*, sed in malis illis pastoribus non fuit homo qui re-
Ezech.34. quireret. Propterea pastores audite verbum domini *Viuo ego dicit dominus* Deus Videte vnde cœpit. Tanquam iuratio est Dei testificatio vitæ. Viuo ego dicit dominus: mortui sunt pastores, sed secutæ sunt oues. Viuit domi-
Philip 2. nus. *Viuo ego, dicit dominus Deus.* Qui autẽ pastores mor-
D tui? Sua quærentes, non quæ Iesu Christi. Erunt ergo & inuenientur pastores: non quæ sua sunt quærẽtes, sed quæ Iesu Christi? Erunt plane, & inuenientur plane: nec desũt, nec deerunt. Videamus ergo quid dicat dominus, qui se dicit viuere: verum dicat ablaturum se oues à pastoribus malis, pascentibus seipsos, non oues: & daturũ se eas pastoribus bonis, pascentibus oues, nõ se. *Viuo ego dicit dominus Deus: quia pro eo quod factæ sunt oues meæ in comestura omnibus bestiis campi, eo quod non esset pastor.* Rursus pastorem dicit, & paulo ante, & nunc non ait, eo quod nõ sint pastores: Ouib. enim talibus male errãtibus: male pereuntib. non est pastor, & si præsens est pastor: quia & cũ præsens est lux, non est cæcis lux. *Et non quæsierunt pastores oues meas, & pauerunt pastores seipsos: oues autẽ meas non pauerunt. Propter istud pastores, audite verbum domini.* Sed qui pastores audite? Dicit dominus Deus. *Ecce ego super pastores, & requiram oues meas de manib. eorũ.* Audi-

E te & lugete oues Dei. A malis pastoribus inquirit Deus oues suas, & de manibus eorum inquiret mortem eorũ. Dicit enim alio in loco per eundem prophetam *Fili hominis* Ezech 33.
speculatorem dedi te domui Israel: & audies ex ore meo sermones, & præmõstrabis eis ex me. In eo cũ dixero peccatori, Morte morieris, & nõ fuerit locutus, & impius caueat a via sua, ille facinorosus in suo facinore morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram Tu autem si prænuntiaueris facinoroso viam eius, vt auertat ab ea, & non fuerit auersus à via sua: ille in facinore suo morietur, & tu animam tuam liberabis Quid est fratres? Videtis quã sit tacere periculosum. Moritur ille, & recte moritur in impietate sua & peccato suo moritur: negligentia enim eius occidit eũ. Nam pastorem inueniet viuentem, qui ait *Viuo ego dicit dominus Deus*: sed cum fuerit negligens, non admonente illo qui ad hoc est præpositus & speculator vt admoneat, & ille iuste morietur, & ille iuste damnabitur. *Si autem dixeris*, inquit, *impio: Morte morieris, cui ego fuero gladiũ comminatus: & ille neglexerit vitare imminentem gladiũ;*
F *& venerit gladius, & interfecerit eum, ille in peccato suo morietur: tu autem animam tuam liberasti.* Propter hoc ad nos quidem pertinet nõ tacere: ad vos autem & si taceamos, de scripturis sanctis verba pastoris audire. Videamus ergo, quia sic proposueram, verum auferat oues à pastorib. malis, & det eas pastorib. bonis. Video eum auferentem oues à pastorib. malis. Hoc enim dicit dominus: Ecce ego ipse super pastores: & inquiram oues meas de manibus eorum: & auertam ab eis vt nõ pascant oues meas: nec pascant amplius pastores semeipsos. Cum enim dico: pascant oues meas, illi non pascunt oues meas. *Auertã vt non pascant oues meas.* Quomodo auertit vt non pascant Matt 23.
oues ipsius? *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite*: tanquam diceret: mea dicunt, sua faciunt. Si diceret. Facite secuti quod faciunt: ipsos damnabo male viuentes, vobis autem parcam, qui secuti estis præpositos vestros. Si hoc diceret, dederat malis pastorib. pascendas oues: pascentibus non oues, sed se. Sed quoniam terret non Matt.15.
solum cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem. Neque enim ait: cadit in foueam ducens, & non cadit sequens: sed, cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt. Admonuit oues & ait. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite* Cum. n. non facitis quæ faciunt mali pastores, non vos ipsi pascũt: cum facitis autem quæ dicunt, ego vos pasco Mea. n. dicunt, & non faciunt. Secuti inquiunt, sequimur episcopos nostros. Dicunt hoc sæpe hæretici, quando veritate manifestissima conuincũtur. Nonne oues sumus? Illi de uobis reddent rationem. Reddent plane malam de morte vestra. De morte ouis malignæ reddet malus pastor malam rationem. Nunquid ideo viuit ouis, quia designatur pellis ipsius? Increpatur pastor, quia neglexit ouem errantem: & propterea in fauces lupi irruit vt deuoraretur. Quid illi prodest, quia affert pellem signatam? Paterfamilias vitam ouis inquirit. Sed ecce malus pastor attulit pellem: reddat de pelle rationem. Forte mentiturus est. Videbat desuper qui postea iudicat: cui verba ille ficta numerat, cogitatio-
H nes inspicit. Reddat pastor malus rationem de pelle ouis mortuæ Clamaui ei verba tua, & sequi noluit: dedi operam vt à grege non aberraret, & non obtemperauit. Plane si hoc dicat, & verum dicit: nouit autem ille verum verum dicat, reddit bonam rationem de oue mala. Si autem inspicit Deus quia neglexit errantem, quia non quæsiuit pereuntem, quid prodest quod inuenit pellem quam referret? Ipsam reuocaret ne pellem mortuæ demonstraret. Si ergo non bonam rationem reddit, quia non quæsiuit errantem, qualem reddet qui fecit errantem? Hoc est quod dico. Si in catholica constitutus episcopos non bonam rationem reddit de oue, si non quæsierit errantem de grege Dei: qualem rationem redditurus est hæreticus, qui non solum non reuocabit ab errore, sed etiam compulit in errorem? Sed videamus vt dixi, quomodo reuocet Deus oues a pastorib. malis. Iam commemoraui. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* Et non vos ipsi pascunt, sed Deus: quia velint nolint pastores vt perueniant ad lac & lanam, verba Matt 23.

A Rom. 2. Dei dicturi sunt. Qui *prædicas non furandum, furaris*, dicit Apostolus ad eos qui bona dicunt, & mala faciunt. Tu audi prædicantem. Ne fureris: noli imitari furantem. Si furantem imitari nolueris, ipse te pascet facto suo: tibi venenum subministrat, non cibum. Si vero hoc ab illo audis quod non dicit de suo, sed de Deo: non potest quidem vua de spinis colligi. Nam & ipsius domini sententia est [Matt. 7.] *Nemo colligit de spinis vuã: & de tribulis ficus*. Nec ideo tamẽ quasi calumnieris domino tuo, & dicas. Domine noluisti me, quia fieri non potest, de spinis legere vuam. Et rursus dixisti mihi de quibusdã. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite*. Nẽpe mala facientes vtique spinæ sunt. Quomodo vis me de spinis colligere vuam verbi? Respondebit. Non est illa vua spinarum, sed aliquando increscens sarmẽtum implicat se in septem, & pendet vua inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes vnde sumas, caute manũ mitte ne laceteris à spinis, id est, ne facta imiteris malorum, & lege vuam inter spinas pendẽtem, B sed de vite nascentem. Ad te perueniet botri alimentum, spinis seruatur ignis tormentum. *Extraham*, inquit, *oues meas de ore eorũ, & de manib. eorum: & non erunt eis adhuc in cibũ*. Hoc & in psalmo dicitur. [Psal. 13.] *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant populum meum vt cibum panis?* Et non erunt eis adhuc in cibum. Quoniam hæc dicit dominus Deus. Ecce ego ipse abstuli à malis pastoribus oues: monendo vt dixi, ne quod faciunt, faciant: id est, ne quod faciunt mali pastores, faciant incaute neglig̃etes oues. Et quid ait, Cui dat quod illis abstulit? Forte bonis pastoribus? Nõ hoc sequitur. Et quid dicemus fratres, nonne sunt pastores boni? [Hie. 23.] Nonne alio loco scripturarũ dicitur. *Et constituam eis pastores secundũ cor meum, & pascent eas scientia & disciplina?* [Ioan. 21.] [Psal. 79.] Quomodo ergo oues quas malis pastoribus tollit, non dat bonis: sed tanquam omnino nusquam remanserint boni, dicit, *Ego pascã?* Petro dixerat, *Pasce oues meas*. Quid ergo faciemus? C Cum Petro commendantur oues? nõ ibi dixit dominus, *Ego pascam oues meas*. Non in; sed, *Petre amas me: pasce oues meas*. An forte quia modo non inuenitur Petrus? Iam enim assumptus est in requiem apostolorum & martyrum. Non est cui dicat securus dominus ouium. Pasce oues meas: & quodammodo quasi necessitate descendit ad officium pascendi oues suas, non habens quibus commendet, nec tamen deserens. Hoc. n. videtur sequi. [Psal. 79.] *Hæc dicit dominus Deus. Ecce ego ipse*. Videamus. *Qui pascis Israel intẽde: qui deducis tanquã oues Ioseph*, populũ in Ægy- [Gen. 37.] pto constitutũ. Iam diffusus in gentibus Israel, ipse est Ioseph. Nostis. n. quia migrauit Ioseph in Ægyptum: vendentibus fratribus factum est. Vendiderunt Christũ Iudæi sine causa, & inter apostolos ipse Iudas vẽditor fuit. Cœpit esse Christus in gentibus: ibi honoratus est, ibi creuit populus eius, non eum deserit pastor eius. *Excita*, inquit, *potentiã tuã, & veni: vt saluos facias nos*. Plene facit & faciet. Ait. n. *Ecce ego ipse, & inquiram oues meas: & visitabo eas sicut visitat pastor gregẽ suum*. Nõ curauerũt D mali pastores: non. n. sua sanguine redemerunt. *Sicut visitat*, inquit, *pastor gregẽ suum in die*. In qua. n. die? *Cũ fuerit nimbus & nubes*, id est, in pluuia & nebula. Pluuia & nebula error seculi huius, caligo magna surgens de cupiditatibus hominũ: & nebula valida contegens terrã. Et difficile est, vt nõ errẽt oues in ista nebula, sed pastor non deserit eas, inquirit eas, penetrat nebulã oculis acutissimis, [Ioan. 10.] nõ impeditur caligine nubium, videt vndique, errantem reuocat: tantum vt fiat quod dicit in euangelio. *Quæ sunt oues meæ, audiunt vocem meã, & sequuntur me*. In medio ouium dispersarum, sic inquiram oues meas: & educam eas ab omni loco, quo dispersæ sunt. Illic in die nubis & nimbi, quando difficile est eas inuenire, tunc ego inueniam: Crassa nebula est, pinguis nimbus est: oculos. n. eius nihil latet. *Et educam eas de gentibus, & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum, & pascã eas super mõtes Israel*. Cõstruit mõtes Israel, auctores scripturarũ diuinarum. Ibi pascite, vt secure pascaris: quicquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat: quicquid extra est, respuite, ne erretis in nebula. Audite vocem pastoris.

Colligite vos ad montes scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri: ibi nihil venenosum, nihil alienum: E vbertima pascua sũt: vos tantũ sane venite, sane pascimini. In mõtibus Israel & in riuis, & in omni habitatione terræ. A montibus. n. quos ostendimus, manauerunt riui prædicationis euangelicæ, cum *in omnem terram exiuit sonus eorũ*. [Psal. 18.] Et facta est omnis habitatio terræ ad pascẽdas oues læta atque fœcunda. *In pascuis bonis pascam eas, & in mõtib. altis Israel. Et erunt stabula earum illic*, hoc est vbi requiescant, vbi dicant. Bene est, verũ est, manifestum est: non fallimur. In gloria Dei requiescent tanquam in stabulis illis & dormient, hoc est, requiescent in deliciis bonis, & in pascua pingui pascentur super montes Israel. Iã dixi montes Israel, montes bonos, quo leuamus oculos, vt inde nobis veniat auxilium nostrum à domino, qui fecit cœlum & terram. Ideo ne vel in montibus bonis esset spes nostra: cum dixisset, *Pascã oues meas super mõtes Israel*. [Psal. 120.] Rursus ne tu spem poneres in montibus, subiecit F statim. *Ego pascã oues meas*. Leua tu *oculos tuos in montes, vnde veniet auxilium* tibi. Sed attende dicentẽ. *Ego pascã. Auxilium* enim tuũ *à domino qui fecit cœlum & terram*. Et ego requiescere faciam eas, dicit dominus Deus. Sed vt requiescere faciat, quid primo curauit? Quod. n. primo curauit, posterius dicit. *Hæc dicit dominus Deus. Quod periit, requirã: quod errauit, reuocabo: & quod cõminutum est, colligabo: & quod exanime est, cõfortabo: & quod pingue est & forte, custodiã*. Quod non faciebant mali pastores, seipsos pascentes, non oues. Non ait dominus. Constituam alios bonos pastores qui faciant hæc: sed ego, inquit, pascam oues meas, nulli committam. Securi vos fratres, securæ vos oues. Nobis videtur timendum, quasi desit pastor bonus. Et addit sic, *Et pascã eas cum iudicio*. Vide, quis sic solus pascit cum iudicio pascens. Quis. n. homo iudicat de homine? Temerariis iudiciis plena sunt omnia. De quo desperauimus, subito conuertitur & fit optimus. de quo multũ præsumpsimus, subito deficit & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix nouit ipse homo: tamẽ vtcunque ipse quid hodie, quid aut cras, nec aut ipse. G Pascit ergo ille cum iudicio dispertiens propria propriis: hæc istis, illa illis: debita eis quibus debetur, hoc aut illud. Nouit. n. quid agat: cum iudicio pascit, quos iudicatus redemit. Pascit ergo ipse cum iudicio. In Propheta. n. Hieremia clamauit quidã, *Perdix congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio*. [Hier. 17.] Contra istã perdicem facientem diuitias suas non cum iudicio, pascit iste pastor cum iudicio. Quare ille sine iudicio? Quia congregauit, quæ non peperit. Quare iste cum iudicio? Quia fouet quod peperit. De pastore tamen bono loquitur. Pastores boni aut non sunt, aut latent. Si non sunt, quid agimus? Si latent, quare de eis tacetur? Perdix quidem illa à quibusdam maioribus, & ante nos scripturas tractantibus diabolus intellectus est, congregans quæ non peperit. Non. n. ille creator, sed deceptor est, faciens diuitias suas, non cum iudicio. Non. n. ad eum pertinet, quis isto aut illo modo erret, omnes errantes vult quibuslibet erroribus. Quam diuersæ sunt hæreses, quã di- H uersi errores. Ille in omnibus vult errare homines. Non dicit diabolus, Donatistæ sint; & non Ariani: siue illi sint, siue isti: ad eum pertinent congregantem sine iudicio. Idola, inquit, adoret meus est. Iudæorum superstitione remaneat, meus est: deserta vnitate in illam, vel in illam hæresim pergat, meus est. Congregat ergo sine iudicio faciens diuitias suas. Sed quid sequitur. *In dimidio dierũ eius derelinquet eas, & in nouissimis suis erit insipiens*. Venit ille cõgregans vndique oues suas in dimidio dierũ eius, priusquam sperabat, antequam putabat, derelinquet eas, & erit insipiens in nouissimis eius. Quare in primis suis sapiens erat? vt in nouissimis suis sit insipiens. Audite fratres. Dicitur aliquando in scripturis sapientia pro stultitia, abusione verbi, non proprietate. Vnde etiã dicitur. [Isa. 33.] [1. Cor. 1.] *Vbi sapiens vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi? Nonne stultã fecit Deus sapientiam huius mũdi?* Et ista perdix, idem draco, idem serpens sapiens erat: quando Adam per Euam decepit. Verum dicere putatus est, bo-

num

A num consilium dare existimatus est, contra Deum creditus est. Quod vero dicitur sapientia abusiue verbi, & in malo, consuetudine quidem scripturarum nostrarum. Nam quemadmodum loquantur auctores mundi, quid ad nos? Habes in eodem libro. (Gen 3.) *Erat ibi serpens sapientior omnibus bestiis*. Iste sapientior bestiis, astutus & acutus ad decipiendum agnoscitur: postea non ei creditur. Et dicitur ei Renuntiamus tibi, sufficiat quod incautos primo decepisti. Ergo ita erit in nouissimis suis insipiens: Apertæ erunt fraudes eius, & ideo iam fraudes non erunt. *In nouissimis suis erit insipiens*, qui congregauit quę nó peperit, & fecit diuitias suas non cum iudicio. Pascit cótra illum redemptor noster eum iudicio. Existat & aliquis hæreticus & si non frater diaboli, certe adiutor & filius, & ipsum dixerim perdicem contentiosum animal. Hoc enim animal, vt aucupes norunt, etiam cótendendi studio capitur. Contenderunt isti contra veritatem, & contenderunt ex quo se diuiserunt. Modo dicunt, contendere volumus, quia iam capti sunt. Non habet quo dicat, Nolo B contendere O capte, aliquando tu eras qui primis temporibus seditionis tuæ traditores arguebas, innocentes damnabis, iudicium imperatoris quærebas, iudicio episcoporum non consentiebas, victus toties appellabas, apud ipsum imperatorem studiosissime litigabas, congregabas quæ non peperisti. Vbi est nunc ceruix tua, vbi lingua tua, vbi sibilus tuus? Certe in nouissimis tuis factus es insipiens, pauisti sine iudicio. Non. n. verum vis, vel de errore tuo, vel de veritate iudicare: pascit contra te Christus cum iudicio, discernit oues suas ab ouibus nó (Ioan 10) suis. *Quæ sunt oues meæ*, inquit, *audiunt vocem meam & sequuntur me* Hinc inuenio omnes pastores bonos in vno pastore. Non. n. vere pastores boni desunt, sed in vno sũt: multi sunt, qui diuisi sunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commédatur. Neque enim vere modo ideo tacentur pastores, & dicitur pastor, quia non inuenit dominus cui commendet oues suas: tunc autem ideo commenda-C uit, quia Petrum inuenit: imo vero & in ipso Petro vni-(Ioan. 21.) taté commendauit. Multi erant apostoli, & vni dicitur, *Pasce oues meas*. Absit vt desint modo boni pastores, absit à nobis vt desint, absit à misericordia ipsius vt nó eos gignat atque cóstituat. Vnque si sunt bonæ oues, sunt & boni pastores. Nã de bonis ouib. fiunt boni pastores: sed omnes boni pastores in vno sunt, vnum sunt Illi pascunt, Christus pascit. Nó enim vocẽ suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. Idem ergo ipse pascit cum ipsi pascunt. Et dicit. Ego pasco, quia in illis vox ipsius, & illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum cui commendauit oues suas, quasi alter alteri vnum secum facere volebat, vt sic ei oues commendaret, vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, ecclesiæ: & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carne vna. Proinde vt oues commendaret, quid illi prius dicit: ne illi tanquã alteri cómendaret? *Petre amas me?* Et respondit, *Amo*. Et iterum, *Amas me?* Et respódit, *Amo*. Et tertio, *Amas me?* Et respondit. *Amo*. Confirmat trinitatẽ, vt consolidet vnitatem. Ipse ergo pascit vnus in his, & hi D in vno: & tacetur de pastoribus, Sed non tacetur. Glo-(Iere.9.) rientur pastores, sed qui gloriatur in domino glorietur. Hoc est Christũ pascere, hoc est, Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. Neque enim vere inopia pastorũ tãquam ista futura mala tépora propheta prædiceret, dixit. *Ego pascam oues meas*, nó habeo cui cómendem. Etiam cum ipse Petrus erat, & eum adhuc ipsi apostoli erant in hac carne, & in hac vita, tunc ait ille vnus in quo (Ioan.10.) vno oẽs vnum. *Habeo alias oues, quæ non sunt de hoc ouili: oportet me & eas adducere, vt sit vnus grex & vnus pastor*. Sint ergo oẽs in pastore vno, & dicant vocem pastoris vnam, quam audiant oues, & sequantur pastorem suum: & non illum, aut illum, sed vnum. Et omnes in illo vnam (1. Cor 1.) vocem dicant: diuersas voces non habeant. *Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*. Hanc vocem eliquatam ab omni schismate, purgatam ab omni hæresi, audiant oues, & sequantur pastoré suum dicentem: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Nam vis nosse, hæretice, quam non habeas vocem pastoris, & periculose te sequantur E oues, tectum indumento ouium, & intus lupum rapacé, (Matt 7.) audiant vocem tuam. Videamus an Christi sit Ecclesiam quærit infirma ouis à grege aberrás, nesciés vbi sit grex: quærit quo se aggreget, quo intret ædem. Vocem audiamus an Christi sit. Audiamus vtrum agni sit, an perdicis. Ouis Dei, gregem suum quærit. Puta ouem de oriente venisse in Africam, quærit gregem suum, incurrit in te, incurrit in basilicam tuam: intrare vult, commoueris ignota facie, vel tu, vel minister tuus: stans vel sedens ad ostium, interrogat ouem quærentem gregem suum: imo gregem Dei cũm grege suo intrare vult, vbi eum esse putat. Quæris paganus sit, an Christianus? Respódet, Christianus. Ouis est. n. Dei. Quæris ne forte catechumenus sit, & irruat in sacramentis? Respondet, Fidelis. Quæris cuius communionis sit? Respondet, Catholicus. Christianum fidelem catholicum reprobas. Qui sunt intus quos tenes? Ita vero proiice, reproba. A te reprobatus à F Christo probatur. Vtinam & illi, qui sunt apud te, cognoscant te, & in dimidio dierum tuorum derelinquant te. Quidam fratres nostri hesterno die ierunt ad basilicã eorum etsi ad malos fratres, tamen ad fratres. Attendite fratres mei, quid intersit inter fiduciam veritatis, & timorem falsitatis. Quando aliquos eorum in hoc populo agnoscitis, quomodo gaudetis: quia io vobis ille est, qui quærit quod perierat? Suggeretur aliquando vobis. Audiet & discedet. Et vos, audiat & discedat. Audiet & irridebit. Audiat & irrideat. Aliquãdo sapiet, aliquãdo agnoscet, aliquãdo relinquitur à populo suo, remanet cũ corde suo. Renunciat errori suo, gratias agat Deo suo. Illi autẽ quid? Quid estis? Christiani sumus. Nõ, sed exploratores. Et illi. Catholici sumus. Conati sũt iniuriare melior consilio. Pœnitet eos, atque vtinam sic pœniteat, & ibi remanere. Quomodo pœnituit eos qui ingressi sunt iniuriare? Tamen quos proiecerunt Christianos, fideles, catholicos quos tenuerunt: nolo dicere, quos proiecerunt, video quos tenuerunt ipsi dicant. Dicant ergo vocem suã. G Videamus an Christi sit vox, an pastoris sit vox, quam sequantur oues: siue per bonum sit vox ista, siue per malum hominem, vtrum pastoris sit vox, attẽdamus. Quærit infirmus ecclesiam, quærit errans ecclesiam: tu quid dicis? Partis Donati est ecclesia. Ego vocem pastoris inquiro. Lege hoc mihi de propheta, lege mihi de psalmo, recita de lege, recita de euangelio, recita de apostolo. Inde ergo recito ecclesiam toto orbe diffusam, & dominum dicentem. Quæ sunt oues meæ, vocẽ meam audiunt, & (Ioan 10.) sequũtur me. Quæ est vox pastoris? *Est prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gẽtes, incipientib. ab Hierusalem*. Ecce vox pastoris, agnosce (Luc 2.) eam, & sequere si ouis es. Sed illi codices tradiderunt, & illi thus idolis posuerunt. Ille & ille. Quid ad me de illo & de illo? Si fecerunt, non sunt pastores. Tu vocem pastoris edicito: quia nec de illis vocem pastoris annuncias. Tu accusas non euangelium, tu accusas non prophetam, non apostolũ, de quo mihi vox ista loquitur: de illo credo, aliis nõ credo. Sed acta proferes. Acta profero. Credamus tuis, crede & tu meis. Non credo tuis: noli cre-H dere meis. Auferantur chartæ humanæ, sonent voces diuinæ Ede mihi vnam scripturæ vocem pro parte Donati. Aodi innumerabiles pro orbe terrarum. Quis eas numerat? Quis eas terminat? Tamen vt pauca commemo-(Gen 18.) remus, legem attende, primum Dei testamentum. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Et in psalmo. (Psal 2.) *Postula à* (Psal 21.) *me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuã* (Psal 95.) *terminos terræ*. (Psal. 71.) Commemorabuntur & conuertentur ad dominũ omnes fines terræ. *Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentiũ. Quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium*. Cantate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient illi. Quis enumerare sufficiat? Prope omnis pagina nihil aliud sonat, quam Christum & ecclesiã toto orbe diffusam. Exeat mihi vna vox pro parte Donari. Quid magnum est quod quæro? Ecclesiam toto orbe diffusam perituram esse dicunt. Peritura prædicta est tot testimoniis mansura? Nec vna vox istæ

A per legem, per prophetas, per cantica pastoris est. Neque enim illi verũ dicere sine verbo Dei potuerunt, est Christus. Audi vocem verbi: & ex ore verbi, miratus fidẽ centurionis. Matth. 8. *Amen*, inquit, *dico vobis, non inueni tantã fidẽ in Israel.* Propterea dico vobis, quia multi ab oriẽte & occidente venient, & recumbẽt cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum. Ab oriente multi & occidente veniẽt. Ecce ecclesia Christi, ecce grex Christi: tu vide si ouis es. Non. n. te latet grex, qui vbique est. Nõ habebis, quem non vis esse pastorem tuum. Non habebis, inquam, quod respondeas iudici tuo. Nescivi, nõ vidi, non audiui. Psal. 18. Quid est quod nõ scisti? *Nec est qui se abscõdat à calore eius.* Psal. 79. Quid est quod nõ vidisti? *Viderũt omnes fines terræ salutare Dei* Psal. 18. *nostri.* Quid est quod non audisti? *In omnem terram exiuit sonus eorũ: & in fines orbis terræ verba eorũ.* Sed rectè à vobis quæritur vox Christi, vox pastoris, quam oues audiãt & sequantur. Non inuenitis quid dicatis, vocem pastoris non habetis. Audite & sequimini. Dimittite vocem B lupi, sequimini vocem pastoris, aut date vocem pastoris. Damus inquiunt. Audiamus. Damus & nos vocẽ pastoris. Audiamus. In canticis, inquiunt, canticorum loquitur Cant. 1. sponsa ad sponsum, ecclesia ad Christum. Nouimus cantica canticorum, sancta cantica, amatoria cantica: sancti amoris, sanctæ charitatis, sanctæ dulcedinis. Plane volo inde audire vocem pastoris, vocem dulcissimi sponsi ecclesiæ. Quid habes? Audiamus. Sponsa, inquiunt, dicit ad sponsum, *Annuntia mihi quẽ dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas:* Et ille, inquiunt, respondet. *In meridie.* Manifesta tibi testimonia proferebam, nõ erat quemadmodum aliter interpretareris. Psal. 2. *Postula à me & dabo tibi gentes* Psal. 21. *hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam, terminos terræ. Cõmemorabuntur & conuertentur ad dominum vniuersi fines terræ.* Quid est quod mihi de Cãticis cãticorum profers: quod forte non intelligas? Etenim illa cantica canticorum ænigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt, paucis pulsantibus aperiuntur. Tene & deuote accipe aperta, vt merito tibi pandantur obscura. Quomodo eris penetrator obscurorum, contemptor manifestorum? C Ecce tamen vt possumus fratres hæc verba discutiamus, aderit dominus vt videatis ibi sanum intellectum. Primo quod ab omnibus & imperitis facillime iudicatur, verba ipsa male distinguunt, nunc audietis, nunc probabitis. Etenim sic se habet textus ipse lectionis. Sponsa loquitur Cant. 1. ad sponsum. *Annuntia mihi quẽ dilexit anima mea, vbi pascis vbi cubas?* Quod spõsa spõso dicat, quod ecclesia Christo dicat, nec nos dubitamus, nec illi. Sed omnia verba sponsæ audi. Quare verbum quod adhuc sponsæ est, vis tribuere iam sponso? Omnia quæ dicit sponsa dicat: tunc respondebit sponsus. Audi euidentius: hac distinctione quam dicturus sum, nõ inuenies aliquid plus. Annuntia mihi quem dilexit anima mea: vbi pascis, vbi cubas in meridie? Ipsa adhuc dicit: vbi pascis, vbi cubas in meridie? Et vide quia ipsa adhuc dicit. Sequitur enim. Ne forte fiam sicut operta super greges sodalium tuorũ. Puto oẽs peritos imperitosque discernere genus masculinum & fœmininũ. Operta quæro, cuius generis sit. Ab omni homine quæro, masculini est, an fœminini? Annũ-D tia, inquit, mihi quem dilexit anima mea: quem, cum dicit masculum alloquitur, sponsum alloquitur. Quia vere fœmina virum alloquitur, cõsequentia verba indicant. Annuntia mihi: vbi pascis, vbi cubas in meridie: ne forte fiam sicut operta. Audi tu operta, vt fiant tibi hæc aperta. Annuntia mihi quem dilexit anima mea: vbi pascis, vbi cubas in meridie: ne forte fiam sicut operta super greges sodalium tuorũ. Hucusque verba sponsæ. Iam incipiunt verba sponsi de manifesto. Nisi cognoueris temetipsam. Agnosce euidenter fœminam. Temetipsam. O pulchra inter mulieres, exito in vestigiis gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum: non in tabernaculo pastoris. Vide quomodo comminetur sponsus: vide quẽadmodum in periculo, quãuis ille dulcis abstulit de medio blandimenta. Quam blande illa. Annuntia mihi, quẽ dilexit anima mea: vbi pascis, vbi cubas in meridie? Veniet. n. dies medius, quando ad vmbracula concurrãt pastores, & forte latebit me, vbi tu pascis, & vbi cubas in meridie: & volo mihi annunties, ne forte fiam sicut E operta, id est, sicut occulta & non cognita. Ego enim manifesta sum, sed ne sicut occulta & sicut celata incidam super greges sodaliũ tuorum. Omnes. n. hæretici à Christo exierunt; omnes qui facti sunt pastores mali, habentes greges suos sub nomine Christi, illius sodales fuerunt, illius conuiuium acceperunt. Sodales. n. dicuntur tanquam conuiuij. Latina enim lingua sic dicti sunt sodales, quasi simul edales: eo quod simul edant. Audi illum in psalmo arguentem sodales malos, id est, vnius conuiuij. Psal. 54. Si inimicus, inquit, *meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si super me magna locutus fuisset, abscondissem me vtiq; ab eo: tu vero vnanimis & notus meus, dux meus, qui simul mecũ dulces capiebas cibos.* Ergo multi sodales ingrati mensæ dominicæ exierũt foras: mali sodales fecerunt sibi mensas suas, & erexerũt sibi altaria cõtra altare. In eos ista timet errare. Et si putas quia meridies Africa est, quãquã possem obtinere magis mundi meridiẽ esse par- F tes Ægypti, & illas exustas sole regiones, vbi pluuia non apparet: quia ipsa est meridies, vbi feruet medius dies: ibi autem eremus plena millibus seruorum Dei. Vnde si ad meridiem locorum velimus aduertere: quare non ibi pascat magis ille & requiescat, quando ante prædictum est. Vbera erunt deserta eremi? Sed ecce consentio. Africa sit meridies. Hic sunt sodales mei. Ecclesia transmarina in aliquo suorum nauigante, in Africa solicita ne erret, inuocat sponsum suum; & dicit ei. Abundare audio hæreticos in Africa, abundare audio rebaptizatores in Africa. Esse autem ibi tuos non minus audio. Et illud audio, & hoc audio, sed qui sint tui à te volo audire. Annũtia mihi quem dilexit anima mea: vbi pascis, vbi cubas in meridie? Audio duas partes esse. Vnam Donati, alteram vniuerso tuo cohærentem. Tu mihi dic quò eam, ne forte velut operta, id est, ignota fiã super greges sodaliũ tuorum: & incurram in greges hæreticorum, conantes ponere lapidem super lapidem qui destruatur, ne irruam in rebaptizatores. Annuntia mihi. Et ille qui commendat G vnitatem pastoris in hac lectione, dixit. Ego pascam. Pastores autem reprobat, qui multi esse voluerunt, vnitatem amiserunt. Seuerissime, non blande respondens, sed pro magnitudine periculi. Nisi cognoueris, inquit, temetipsam ô pulchra inter mulieres. Pulchra es inter mulieres sed agnosce te. Vbi te agnosces? In orbe terrarũ. Si enim pulchra vnitas est in te, vbi diuisio fœditas est, non pulchritudo. Nisi cognoueris temetipsam. In me credidisti, agnosce te in me. Quomodo credidisti? Quomodo & illi mali sodales consentiunt, Verbum carnem factum, natũ ex Virgine, crucifixum, resurrexisse, ascendisse in cœlos. Si talem me credidisti, talẽ & illi sonant. Cognosce & tu me in cœlo, & in toto orbe. Vnum quemlibet ex ecclesia tanquam ecclesiam Christus alloquitur. Nam quomodo ecclesia quærit ecclesiam? Secundũ ipsos loquor. Annũtia mihi quem dilexit anima mea: vbi pascit, vbi cubas? Quid quærit? Ecclesiam. Et ille tanquã ostendens ecclesiã dicit, In meridie, sicut illi volunt. Respondeant mihi: quomodo ecclesia quærat ecclesiã. *Annũtia mihi quẽ dilexit anima mea.* Quæ loquitur? Ecclesia. Quid sibi vult annuntiari? *Vbi pascis, vbi cubas*, id est, vbi sit ecclesia. Et respon- H det ille, vt putãt *in meridie.* Si in solo meridie est, vt dicunt in Africa, quomodo ipsa interrogat, vbi ipsa sit? An vero portio ecclesiæ trãsmarinæ bene interrogat de meridie, ne hic erret? Alloquitur vnũquodque mẽbrorum ecclesiæ suæ Christus, tanquam suam ecclesiam, & dicit. Nisi cognoueris temetipsam ô pulchra inter mulieres, exi. Exire hæreticorum est. Aut cognosce te, aut exi: quia si te non cognoueris, exitura es. Exitura es quo? In vestigiis gregum, sequendo malos greges. Ne forte putes, quia oues sequeris si exis, audi quid sequitur. Exitu in vestigiis gregum, & pasce hœdos tuos, iam non oues. Nostis fratres, vbi erunt hædi? Ad sinistram erunt omnes qui exierunt ab ecclesia. Manenti Petro dicitur. *Pasce oues* Ioan. 21. *meas:* exeunti hæretico, pasce hædos tuos. Est, inquiunt, & aliud testimonium nihilominus contra te. Dic, audiamus. Erit sic contra te, quomodo quod putabis pro te. Si meridiem, inquiunt, interpretaris Ægyptum.

Mul-

A Multis quidem modis interpretamur meridiem, & Ægyptum possumus ad locum mundi, & ipsam Africam ne intellige. Audi quid intelligam per meridiem. Intelligo feruorem spiritualium, flagrantem igne charitatis, splendentem lumine veritatis. Nam dicitur in quodam psal- Psal. 89. mo. *Dexteram tuam notam fac mihi; & eruditos corde in sapientia.* Dexteram, non hœdos: & eruditos corde in sapientia, ipsi sunt in meridie. Vnde dicitur à propheta. Esa. 58 *Et tenebræ tuæ sicut meridies erunt.* Multis ergo modis possumus intelligere meridiem. Sed prorsus Africam intelligo. Accipio à te aliquid forte melius quam saperem, nisi à te commemorarer. Africa sit meridies. Timet ecclesia transmarina incidere in rebaptizatores, timet incidere tanquam ignota in greges sodalium: quærit ab sponso suo vt annuntiet illi, vbi pascat, vbi cubet in meridie, quia in ipso meridie: in aliis pascit, in aliis non pascit: in aliis cubat, in aliis non cubat. Audiat consilium, veniat ad catho- B licam ecclesiam, non incurrat in greges sodalium, non pascat hœdos suos. Sed dic aliud quod te dicebas esse dicturum. Propheta, inquit, ait. *Deus ab Africo veniet.* Et iam vbi Africus, vtique Africa. O testimonium. *Deus ab Africo veniet,* & ab Africo veniet Deus. Alterutu Christum in Africa nasci, & ire per mundum hæretici annun- Haba. 3. tiant. Rogo quid est: *Deus ab Africo veniet?* Si diceretis. Deus in Africa remansit, vtique turpiter diceretis. Nunc autem etiam ab Africa veniet dicitis Christus. Nouimus vbi sit natus Christus, vbi sit passus, vbi in cœlum ascenderit: vnde discipulos miserit, vbi eos Spiritu sancto repleuerit, vbi per totum mundum euangelizare iusserit, & obtemperarunt ei: & adimpleretur orbis terrarum euangelio, & tu dicis: *Deus ab Africa veniet.* Ergo tu mihi, inquit, expone, quid est: Deus ab Africo veniet? Dic totum & fortassis intelliges: *Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte vmbroso.* Tu mihi expone, si iam ab Africa, quomodo de monte vmbroso? De Numidia nata est pars Donati: ipsi missi sunt primi in dissensionem & tumultum, & scandalum, quærentes ingens vulnus. Numidæ miserunt. Secundus Tigisitanus misit. Vbi sit Tigisi notum est. Qui missi sunt clerici, extra congregauerunt ab ecclesia, ad clericos Carthaginis accedere noluerunt, visitatorem posuerunt, à Lucilla suscepti sunt. Auctor totius huius mali Numidia, hæreticus fuit in Numidia, vnde ventum est huc, cum tanto malo viscarium vix inuenitur, cum incursionibus habitant. Quomodo mons vmbrosus Numidia? Dic mihi ergo noli mihi hucusque recitare: *Deus ab Africo*, Exigo & sequentia: *Et sanctus de* C *monte vmbroso.* Sed ostende mihi partem Donati à Numidia de monte vmbroso venire. Inuenis nuda omnia, pingues quidem campos, sed frumentarios, non oliuetis fertiles, non ceteris nemoribus amœnos. Vnde ergo mons vmbrosus in Numidiæ partibus? vnde hoc scandalum venit? Tu mihi, inquit, ergo expone quid est, Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte vmbroso? Vide quã Luc. 24. facile exponam. Primo illud audi quod ait Dominus. *Oportebat Christum pati, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.* Ecce vnde venit. Incipientibus eum dicit, inde vtique se in sanctis suis ad alias gentes venturum esse prædixit. Lege diuisionem terræ filiorum Israël in omnibus tribubus in Libro Iesu Naue, vbi aperte dictum est. Hiebus ab Africo, quæ est D Hierusalem. Lege, quære, & inuenies. Vtinam cum inue- Haba. 3. neris, credas: vtinam animositatem deponas. Hiebus ab Africo, quæ est Hierusalem: Et Dominus. Incipientibus ab Hierusalem, hoc est, *Deus ab Africo veniet.* Quomodo ergo à monte vmbroso? Euangelium iam lege. De monte oliueti Christus ascendit in cœlum. Sequere. Et quid lucidius? audis, ab Africo: audisti, de monte vmbroso. Legẽ recitamus, euangelium recitamus. Audisti: Incipientibus ab Hierusalem: Audi, per omnes gentes in eodem propheta. Sequere verba illa quæ contempsisti: *Deus ab Africo veniet: & sanctus de monte vmbroso. Cooperiet montẽ vmbra eius, & gloria eius plena est terra.* Per omnes ergo gentes incipientibus ab Hierusalem. Quomodo incipientibus ab Hierusalem? *Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso,* id est, à monte oliueti, vnde ascendit in cælum, vnde misit discipulos suos, vbi etiam a- E Act. 1. scensurus ait. *Non enim vestrum est scire tempora, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem ex alto, & eritis mihi testes.* Videte quomodo incœpit euangelium. *Et eritis mihi testes in Hierusalem & in Iudæa & Samaria, & vsque in totam terram.* Ergo Deo veniente Christo & nomen eius & prædicatio euangelij eius ab Hierusalem; id est, à monte oliueti, per omnes gentes diffamatum est euangelium. *Operuit montes vmbra eius*, id est, refrigeriũ Psal. 95. eius, protectio eius: & laudis eius plena est terra. Cantate Matt. 27. ergo cum tota terra canticum nouum, non canticum vetus cum angulo terræ. Dicunt & aliud, Cyreneus inquiũt quidam Simon angariatus est, vt tolleret crucem Domini. Legimus: sed quid te adiuuet volo scire. Cyreneus, inquit, Afer est: Quare ipse angariatus est qui crucem tolleret? V- F bi sit Cyrene forte nescis. Libyæ Pentapolis est, contigua est Africæ, ad Orientem magis pertinet. Vel in distributione prouinciarum Imperatorem cognosce. Imperator orientalis mittit iudicem ad Cyrenẽ. Breuiter respondeo: Vbi est pars Donati, non inuenitur Cyrene: vbi est Cyrene, non inuenitur pars Donati. Manifesta veritas conuincit errorem. Det mihi Cyrenem, vbi est pars Donati: det mihi partem Donati, vbi est Cyrene. Manifestum est enim fratres in Pentapoli ecclesiam esse catholicam: partem Donati ibi non esse. Sed securi irrideamus flendos, & fleamus irridendos: Quid dicis? Meritum Cyreuensis huius magnum commemoras, quia tulit crucem Domini, & Afrum dicis: Orientalis est Libia. In duobus modis dicitur, vel ista quæ propriè Africa est: vel illa orientis pars, quæ contigua est Africæ, & omnino collimitanea. Sed Afer fuerit Cyrenẽsis, beatum putas quod angariatus crucẽ tu- Ioan. 19. lerit? Quanto melius fortè diceret quis in Arimathia remansisse ecclesiã Christi: quia Ioseph ille diues ab Arimathia habens ante oculos regnum Dei, non angariatus, nõ coactus venit ad crucem Domini: cum ceteri formidarẽt, G petiit à Pilato sepeliendum corpus Domini: de ligno deposuit, obsecutus est funeri, in sepulchro condidit: laudatus est in euãgelio. Quia vero de Arimathia fuit iste pius, tantum exhibens obsequium corpori Domini, in Arimathia remansit ecclesia? Aut si magis vos delectat angariatus, id est, qui cogitur tollere crucem? Rectè ergo faciunt Imperatores catholici, qui vos cogunt ad vnitatem.

EPISTOLA XLIX.

VALERIVS RVFFINO NE DVCAT vxorem.

LOqui prohibeor, & tacere non possum. Grues cœli tempestates prænuntiant varias, vlulæ, bubonesque ominosæ aues, hyemis grauitatẽ instantem luctuose præululant Et tu subsanas, si venturi dispendij vaticinia vera præsensero Ideo loqui prohibeor, veritatis augur, non voluptatis. Lusciniam amo & merulam, quæ lætitiam auræ lenis concentu placido præloquuntur, & præcipuè Philomenam, quæ optatæ tempus iocunditatis tota deliciarum plenitudine cumulat. Ni fallor, gnatones diligis & H comœdos, qui dulces præsusurrant illecebras, & præcipue Circen, quæ tibi suspiratæ suauitatis aromate gaudia plena perfundat, vt fallaris, vt sus fias, aut asinus: tacere non possum. Propinant tibi mellitum toxicum ministri Babel, blande ingreditur & delectat, & impetum spiritus tui conducit: & ideo loqui prohibeor. Scio quod nouissime sicut coluber mordebit, & virus imprimet impar omni theriaca: ideo tacere non possum. Multos habes voluptatis tuæ persuasores, in caput tuum facundissimos, me solum elinguem præconem veritatis, quem nauseas: ideo loqui prohibeor. Reprobata est fatui vox anseris. Inter cygnos tantum doctos delectare, ea tamen senatores docuit seruare vrbem ab incendio, thesauros à rapina, seipsos à telis hostium. Forsitan & cũ senatoribus intelliges, quia prudens es, quod tibi organizent

A olores interitum, & anser salutem strepat: ideo tacere non possum. Desiderio tuo totus inflammatus, & speciosi nobilitate capitis seductus, chimæram nescis esse miser quod petis, vel scire deuoues, quod triforme monstrum illud, insignis venustetur facie leonis, olentis maculetur ventre capri, anguis insidietur cauda virulentæ: ideo loqui prohibeor. Delectatus est Vlysses symphonia Sirenum: Sed quia Sirenum voces, & Circes pocula nouit, virtutis vinculis sibi vim fecit, vt vitaret voraginem. Ego autem in Domino sperans adiicio, quod Vlyssis imitator eris, non Empedoclis, qui per suam philosophiam (ne dicam melancholiam, id est, atram bilem) victus Ætnam sibi mausoleum elegit, & parabolam, quam audis, ad veteres attulit: ideo tacere non possum. Tandem validior B est ille ignis tuus, quo tibi annuit pars aduersa, quam vereor æstus ille tuus, quo in me accenderis, ne minorem maior ad se trahat: & propterea loqui prohibeor. At spiritu loquar, quo tuus sum. Pensentur ignes lance qualibet æquali vel inæquali. Versetur periculũ capitis mei: quicquid agas, quicquid iudices indulgendũ est mihi, qui præ amoris impatiẽtia, tacere non possum. Prima primi vxor Adæ post primi hominis creationẽ, peccato primo soluit ieiunia: propter præuaricatũ præceptum Domini parentauit in obedientiam, quæ citra mundi terminum non absistet expugnare feminas, quæ semper indefessæ erunt trahere in consequentiam quod à matre sua traxerunt. Act. 13 Amice, contumelia viri est vxor inobediens. Caue tibi: veritas quæ non potest falli, ait de beato Dauid. Inueni virum secundum cor meum. Hic tamen ægre præcipitatus est amore mulieris ex adulterio in homicidium, ne vnquam sola veniant scandala. Diues enim omnis est iniquitas societate plurima: & quamcunque domum intrauerit, suis tradidit inquinandam conuiciis. Amice, Bethsabeæ siluit, & in nullo malignata est: & nihilominus ta- C men facta est stimulus subuersionis viro perfecto, & mortis aculeus marito innocenti. Nunquid innocens erit, quæ contendit eloquentia, & Dalila Sampsonis: & forma, vt Bethsabeæ, cum huius sola pulchritudo triumphauerit etiam nolens? Si non es amplius secundum cor Domini quam Dauid, crede quod & tu præcipitari potes. Sol hominum Salomon, thesaurus delitiarum Dei, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebrarum fuscatus atramento, lucem animæ suæ, gloriam domus suæ, odorẽ famæ suæ amisit amore mulierũ. Et postremo curuatus corã Baalim, ex Ecclesiaste Domini mutatus est in membrum zabuli: vt adbuc grauiori videretur detrudi præcipitio, quàm Phœbus in casu Phaëthontis, qui de Apolline Iouis factus est pastor Admeti. Amice, si non es sapientior Salomone, quod nemo est: non es maior quam qui potest fascinari à femina, oculos tuos aperi & vide. Optima femina, quæ rarior est phœnice, amari non potest sine amaritudine metus, & sollicitudinis, & frequẽtis D infortunij. Malæ autem, quarum tam copiosa sunt examina, vt nullus sit expers malignitatis earum: cum amantur amare puniunt, & afflictioni vacant vsque ad diuisionem corporis & spiritus. Amice, Philosophicum est. Videto cui tedes. Ethica est: Videto cui te des. Vexilla pudicitiæ tulerunt cum Sabinis Lucretia, & Penelope, & paucissimo comitatu trophæa retulerunt. Amice, nulla est Lucretia, nulla est Penelope, nulla est Sabina. Time omnes. Ingressæ sunt acies ad Sabinas, Scylla, & myrrha, & Phedra, & secutæ sunt eas turbæ multæ omnium vitiorũ exercitu stipatæ, vt gemitus & suspiria, & tandem infernũ captiuis suis fecerunt. Amice, ne præda fias in medio prędonum, non dormias earum in transitu. Iupiter rex terrenus, qui & rex cœlorum dictus est, præ singulari strenuitate corporis, & incomparabili mentis elegantia, post Europam mugire coactus est. Amice, ecce quem bonitas super cœlos extulit, femina brutis comparauit. Poterit etiam femina te cogere ad mugitum: si nõ es maior Ioue, cuius magnitudini nemo alius par fuit. Phœbus qui sapientiæ suæ radiis totius orbis primitiauit ambitum, vt meritosolis nomine, solus illustraretur, infatuatus est amore Leucothoes: sibi ad ignominiam, illi ad interitum: & eclyptica diu vicissitudine varius factus est; frequenter fui

luminis expers, quo totus vniuersaliter egebat mundus. E Amice, ne illud lumen, quod in te est, tenebræ fiant, Leucothoen fugito. Mars, qui Deus bellantium dici meruit, triumphorum familiari frequentia, in quibus expedit vis animi maxime prompta, nil sibi metuens à Vulcano ligatus est cum Venere: inuisibilibus quidem catenis, sensibilibus tamen. Hoc autem ad plausum satyrorum, & ad risum cœlestis curiæ. Amice, meditare saltem catenas, quas non vides, & iam in parte sentis: & eripe te dum adhuc ruptibiles sunt, ne claudus ille faber & turpis, quem Deus non est mensa, nec Dea est dignata cubili, te Veneri suo more concatenet: & te sui similem turpem & claudum; imo, quod magis timeo, loripedem faciat, & non possis quod saluat fissam habere vngulam, sed alligatus Veneri dolor fias, & irrisio videntium, dum sibi applaudant cæteri. A falso dearum iudice reprobata est Pallas, quæ non delectare promisit, sed prodesse. Amice, nun- F quid & tu sic iudicas? Video enim iam te fastidienti animo tota celeritate percurrere quę legis, & sententias non attendere, sed expectare schemata. Frustra expectas, donec hic turbidus amnis effluat, vt hæc feculẽtia secedens, pura tibi fluenta irriget. Similes enimuero oportet esse sui fontis riuulos, aut turbidos, aut claros. Sic vero impentiam cordis mei, vitium orationis exprimit: & strumosa dictionum imperitia delicatum offendit animum. Huius imbecillitatis mihi conscius, diuertissem me ad dissuadendum libenter, sed quia tacere non potui, locutus sum vt potui. Quod si mihi esset, tãta styli virtus, quãtus esset scribendi animus tam elegantia tibi verba transmitterem, & tam nobili maritata coniugio, vt singula seorsum, & omnia simul suum viderentur auctorem benedicere. Sed quia mihi omnia debes, quæcunque adhuc nudus amor & infœcundus, ne dicam sterilis, me- G reri potest ex omnibus: mihi præbe interim patienter aurem, dum euoluam quod implicui, & à me non requiras purpurissum oratoris, aut cerussam, quem me nescire fateor, & fleo: sed scribentis votum, & paginæ veritatem accepta. Iulius Cæsar cuius amplitudini strictus fuit orbis, die qua nobilem filium suum ausa est occare sæua nimis Atropos. Tugilio humiles quidem se diuinos quasi stylos prædocenti aurem humiliter inclinauit in valuis Capitolij: quod si & animum, pœnas eis dedisset quibus ipse. Tu vero stylorum tuorum mihi prænuntio aurem inclinas, vt aspis veneficiis: adhibes animum, vt aper latratibus: placans, vt discas, cui sol incanduit à cancro. Tibi consulis, vt spreta Medea. Tibi misereris, vt æquor naufragis: quod manum contines, reuerentia regiæ pacis est. Amice, se humiliauit, licet citra perfectum, domitor orbis fideli suo: & penè pedem retulit, quia pene paruit: & penè succubuit, quia penè obediuit, & non penitus. Nihil ei multa humilitas profuit, quia non plena. Quid tibi cõfert tua tam ferina inhumanitas, & rigor inflexus, & horror supercilij? Quid vltro irruis in latronum insidias inermis: humilia te, cede. Sed admodum humilitatis eius, qui totum sibi mundum humiliauit, & audi amicum tuum. Et si Cæsarẽ errasse credis, qui Tugilio non credi- H dit: exaudi & artẽde quid & aliis corrigetur, vt tibi prosit corũ læsio. Indemnis est. n castigatio, quã persuadent exẽplaria; Nescio quo refugio tut⁹ es, aut torpescis asylo. Cęsar immisericordes Persides reperit, & nõ est reuers⁹. Tu si vnquã tale gymnasiũ euasisti, pios, impius inuenisti. Phoroneus rex, qui legũ thesauros populis publicare nõ inuidit, sed is primus Græcorũ studia deaurauit, die qua viã vniuersitatis ingressus est, ait Leontio fratri suo. Ad summã felicitatẽ nihil mihi deesset, si vxor mihi semper defuisset. Cui Leontius: & quomodo vxor obstat? At ille: Mariti omnes sciunt. Amice vtinã tu semel maritus fueris, & non sis vt scias quid felicitatem impediat. Valentinus imperator octogenarius adhuc virgo, cum audiret die fati sui triumphorũ pręconia recoli, quibus frequentissimus erat: ait vna se tantum gloriari victoria. Et requisitus qua? respondit, quod inimicorum nequissimum deuici carnem meam. Amice, hic inglorius migrasset à seculo, nisi ei fortiter restitisset, cum qua tu assensum familiaritatis pepigisti. Cicero post repudium Terentiæ vxorãn nolu-

luit

A luit, dicens se pariter vxori & philosophiæ operam dare non posse. Amice, vtinam tibi hoc animus tuus respondeat, vel tua lingua mihi, vt loquendo saltem eloquentiæ principem digneris imitari: & mihi spem facias vel vanã. Cannius à Gadibus Herculis, poëta facundiæ lenis: & iocundæ, reprehensus est à Liuio Pœno, graui & vxorato historiographo, quod multarum gauderet amatoribus, his verbis: Nostram Philosophiam participare non poteris, dum à tot participaris. Non enim eo iecore Iunonem amat Titius: quod multi vultures in multa diuellũt. Cui Cannius: Si quando labor, resurgo cautius: si paulum opprimor, alacrius resumo aërem, vices nocturni dies reddunt lætiores: sed tenebrarum perpetuitas instar inferni est. Sic lilia primæua, verni solis delicata teporibus, varietate tum Euri, tum Nothi, tum Zephyri lætitia effusione lasciuiunt, quibus vno spiritu fulminans Libs incumbens occasum facit. Sic Marat uptis testiculis
B in mensa cœlesti recumbit conuiua superum, à qua vxorius Mulciber suo fune longe religatur. Sic leuius ligant multa fila, quam sola catena. Sic mihi à philosophia delitiæ, tibi solatium. Amice, vtriusque verba probo: vitam neutrius. Minus tamen multi morbi lædunt salutis vicissitudine interpolati, quam languor vnus qui à doloribus irremediatis non cessat affligere. Pacuuius flens, ait Arrio vicino suo. Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea se suspendit: postmodum secunda, iam nunc tertia. Cui Arrius: Miror te in tot successibus lacrymas inuenisse. Et iterum: Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit. Et tertio: Amice, da & mihi de arbore illa surculos quos seram. Amice, timeo ne & te oporteat arboris illius surculos mendicare, cum iam inueniri non poterunt. Sensit Sulpitius vbi ipsum calceus suus premebat, qui ab vxore nobili & casta diuertit. Amice, caue tibi ne te premat calceus, qui auelli non possit. Ait Cato Vticensis: Si absque femina posset esse mundus, conuersatio nostra non esset absque dijs. Ami-
C ce, Cato non nisi vera & cognita loquebatur, nec quisquam feminarum execratur ludibria, nisi lusus & expertus & conscius pœnæ. His igitur fidem habere decet, qui cum omni veritate loquuntur. Hi sciunt vt placet delectatio, & pungit delictum. Hi norunt quod flos Veneris rosa est: quia sub eius purpura multi latent aculei Metellus Mario respondit, cum eius filiam dote diuitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit. Malo meus esse, quam suus. Cui Marius, imo ipsa tua erit. At ille: Imo virum oportet vxoris esse. Logicum est enim, talia erunt subiecta, qualia permiserint prædicata. Sic facetia verbi Metelli diuertit ab oneribus dorsum eius. Amice, si vxorari oportet, non expedit quidem. Veruntamen sit amor in causa, non census. Et faciem vxoris eligas, non vestem. Eranimum, non aurum. Et tibi nubat vxor, non dos. Ergo si quo modo fieri potest, prædicari poteris, vt liuorem non ducas à subiecto. Lais Corinthia prærogatiua pulchritudinis insignis, tantummodo te-
D gum & principum dignabatur amplexus: conata est tamen Demostheni philosopho participare, vt notæ castitatis eius miraculo soluto, videretur specie sua lapides mouisse, vt Amphion cithara, attractumque blanditiis tractauit suauiter. Cumque iam Demosthenes emolliretur ad thalamum, petiuit ab eo Lais centum talenta pro consensu. At ille suspiciens in cœlum, ait: Non emo tanti pœnitere. Amice, vtinam in cœlum & tu acumen mentis dirigas, vt id effugias quod pœnitentia est redimi. Liuia virum suum interfecit, quem nimis odit: Lucillia suum quem nimis amauit. Illa sponte miscuit aconitum: hæc decepta, furorem propinauit pro amoris poculo. Amice, contrariis contenderunt votis istæ: neutra tamen defraudata est fine fraudis femineæ, proprio scilicet malo. Variis & diuersis incedunt semitis feminæ, quibusque anfractibus errent, quibusque deuient inuiis: vnus est exitus, vna omnium viarum suarum meta. Vnicum caput & conuentus omnium diuersitatum suarum malitia. Exemplo harum experimentum cape, quod audax est ad omnia quæ amat vel odit femina, & artificiosa cum nocere vult, quod semper est & frequenter: cum iuuare pa-

E rat, obest. Vnde fit vt frequenter noceat nolens. In fornace positus es: si aurum es, exibis purior. Deianira Tyrinthium vestiuit interula, & monstrorum malleum, monstri sanguine vlta est: sibique processit ad lacrymas, quod ad lætitiam machinata est. Amice, traiectum telo Herculis sciuit & vidit Nessum ista, nihilominus tamen Nesso credidit in Herculem, & quasi non sponte, quem debuit vestire interula, vestiuit interitu. Insani capitis & præcipitis est femina, indeliberata semper voluntate, præcipuum arbitratur quod vult, & quod non expedit: & vt præ omnibus placere cupit, ita placidum suum omnibus præferre consulta est. Duodecim inhumanos labores cõsummauit Alcides. A tertiodecimo, qui omnem inhumanitatem excessit, exuperatus est. Sic fortissimus hominũ, æquè dolendus vt gemebundus occubuit, qui cœli arcem
F sine gemitu sustinuerat humeris. Tandem quæ vnquam inter tot millia millium sedulum sollicitumque peccatorem perpetua contristauit repulsa? vel quæ constanter præcidit verba petentis? fauorem sapit eius responsio: & quantumcunque dura fuerit, semper in aliquo verbi sui angulo habebis aliquem petitionis tuæ fomitem implicitum: quælibet negat, nulla pernegat. Irrumpit aurum in propugnacula turris Acrisij, valloque multiplici signatam Danaes pudicitiam soluit. Amice, sicut virgini quæ terram triumpharat, de cœlo pluit incestus: sic quam nũquam fallit humilis, vincit sublimis. Sic arborem quam nunquam mouit Fauonius, euertit Aquilo. Lycia virgo, vergens in senium, & fama castitatis priuilegiata constanter, tandem oppressa Apollinis phantasmate concepit, peperitque Platonem. Amice, quam illibatam seruauerunt vigiliæ, deflorauit illusio per somnium, vt semper omne rosarium aliquo turbine sua purpura spolietur. Sed bene, si quid hic bene, quod patrissauit Plato in sapientia, & quod similis factus est nominis & numinis patris præcipui. Amice, miraris, an indignaris magis quod in
G parabolis tibi significem gentiles esse imitandos: Christiano, idololatras: agno, canes: denique bono malos? Volo sis api argumentosæ similis, quæ mel elicit ex vrtica, vt sumas mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Gentilium noui superstitionem, sed omnis creatura Dei aliquod habet exemplar honesti. Vnde ipse, tum aries, tum leo: tum vermis dicitur: sed plurima peruersa agunt increduli, aliqua tamen quæ cum ipsis interierant, in nobis fructum abundare fecerunt. Quod si illi zonas habuerunt pelliceas causa munditiæ, sine spe, sine fide, sine prædicamento, sine charitate: profecto si nos fuerimus asini & sues, aut aliqua inhumanitate brutorum similes, quo fidei quo spei, quo charitatis merito digni reperiemur, cum videas prophetas, & præcipue illum mundi cordis, quem soli cernere possunt oculi. Illi autem studio suarum artium se multis conatibus afflixerunt, nullo futuræ felicitatis intuitu: sed tantum ne animas haberent ignorantes. Quid nobis erit, neglecta diuina pagina, cuius finis veri- Psal. 118.
tas est, & illuminatio & lucerna pedibus, & lumen semi-
H tis ad vitam æternam. Vtinam hanc eligas, vtinam hanc legas, vtinam hanc introducas in cubiculum tuum, vt introducat te rex in suum, Hanc dudum floribus tui veris subarrhasti. Hæc in æstate tua expectat vt facias vuam, in huius iniuriam, non ducas aliam, ne faciens in tempore vindemiæ labrusca inueniaris. Nolo te sponsum Veneris fieri. Sed Palladis. Hæc sponsa te induet monilibus pretiosis, & ornabit: hæc te induet veste nuptiali. Hæ nuptiæ gloriabuntur Apolline paranympho, harum Fescennina decebit cedros Libani. Stilbon vxoratus, spem huius tam desideratæ solemnitatis deuotè concepi: sed in timore, causa huius tota hæc lectio facta est. Ad hunc finem luculenta tota hæc properat oratio. Hic rigor huius dissuasionis: hic totus armatur, cuius multo chalybe præduratos sentis aculeos. Dura est manus chirurgici, sed sanans. Durus est hic sermo, sed sanus. Sed vtinam tam vtilis quam deuotus. Amice, artam tibi, vt ais, infligo viuendi regulam, esto. Est enim arta via quæ ducit ad vitam, nec est se- Matt. 7.
mita plana, qua itur ad gaudia plena, imo etiam ad mediocria per salebras euadimus. Audiuit Iason, quod per mare adhuc intactum, nec vllis dauirginatum ratibus au-

remis, & per tauros & sulphureos ignes, & per toxicati serpentis vigilias sibi viandum esset ad vellus aureum: & sano consilio, licet non suaui visus, abiit & rediit, & optabilem thesaurum retulit: sic absinthium veritatis acceptat morosæ mentis humilitas, fœcundat officiosa sedulitas, in fructum perducit perseuerantiæ vtilitas. Sic sementem serit, pincerna pluuiarum Auster. Consolidat scopa viarum Aquilo. In vbertatem promouet florum procreator Zephyrus. Sic dura principia dulci fine munerantur. Sic arctus callis ad ampla palatia perducit: sic angustus trames ad terram ducit viuentium. Sed ne longo te dispendio suspendam, vt maiori testimonio mihi fides adhibeatur, lege Aureolum Theophrasti, & Medeam Iasonis, & vix pauca inuenies impossibilia mulieri. Amice, det tibi Deus omnipotens feminæ fallacia non falli, & illuminet cor tuum, ne præstigians oculis tendas quo ego timeo. Sed ne Orestem scripsisse videar, Vale.

MARIANVS VICTORIVS REATINVS EPISCOPVS AMERINVS IN GENNADII CATALOGVM.

GENNADIVS Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, qui hunc Catalogum edidit, scripsit etiam de millenariorum errore in Apocalypsim, claruitque circa annum Domini quadringentesimum, vltra nonagesimum. Meminit de D. Hieronymo tum alibi, tum libri ipsius initio: dum autem Ruffinum illi postea confert, obtrectationisque vitio non caruisse Hieronymum, licet nomen supprimat, asserit, se vel indoctum prodit, vel liuoris vitio laborasse conuincitur. Fuit autem Synchronos Saluiani Massiliensis, similiter Presbyteri. Diuersus est autem hic à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano, qui in Danielem commentaria edidit, & obiit Anno Domini 460.

GENNADII ILLVSTRIVM VIRORVM CATALOGVS.

IACOBVS presbyter, cognomento sapiens, Nesibenæ nobilis Persarum modo ciuitatis episcopus, vnus ex numero sub Maximiano persecutore confessorum: & eorum qui Nicena synodo Arianã peruersitatem ὁμοούσιον oppositione damnarunt. Hunc virũ Beatus Hieronymus in libro χρονικῶν, velut magnarum virtutum hominem nominans, in Catalogo scriptorum cur non posuerit, facile excusabitur: si consideremus ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, interpretatos in Græcum se legisse testatum. Vnde constat eum ignorasse illo tempore Syram linguam vel literas. Et id eo hunc qui necdum in aliam versus est linguam, nescisse scriptorem. Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris, id est, de fide aduersum omnes hæreses, de charitate generali, de ieiunio, de oratione, de dilectione erga proximum speciali, de resurrectione, de vita post mortem, de humilitate, de pœnitentia, de satisfactione, de virginitate, de ascensu animæ, de circuncisione, de azymi benedictione: pro qua in Esaia legitur. Non exterminabitur botrus, de Christo quod filius Dei sit, & consubstantialis patri, de castitate aduersus gentes, de constructione tabernaculi, de gentium conuersatione, de regno Persarum, de persecutione Christianorum. Composuit & χρονικῶν minoris quidem Græcorum curiositatis, sed maioris fiduciæ: quia diuinarum scripturarum auctoritate constructum, comprimit ora eorum qui præsumptuosa suspitione de aduentu antichristi vel Domini nostri inaniter philosophantur. Moritur hic vir Constantij temporibus, & iuxta præceptum patris eius Constantini intra muros Nesibenses sepelitur, ob custodiam videlicet ciuitatis, quod secundum fidem Constantini euenit. Nam post multos annos ingressus Iulianus Nesiben, & vel gloriæ sepulri inuidens, vel fidei Constantini, cuius ob id domum persequebatur, iussit efferri de ciuitate sancti corporis reliquias, & post paucos menses consulendæ licet reipublicæ Iouinianus imperator, qui Iuliano successerat, tradidit barbaris ciuitatem: quæ vsque hodie Persarum ditioni cum finibus suis subiecta seruit.

IVlius vrbis Romæ episcopus, scripsit ad Dionysium quendam de incarnatione Christi Domini epistolam vnam: quæ illo quidem tempore vtilis visa est aduersum eos, qui ita duas per incarnationem in Christo asserebant personas sicut & naturas: nunc autem perniciosa probatur: fomentum enim est Eutychianæ & Timothianæ impietatis.

PAulinus presbyter, discipulus beati Ephrem diaconi, homo acris valde ingenij, & in diuinis doctus scripturis: sed viuente magistro clarus in doctoribus ecclesiæ fuit, & maxime ex tempore declamator. Post illius autem obitum, amore primatus & nominis, separans se ab ecclesia, scripsit contraria fidei multa. Huic obiturus beatus Ephrem astanti sibi dixisse fertur. Vide Pauline ne te submittas cogitationibus tuis: sed cum te ad purum comprehendisse putaueris Dominum, crede nec intellexisse. Præsenserat enim illum ex studiis vel sermonibus eius, noua inuestigare, & immensum intellectum tenere: vnde eum frequenter Bardesanem nouellum vocabat.

VItellius Afer, Donatianum schisma defendens, scripsit de eo quod odio sint mundo Dei serui: in quo si tacuisset de nostro velut persecutorum nomine, egregiam doctrinam ediderat. Scripsit & aduersum gentes & aduersum nos, velut traditores in persecutione diuinarum scripturarum: & ad regulam ecclesiasticam pertinentia multa disserit. Claruit sub Constante filio Constantini principe.

MAcrobius presbyter, vt & ipse ex scriptis Optati cognoui, Donatianorum postea in vrbe Roma occultus episcopus fuit. Scripsit cum adhuc in ecclesia Dei presbyter esset, & ad confessores, & virgines librum vnum: moralis quidem, sed valde necessariæ doctrinæ: & præcipue ad custodiendam castitatem aptissimis valde sententiis communitum. Claruit inter nostro, primum Africæ: & inter suos, id est, Donatianos siue Montenses, postea Romæ.

HEliodorus presbyter, scripsit librum vnum de naturis rerum exordialium, in quo ostendit vnum esse principium, nec quicquam coæuum Deo, nec mali conditorem Deum: sed ita bonorum omnium creatorem, vt materia, quæ ad malum vsa est, post inuenta malitia, à Deo sit facta. Nec quicquam materialium absque Deo credatur conditum: aut fuisse alium rerum creatorem præter Deum: qui præscientia sua, cum videret mutandam naturam, præmonuit de pœna.

PAchumius monachus, vir tam in docendo quam in signa faciendo apostolicæ gratiæ, & fundator Ægypti cœnobiorum, scripsit regulam vtrique generi monachorum aptam, quam angelo dictante perceperat. Scripsit & ad collegas præpositurae suæ epistolas, in quibus alphabetum mysticis tectum sacramentis, velut humanæ consuetudinis excedentem intelligentiam clausit: solis credo

eorum

eorum gratiæ, vel meritis manifestum, id est, ad abbatem Cornelium, vnam: ad abbatem Syrum vnam, & vnam ad omnium monasteriorum præpositos (vt in vnum antiquius monasterium, quod lingua Ægyptiaca vocatur Bau congregati, paschę diem, velut æterna lege concelebrent) epistolam vnam. Similiter & ad diem remissionis quæ mense Augusto agitur, vt in vnum præpositi congregarentur, epistolam vnam: & ad fratres, qui foras monasterium missi fuerant operari, epistolam vnam.

THeodorus presbyter, successor & gratiæ, & præposituræ supradicti abbatis Pachumij, scripsit ad alia monasteria Scripturarum Sanctarum epistolas sermone digestas. In quibus tamen frequenter meminit magistri & institutoris Pachamij: & doctrinæ eius ac vitæ proponit exempla, quæ ille vt doceret angelo administrante didicerat. Simul & hortabatur permanendum in proposito cordis & studij, & redire in concordiam, & vnitatem eos, qui post abbatis obitum, dissensione facta, à cœtu semetipsos absciderant vnitatis: sunt autem huius exhortationis epistolæ tres

ORsiesis monachus, amborum, id est, Pachumij & Theodori collega, vir in sanctis scripturis ad perfectum instructus: composuit librum diuino conditum sale, totiusque monasticæ disciplinæ instrumentis instructum, & vt simpliciter dicam, in quo totum pene vetus & nouum testamentum compendiosis dissertionibus iuxta monachorum dumtaxat necessitatem, inuenitur expositum: quem tamen vice testamenti, prope diem obitus sui, fratribus obtulit.

MAcarius monachus ille Ægyptius, signis & virtutibus clarus, vnam tantum ad iuniores professionis suæ scripsit epistolam, in qua docet illum perfecte posse Deo seruire, qui conditionem creationis suæ cognoscés, ad omnes semetipsum inclinauerit labores: & luctando, atque Dei aduersum omne, quod in hac vita suaue est, auxilium implorando, ad naturalem quoque perueniens puritatem, continentiam velut naturæ debitum munus obtinuerit.

EVagrius monachus, supradicti Macarij familiaris discipulus, diuina & humana literatura insignis: cuius etiam liber, qui attitulatur Vita patrum, velut continentissimi & eruditissimi viri mentionem facit. Scripsit multa monachis necessaria, è quib. ista sunt. Aduersum octo principalium vitiorum suggestiones, quas aut primus aduertit, aut inter primos didicit, octo ex sanctarum scripturarum testimoniis opposuit libros: ad similitudinem videlicet Domini, qui tentatori suo semper scripturarum testimoniis obuiauit. Ita vt vnaquæque vel diaboli, vel vitiatæ naturæ suggestionum contra se habeat testimonium: quod tamen opus eadem simplicitate qua in Græco inueni, iussus in Latinum transtuli. Composuit & Anachoretis simpliciter viuentibus librum centum sententiarum per capitula digestum, & eruditis ac studiosis, quinquaginta sententiarum, quem ego Latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum: quia vitiatum & per tempus confusum vidi, partim reinterpretando, partim emendando auctoris veritatem restitui. Composuit & cœnobitis ac synoditis doctrinam aptam vitæ communis. Et ad virginem Deo sacratam, libellum competenté religioni & sexui. Edidit & paucas sententiolas valde obscuras: & (vt ipse in his ait) solis monachorum cordibus agnoscibiles, quas ego similiter Latinis dedi. Vixit longa ætate, signis & prodigiis pollens.

THeodorus Antiochenæ ecclesiæ presbyter, vir sciétia cautus & lingua disertus, scripsit aduersum Apollinaristas & Anomæos de incarnatione Domini libros ad quindecim millia versuum continentes. In quibus ratione purissima & testimoniis scripturarum, ostendit Dominum Iesum, sicut plenitudinem deitatis, ita plenitudinem humanitatis habuisse. Docet & hominem duabus tantum substantiis constare, anima scilicet & corpore, sensumque & spiritum non alteram esse substantiam: sed officia esse animæ ingenita, quibus spirat, quibus rationabilis est, quibus sensibile facit corpus. Quartumdecimum autem huius operis librum, proprie de increata & sola incorporea dominaque omnium sanctæ trinitatis natura, & de creaturarum ratione differens, pio sensu cum auctoritate sanctarum scripturarum explicuit. Quintodecimo vero volumine, totum operis sui corpus, citatis etiam patrum traditionibus, confirmauit & communiuit.

PRudentius vir seculari literatura eruditus, composuit διτροχαῖον de toto veteri & nouo testamento personis exceptis. Commentatus est & in morem Græcorum Hexameron de mundi fabrica, vsque ad conditionem primi hominis, & præuaricationem eius. Composuit & libellos, quos Græca appellatione prætitulauit ἀποθέωσις, ψυχομαχία, ἁμαρτιγένεια, id est, de diuinitate, de compugnantia animi, de origine peccatorum. Fecit & in laudem martyrum sub aliquorum nominibus. Inuitatorium ad martyrium librum vnum, & hymnorum alterum. Speciali tamen intentione aduersum Symmachum idololatriam defendentem, ex quorum lectione agnoscitur Palatinus miles fuisse.

AVdérius episcopus Hispanus, scripsit aduersus Manichæos & Sabellianos & Arianos, maximeque intentione speciali contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur, librum, quem prætitulauit. De fide aduersum omnes hæreticos, in quo ostendit antiquitatem filij Dei coæternalem patri fuisse: nec initium deitatis tunc à Deo patre acceperit, cum à Maria matre virgine homo Deo fabricante conceptus & natus est.

COmmodianus, dum inter seculares literas etiam nostras legit, occasionem accepit fidei. Factus itaque Christianus, & volens aliquid studiorum suorum muneris offerre Christo suæ salutis auctori, scripsit mediocri sermone, quasi versu aduersum paganos: & quia parum nostrorum attigerat literas, magis illorum dogmata destruere potuit, quam nostra firmare. Vnde & de diuinis repromissionibus aduersum illos agens, vili satis & crasso (vt ita dixerim) sensu disseruit: illis stuporem, nobis desperationem incutiens. Tertullianum & Lactantium & Papiam auctores secutus, moralem sane doctrinam, & maxime voluntariæ paupertatis amore optime prosecutus studentibus inculcauit.

FAustinus presbyter, scripsit ad personã Faccilliæ reginæ aduersum Arianos & Macedonianos libros septem, his eos maxime scripturarum testimoniis arguens & conuincens, quibus illi prauo sensu vtuntur ad blasphemiam. Scripsit & librum quem Valentiniano, Theodosio, & Archadio Imperatoribus pro defensione suorum, cum Marcelliano quodam presbytero obtulit. Ex quo ostenditur Luciferiano schismati consensisse: quia Hilarium Pictauiensem, & Damasum vrbis Romæ episcopum in eodem libro culpat, quasi malè consuluerint ecclesiæ, quod præuaricatores episcopos, in communionem & sacerdotium, pacis recuperandæ gratia, recepissent: quod Luciferianis ita displicuit recipere episcopos, qui in Ariminensi concilio Arianis communicauerant, vt Nouatianis apostatas pœnitentes.

RVffinus Aquileiensis ecclesiæ presbyter, non minima pars ecclesiæ doctorum, & in transferendo de Græco in Latinum elegans ingenium habuit. Denique maximam partem Græcorum bibliothecæ Latinis exhibuit. Basilij scilicet Cæsariensis Cappadociæ episcopi. Gregorij Nazianzeni eloquentissimi hominis. Clementis Romani recognitionum libros. Eusebij Cæsariensis Palesthinæ ecclesiasticam historiam. Sexti sententias, Euagrij sententias. Pamphili martyris aduersum Mathematicos. Horum omnium quæcunque præmissis prologis à Latinis leguntur, à Ruffino interpretata sunt: quæ autem sine prologo, ab alio translata sunt, qui prologum facere noluit. Origenis autem non omnia: quia & Hiero-

A nymus tranſtulit aliquanta, quæ ſuo prologo diſcernun-
tur. Proprio autem labore: imo gratiæ Dei dono, expoſuit
idem Ruffinus ſymbolum, vt in eius comparatione alij
non expoſuiſſe credantur. Diſſeruit & benedictionem Ia-
cob ſuper patriarchas, triplici, id eſt hiſtorico, morali, &
myſtico ſenſu. Scripſit epiſtolas ad amorem Dei hortato-
rias multas: inter quas præeminent illæ, quas ad Probam
dedit. Hiſtoriæ etiam eccleſiaſticæ, quam ab Euſebio con-
ſcriptam, & ab iſto diximus interpretatam, addidit deci-
mum & vndecimum librum. Sed & obtrectatori opuſcu-
lorum ſuorum reſpondit duobus voluminibus, arguens
& conuincens ſe Dei intuitu & eccleſiæ vtilitate, auxiliā-
te Domino ingenium agitauiſſe: illum vero æmulationis
ſtimulo incitatum, ad obloquium ſtylum vertiſſe.

B Tichonius natione Afer, in diuinis literis eruditus:
iuxta hiſtoriam ſufficienter, & in ſecularibus non i-
gnarus fuit, in eccleſiaſticis quoq; negotiis ſtudioſus: ſcri-
pſit de bello inteſtino libros & expoſitiones diuerſarum
cauſarum, in quibus ob ſuorum defenſionem, antiqua-
rum meminit ſynodorum: è quibus omnibus agnoſcitur
Donatianæ partis fuiſſe. Compoſuit & regulas ad inue-
ſtigandam & inueniendam intelligentiam ſcripturarum,
octo quaſi vno volumine concluſit. Expoſuit & Apoca-
lypſim Ioannis ex integro: nihil in ea carnale, ſed totum
intelligens ſpiritale. In qua expoſitione dixit angelicam
Act. 15. ſtationem corpus eſſe: mille annorum quoque regni in
terra iuſtorum poſt reſurrectionem futuri ſuſpitionem
intulit. Neque duas in carne mortuorum reſurrectiones
futuras: vnam iuſtorum, aliam iniuſtorum: ſed vnam &
ſemel omnium, in qua reſurgent abortiui etiam defor-
mati, ne quid humani generis deformatum & animatum
ſubſtantia. Interea oſtendit diſtinctionem ſane duarum
reſurrectionum: ita facit, vt primam quam iuſtorum A-
C pocalypſim dicit, credamus modo in eccleſiæ incremen-
to agi: vbi iuſtificati per fidem, à morticinis peccatorum
ſuorum per baptiſmum ad vitæ æternæ ſtipendium ſuſci-
tantur. Secundam vero generaliter omnis hominum car-
nis. Floruit hic ætate qua ante memorat⁹ Ruffinus, Theo-
doſio & filiis eius regnantibus.

SEuerus presbyter cognomento Sulpitius, Aquitanicę
prouinciæ, vir genere & literis nobilis, & paupertatis
atque humilitatis amore conſpicuus: charus etiam ſan-
ctorum virorum Martini Turonenſis epiſcopi & Paulini
Nolani: ſcripſit non cōtemnenda opuſcula. Nam epiſto-
las ad amorem Dei & contemptum mundi exhortatorias,
ſcripſit ſorori ſuæ multas, quæ & notæ ſunt: ſcripſit & ad
ſupradictum Paulinum Nolanum duas, & ad alios alias.
Sed quia in aliquibus etiam familiaris neceſſitas inſerta
eſt, non digeruntur. Compoſuit & chronica. Scripſit &
ad multorum profectum, vitam beati Martini monachi
& epiſcopi, ſignis & prodigiis ac virtutibus illuſtrius vi-
ri: & collocationem Poſthumiani & Galli: ſe mediante &
D iudice de conuerſatione monachorum orientalium, & i-
pſius Martini, habitam in dialogi ſpecie, duabus inciſio-
nibus comprehendit: in quarum priorum refert ſuo tem-
pore apud Alexandrinam ſynodum epiſcoporum decre-
tum, Origenem & cautius à ſapientibus pro bonis legen-
dum, & à minus capacibus pro malis repudiandum. Hic
in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens lo-
quacitatis culpam, ſilentium vſque ad mortem tenuit: vt
peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus
emendaret.

ANtiochus epiſcopus ſcripſit aduerſum auaritiam
vnum & longum volumen: & de curatione cæci,
qui à Saluatore illuminatus eſt. Homiliam compoſuit cō-
punctione timoris Dei & humilitate plenam. Moritur
Archadij imperatoris tempore.

SEuerianus Gabalenſis eccleſiæ epiſcopus, in diuinis
ſcripturis eruditus, & in homiliis declamator admira-
bilis fuit: vnde & frequenter ab epiſcopo Iohanne & Ar-
chadio imperatore ad faciendum ſermonem Conſtanti-
nopolim vocabatur. Legi eius expoſitionem in epiſto-
lam ad Galatas, & de baptiſmo & Theophaniæ ſolemni-
tate libellum grātiſſimum. Moritur iuniore Theodoſio
filio ſuo in baptiſmo imperante.

NIceas Romanæ ciuitatis epiſcopus, compoſuit ſim- E
plici & nitido ſermone ſex competentibus baptiſ-
mum inſtructionis libellos: in quibus Primus continet,
qualiter ſe debeant agere competentes, qui ad baptiſmi
gratiam cupiunt peruenire. Secundus: de gentilitatis er-
roribus, in quo indicat ſuo pene tempore Melchidium
quendam patremfamilias ob liberalitatem, & Gada-
rium ruſticum ob fortitudinem eſſe inter Deos relatos.
Tertius liber, de fide vnicæ maieſtatis. Quartus, aduer-
ſum genethelogiam. Quintus, de Symbolo. Sextus, de
agni paſchalis victima. Dedit & ad lapſam virginem li-
bellum, omnibus labentibus emendationis incentiuum.

OLimpius natione Hiſpanus epiſcopus, ſcripſit librū
fidei aduerſum eos, qui naturam & non arbitrium
in culpam vocant: oſtendens non creatione, ſed inobe- F
dientia inſertum naturæ malum.

BAcciarius vir philoſophiæ Chriſtianæ nudus & ex-
peditus, vacare Deo diſponens, etiam peregrinatio-
nem pro conſeruanda propoſita integritate elegit. Edidiſ-
ſe dicitur grata opuſcula: ſed & ego ex illis vnum tantum
de fide librum legi, in quo ſatisfacit pontifici vrbis ad-
uerſum querulos & infamatores peregrinationis ſuæ, in-
dicans ſe non timore hominum, ſed Dei cauſa peregrina-
tionem ſuſcepiſſe, vt exiens de terra ſua & cognatione
ſua, & cohæres fieret Abrahæ patriarchæ.

SAbbatius Gallicanæ prouinciæ epiſcopus, rogatus à
quadam caſta & Chriſto dicata virgine Secunda no-
mine, compoſuit librum de fide aduerſum Marcionem &
Valentinianum eius auctorem, & aduerſum Eunomium
& eius magiſtrum Aëtium, oſtendens & ratione ſcriptu-
rarum, & teſtimoniis, vnum eſſe deitatis principium, ip- G
ſumque eſſe & ſuæ deitatis, & æternitatis auctorem, &
mundi ex nihilo conditorem: ſimul & de Chriſto, quod
nō in phantaſia homo apparuerit, ſed veram habuerit car-
nem, per quam manducando, bibendo, laſſando, ploran-
do, patiendo, moriendo, reſurgendo, verus probatus ſit
homo. His enim ſententiis Marcion & Valentinianus
contrarij extiterunt, aſſerentes duo deitatis principia, &
Chriſtum veniſſe in phantaſia. Aëtio vero & Eunomio
diſcipulo, oſtendit patrem & filium, non duarum eſſe na-
turarum & diuinitate parilium: ſed vnius eſſentiæ, & alte-
rum ex altero, id eſt, ex patre filium, alterum alteri coæ-
ternum, cui credelitati Aëtius & Eunomius contradi-
cūnt.

ISaac ſcripſit de ſancta trinitate, & de incarnatione Do-
mini librum obſcuriſſimæ diſputationis & inuoluti
ſermonis, confirmās ita in vna deitate tres eſſe perſonas,
vt tamen ſit in ſingulis proprium aliquid, quod non ha-
beat alia. Patrem ſcilicet hoc habere proprium, quod ipſe
ſine origine, origo ſit aliorum. Filium hoc habere pro-
prium, quod genitus genitori non ſit poſterior. Spiritum
ſanctum hoc habere proprium, quod nec factus ſit, nec
genitus, & tamen ſit ex altero. De incarnatione vero Do-
mini ita ſcribit, vt manentibus in eo duabus naturis, vna
credatur filij Dei perſona. H

VRſinus monachus, ſcripſit aduerſū eos, qui rebapti-
zandos hæreticos decernunt, docens nec legitimum
nec Deo dignum rebaptizari illos qui in nomine ſimpli-
citer Chriſti, vel in nomine Patris & Filij & Spiritus ſācti
quamuis prauo ſenſu baptizentur: ſed poſt ſanctæ trinita-
tis & Chriſti ſimplicem confeſſionem, ſufficere ad ſalu-
tem manus impoſitionem catholici ſacerdotis.

MAcarius alius monachus, ſcripſit in vrbe Romana
aduerſum mathematicos librum, in quo labore, o-
rientalium quæſiuit ſolatia ſcripturarum.

HEliodorus alius Antiochenæ eccleſiæ presbyter, e-
didit de virginitate egregium & ſanctis Scripturis
inſtructum volumen.

IOannes Hieroſolymorum epiſcopus, ſcripſit in obtre-
ctatores ſtudij ſui librum, in quo oſtendit ſe Origenis
ingenium, non fidem ſecutum.

PAulus epiſcopus, ſcripſit de pœnitentia libellum, in
quo dat legem pœnitentibus, ita debere dolere pro
peccatis

A peccatis, ne supra mensuram tristitiæ, immensitate desperationis mergantur.

HEluidius Auxentij discipulus Symmachi imitator, scripsit religionis quidem librum studio, sed non secundum scientiam, neque sermone, neque ratione vallidum: cuius operis ita sanctarum scripturarum sensus ad suam peruersitatem flectere conatus est, vt earum testimoniis asserere voluerit S. Mariam post natiuitatem domini, quem virgo peperit, Ioseph sponso suo iunctam, & ex eius consortio filios suscepisse, qui fratres domini appellati sunt: cuius prauitatem arguens Hieronymus, libellum documentis scripturarum sufficienter factum, aduersus eum edidit.

THeophilus Alexandrinæ ciuitatis Episcopus, scripsit aduersum Origenem, vnum & grande volumen: in quo omnia pene eius dicta, & ipsum pariter dânat, ac simul edocens, non à se eum primum, sed ab antiquis patribus & maxime Heracla fuisse & à presbyterio eiectum, & de Ecclesia pulsum, & de ciuitate fugatum. Sed & aduersum Anthropomorphitas hæreticos, qui dicunt Deum humana figura & membris constare, disputatione longissima confutans, & diuinarum scripturarum testimoniis arguens & conuincens eos, ostendit Deum incorruptibilem & incorporeum, iuxta patrum fidem credendum, neque vllis membrorum lineamentis omnino compositum, & ob id nihil ei in creaturis simile per substantiam: nec cuiquam incorruptibilitatem, aut immutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ: sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles, omnes mutabiles, vt ille solus corruptibilitati & mutabilitati non subiaceat, qui solus habet immortalitatem. Paschalem etiam recursum, quem magna apud Nicænam synodus post nonaginta & quinque annos, agi in tempore & die & luna secundum statum suum inuenerat, additis quibusdam ipsius festiuitatis rationibus & expositionibus, Theodosio principi obtulit. Legi & tres de fide libros sub nomine eius titulatos: sed quia lingua inconsonans est, non valde credidi.

EVsebius scripsit de crucis domini mysterio & apostolorum, præcipueque Petri constantiam virtute crucis, fidei virtute adeptam.

C VIgilantius presbyter, natione Gallus, in Hispania Barcilonensis parochiæ Ecclesiam tenuit. scripsit & ipse zelo quidem religionis aliqua, seductus humana laude, & præsumens supra vires suas· homo lingua politus, non sensu scripturarum exercitatus: exposuit prauo ingenio secundam Danielis visionem, & alia locutus est friuola, quæ in Catalogo hæreticorum necessario exponentur.

SImplicianus Episcopus, multis epistolis hortatus est Augustinum adhuc presbyter, agitare ingenium, & expositionibus scripturarum vacare, vt etiã nouus quidam Ambrosius Origenis ἐργοδιώκτης videretur. Vnde & multas ad eius personam scripturarum quæstiones absoluit. Est eius epistola propositionum, in qua interrogando quasi discituris doctorem docet.

VIgilius Episcopus: scripsit ad quendam Simplicianum in laudem martyrum libellum, & epistolam, continentem gesta sui temporis apud Barbaros martyrum. D

AVgustinus Afer, Hipponẽsis oppidi Episcopus, vir eruditione diuina & humana orbi clarus, fide integer, & vita purus, scripsit quanta nec inueniri possunt. Quis ergo glorietur omnia se illius habere, aut quis tanto studio legat, quanto ille scripsit? Vnde & multa loquẽti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus sanctus. Ex multiloquio non effugies peccatum. Edidit tamen senex, quod iuuenis cœperat, de Trinitate libros quindecim. In quibus (vt scriptura ait) introductus in cubiculum regis, & decoratus veste multifaria, sapientia Dei exhibuit Ecclesiam sine macula, aut ruga, aut aliquid eiusmodi. De incarnatione quoque domini idoneam edidit pietatem. De resurrectione mortuorum, etiam simili cucurrit synceritate: licet minus capacibus dubitationem de abortiuis fecerit. Error tamen illius sermone multo,

Cant 3.

Ephes. 5.

E vt superius dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit.

ORosius presbyter Hispani generis, vir eloquens & historiarum cognitor, scripsit aduersum querulos Christiani nominis, qui dicunt defectum Romanæ reipublicæ Christi doctrina inuectum, libros septem: in quibus totius pene mundi temporis calamitates, miserias, ac bellorum inquietudines replicans, ostendit magis Christianæ obseruantiæ esse, quod contra meritum suum res Romana adhuc duraret, & pace culturę Dei pacatum retineret imperium. Sane in primo libro descripsit positionem orbis Oceani intersusione, & Tanai limitibus intercisum, situm locorum, nomina, & numerum, moresque gentium, qualitates regionum, initia bellorum, & tyrannidis exordia, finitimorum sanguine dedicata. Hic est Orosius qui ab Augustino pro discenda animæ ratione ad Hieronymum missus, rediens, reliquias beati Stephani primi martyris, tunc nuper inuentas primus intulit occidenti. Claruit extremo pene Honorij Imperatoris tempore.

MAximus Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, vir in diuinis scripturis satis intentus, & ad docendam ex tempore plebem sufficiẽs: composuit in laudem Apostolorum tractatus, & in Ioannis Baptistæ: & generalem omnium martyrum homiliam. Sed & de capitulis Euangeliorum, & actuum Apostolorum multa sapienter exposuit. Fecit & duos de sancti Eusebij Vercellensis episcopi & confessoris vita tractatus, & de S. Cypriani speciale. De baptismi gratia librum edidit. Scripsit de auaritia, de hospitalitate, de defectu lunæ, de eleemosynis, de eo quod scriptum est in Esaia. Caupones tui miscent vino aquam de passione domini, de ieiunio seruorum Dei generali, de ieiunio speciali quadragesimæ, & quod non sit in eo iocandum: de Iuda traditore, de cruce domini, de sepulcro eius, de resurrectione ipsius, de accusato & iudicato domino apud Pilatum, de Calendis Ianuariis, Scripsit etiam homilias de natali domini, homilias de theophania, & de pascha: & de pentecoste multas, de hostibus carnalibus non timendis, de gratiis post cibum Deo agendis, de pœnitentia Niniuitarum, & multas alias eius homilias de diuersis causis habitas legi, quæ nec retineo. Moritur Honorio & Theodosio iuniore regnantibus. F

Esa 1. Ser. 70.

PEtronius Bononiensis Italiæ Ecclesiæ Episcopus, vir sanctitate vitæ & monachorum studiis ab adolescentia exercitatus, scripsisse putatur vitas patrum Ægypti monachorum, quas velut speculum ac normam professionis suæ, monachi amplectuntur. Legi sub eius nomine de ordinatione Episcopi, ratione & humilitate plenum tractatum, quem lingua elegantior ostendit non ipsius esse, sed vt quidam dicunt, patris eius Petronij eloquentissimi & eruditissimi in secularibus literis viri: & credendum. Nam præfectum prætorio se fuisse, in ipso tractatu designat. Moritur Theodosio Arcadij filio, & Valentiniano regnantibus. G

PElagius hæresiarches, antequam proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros, & pro actuali conuersatione Eulogiarum ex diuinis scripturis librum vnum, capitulorũ indiciis in modum S. Cypriani martyris præsignatum. Postquam hæreticus publicatus est, scripsit hæresi suæ fauentia. H

INnocentius vrbis Romæ Episcopus, scripsit decretum occidentalium & orientalium Ecclesiarum aduersum Pelagianos datum, quod postea successor eius Zosimus latius promulgauit.

CElestinus antequam ad Pelagium concurreret, imo adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio epistolas in modum libellorum tres, omni Deũ desideranti necessarias. Moralis siquidem in eis dictio, nihil ibi vitij postmodum proditi, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit.

IVlianus Episcopus Capuanus, vir acer ingenio, in diuinis scripturis doctus, Græca & Latina lingua scholasticus. Prius ergo quam impietatem Pelagij in se aperiret clarus in doctoribus ecclesiæ fuit, postea vero hæresim

A Pelagij defendere uisus, scripsit aduersum Augustinum impugnatorem illius libros quatuor, & iterum libros octo. Est & liber altercationis amborum, partes suas defendentium. Hic Iulianus eleemosynis tempore famis & angustiæ indigentibus, omnibus suis prorogans, multos miserationis specie nobilium præcipue religiosorum illiciens, hæresi suæ sociauit. Moritur Valentiniano Constantij filio imperante.

LVcianus presbyter vir sanctus, cui reuelauit Deus temporibus Honorij & Theodosij Augustorum, locum sepulcri & reliquiarum corporis S. Stephani martyris primi, scripsit ipsam reuelationem ad omnium Ecclesiarum personas Græco sermone.

AVitus presbyter, homo Hispanus genere, ante relatam Luciani presbyteri scripturam transtulit in Latinum sermonem, & adiecta epistola sua, per Orosiũ presbyterum occidentalibus dedit.

B PAulinus Nolæ Campaniæ Episcopus, composuit versu breuia, sed multa, & ad Celsum quendam Epitaphij vice consolatorium libellum, super morte Christiani & baptizati infantis, spe Christiana monitum, & ad Seuerum plures epistolas, ad Theodosium Imperatorem ante episcopatum prosa panegyricum super victoria tyrannorum, eo maxime quod fide & oratione plus quam armis vicerit. Fecit & sacramentarium & hymnarium. Ad sororem quoque epistolas multas de contemptu mundi dedit, & de diuersis causis, disputatione diuersa, tractatus edidit. Præcipuus tamen omnium opusculorum eius, est liber de pœnitẽtia & de laude generali omnium martyrum. Claruit temporibus Honorij & Valentiniani, non solum eruditione & sanctitate vitæ, sed & potentia aduersum dæmones.

EVtropius presbyter, scripsit ad duas sorores ancillas Christi, quæ ob deuotionem pudicitiæ & amorem religionis exhæredatæ fuer à parentibus: epistolas in modum libellorum consolatorias, eleganti & aperto sermone duas, non solum ratione, sed etiam & testimoniis scripturarum munitas.

EVagrius alter, scripsit altercationem Simonis Iudæi & Theophili Christiani, quę pene omnibus nota est.

VIgilius diaconus, composuit ex traditione patrum, monachorum regulam, quæ in cœnobio ad profe-
C ctum fratrum in conuentu legitur breuiato & aperto sermone, totius monasticæ professionis in se tenentem disciplinam.

ATticus Constantinopolitanus Episcopus, scripsit ad reginas Archadij imperatoris filias de fide & virginitate librum valde egregium: in quo peruersum Nestorianum dogma impugnat.

NEstorius heresiarches, cum in Antiochena Ecclesia presbyter insignis in docendo ex tempore declamator haberetur, composuit infinitos tractatus diuersarum ὑποθέσεων. In quibus iam tunc subtili nequitia infudit postea proditæ impietatis venena, quæ moralis interdum occultabat suadela. Postquam vero eloquentia & abstinentia commendante, Constantinopolitanæ Ecclesiæ pontificatui donatus est, apertum se Ecclesiæ hostem quem diu celabat ostendens, scripsit librum quasi de in-
D carnatione domini sexaginta & duobus diuinæ scripturæ testimoniis, prauo sensu suo cõstructum, in quo quid asseuerauerit, in Catalogo hæreticorum monstrabitur.

SIxtus vrbis Romæ Episcopus, decretum synodi aduersum supradictum Nestorium habitum volumine describens, ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedit, confirmans duabus in Christo manentibus perfectè naturis, vnam filij Dei credendam esse personam. Huic enim sententiæ suprascriptis Nestorius ostensus est esse contrarius. Similiter etiam Sixtus successor Cælestini, pro eadem re, & ad ipsum Nestorium & ad Orientis Episcopos aduersus errorem eius succidendum sententias direxit.

THeodorus Ancyranus Galatiæ Episcopus, scripsit aduersus Nestorium adhuc Ephesi positus, librum redargutionis & confutationis: dialectica quidem arte ordinatum, sed auctoritate sanctarum scripturarum detextum: multis enim assertionibus vsus est antequam scripturarum testimonia poneret. E

FAstidius Britanniarum Episcopus, scripsit ad Fatalem quendam de vita Christiana librum vnum, & alium de viduitate seruanda sana & Deo digna doctrina.

CYrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, edidit variarum ὑποθέσεων tractatus: homilias etiam composuit plurimas, quæ ad declamandum à Græcia Episcopis memoriæ commendantur. Præterea libri eius sunt de synagogæ defectu, de fide aduersum hæreticos, & peculiari intentione aduersus Nestorium compositus, qui intitulatur ἔλεγχος. In quo omnia Nestorij occulta panduntur, & prodita confutantur.

TImotheus Episcopus, composuit librum de Natiuitate Domini secundum carnem, quam credit in Epiphania factam.

LEporius adhuc monachus, postea presbyter: præsumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum & conatu proprio, non Dei se adiutorio obtinuisse credebat Pelagianum dogma cœperat sequi: sed à Gallicanis doctoribus admonitus & in Africa per Augustinum à Deo emendatus, scripsit emendationis suæ libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione. Simul & quod de incarnatione Christi male senserat corrigens, Catholicam sententiam tulit dicens, manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis, vnã credendam filij Dei personam.

VIctorinus rhetor Massiliensis, ad filij sui Etherij personam commentatus est in Genesim, id est, à principio libri vsque ad obitum Abrahæ patriarchæ. Quatuor versuum edidit libros, Christiano quidem & pio sensu: sed vt pote sæculari literatura homo occupatus, & nullius magisterio in diuinis scripturis exercitatus, leuioris ponderis sententias figurauit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus.

CAssianus natione Scyta, Constantinopoli à Ioanne magno Episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter, condidit duo, id est, virorum & mulierum monasteria, quæ vsque hodie extant. Scripsit experientia magistrante plano & librato sermone, & (vt apertius dicam) sensu verba inueniens, & actione linguam mouens, res omnium monachorum professione necessarias, id est, de habitu monachi, de canonico orationum atque psalmorum modo, qui in monasteriis Ægypti die noctuque tenentur, libros tres: institutionum librum vnum. De origine & qualitate ac remediis octo principa- G
lium vitiorum libros octo singulos scilicet de singulis vitiis libros expediens. Digessit etiam collationes cum patribus Ægypti habitas, hoc est, de destinatione monachi ac fine, de discretione, de tribus ad seruiendum Deo vocationibus. De pugna carnis aduersum spiritum, & spiritus aduersum carnem. De natura omnium vitiorum, de nece sanctorum, de mobilitate animæ, de octo principalibus vitiis, de qualitate orationis, de iugitate orationis, de perfectione, de castitate, de protectione Dei, de scientia spirituali, de diuinis charismatibus, de amicitia, de definiendo vel non definiendo, de tribus antiquis generibus monachorum, & quarto nuper exorto, de fine cœnobitę & eremitæ, de satisfactione pœnitentiæ, de remissione quinquagesimæ, de nocturnis illusionibus, de eo quod dicit Apostolus. Non enim quod volo facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago, de mortificatione. Et ad ex- H
tremum rogatus à Leone archidiacono, postea vrbis Romæ Episcopo, scripsit aduersus Nestorem de incarnatione domini libros septem. Et in his scribendi apud Massiliam, & viuendi finem fecit, Theodosio & Valentiniano regnantibus.

PHilippus presbyter, optimus auditor Hieronymi, commentatus in Iob edidit sermone simplici libros. Legi eius & familiares epistolas, & valde salsas, & maxime ad paupertatis & dolorum tolerantiam exhortatorias. Moritur Martiano & Auito regnantibus.

EVcherius Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus, scripsit ad Valerianum propinquũ suum de contẽptu mũdi,

&

A & secularis philosophiæ epistolam vnam, scholastico &
rationabili sermone. Disseruit etiam ad personam filio-
rum Salonij & Veroni, postea episcoporũ, obscura quæ-
que sanctarum capitula scripturarum. Sed & Cassiani
quædam opuscula lato tensa eloquio, angusto reuoluens
verbi tramite, in vno coëgit volumine, aliaque tam ec-
clesiasticis studiis necessaria quam monasticis. Moritur
Valentiniano & Martiano regnantibus.

VIncentius natione Gallus, apud monasterium in Le-
rinensi insula presbyter, vir in scripturis sanctis do-
ctus, & notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficienter
instructus, composuit ad euertenda hæreticorum colle-
gia nitido & aperto sermone validissimam disputatio-
nem, quam absconso nomine suo attitulauit. Peregrini
aduersum hæreticos. Cuius operis quia secundi libri ma-
ximam in schedulis partem, à quibusdam furatam perdi-
B dit, recapitulato eius paucis sermonibus sensu primo cõ-
pegit, & in vnum librum edidit. Moritur Theodosio &
Valentiniano regnantibus.

SYagrius, scripsit de fide aduersum præsumptuosa hæ-
reticorum vocabula, quæ ad destruenda vel immu-
tanda sanctæ Trinitatis nomina vsurpata sunt, dicentium
patrem non debere patrem dici, ne in patris nomine fi-
lius consonet: sed ingenitum & infectum ac solitarium
nuncupandum, vt quicquid extra illum in persona est,
extra illum sit in natura, ostendens & patrem quidem
posse dici ingenitum, licet scriptura non dicerit, & ex se
genuisse in persona filium, non fecisse: & ex se protulisse
in persona Spiritum sanctum, non genuisse neque fecis-
se. Sub huius Syagrij nomine, septem de fide & regulis fi-
dei libros prætitulatos inueni: sed quia lingua variantur,
non eius credidi esse.

ISaac presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, scripsit Syro ser-
mone longo tempore & multa: præcipua tamen cura
aduersum Nestorianos & Eutychianos, ruinam etiam
Antiochiæ elegiaco carmine planxit, coauditores im-
buens sono, quo Ephrem diaconus Nicomediæ lapsum.
Moritur Leone & Maiorano regnantibus.

C SAluianus Massiliensis presbyter, diuina & humana li-
teratura instructus, & (vt absque inuidia loquar) epi-
scoporum magister, scripsit scholastico & aperto sermo-
ne multa: ex quib. ista legi: De virginitatis bono ad Mar-
cellum presbyterum libros tres: aduersum auaritiam li-
bros quatuor. De præsenti iudicio libros quinque, & pro
eorum merito satisfactionis ad Salonium Episcopum li-
brum vnum, & expositionis extremæ partis Ecclesiastis
ad Claudianum Episcopum Viennensem librum vnum,
epistolarum librum vnum, & in morem Græcorum, de
principio Genesis vsque ad conditionem hominis, com-
posuit versu quasi Hexameron librum vnum. Homilias
episcopus factus multas, sacramentorum vero quantas,
nec recordor. Viuit vsque hodie in senectute bona.

PAulinus, cõposuit tractatus de initio quadragesimæ,
è quibus legi duos, de die Dominico Paschæ, de obe-
dientia, de pœnitentia, de neophytis.

HIlarius Arelatensis Episcopus, vir in sanctis scriptu-
ris doctus, paupertatis amator, & erga inopum pro-
D uisionem, non solum mentis pietate, sed & corporis sui
labore solicitus fuit. Nam pro reficiendis pauperibus, e-
tiam rusticationem contra vires suas homo genere cla-
rus & longe aliter educatus exercuit: sed nec in spirituali-
bus neglexit. Nam & in docendo gratiam habuit & abs-
que personarum acceptione omnibus castigatum opus
prædicationis ingessit. Ingenio vero immortali, aliqua &
parua edidit, quæ eruditæ animæ & fidelis linguæ indi-
cio sunt, in quibus præcipua & ad multorum vtilitatem
necessaria opera, vitam sancti Honorati decessoris sui
composuit. Moritur Valentiniano & Martiano Impera-
toribus.

LEo vrbis Romæ Episcopus, scripsit ad Flauianum
Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, aduer-
sum Eutychem presbyterum, qui tunc ambitione epi-
scopatus, noua in Ecclesiam moliebatur inducere, epi-
stolam: in qua admonet eum, vt si confiteretur errorem
& polliceretur emendationem, reciperet eum. Si autem

persisteret in incepto, cum sua hæresi damnaretur. Simul E
docet in ipsa epistola & diuinis confirmat testimoniis,
dominum Iesum Christum, sicut paternæ diuinitatis ve-
rum filium, ita verum humanæ naturæ esse hominem
credendum, id est, ex carne virginis, carnem traxisse
& non de cœlo corpus sibi exhibuisse, sicut Eutyches
asserebat. Moritur Leone & Maiorano Imperatori-
bus.

MOchimus Mesopotamenus apud Antiochiã pres-
byter, scripsit aduersum Eutychem egregium li-
brum: & alia scribere dicitur, quæ necdum legi.

TImothæus, extincto ab Alexandrinis Protherio E-
piscopo, tumultuante adhuc plebe, aut voluit, aut
passus est se ab vno Episcopo in locum occisi Episcopi
fieri Episcopum. Et ne contra legem factus merito abij-
ceretur, ad gratiam plebis, quæ Protherium exosum ha-
buerat, omnes quibus ille communicauerat, Nestoria-
nos esse pronunciauit, & maculam conscientiæ temeri-
tate abluendam præsumens, scripsit ad Leonem Impera-
torem libellum valde suasorium, quem prauo sensu, pa-
trum testimoniis intantum roborare conatus est, vt ad
decipiendum Imperatorem, & suam hæresim confortan- F
dam, pene Leonem vrbis Romæ episcopum, & Chalce-
donensem synodum, ac totos Orientalium episcopos,
illorum adminiculo Nestorianos ostenderet. Sed fauen-
te Deo, à Chalcedonensi concilio hostis Ecclesiæ coar-
gutus est & confutatus. Viuere adhuc in exilio iam hæ-
resiarches dicitur & habetur. Hunc ipsum libellum co-
gnoscendi gratia, ego rogatus à fratribus, in Latinum
transtuli, & cauendum prætitulaui.

ASclepius Afer in Baiensi territorio vici non grandis
Episcopus, scripsit aduersum Arianos, & modo ad-
uersum Donatistas scribere dicitur: in docendo autem
ex tempore grandi opinione celebratur.

PEtrus Edessenæ Ecclesiæ presbyter, declamator insi-
gnis, scripsit variarum causarum tractatus, & in mo-
rem S. Ephrem diaconi psalmos metro composuit.

PAulus presbyter, natione (vt ex dictis eius cognoui)
Pannonius, scripsit de virginitate seruanda & contẽ-
ptu mundi, ac vitæ institutione vel morum correptione
mediocri sermone, sed diuino conditos sale libros duos,
ad personam cuiusdam nobilis, & Christo deditæ vir- G
ginis Constantia nomine: in quibus meminit Ioui-
niani hæretici, & voluptatum ac libidinum prædicatoris,
cui intantum continentis & castæ vitæ institutio con-
traria fuerat, vt inter luxuriosas epulas animam eructa-
ret.

PAstor Episcopus, composuit libellũ in modum sym-
boli paruum, totam pene ecclesiasticam credulitatem
per sententias continentem: in quo inter cæteras dis-
sensionum prauitates, quas prætermissis auctorum voca-
bulis anathematizat, Priscillianos cum ipso auctoris no-
mine damnat.

VIctor Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Episcopus,
scripsit aduersum Arianos librum vnum & longũ,
quem Genserico regi per suos audiendum obtulit, sicut
ex prooemio ipsius libri didici. Scripsit & de pœnitentia
publicani librum, in quo & regulam viuendi & pœnitẽti-
bus iuxta scripturarum auctoritatem statuit, & ad Basi-
lium quendã super morte filij consolatorium libellum, H
spe resurrectionis perfecta instructione munitum. Ho-
milias etiam composuit multas, quas à fratribus salutis
propriæ solicitis in libris digestas seruari cognoui.

VOconius Castellani Mauritaniæ oppidi Episcopus,
scripsit aduersus Ecclesiæ inimicos Iudæos & Aria-
nos & alios hæreticos. Composuit etiam sacramentorum
egregium volumen.

MVsæus Massiliensis Ecclesię presbyter, vir in diui-
nis scripturis doctus, & in earũ sensibus subtilissi-
ma exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus,
hortatur S. Venerij episcopi excerpsit ex sãctis scripturis
lectiones totius anni, festiui aptas diebus: responsoria
etiam psalmorum capitula, tempori & lectionibus con-
gruentia: quod opus tam necessarium à lectoribus in Ec-
clesia probatur, vt expetitum, & solicitudinem tollat &

A moram, plebique ingerat scientiam, celebritatem & decorem. Sed & ad personam S. Eustasij episcopi successosis supradicti hominis Dei, composuit sacramentorum egregium & non patuum volumen, per membra quidem pro opportunitate officionim & temporum, pro lectionum rexru, psalmorumque serie & decantatione discretum: sed supplicandi Deo, & contestandi beneficiorum eios soliditate sui consentaneum, quo opere grauissimi sensus, & castigatæ eloquentiæ agnouimus virum. Homilias etiam dicitur declamasse, quas & haberi à fidelibus viris cognoui: sed ego non legi. Moritur Leone & Maiorano regnantibus.

VIncentius presbyter, & ipse natione Gallus, in diuinis scripturis exercitatus, linguam habens vsu loquendi, & maiorum lectione politam, commentatus est in psalmos, cuius operis legit aliqua sancto homini Dei Canoati me audiente, promittens simul, si dominus vitam & vires daret, se in toto psalterio eodem studio laboraturum.

CYrus genere Alexandrinus, arte medicus, & ex philosopho monachus, vir dicendi peritus, scripsit aduersus Nestorem prius eleganter & fortiter. Modo autem dum in illum nimius inuehitur, & syllogismis magis B quam scripturis agit, Timotheanum dogma fouere cœpit. Denique ambiguusque etiam sui suspendit animum à consensu Chalcedonensis decreti: nec acquiescendum putat filium Dei duabus post incarnationem constare naturis.

SAmuel Edissenæ Ecclesiæ presbyter, multa aduersus Ecclesiæ inimicos Syro sermone construere dicitur: præcipua tamen intentione contra Nestorianos, & Eutychianos, & Timotheanos nouellos siue ad diuersos hæreticos. Vnde & frequenter triformem bestiam & ecclesiastica insimul sententia cum auctoritate sanctarum scripturarum summatimque ferit, ostendens Nestorianis Deum in homine, non purum hominem ex virgine natum. Eutychianis veram humani generis carnem à Deo assumptam, & non de cœlo exhibitam, nec crassi aëris substantiam in carne formatam. Timotheanis ita verbum carnem factum, vt manente verbo in sua substantia, & homine in sua natura, societate, non immixtione vnam filij Dei reddidisse personam. Viuere adhuc apud Constantinopolim dicitur. Nam initio collati Anthe- C mio imperij, & scripto eius, & esse eum in carne cognoui.

CLaudianus Viennensis Ecclesiæ presbyter, vir ad loquendum artifex, & ad disputãdum subtilis, composui tres de statu, vel de substantia animæ libros, in quibus agit intentionem, quatenus ostendat aliquid incorporeum præter Deum.

PRosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum scripturarum fidem, vsque ad obitum Valentiniani Augusti, & captiuitatem vrbis Romæ à Genserico Vuandalorum rege factam. Legi & librum aduersus opuscula suppresso nomine Cassiani, quæ Ecclesia Dei sa- D lutaria probat, ille infamat nociua. Re enim vera Cassiani & Prosperi de gratia Dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ. Epistolæ quoque Papæ Leonis aduersum Eutychem, de vera Christi incarnatione ad diuersos datæ, ab ipso dictatæ creduntur.

FAustus ex Abbate Lerinensis monasterij apud regnũ Galliæ Episcopus factus, vir in diuinis scripturis satis intentus, ex traditione symboli occasione accepta, composuit librum de Spiritu sancto: in quo ostendit eum iuxta fidem patrum & consubstantialem & coæternalem esse patri & filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque opus egregium de gratia Dei, qua saluamur, & libero humanę mentis arbitrio, in quo saluamur: in quo opere docet gratiam Dei semper & inuitare, & cedere, & iuuare voluntatem nostram: & quicquid ipsa libertas arbitrij pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum. Legi eius & aduersum Arianos & Macedonianos paruum libellum, E in quo coessentialem prædicat Trinitatem, & alium aduersus eos qui dicũt esse in creaturis aliquid incorporeũ. In quo & diuinis testimoniis, & patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum. Est eius epistola in modum libelli ad diaconum quendam Gratum nomine edita, qui à fide Catholica discedens, ad Nestorianam abiit impietatem. In qua epistola admonet eum credere, S. Mariam virginem non purum hominem genuisse, qui postea susciperet diuinitatem, sed Deũ verum & hominem verum. Sunt eius & alia scripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui: viua tamen voce egregius doctor & creditus, & probatur. Scripsit postea & ad Felicem præfectum prætorio & patritiæ dignitatis virum, filium magni consulis iam religiosum, epistolam ad timorem Dei hortatoriam, conuenientem personis pleno animo pœnitentiam agere disponentibus.

SEruus Dei Episcopus, scripsit aduersum eos, qui dicunt Christũ in hac vita degentem non vidisse carneis suis oculis patrem: sed post resurrectionem ex mortuis & ascensionem in cœlis, cum translatus est in gloriam Dei patris, profectum scilicet ei dantis in remunerationem F martyrij: in qua scriptura ostendit & disputatione sane, & sanctarum scripturarum testimoniis, dominum Iesum ab ipso eius conceptu per Spiritum sanctum facto & partu ex Virgine, quod Deus verus in homine vero, ipse quoque homo Deus factus natus est, semper carnis suæ oculis & patrem vidisse, & Spiritum sanctum per specialem & vnitam Dei & hominis societatem.

VIctorius homo natione Aquitanicus, calculator scripturarũ scrupulosus, inuitatus à S. Hilario vrbis Romæ Episcopo, composuit paschalem cursum indagatione cautissima, post quatuor priores, qui composuerant, id est, Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum, & protendit annorum seriem vsque ad annum quingentesimum tricesimum secundum: ita vt à quingentesimo tricesimotertio anno reincipiat paschalis solemnitas, eodem mense & die eademque luna, quæ primo passionis ac resurrectionis dominicæ anno facta est.

THeodoretus Cytiæ ciuitatis Episcopus (à Cyro enim rege persarum condita, seruat hodieque apud Syriã nomen auctoris) scripsisse dicitur multa: ad meam notitiam tamen ista sunt quæ venerunt, De incarnatione do- G mini aduersum Eutychem presbyterum & Dioscorum Alexandriæ Episcopum, qui humanam in Christo carnẽ fuisse negant, scripta fortia, per quæ confirmat & ratione & testimoniis scripturarum, ita illum veram maternæ substantiæ carnem habuisse, quam ex matre Virgine sumpsit, sicut & veram deitatem, quam æterna nascibilitate Deo patre gignente, ipso nascendo accepit. Et decem historiæ ecclesiasticæ libri, quos imitatus Eusebium Cæsariensem conscripsit, incipiens à fine librorum Eusebij vsque ad suum tempus, id est, à vicennalibus Constantini vsque ad imperium Leonis senioris deduxit, sub quo & mortuus est.

GEnnadius Constantinopolitanæ Ecclesiæ pontifex, vir lingua nitidus, & ingenio acer, tam diues ex lectione antiquorum fuit, vt Danielem prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Homilias etiam multas composuit. Moritur seniore Leone impe- H perium tenente.

THeodulus in Cælesyria presbyter multa conscribere dicitur, sed ad me liber eius venit, quem de consonantia diuinæ scripturæ composuit, id est, veteris & noui testamenti aduersus antiquos hæreticos. Qui propter differentiam præceptorum vel cęrimoniarum, alium veteris testamenti Deum dixerunt, alium noui. In quo ostendit dispensationis fuisse vnius eiusdemque Dei auctoris vtriusq; scripturę, vt alia per Moysen antiquis lex daretur in sacrificiorum cęremoniis & iudiciorũ animaduersionibus: alia nobis per Christi pręsentiam in sacris mysteriis & futuris repromissionibus, nec diuersa credi debere, aut non vno spiritu & vno auctore dictata: cũ illa quę si modo secundũ literam obseruarentur occiderent,

ea dem

A eadem ipſa ſecundum ſpiritum intellecta viuificet. Mo-
ritur hic ſcriptor ante triennium regnante Zenone.

IOannes Antiochenæ parrochiæ ex grammatico pres-
byter, ſcripſit aduerſum eos qui in vna tantum ſubſtā-
tia adorandum aſſerunt Chriſtum, nec acquieſcunt, duas
in Chriſto confitendas naturas: docens ſecundum rela-
tionem ſcripturarum vnam in illo Dei & hominis eſſe
perſonam, non vnam carnis & verbi naturam. Simul &
impugnat aliquas Cyrilli Alexandrini Epiſcopi ſenten-
tias, docens incaute ab illo aduerſum Neſtorem prola-
tas, quæ nunc fomentum ſunt, & robur addunt Timo-
thianis, quod valde inaniter dicit. Viuere adhuc dicitur,
& ex tempore declamare.

HOnoratus Conſtantinæ Africæ ciuitatis Epiſcopus,
ſcripſit ad Archadium quendam, qui pro confeſ-
ſione fidei Catholicæ in partes Africæ exulabat, epiſto-
lam ad labores pro Chriſto ferendos hortatoriam, & e-
B xemplis præſentibus, & ſcripturarum relationibus robo-
ratam: & quod confeſſionis fidei perſeuerantia, non ſo-
lum præterita purget à crimine peccata, ſed & meritum
procuret martyrij.

CErealis Epiſcopus natione Afer, interrogatus à Ma-
ximiano Africanorum Epiſcopo, ſi poſſet vel paucis
diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, abſque vlla diſputationis
duntaxat aſſertione fidem Catholicam aſſignare. Quam
ille in nomine domini, ſuffragante ſibi veritate, non pau-
cis teſtimonijs, ſicut Maximianus irridens petierat, ſed
copioſis tam veteris teſtamenti, quam noui indicibus
approbauit, & libello edidit.

EVgenius Carthaginenſis Africæ ciuitatis Epiſcopus,
& confeſſor publicus, admonitus à Hunericho Vuā-
dalorum rege, Catholicæ fidei expoſitionem, & maxime
verbi homouſion proprietatem differere, cum conſenſu
omnium Africæ, & Mauritaniæ, & Sardinæ, atque Cur-
ſicæ Epiſcoporum & confeſſorum, qui in Catholica per-
manſerunt, compoſuit librum fidei, non ſolum ſcriptu-
rarum ſanctarum ſententiis communitum, & per colle-
C gas confeſſionis ſuæ porrexit. Iam vero aſportandus pro
fidelis linguæ remuneratione in exilium, epiſtolas velut
commonitorias fidei, & vnius ſacri & conſeruandi ba-
ptiſmatis ouibus ſuis, quaſi paſtor ſolicitus dereliquit.
Altercationes quoque, quas cum Arianorum præſulibus
per internuntios habuit, conſcripſit: & regi legendas per
maiorem domus eius tranſmiſit. Similiter & preces pro
quiete Chriſtianorum, eidem velut apologias obtulit. Vi-
uere adhuc ad confirmationem Eccleſiæ dicitur.

POmerius natione Maurus, in Gallias presbyter ordi- E
natus, interrogantibus & rogantibus Iuliano Epiſco-
po, & Vero presbytero: dialogorum more reſpondens,
arte dialectica & ſermone ingenio apto, compoſuit de
natura animæ & qualitate eius, & de reſurrectionis eius
ſpecialitate, in hac vita fidelium & generali omnium ho-
minum, libros octo. Quorum primus continet, quid ſit
anima, vel qualiter ad imaginem Dei credatur facta. Se-
cundus, vtrum anima incorporea, an corporea debeat
credi. Tertius, vnde ſit anima primo homini facta. Quar-
tus, vtrum anima, quæ naſcituro corpori infundenda eſt
noua fiat ſine peccato: An ex ſubſtantia animæ primi ho-
minis velut propago è radice producta, etiam peccatum
primæ animæ ſecum originaliter retrahat. Quintus, reca-
pitulationem libri quarti, diſputationes, & definitiones,
& quæ ſit facultas animæ, id eſt, poſſibilitas, & quod eam
ex ſingulari voluntate obtineat. Sextus, vnde ſit iuxta
Apoſtoli dictum, aduerſitas carnis & ſpiritus. Septimus,
de differentia vitarum, mortium, reſurrectionum carnis
& animæ. Octauus, de his quæ in fine mundi futura præ-
dicta ſunt, & abſolutiones quæſtionum, quæ de reſurre-
ctione proponi ſolent. Memini legiſſe me olim eius dicta-
tum ad quendam nomine Principium, de contemptu F
mundi ac rerum tranſiturarum hortatorium, & alium de
vitijs & virtutibus præritulatum. Scripſiſſe & alia dicitur:
& adhuc ſcribere, quæ ad meam notitiam non venerunt.
Viuit vſque hodie, conuerſatione Deo digna, apta pro-
feſſioni & gradui.

HOnoratus Maſſilienſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir elo-
quens, & abſque vllo linguæ impedimento, ex tē-
pore in Eccleſia declamator: & quia à pueritia in timore
Dei creſcens, etiam in negotijs eccleſiaſticis exercitatus
eſt, os ſuum quaſi armarium ſcripturarum aperit, & in
homiliarum modum ad vtilitatem legentium multa com-
ponit: maximeque ad colendam fidei rationem, & reuin-
cendam hæreticorum peruerſitatem. In cuius libera præ-
dicandi conſtantia, non ſolum vicinarum ciuitatum ſa-
cerdotes & populi delectantur: ſed & longe poſiti, cum
ad eos neceſſario pergit, ſummam ei docendis in ſuis ec-
cleſijs rogantes iniungunt. Sanctus quoque Papa Zela-
ſius, Romanæ vrbis pontifex, per ſcripturam agnoſcens
eius fidei integritatem, reſcripto ſuo probatam indicauit. G
Sanctorum patrum vitas, ad ædificationem poſterorum
coaptat ipſe legendas, præcipue nutritoris ſui S. Hilarij
Arelatenſis Epiſcopi, letanias ad ſupplicandum Dei cle-
mentiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit.

Finis Catalogi Illuſtrium virorum Gennadij.

MARTINI QVINTI PONTIFICIS
SEQVENTIS REGVLÆ MONACHORVM
APPROBATIO.



D MArtinus Epiſcopus ſeruus ſeruo-
rum Dei, ad perpetuam rei memo-
riam. Et ſi pro cunctorum Chriſti
fidelium ſequitur quibus curam
Apoſtolatus officij gerimus, ſtatu
ſalubriter dirigendo & ampliando
diligenter adhibeamus ſolicitudinis
noſtræ partes. Illos tamen affectuo-
ſiori proſequimur charitate, qui mundanis abiectis ill[e]-
cebris, in humilitatis ſpiritu ſedulo virtutum domino f[a]-
mulantur. Vnde ea, quæ pro illorum ſub vera religionis
obſeruantia ſtabiliendo propoſito prouide emanaſſe cō-
perimus, vt firma illibataque permaneant, libenter Apo-
ſtolico munimine roboramus. Nuper ſiquidem pro parte
dilecti filij Lupi de Olueto, ordinis monachorum ere-
mitarum S. Hieronymi generalis præpoſiti, nobis expo-
ſito, quod dudum ipſe & plerique alij profeſſores ordi-
nis eiuſdem S. Hieronymi, ſub regula S. Auguſtini, tunc
viuentes, zelo deuotionis accenſi, ob frugem vitæ me-
lioris, arctius & perfectius quam regula dictaret huiuſ-
modi, & in vero ſtatu monachali, quem ipſe S. Hierony-
mus cum ſuis monachis & fratribus profeſſus fuiſſe, &
in communi obſeruaſſe perhibetur, viuere: &, vt nomen H
gerebat eiuſdem ſancti, ſic eius vitam, regulam, & opera
deſiderabant imitari. Idcirco ad huiuſmodi ordinis ſta-
bile potius fundamentum pro inſtitutione regulæ mo-
nachorum eremitarum ordinis S. Hieronymi, ex diuerſis
epiſtolis & tractatibus per dictum S. Hieronymum edi-
tis, per Eccleſiam approbatis, nonnullamque veram re-
ligionis doctrinam: vitamque monachalem, quam idem
ſanctus cum ſuis monachis & fratribus in eius vita in
communi, quoad ea quæ principalia ſunt ſtatus & vitæ
monachalis per multa, & vſque ſui tempora oblitus ob-
ſeruauit, & aliquos alios obſeruare mouit continentia:
Lupus ipſe contraxerat, compilauerat, & velut in vnum
corpus, ſub certis titulis reduxerat, ſub quib. ipſe & pleri-
que alij monachi & fratres dicti ordinis ex tunc in antea
degere & permanere, ac illa in regulam ſuſcipere propo-

A nebant & affectabant. Nos tunc huiusmodi propositum condignum & rationi consonum recensentes huiusmodi regularem & monachalem obseruantiam ipsum sanctum Hieronymum in vita eius obseruandam merito laudantes & approbantes, illamque in Dei Ecclesia in ordinem monachalem attolli, & obseruari intensis desideriis affectantes: eidem Lupo doctrinam & instituta monachalia eiusdem sancti Hieronymi ex eisdem epistolis & tractatibus, prout per ipsum Lupum extracta, compilata, & reducta fuerant, loco regulæ sancti Augustini in regulam monachalem ordinis monachorum eremitarum dicti sancti Hieronymi, & eiusdem sancti vitam præfatam in ordinem huiusmodi suscipiendam, ac ipsam regulam dicti sancti, prioribus, monachis, fratribus, & personis prædictis sub ea viuere cupientibus, quos etiam ac ipsum Lupum, postquam secundum eandem regulam vota sua principalia emisissent, à regulæ dicti sancti Augustini obseruantia ex tunc penitus absolutos esse volumus: & decreuimus obseruandam tradendi, & publicandi plenam & liberam per alias nostras literas, quas & earum tenores præsentib. haberi volumus pro expressis concessimus facultatem: ac per easdē literas voluimus, quod postquam idem Lupus regulam huiusmodi tradidisset & publicasset, vt præfertur, ex tunc ipsi eæ priores, monachi, fratres, & personæ prædicti secundum illam vota sua principalia religionis huiuscemodi, emittere, profiteri, & viuere tenerentur. Ipsaque regula sic tradita & publicata, robur obtineret perpetuæ firmitatis. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte eiusdem Lupi petitio, licet ipse postmodum ad salutarem dicti ordinis monachalis institutionem, eiusque soliditatem incrementum prouide intendens, præfatam vitam dicti sancti Hieronymi monachalem in ordine huiuscemodi eiusque doctrinam & instituta monachalia, prout ex epistolis & tractatibus prædictis per ipsum Lupum extracta, compilata, & redacta fuerant, vt præfertur dictarum literarum vigore loco dictæ regulæ sancti Augustini in regulam ordinis monachorum eremitarum huiuscemodi assumpserit & erexerit atque susceperit: ipsamque regulam, prioribus, monachis, fratribus, & personis huiusmodi ordinis sub ea viuere cupientibus, iuxta illius continentiam inuiolabiliter obseruandam tradiderit, publicauerit, ac obseruari decreuerit. Ipsique priores, monachi, & fratres vota sua principalia secundum regulam huiuscemodi in manibus dicti Lupi professi fuerint. Illaque de cætero viuentes secundum eam regantur & gubernentur, ac ipsam in regulam eorum tanquam veram doctrinam monachalem sancti Hieronymi laudantes & approbantes acceptarunt, & secundum eam etiam monasteria eiusdem ordinis monachorum regunt atque gubernant: idem tamen Lupus assumptionem, erectionem, susceptionem, traditionem, publicationem, & decretum aliaque præmissa ex certis causis dubitat viribus non subsistere: pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter supplicatum, vt assumptioni, erectioni, susceptioni, & publicationi, ac talibus præmissis pro illorum subsistentia firmiori, robur apostolicæ confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui religioni propagationem, & diuini cultus augmentum nostris vigere temporibus intensis desideriis affectamus: huiuscemodi supplicationibus inclinati, assumptionem, erectionem, susceptionem, & publicationem, & alia præmissa, ipsamque regulam, prout inferius describitur, ac omnia & singula in ea contenta, ac inde secuta, rata habētes, & grata ea auctoritate apostolica ex nostra certa sciētia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem. Statuentes nihilominus harum serie, & etiam ordinantes, quod de cætero Lupus ipse eiusque successores, præpositi generales, priores, monachi, fratres & professores, ac conuentus & monasteria dicti ordinis monachorum eremitarum sancti Hieronymi, quæ nunc sunt & erūt in posterum, profiteantur vota sua tria principalia religionis, ac etiam regantur & gubernentur per dictum Lupum eiusque successores præpositos: ac viuere teneantur secundum regulam huiusmodi eiusque continentiam & effectum, ac ipsius susceptionem, traditionē, & publicationem præfatas, aliaque constitutiones ordinis huiusmodi regularia. Volumus insuper atque concedimus ad serenandas conscientias professorum huius ordinis, & quo ipsorum maiori quiete animorum, quod si qui professorum huiusmodi dictam regulam, seu aliqua de contentis in ea humana fragilitate, aut infirmitate causante, seu alias tam exacte prout traditur in eisdem non obseruauerint, non propterea mortalis peccati vinculo sint ligati: sed per suos superiores pro eorum excessu & transgressione ac modo culpæ iniungi valeat pœnitentia salutaris, quam suscipere & adimplere teneantur, non obstātibus constitutionibus Apostolicis, ac prædicti & aliorū quorumcunque ordinum statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quacūque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Tenor vero regulæ huiusmodi de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

MARIANVS VICTORIVS

REATINVS EPISCOPVS AMERINVS.

Hanc regulā Monachorum, ex veris D. Hieronymi sententiis collectam esse, nemo qui in eius lectione versatus est, infitiari potest. Ita autem apposite, congruenterque in vnū eas Lupus de Olineto cōtexuit, vt non aliter quā hic legis, fudisse eas Hieronymum existimare possis. Itaque si veteres Homerocentonas, & Vergiliocentonas, quas Proba Falconia mulier non imperita consuit, tot laudibus dignas ducunt: cur non quinis pluribus has Hieronymocentonas praconiis extollat? Præsertim cum illæ de futilibus, & à religione nostra abhorrentibus materijs. Hæ vero non nisi de Cristiana professione, præcipuisque illius virtutibus, & quæ perfectionis statum respiciunt, conscriptæ sint. Multis igitur laudibus dignus est Lupus: qui ad hominum vitam recte, sancteque instituendam, & Monachorum professorem seruandam, hæc ipsa ex Hieronymo (quem Monachum fuisse nemo est qui ignoret) docte, appositeque collegit.

REGVLA MONACHORVM D. HIERONYMI, EX SCRIPTIS EIVSDEM PER LVPVM DE OLIVETO COLLECTA.



Ratres charissimi, non queo quem mente concepi ore proferre sermonem: & cordis lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non solum ego patior, qui cupio narrare quæ sentio, sed etiam & vos mecum parimini, plus exultantes in consciētia, quam in eloquio proferētes. Cum itaq; nihil sit Christiano felicius, cui promittuntur regna cœlorū. Nihil laboriosius, qui de vita quotidie periclitatur. Nihil fortius, qui vincit diabolū. Nihil imbecillius, qui à carne superatur. Vtriusque rei exempla sunt plurima. Latro credit in cruce, & statim meretur audire. *Amē dico tibi, hodie mecū eris in paradiso.* (Luc. 23.) Iudas vero de apostolat' fastigio in perditionis tartarū labitur, & nec familiaritate cōuiuii, nec intinctione buccellæ, nec osculi

gratia

A gratia frangitur, ne quasi hominem tradet, quem filiũ Dei nouerat. Nos quidẽ parua dimisimos, grãdia possidemus, cẽtuplicato fœnore Christi promissa reddũtur. Hæc dicimus, non tam tibi quàm aliis sub tuo nomine, vt prima rẽ fili fronte doceamus magna cœpisse, & excelsa sectari: & adolescentiæ, imo pubertatis incentiua calcantem perfectæ ætatis gradum scandere. Scis enim dogma nostrum humilitatis tenere vestigium: & per ima grandientes ad summa nos ascendere. Igitur sanctus mihi inuocandus est spiritus, vt hoc suo sensu ore meo defendat. Non quidem campum rhetorici desideramus eloquij, non dialecticorum tendicula & Aristotelis spineta conquirimus: sed ad sanctarum scripturarum grauitatem confugimus, vbi vulnerum vera medicina est, vbi dolorum certa remedia. Verum quia memoria labitur, omnium quæ diximus desiderias commentariolum fieri, vt obliuionem lectio consoletur, ideo pauca, quæ tibi reor fore necessaria, credidi subnectenda. Illuc enim nostra tendit oratio, vt quorum vnus est labor, vnum & præmium sit. Nauigantes namque rubrum mare, in quo optandum nobis est, vt verus Pharao mergatur cum suo exercitu, multis difficultatibus atque periculis ad vrbem maximam perueniunt, vtroque littore gentes vagæ imo beluæ habitant B ferocissimæ. Semper soliciti, semper armati, totius anni vehunt cibaria, latentibus saxis, vadisque durissimis plena sunt omnia. Quorsum ista perspicuum est. Nam si sæculi negotiatores tanta sustinent, vt ad incertas perueniant, perituras que diuitias, & seruent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt: quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus, quærit pretiosissimam margaritam? qui totis substantiæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, & latro non possit auferre. Nosse igitur oportet quid iussum sit, quidve prohibitum, vt scientes vtrumque seruemus. Alioquin ante scientiam mandati impossibile est nosse quid fiat. Et hæc ergo non integris rate vel mercibus, quasi ignarus fluctuum, doctus nauta præmoneo, sed nuper naufragio eiectus in littus, timida nauigaturis voce denuntio. Cuncti tamen mei sensus affectu C vobis vaco, sed obsecro vos, vt conatus meos orationibus adiuuetis, vt dominus & saluator pro causa sua respondeat. Vestrum itaque est, vt voluntatem sequatur effectus. Meum est vt velim. Obsecrationum vestrarum est, vt possim, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum. Deus semper largitur, semperque donaturus est: nec mihi sufficit quod semel dedit, nisi semper dederit. Si enim duri iudicis sententiam crebra mulieris flexit petitio, quanto magis paterna viscera interpellatione sedula molliuntur? Scitote tamen ante omnia nobis esse nihil antiquius, quàm Christi iura seruare, nec patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam.

De Obedientia.

ACcipe ergo filij doctrinam nostram ea simplicitate & veritate qua dicimus: quia non quærimus hominũ gloriam, Deus testis est. Nec ad hoc loquimur, D vt humanas amicitias aucupemur, ne nostræ adulationis sermone & nos & alios decipiamus. Nec vt nos apud homines aliquid videamur, sed vt apud Deum homines magna mereantur. Hoc est itaque totum quod apprehẽsa manu insinuare tibi cupio: & vt simpliciter motum mentis meæ fatear, nunc monachi incunabula moresque discutimus. Si *vis* igitur *ad vitam ingredi, serua præcepta*, (Matth. 19.) hoc est, ab omni præcepto illicito, quo prohiberis, recedas, & ad omne bonum, quod iuberis, promptus accedas. Respice sanctum virum Pammachium, & feruentissimæ fidei Paulinum presbyterum, qui non solum diuitias, sed seipsos domino obtulerunt. Qui contra diaboli tergiuersationem nequaquam pellem pro pelle, sed carnes & ossa & animas suas domino suo consecrarunt, qui te & exemplo & eloquio, id est, & opere & lingua possint ad maiora perducere. Nobilis es, & illi, sed in Christo nobiliores. Diues & honoratus, & illi, imo de diuitibus pau- E peres & inglorij. Et idcirco ditiores & magis inclyti: quia pro Christo pauperes & inhonorati. Contemnis aurum, contempserunt & multi philosophi. Non enim satis est perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proiicere quod in momento & perdi & inueniri potest. Fecit hoc & Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus enim debet Christi discipulus præstare, quàm mundi philosophus gloriæ animal, & popularis auræ atque rumoris vile mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi & Christum sequaris. Teipsum vult dominus *hostiam viuam, placentem Deo*: (Philip. 4.) te, inquam, non tua. Et Deus variis tentationibus commonet, quia multis plagis & doloribus erudiuit Israël, & quem diligit dominus, corripit: flagellat autẽ omnem filium quem recipit. Et quod si teipsum domino dederis, & apostolica virtute perfectus sequi cœperis saluatorem, tunc intelliges vbi fueris, & in exercitu Christi, quàm extraneum tenueris locum. Vnde & præpositum monasterij timeas vt dominum diligas vt parentem, credas tibi salutare quicquid ille præceperit, nec de maioris sententia iudices, cuius officij est obedire & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse. *Audi Israel & tace*. Neque ipse te doceas. Nulla ars absque magistro discitur. (Eccles. 13.) Etiam muta F animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues quoque vnam sequuntur ordine literato. Imperator vnus, Iudex vnius prouinciæ. Roma, vt condita est duos fratres simul reges habere non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Iacob & Esau bella gesserunt. Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando legenti fastidium faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio relinquendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille te doceat mansuetudinem, non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis, & operis tui pensum persoluas: subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, nec dum expleto somno surgere compellaris. Tantis occupatus negotiis, nullis vacabis cogitationibus: & dum G ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente retinebis, quod agere cõpelleris. Nam omni oblatione & hostia pretiosior est obtemperantia mandatorũ, dicente Propheta. *Ecce obedientia melior est quàm sacrificium*, & * auscultatio quam adeps arietũ. (1 Reg. 15. Al. * obaudiatio.) Et alibi. *Initium bonæ vitæ, facere iuxta quæ præcepta sunt apud Deum magis quam immolare hostias.* Et alibi. *Qui conseruat legẽ, multiplicat oblationem, Sacrificiũ salutare est, attendere mãdatis, & discedere ab omni iniquitate.* (Prou. 16. Eccles. 35.) Nec nobis blandiri debemus in factis iussorum, si in prohibitorum trãsgressione peccemus, cum transgressionis crimen, benefacti meritum tollat. Quod non mei sensus assertio, sed vtriusque testamenti exempla probant, vbi inuenimus etiam Dei amicos ob vnius contemptus errorem, bonorum retro factorum munificentiam perdidisse. Sic Adam facilè cum diabolo credidit seducenti, post familiaritatem & colloquium Dei, vnius pomi cupiditate superatus, perdidit paradisum. Et quia per transgressionem vnum habere præsumpsit, multa simul bona amisit. Sic vxor Lot post angelorum colloquia contra interitum retro aspiciens, in figmentum salis repente conuersa est. (Gen. 19.) H Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, vt cum sanctos homines de leuibus etiam culpis videamus punitos esse, & nos quotidie in maioribus & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? quanquam leue nusquam sit Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatẽ peccati respicit, sed etiã ad personæ contemptum, propter quod non solum homini intendendũ quale sit quod iubetur, sed quantus sit ille qui iubet. Excluditur hoc loco vulgaris illa sententia, qua mihi suo iudicio religiosi, & qui sapiẽtes sibimet videntur dicere solent. Sufficit nobis

A vt non criminalia peccata & maiora faciamus. Facilis est enim omissio minorum delictorum. Qui dum animali sapientia occupant animos, spiritalem intelligentiam & consuetudinem diuinæ legis ignorant, quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis non videtur esse peccatum, & quæ illic impietatem facit, vbi nos pietatis opus ostendimus. Saul & Iosapbat reges fuerunt Israël, & dum misericordiam his quos Deus oderat præstiterunt, Dei offensam in opere pietatis incurrerunt. Econtrario Phinees filiique Leui, gratiam Dei, humana cæde & suorum parricidio meruerunt. Vides quantum ab humanis sensibus per nostram imperitiam discrepat diuina sentẽtia, vt nobis interdum cælestis iudicis dispensationem nesciẽtibus iniusta videantur, quæ per causarum scientiam iustè & satis rectè facta probantur. Et rursum ea quæ nostro iudicio rectè probantur, apud Deum plerunque reproba & ingrata videntur. B Quis hodie patris Abrahæ exemplo innoxium volens filium trucidare, humano iudicio non crederetur insanus? Econtra quis in tactu arcæ domini imitatus Ozam, hominum iudicio condemnaretur? Consideremus igitur quantus casus sit temerè contemnentis, cum tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentis, vel quam damnationem excepturos credimus in deuotos, cum tantam reprobationem deuoti exceperint. Tepidum discipulum non amat Christus. Qui vult meus esse discipulus, ait, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Beatæ itaque sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curuauerunt, vt suscipiant super se sessorem, & frena eius patiantur, vt quocunque voluerit flectat eas. Quando enim magister præcipit, obedientis indicium est, si demisso aduersus eum audiat capite. Si autem vertat tergum, signum est contemnentis.

De tribus generibus Monachorum in Ægypto commorantium.

C VT quia Monachorum fecimus mentionem, & te scio libenter audire quæ facta sunt, aurem paulisper accommoda. Tria sunt in Ægypto Monachorum genera. Primum Cœnobitæ, quod illi Sanses gentili lingua vocant, quos nos in commune viuentes possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint nuncupantur. Tertium genus est, quod ipsi Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, quod in nostra prouincia, aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni nec multo plures simul habitant, suo arbitrio ac ditione viuentes. Et de eo quod laborauerint, in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quam plurimi in vrbibus & castellis, & quasi ars sit sancta non vita, quicquid vendiderint maioris est pretij. Inter hos sæpè sunt iurgia, quia suo viuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Re vera solent certare ieiuniis, & rem secreti, victoriæ faciunt. Apud hos affe-
D ctata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus aduenerit, saturantur ad vomitum. His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, veniamus ad eos qui plures sunt, & in commune habitant, id est, quod vocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confœderatio est obedire maioribus, & quicquid iusserint facere. Diuisi sunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus præsit decimus. Et rursum decem præpositos sub se centesimus habeat. Manent separati, & seiunctis cellulis: vsque ad horam nonam, vt institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis quos diximus, vt si cogitationibus fortè quis fluctuet, illius consoletur alloquijs. Post horam nonam in commune conenititur, Psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus cunctisque residentibus, medius quem patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus est in fletu audientium. Tacitè voluuntur per ora lachrymæ, & ne in singultus quidem erumpit dolor. H Cum vero de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura, videas cunctos moderato suspirio, & oculos ad cœlum leuantes inter se dicere. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Psal. 54. Post hæc concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est. Nemo comedens loquitur. Viuitur pane & leguminibus, & oleribus quæ solo sale condiuntur. Vinum tantum senes accipiunt, quibus cum paruulis sæpè fit prandium, vt aliorum ætas fessa sustentetur, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt, vbi vsque ad vesperum cum suis vnusquisque loquitur & dicit. Vidistis illum & illum? quanta in ipso gratia sit? quantum silentium, quam moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur. Si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra suas orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant. F Quam tardiorem deprehenderint, non increpant: sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & prius incipientes prouocant magis orare, quàm cogant. Opus diei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses patri omnium cum magno reddit timore rationem, à quo etiam cibi cum facti fuerint, degustantur. Ieiunium totius anni æquale est, excepta quadragesima, in qua sola conceditur districtius viuere. A pentecoste, cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni ecclesiasticæ satisfaciant, & ventrem cibo non onerent duplicato. Ad tertium veniam genus, quos anachoritas vocant, qui & de cœnobiis exeuntes, excepto pane & sale, amplius ad deserta nil deferunt. Huius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista fuit. Talem vero virum Hieremias quoque Propheta describit dicens. *Bonum est viro cum portauerit iugum domini ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia sustulit super se iugum, & dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs, quia non in sempiternum abijciet dominus.* Thren. Horum laborem & conuersationem in carne non carnis, alio tempore si volueris, explicabo. Nunc ad propositum redeam. G Bonum est obedire maioribus, parere præfectis, & post regulas scripturarum vitæ tuæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore vti pessimo, scilicet præsumptione tua.

De Castitate.

MOrtificate, inquit Apostolus, *mẽbra vestra, quæ sunt super terram.* Colos. 3. Vnde ipse postea considerans aiebat. *Viuo autẽ iam non ego, viuit vero in me Christus.* Gal. 2. Qui mortificauerit mẽbra sua, & in imagine noctis perambulauerit, non timebit dicere. *Factus sum sicut vter in pruina.* Psal. 118. Vnde idem Apostolus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, *ne alijs prædicans, ipse reprobus* inueniretur. 1. Cor. 9. Corporisq; ex persona generis humani inflatus ardoribus loquebatur. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et iterũ. *Scio quoniam non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adiacet mihi, vt faciam autem bonum nequaquam: neque quod volo bonum, sed quod nolo malũ illud facio.* Rom. 7. Et denuo. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Rom. 8. H Vnde post cogitationũ diligentissimã cautionem, ieiuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum Dauid: *Humiliaui in ieiunio animã meã.* Psal. 34. Matrẽ ita vide, ne per illã alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis. Quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior ruina est. Volo ergo te propter has causas non habitare cum matre, & præcipuè ne ipsam offerentem delicatos cibos, renuendo contristes: aut si acceperis, oleum igni adiicias, & inter frequentiam puellarum per diem videas, quod noctibus cogites. Adolescen-

A ſcientiam tuam nulla ſorde commacules, vt ad altare
Chriſti, quaſi de thalamo virgo procedas, & habeas de
foris bonum teſtimonium, licet de cæteris virtutibus, vt
ſapientia, fortitudine, iuſtitia, humilitate, manſuetudine
& liberalitate, poſſunt & alij iudicare. Pudicitiam ſola
nouit conſcientia, & humani oculi huius rei certi iudices
eſſe non poſſunt. Fœminæ quoque quæ nomen tuum
nouerint, vulnus neſciant. Nam Ioannes Baptiſta ſan-
ctam matrem habuit, pontificiſque filius erat, & tamen
nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in
domo parentum cum periculo viueret caſtitatis. Viue-
bat in eremo, oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil a-
liud dignabatur aſpicere. Veſtis aſpera, zona pellicea, ci-
bus locuſtæ, & mel ſylueſtre, omnia virtuti & continen-
tiæ præparata. Vnde martyrem quem tormenta non vi-
cerant, ſuperabat voluptas. Tandem cœlitus inſpiratus
præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit,
& ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo
præripuit. Nam quomodo qui ignem tetigerit ſtatim ad-
uritur, ita viri tactus & fœminæ ſentit naturam ſuam, &
diuerſitatem ſexus intelligit. Item quomodo poterit li-
bidinem refrenare, qui nec malum valet cohibere, nec
linguam? Sed & hoſpitiolum tuum nunquam mulie-
B rum pedes terant. Videas ne ſub eodem tecto manſites,
nec in præterita caſtitate confidas. Quia nec Dauid ſan-
ctior, nec Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſa-
pientior. Memento ſemper, quod paradiſi colonum de
poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi ſanctus
quilibet frater aſſiſtat. Nam ſcio quoſdam corpore con-
ualuiſſe, & animo ægrotare cœpiſſe. Periculosè tibi mi-
niſtrat, cuius vultum frequenter attendis. Si tamen vidue
à te viſitatur, aut virgo, nonquam domum ſolus intro-
eas. Solus cum ſola & abſque arbitro vel teſte non ſedeas,
tantaque confabulandi fiducia ſit, vt intrante alio non
paueas, nec erubeſcas. Speculum enim mentis facies eſt:
& taciti oculi, cordis fatentur arcana. Tales quoque ha-
beto ſocios, quorum contobernio non infameris. Non
veſte, ſed moribus ornentur, & pudicitiam habitu polli-
ceantur. Corrumpunt mores bonos, confabulationes
peſſimæ. Caueto omnes ſuſpitiones, & quicquid proba-
biliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Crebra mu-
C nuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicitas,
& oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſque & dulces li-
terulas, ſanctus amor non habet. Audi me. Mel meum,
lumen meum, meumque deſiderium Chriſtus eſt. Om-
nes delitias & lepores & riſu dignas vrbanitates, & cæ-
teras ineptias amatorum, in comœdiis erubeſcimus, & in
ſeculi hominibus deteſtamur: quanto magis in clericis
& monachis, quorum ſacerdotium propoſito, & propo-
ſitum ſacerdotio ornatur? Nec hoc dico, quod aut in te,
aut in ſanctis viris iſta formidem, ſed quod in omni pro-
poſito & gradu & ſexu, boni & mali reperiantur, malo-
rumque condemnatio, laus bonorum ſit. Vide quid poſ-
ſint frena, à vitijs nos retrahunt, introducunt ad virtutum
choros, in Chriſtoque monte pulcherrimo habitare nos
faciunt. Quamdiu in patria tua es, habeto cellulã pro pa-
radiſo, varia ſcripturarum poma decerpe. His vtere deli-
tiis, harũ fruere cõplexu. *Si ſcandalizat te pes, oculus, ma-*
D *nus tua, proijce ea.* Nulli parcas, vt ſoli parcas animæ tuæ.
Matth. 5. *Qui viderit*, inquit dominus, *mulierem ad concupiſcendum*
eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quis gloriabitur ca-
ſtum ſe habere cor? Aſtra non ſunt munda in conſpectu domi-
ni: quanto magis homines, quorum vita tentatio eſt? Væ
nobis miſeris, quotiens concupiſcimus, totiens fornica-
mur. Inebriatus eſt, inquit, gladius meus in cœlo, multo
amplius in terra, quæ ſpinas & tribulos generat. Vas ele-
ctionis, in cuius pectore Chriſtus reſonabat, macerat cor-
pus ſuum, & tamen cernit naturalẽ carnis ardorẽ ſuæ re-
pugnare ſentẽtiæ, vt quod non vult, hoc agere cõpellatur:
& tu te arbitraris abſque lapſu & vulnere poſſe tranſire,
niſi omni cuſtodia ſeruaueris cor tuũ: maximè cum plu-
rimi etiam ſi continẽtes iracundi ſunt, ebrioſi, procaces,
ſuperbi, ex continentia magis inflati; percuſſores maledi-
ci, cupidi, timidi, multum ſibi placentes vt indices conti-
nentiam, quaſi præferant incontinentiæ ſubminiſtraſſe

materiam. Sed ille continens verè eſt, qui vniuerſa mem- E
brorum officia à malis affectibus ſubtrahit, & cogitatum
à tota nequitia compeſcit, quanto plura tamen ſunt præ-
mia? Nam & ego cum eſſem iuuenis, & ſolitudinis me
deſerta vallarent, incentiua vitiorum ardoremque natu-
ræ ferre non poteram, quem cum crebris ieiuniis frange-
rem, mens cogitationibus æſtuabat. Ad quam edoman-
dam cuidam me fratri qui ex Hebræis crediderat, in diſ-
ciplinam dedi: vt poſt Quintiliani acumina, grauitatem
Frontonis, Ciceroniſque fluuios, & lenitatem Plinij, al-
phabetum diſcerem, ſtridentia anhelantiaque verba me-
ditarer. Quid ibi laboris inſumpſerim, quotienſque ceſ-
ſauerim, & contentione diſcendi rurſus inceperim: teſtis
eſt conſcientia tam mea qui paſſus ſum, quàm eorum qui
mecum duxerunt vitam. Et gratias ago domino, quod de
amaro ſemine literarum dulces fructus capio. Prima igi-
tur tentamenta clericorum ſunt mulierum acceſſus. No-
cituum genus fœmina, ianua diaboli, via iniquitatis,
ſcorpionis percuſſio: cum proximat ſtipula, accendit i-
gnem, flammigero igne percutit fœmina conſcientiam F
pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego
iudico, ſi cum viris fœminæ habitent, viſcarium non de-
erit diaboli. Si alligauerit quis ignem in ſinu ſuo, & ve-
ſtimenta ſua non comburentur? Mihi crede, non poteſt
toto corde cum domino habitare, qui fœminarum ac-
ceſſibus copulatur. Sed dicis: Qui ambulat ſimpliciter,
ambulat confidenter. Benè & argutè: ſed oportet bo-
num habere teſtimonium ex his qui foris ſunt. Licet co-
ram Deo rectè ambules, tamen corã hominibus bona
prouidenda ſunt: quia aſtutiores ſunt filiis lucis filij te-
nebrarum. Cum ergo à te hoc genus non amputatur, das
reprehendentibus te locum, cum ipſe te detrahentium
morſibus tradidiſti. Nam inter illecebras voluptatum, e-
tiam ferreas mentes libido domat: quæ maiorem in vir-
ginibus paritur famem, dum dulcius putat omne quod
neſcit. Narrant gentilium fabulæ, cantibus Sirenarum
nautas in ſaxa iſſe præcipites, & ad Orphei citharam ar-
bores beſtias, ac ſilicum dura mollita. Difficilè quoque
inter epulas ſeruatur pudicitia. Nitens cutis, ſordidum o-
ſtendit animum: licet quidam putent maioris eſſe virtu-
tis præſentem contemnere voluptatem: tamen ego ſecu-
rioris arbitror continentiæ neſcire quid quærat. Remo- G
tio igitur viri, caſtitatis collocat arma, conſtruit in melio-
ribus caſtra pudoris. Tecla poſt tentationem paſſionis
Antiochiæ, cum Paulo perhibetur pariter pergere. Ne-
mo miles cum vxore pergit ad bellum. Germinant fœ-
minæ ſpinas cum viris habitantes, arcana mentium acu-
to mucrone concutiunt. Nemo igitur inter ſerpentes &
ſcorpiones ſecurus ingreditur. Libido enim ſemper ſui
relinquit pœnitudinem. Nunquam ſatiatur, & extin-
cta reaccenditur: vſu creſcit & decreſcit, nec rationi pa-
ret, quæ impetu ducitur. Vnde virginitas in eo felicior
eſt, quod carnis incendia non nouit: & viduitas in eo fe-
licior, quod præteritas animo recolit voluptates. Viro e-
nim luxurioſo verbum caſtitatis offenſio eſt. Qui viuunt
in monaſterio, & quorum ſimul magnus eſt numerus, H
nunquam ſoli extra procedunt. De agmine columba-
rum crebro accipiter vnam ſeparat, quàm ſtatim inuadat
& laceret, & cuius carnibus & cruore ſaturetur. Morbi-
dæ oues ſuum relinquunt gregem, & luporum faucibus
deuorantur. Rarus igitur tibi ſit egreſſus in publicum,
martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Nunquam ti-
bi cauſa erit procedendi, ſi ſemper neceſſariè proceſſu-
rus ſis. Aliorum vulnus, noſtra ſit cautio. Peſtilente fla-
gellato, ſtultus ſapientior erit. Nam etiam quæ homines
æſtimant ſibi ſalutaria: Deo volente verti videmus in
perniciem. In tranquillitate enim tempeſtas oritur, ni-
hil Deo aduerſante ſecurum eſt. Naturale quoque eſt v-
numquemque in ſuo periculo de alio plus ſperare. Si
quando ſenſeris exteriorem hominem florem adole-
ſcẽtiæ ſuſpirare, & accepto cibo, cum te in lecto poſitum
dulcis libidinum pompa concuſſerit, arripe ſcutum fi-
dei, in quo ignitæ diaboli extinguuntur ſagittæ. Omnes
enim adulterantes quaſi clibanus corda eorum, licet
difficile eſt humanam animam aliquid non amare, vtm

A quoscunque mens nostra trahatur affectus. Carnis igitur amor, spiritus amore superetur. Desiderium desiderio restringatur, quicquid inde minuitur, hic crescat. Non sinas ergo cogitationem crescere: dum paruus est hostis inter- Psalm. 136. fice, nequitia elidatur in semine. Audi Psalmistam: *Beatus qui allidet paruulos suos ad petram.* Impossibile est in sensum hominis non irruere motum & medullarum calorem. Ille tamen laudatur, ille prædicatur beatus, qui statim cum cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit 1 Cor. 10. eos ad petram. *Petra autem erat Christus.* Nam fides pura moram non patitur. Cum apparuerit scorpio, ilico conterendus est. Ardentes igitur diaboli sagittæ, ieiuniorum & vigiliarum frigore restinguendæ sunt. Erras namque frater, erras: si putas vnquam Christianum persecutionem non pati. Tunc enim maximè oppugnaris: si te oppugnari nescis. Nemo enim est tanta firmitate suffultus, vt de stabilitate debeat esse securus, dicente Apostolo. *Qui stat, videat ne cadat*: quoniam nullus hostili exercitu 1 Pet. 5. obsidente securus est. Nam *aduersarius noster tanquam leo rugiens* aliquid deuorare quærens, *circumit*, & tu pacem putas? Sedet in insidiis cum diuitibus & in occultis, vt interficiat innocentem. Quod de libidine diximus, refe- B ramus ad auaritiam, & ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et idcirco vrbium frequentiam declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quam voluntas.

De Paupertate.

QVondam diues adolescens, omnia quæ in lege præcepta sunt, se implesse iactabat. Ad quem dominus in Euangelio: *Vnum tibi*, inquit, *deest, si vis perfectus esse,* Matth. 19. *vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Qui omnia se dicebat fecisse, in primo certamine diuitias vincere non potest. Vnde difficilè intrant diuites regna cœlorum, quę expeditos & alarum leuitate subnixos habitatores desiderant. Vade, inquit, vende: non partem substantiæ, sed vniuersa quæ possides: & da, non amicis, non consanguineis, non propinquis, non vxori, non liberis: plus aliquid addam, nihil tibi ob metum inopiæ reseruabis, ne cum Anania damneris & Sapphira: sed da cuncta pauperibus. *Et fac amicos de* iniquo *mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula,* vt me sequaris vt C dominum. Nam omnis qui reliquerit domum, vel fra- Act. 5. tres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut Luc. 16. filios, aut agros propter nomen meum, centuplum acci- Matth. 19. piet, & vitam æternam possidebit. O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Deum debitorem? In Actibus Apostolorum, quando domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, *dabaturque singulis, prout cuique opus erat.* Vnde Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imo cor- Act. 5. de duplici, & ideo condemnati: quia post votum abstulerunt quasi sua, & non eius cui ea vouerant, partemque sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt, metuentes famē, quam vera fides non timet: & præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Vende ergo omnia quæ habes, & da pauperibus, D non diuitibus, non ad luxuriam: sed ad necessitatem. Siue ille sacerdos sit, siue cognatus, siue affinis, nihil aliud in eo consideres nisi paupertatem. Quodque in Ægyptiis & Syriis monasteriis moris est, vt qui se Deo vouerint sæculo renuntiantes, omnes sæculi delitias conculcent, & quòd sæculo renuntiamus voluntas sit, non necessitas, vt paupertas habeat expeditam gloriam, non illata cruciatum. Cæterum iuxta miserias huius temporis, & vbique gladios sæuientes, satis diues est qui pane non indiget: & nimium potens est, qui seruire non cogitur. Multi enim ædificant parietes, & columnas ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, & gemmis altare distinguitur, & ministrorum Dei nulla est electio. Neque vero mihi aliquis apponat, diues in Iu-

E dæa templum, mensam, lucernas, thuribula, scyphos, & alia ex auro fabricata: Tunc hæc probabantur à domino, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum: quanquam hæc omnia præcesserunt in figura. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper dominus dedicauerit, cogitemus crucem, & diuitias lutum putabimus. Sed nunquid tempus, vt habitetis in domibus laqueatis, id est, ornatis & compositis, & quæ non tam ad vsum sunt, quàm ad delitias, inquit Propheta. Nam habitaculum meum, in quo fuerant Sancta sanctorum, & Cherubim, & mensa propositionis, pluuiis rigabitur, squalebit solitudine, & sole torrebit. Quæ autem vtilitas fulgere gemmis, & Christum in paupere fame mori? Iam non sunt tua quæ possides, dispensatio tibi credita est. caue ne quasi fidelis & famosus quondam tuorum dispensator, alienam pecuniam distribuendam accipias. Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se posse virtutes simul & diuitias possidere: & nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reseruamus? Intelligis quid loquor. Dedit enim tibi dominus in omnibus intellectum. Præter victum & vestitum F & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant. Tu ergo considera, ne Christi substantiam imprudenter effundas, id est, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus: quod pars est sacrilegij, & secundum dictum prudentissimi viri, liberalitate liberalitas pereat. Sunt quoque qui pauperibus parum tribuunt, vt amplius accipiant: & sub prætextu eleemosynæ diuitias quærunt, quæ magis venatio quam eleemosyna dicenda est. Sic bestiæ, sic aues, sic & capiuntur pisces. Modicum in hamo escæ ponitur, vt matronarum in eo sacculi protrahantur. Nos autem humiles atque pauperculi, nec habemus diuitias, nec oblatas dignamur accipere. Balsamúm, piper, & poma palmarum, rustici non emunt. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa. Et præsertim, quia ætas optata cunctis non vicinam mortem, quæ debetur mortalibus naturæ G lege: sed cassa spe annorum nobis spatia pollicetur. Nemo enim tam fractis viribus, & sic decrepitæ senectutis est, vt non se putet adhuc vnum annum esse victurum. Verum quid ago, fracta naui, de mercibus disputo. Non intelligimus Antichristum appropinquare, *quem dominus Iesus interficiet spiritu oris eius.* Iuuenis quidem potest mori cito, sed senex diu viuere non potest: maximè quia 2 Thess. 2. comparatione æternitatis omne quod in mūdo patimur, vna dies appellari potest, non habitationis, sed peregrinationis. Nam quotidie commutamur, tamen æternos nos credimus. Hoc ipsum quod dico, quod scribo quod lego, quod emendo, de vita mea trahitur. Quot puncta notarij, tot meorum damna sunt temporum. Omnes namque diuitiæ de iniquitate descendent, nisi alter perdiderit, alter inuenire non potest. Vnde vulgata sententia mihi videtur esse verissima. Quod diues, aut iniquus, aut iniqui hæres. Vides enim homines iuxta transire, ante potentum excubare fores, pati omnia quæ seruorum conditio vix patitur, vt diuitias congregent, vt aliquam accipiant dignitatem. Et postquam hoc fuerint consecuti, tradere se luxuriæ & voluptatibus, & omni iniquitati, vt quod auaritia congregat, luxuria consumat. Isti ergo H pro laboribus suis efficiuntur hospitium dæmonum. Qui templum Dei esse debebant, fiunt tabernacula Æthiopum. Postquam enim ditati fuerint, & per fas & nefas ad altissimum conscenderint, tunc conscientia peccatorum suorum semper mortem, semper iudicium formidabunt, & ad leuem febriculam, quasi latrones in carcere de æternis suppliciis suspirabunt. Diuites autem qui ingressi sunt regna cælorum, ipsis diuitiis ad bona vtentes opera, diuites esse desierunt, & dispensatores magis Dei quam diuites appellandi. Obsecro ergo te, ne lucra mundi in Christi quæras militia. Negotiatorem cleri-

cum,

A cum, & ex inope diuitem factum, ex ignobili gloriosum,
quasi quandam pestem fuge. Et præsertim cum sciam te
toto renuntiasse mundo, & abiectis calcatisque diuitiis,
orationi, lectioni, ieiuniis vacare quotidie. Procura-
tores quoque & dispensatores domorum alienarum at-
que villarum clerici esse non possunt, qui proprias iu-
bentur contemnere diuitiarum facultates. Auaritiæ
quoque malum tibi omnino vitandum est, non quo a-
liena non appetas (hoc enim & publicæ leges puniunt)
sed quo tua, quæ tibi sunt aliena non serues. Si in alie-
no, inquit, fideles non fuistis, quod vestrum est, quis da-
bit vobis? Sed dicis: iuuenis sum delicatus, & manibus
meis laborare non possum, si ad senectam venero, si æ-
grotare cœpero, quis mei miserebitur? Audi ad Apo-
stolos loquentem Iesum. *Ne cogitetis in corde vestro,*
Matth 6. *quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.*
Nonne anima plus est, quàm esca, & corpus plus est,
quam vestimentum? Respicite volatilia cœli: quoniam
non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea,
& pater vester cœlestis pascit illa. Si vestis defuerit, lilia
proponatur. Si esurieris, beatos audias pauperes & esu-
B rientes. Si aliquis afflixerit dolor, legito illud Aposto-
2. Cor 12. li. Propter hoc complaceo mihi infirmitatibus meis.
Matth 19 Illud autem quod derelicta militia, castrasti te propter
regna cœlorum, quid aliud quam perfectam secutus es
vitam? Perfectus autem seruus Christi nihil præter
Christum habet. Aut si quid præter Christum habet,
perfectus non est. Igitur vt concludam, si perfectus es,
cur bona paterna desideras? Dominus euangelicis vo-
Matth 6. cibus tonat. *Non potestis duobus dominis seruire*, & au-
det quisquam mendacem Christum facere, Mammonæ
1 Ioan 2. & Christo seruiendo? *Qui dicit se in Christum credere, de-
bet quomodo ille ambulauit, sic ambulare.* Affatim diues
est, qui cum Christo pauper est. Nam serui Dei, qui die-
bus & noctibus seruiunt domino suo, qui in terris posi-
ti angelorum imitantur conuersationem, & nihil aliud
loquuntur, nisi quod ad laudes Dei pertinet, habentes
victum & amictum his contenti sunt diuitiis, qui plus
1. Tim 6. habere nolunt, si tamen seruant propositum. Alioquin
C si amplius desiderant, his quoque quæ necessaria sunt
probantur indigni. Quicquid tamen corpora nostra de-
fendere potest, & humanæ succurrere imbecillitati,
quos nudos natura profudit, hæc vna appellanda est to-
nica. Si ergo vis esse quod Propheta est, quod Christus
est, da pauperibus, quo necessitas sustentetur, non quo
opes augeantur. Quodque si quid plus habes quam tibi
ad victum vestitumque necessarium est, illud eroga, in
illo debitorem te esse noueris. Nam aliena rapere con-
uincitur, qui necessaria sibi retinere conatur. Clerici
quoque qui de bonis parentum sustentari possunt, si
quid pauperum accipiunt, sacrilegium profecto com-
mittunt. Scit enim hostis antiquus magis continentiæ
quam nummorum esse certamen. Facile namque abij-
citur quod hæret extrinsecus. Intestinum bellum pericu-
losius est. Zacheus diues erat, Apostoli pauperes: &
quantum ad diuitias nihil, quantum ad voluntatem to-
tum mundum reliquerunt. Si offeramus Christo opes
D cum anima nostra, libenter suscipiet. Si autem quæ foris
sunt Deo, quæ intus diabolo demus, non est æqua parti-
tio. Nolo igitur quod ea tantum offeras, quæ potest fur
rapere, hostis inuadere, proscriptio tollere, & quæ ad in-
star vndarum & fluctuum à succedentibus sibi dominia
occupantur, & quæ nolis velis in morte dimissurus es.
Illud offer quod nullus tibi possit hostis auferre. Nam
aurum deponere incipientium est, non perfectorum, se-
ipsum offerre Deo, propriè Christianorum est. Nec e-
nim imaginem crucifixi præfert, nisi qui in hoc sæculo
se nudum mortuumque reddiderit. Infinita namque de
scripturis exempla suppeditant, quæ auaritiam doceant
esse fugiendam. Verum quod non ante plures annos ge-
stum sit, referam. Quidam ex fratribus parcior quam a-
uarior, nesciens triginta denariis dominum venditum,
centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens
dereliquit. Initum est inter monachos consilium (nam in
eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habi-
tabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus distribuen- E
dos esse dicebant, alij dandos ecclesiæ, nonnulli parenti-
bus remittendos. Macarius vero & Pambo & Isidorus, &
cæteri quos patres vocant, sancto in eis loquente spiritu,
decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicentes. *Pe-* Act 8.
cunia tua tecum sit in perditionem. Neque hoc crudeliter
quisquam putet esse factum. Tantus cunctos per totam
Ægyptum terror inuasit, vt vnum solidum dimisisse sit
criminis. *Radix omnium malorum est auaritia*: ideoque & 1. Tim 6.
ab Apostolo idolorũ seruitus nuncupatur. Non quidem
occidet fame animam iustam dominus. *Iunior fui & se-
nui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens
panem.* Elias coruis pascitur ministrantibus. Vidua Sare-
ptana ipsa cum filiis suis peritura nocte Prophetam pas-
cit esuriens, & mirum in modum capsace repleto: qui a-
lendus venerat, ait. Petrus Apostolus ait: *Argentum &* Act 3.
*aurum non est mecum, quod autẽ habeo tibi do, surge & am-
bula in nomine Iesu.* At nunc multi licet sermone taceant,
opere loquuntur. Fidem & misericordiam non habeo,
quod autem habeo aurum & argentum tibi non do. Audi F
Iacob quid postulet. Si fuerit dominus meus mecum, &
seruauerit me in via, per quam ego iter facio, & dederit
mihi panem ad manducãdum, & vestem ad vestiendum.
Tantum necessaria deprecatus est. Vnde & latrones ad
sanctum Hilarionem: Quid faceres si latrones ad te ve-
nirent? Quibus respondit: Nudus latrones non timeo.
At illi: Occidi potes. Possum inquit, sed non timeo, qui
sum mori paratus. Cuius qui mirantur signa & porten-
ta quæ facit, mirentur & incredibilem abstinentiam, sciẽ-
tiam, & humilitatem. Ego autem nihil ita stupeo quam
gloriam illum & honorem calcare potuisse: quia factu est
difficile gloriam virtute superare: & ab his dil gi quos
præcedis. Cum ergo Christi gaudeas libertate, ac prope-
modum in domare constitutus sis, non debes ad tollen-
dam tunicam tecto descendere, nec respicere post tergum,
nec aratri semel arrepti stiuam amittere: Sed si fieri po-
test, imitare Ioseph, & Ægyptiæ dominæ pallium relin-
que, vt nudus sequaris dominum saluatorem, qui dicit in
euangelio: *Nisi quis tulerit crucem suam & secutus me fue-* Matth 10.
rit, non potest meus esse discipulus. Proiice sarcinam sæcu- G
li, ne quæras diuitias quæ camelorum grauitatibus com-
parantur. Nudus & leuis ad cœlum vola, ne alas virtutum
tuarum auri deprimant pondera, vt impleas sacculum,
quem dominus euacuare præcipit. Si igitur qui habent
possessiones & diuitias, iubentur omnia vendere, & dare
pauperibus, & sic sequi saluatorem, dignatio tua non de-
bet quærere quod eroganturus es. Vidua illa in euangelio Luc 21.
paupercula, quæ duo minuta misit in gazophylacium,
cunctis præfertur diuitibus: quia totum quod habuit, de-
dit. Et tu igitur eroganda non quæras, vt fortissimum ty-
runculum suum Christus agnoscat, vt lætus tibi de longis-
sima regione venienti occurrat pater, vt stolam tribuat & Luc 15.
annulum, vt immolet pro te vitulum saginatum.

De vtilitate Paupertatis.

PAuper vero ita consolandus est, vt sciat in pauper-
tate magis bona consideranda. Et primo quidem,
quod à Deo illi sit vtiliter prouisum. Præsciuit enim H
Deum infirmitatem eius considerasse, & scisse quod di-
uitiarum sarcinam & solicitudinem portare non posset.
Deinde sciat quantas tentationes, quanta pericula trans-
ierit nomine paupertatis, si affluentia deest, quæ fre-
quenter contraria est. Ad animi diuitias quantocyus si-
ne impedimento in paupertate transitur, certè quantis
malis caruit consideret. Caret inuidia æmulatione, insi-
diis, dolo, superbia, contentione, & his quæ hominibus
in hoc sæculo diuinæ solent conflare. Fluxu enim rerum
& vbertate copiarum animus soluitur, vigor mentis in-
fringitur, virtus corporis eneruatur. At in paupertate,
non lasciua conuiuia, non turpes potationes: omnia so-
bria, omnia rigida, omnia humilia, non abiecta, quoniam
conscientia pura & virtute sunt plena, non est abundana
extraneis facultatibus. Non facile ad diuitias animi, id est,

A ad virtutes huius mundi diues accedit. Filius enim Dei, difficilius dicens, diuitem introire in regnum cœlorum, vtique intelligit pauperem facilius, ne se ob paupertatem alienum esse à cura Dei existimet, Propheta testatur, di-
Matt. 19. cens: *Et pauperem & diuitem ego feci, & pro omnibus æqualis cura mihi est.* Non est enim Deus personarum acceptor, nec pro illo tantum curam gerere profitetur, qui in sæculi diuitiis pollet: sed pro omnibus & pro pauperibus curã sustinet, remuneraturus quem inuenerit, aut in diuitiis humilem, aut in paupertate patientem, distributi veluti totius corporis humani & ministerium quæritur singulorum. Consideres hominis corpus esse vnum quidem corpus: sed plurima membra. Nunquid omnia sunt oculus, aut pes, aut reliqua membra? Sed sicuti ait Apostolus
1 Cor. 12. *doctor gentium in fide & veritate*, quæ inferiora sunt membra maiorem his tribuimus honorem. Et quemadmodum virtus singulorum membrorum in suo ordine atque officio demonstratur: ita in totius generis humani
B corpore velut minor paupertas & diuitiæ collocantur, vt diuitijs humanitas Dei examine comprobetur. Exultare debet pauper, Deo gratias agere, quod multis patrimonij nexibus liberatus, in die probationis non grauatur compedibus facultatum. Facilius liber sequitur discipulus dominum nullis nexibus implicatus. Non desit etiam ab ipso in quantum potest, misericordia iusta in egenos: quia sicut iustus efficitur de frugalitate, inferioribus & non habentibus prorogator, non vereatur ne ipse deficiat, cum in vsu sanctæ administrationis habeat promptissimam voluntatem. Nihil enim sibi deerit, non cupiat in sæculo diues fieri, ne mala sibi plurima acquirat, dicē-
1. Tim 6. te ac monente glorioso Paulo. *Habentes victum & vestitum his contenti simus.* Imo si vera fide & propter salutem credere cœlestes sibi diuitias cooptet & comparet, quas vnusquisque & misericordia, & reliquis actibus bonis comparat & assumit. Temporalibus enim æterna sunt præponenda, caducis stabilia, solicitis securiora, periculosis libera, in honorificis clariora. Igitur cum Christus
Matth 6. dixerit. *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia appo-*
C *nentur vobis*, nulli dubium fore credo, his copiam necessariam rerum in terris non defecturam, quibus cœlestia præparantur. Vnde his monitis, & diues temperetur & pauper subleuetur. Difficilè potentes, & nobiles, & diuites, & multo his difficilius eloquentes credunt Deo. Obcæcatur namque mens eorum, diuitiis, opibus atque luxuria, circumdati vitiis non possunt videre virtutes. Felix ergo qui non in diuitiis, non in sapientia, non in potentia sæculari & eloquentia: sed in Christi passionibus gloriatur. Ac nihil miserius quàm Deum propter nummum contemnere. Ideo quem senseris semper aut crebro de nummis loquentem, institorem habeto potius quam monachum.

De correctione & doctrina Præsidentis.

Rector quoque honore suppresso, æqualia subditis benè viuentibus, & erga peruersos iura rectitudinis
D exercere non formidet. Nam liquet quòd omnes homines natura genuit æquales, sed varietate meritorum, ordine alios aliis culpa postposuit. Sed & arguuntur negligentes rectores ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani: cum nec in meditatione legis diuinæ, nec cultu pietatis, nec in sacrarum virtutum exercitio laborare conentur. Tunc enim doctrina doctorum suauitas est, cum doctrina pariter & vita consentiant. Sed nec putant sua scientia & sapientia, sed Dei auxilio pacem ecclesiis suis redditam, qui si suum seruauerint gradum, sunt quasi domus Dei, & quasi angelus domini. Sed si plus cupiũt videri nosse quàm cæteri, quãdoque patent veritatis regulam non tenere. Magister quoque discipulum corrigit, quem ardentioris cernit ingenij. Nam medicus si cessauerit curare, desperat: quoniam non est parui apud Deum meriti benè filios educare. Rectorum quoque est, vt laborantium nouerint sudorem, vel lapsis manum porrigere, vel errantibus viam ostendere. Sed ne glorieris quod multos discipulos habeas, filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim illum tan-
E tum Apostoli sequebantur. Pharisæorum autem doctrinæ, omnis populus applaudebat. Lædit discipulus magistrum, si per negligentiam suam præcepta eiusque laborem disperdat. Ideo non sit in eis pœnæ diuersitas, in quibus paria sunt peccata. Nullius personam accipias, quantumcunque sit potens vel nobilis, si peccauerit, corripe eum. Nam confusionem sequitur ignominia, ignominiam correctio, correctionem consolatio, consolationem salus. Vera enim amicitia, quod sentit, simulare non debet. Non est crudelitas pro Deo crimina punire, sed pietas. Nihil tamen crudelius, nihilque miserius inueniri potest, quam vt timore mortis propriæ, ne salutem filiorum audeant defendere. Docente autem te in ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lacrymæ audientium laudes tuæ sint. Sermo presbyteri scripturarum lectione conditus sit. Vnde & Apostolus præcipit. *Sermo*
vester sit sale conditus. Quod si infatuetur, foras projicitur, & perdit nominis dignitatem. Nam sicut victoria do- Colos.
mini, triumphus est seruorum, sic magistri eruditio, discipulorum profectus. Nisi enim caput sanum sit, omnia F
membra sunt in vitio. Quando doctrina non erit in ecclesiis, intelligemus perire pudicitiam, castitatem mori, & omnes obire virtutes: quia non comederunt verbum domini. Tunc scriptura vtilis est audientibus, cum absque Christo non discitur, cum sine patre non probatur, cum sine Spiritu sancto non iam insinuat ille qui prædicat. Sed difficile dignus præco virtutum Christi inueniri potest, qui in annuntiandis illis non suam, sed eius quærat gloriam quem prædicat. Confusio quoque & ignominia est Iesum crucifixum & pauperem & esurientem fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam per rubentes buccas tumentiaque ora proferre. Non confundant ergo opera sermonem tuum, vt cum in ecclesiis loquaris, tacitus quisque respondeat. Cur hæc quæ dicis, ipse non facis? Accusare auaritiam etiam latro po- G
test. Sacerdotis vox cum mente concordet. Nam quomodo potest præses ecclesiæ malum auferre de medio eius, qui in delictum simile corruerit? Ac qua libertate corripit peccantem, cum tacitus ipse sibi respondeat eadem admisisse quæ corripit. Perdit enim auctoritatem docendi, cuius opere sermo destruitur. Et illud Tullij. Caput artis est docere quod facis. Venerationi mihi semper fuit, non verbosa rusticitas, sed sancta simplicitas. Qui enim in sermone se dicit Apostolos imitari, prius imitetur virtutes & vitam illorum, in quibus loquendi simplicitatem excusabat sancti nominis magnitudo. Non enim facit ecclesiastica dignitas Christianum: nec est facilè stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium, ne fortè veniat angelus domini, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moueat. Igitur ædificaturus turrim futuri operis sumptus computa. Sicuti non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Prius ergo faciamus, & sic doceamus, ne doctrinæ auctoritas cassis o- Luc. 14.
peribus destruatur. Nam de eloquentibus & pronuntiantibus plenus est orbis. Loquuntur quæ nesciunt, docent quæ non didicerunt. Magistri fiunt, cum ante disci-
puli non fuerint. Sed nec ad scribendum cito prosilias, & H
leui ducaris insania. Multoque tempore disce quòd doceas, & sic non temeritate quorundam doceas quod nescias: sed ante disce quod dicturus es. Nam qui sapientis verba crebro audire & intelligere negligit, vitam suam gubernare non nouit: quanto magis nec aliorum regimini proficit? Igitur seruum seruis te esse conuenit. Atque ita in omnibus perdocere, vt quicunque audiunt, conuersatione tua magis quàm sermone proficiant. Quoniam quidem non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Sed ne statim multitudinis acquiescamus iudicio, sed electi in principatum noscamus mensuram nostram, & humiliemur sub potenti manu Dei. Reuera nil fœdius præceptore furioso, cum debeat esse mansuetus & eruditus: è contra toruo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conuiciis, facie inter pallorem, ruboremque variata, clamose perstrepit, & errantes non

tam

A tam ad bonum trahit, quam ad malum sæuitia sua præ-
Tit. 1 cipitat: licet non qui irascitur iracundus est, sed ille qui
crebro hac passione superatur. Sunt que multi docentes
ea quæ non oportet, turpis lucri gratia, qui totas domus
subuertunt, & putant quæstum esse pietatem. Quod ple-
runque accidit, vt habeamus pugnas legis non ob deside-
rium veritatis, sed ob iactantiam gloriæ, dum apud au-
dientes docti volumus existimari. Festino igitur gradu
pergamus ad magistros, & eorum teramus limina, & præ-
cepta virtutum, ac mystica Scripturarum vincula pute-
mus æterna.

De solitudine.

RErera, vt simpliciter motum mentis meæ fatear, cō-
siderans propositum tuum & ardorem, quo sæculu
renunciasti, differentias in locis arbitror, si vrbibus & fre-
B quentia vrbium derelicta in agello habites, & Christum
in solitudine quæras, & ores solus in monte cum Iesu,
sanctorumque locorum tantum vicinitatibus perfruaris,
id est, vt & vrbe careas, & propositum monachi non amit-
tas. Loquor non de Episcopis, non de presbyteris, non de
clericis, quorum alia causa est, alia monachi. Clerici oues
pascunt, ego pascor. Sed de monacho loquor, qui pretium
possessionum suarum ad pedes Apostolorum posuit, do-
cens pecuniam calcandam, & humiliter & secreto victi-
tans, semper contemnat quod semel contempsit. Nam
summæ stultitiæ est, renunciare sæculo, dimittere patriā,
vrbes deserere, monachum profiteri, & inter maiores po-
pulos peregrè viuere. Quia igitur fraterne interrogas, per
quam viam incedere debeas, reuelata tecum facie loquar.
Si officium vis exercere presbyteri, si episcopatus te, vel
opus, vel honor forte delectat, viue in vrbibus, & castellis,
& aliorum salutem, lucrum fac animæ tuæ. Sin autem cu-
pis esse quod diceris monachus, quid facis in vrbibus,
C quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?
Habet vnumquodque propositum principes suos. Ro-
mani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Sci-
piones, Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socra-
tem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ æmulentur Home-
rum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici,
Thucydidem, Salustium, Herodotum, Liuium. Orato-
res, Lysiam, Gracchos, Demosthenem, Tullium. Et, vt
ad nostra veniamus, Episcopi & presbyteri habeant in
exemplum Apostolos & Apostolicos viros, quorum ho-
norem possidentes, habere nitantur & meritum. Nos au-
tem habeamus propositi nostri principes Paulos, Anto-
nios, Iulianos, Hilariones, Macarios. Et, vt ad scriptura-
rum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster
princeps Helisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui
habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi ta-
bernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt & illi filij
Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, & morabā-
D tur in tentoriis, qui Dei per Hieremiam voce laudantur,
Hier. 35. & promittitur eis, quod *non deficiat de stirpe eorum vir
stans coram domino.* Interpretare igitur vocabulum mona-
chi, hoc est nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es?
non tibi eadem causa, quæ cæteris. Quodque nemo Pro-
pheta in patria sua honorem habet. Nam vbi honor non
est, ibi contemptus est. Vbi contemptus est, ibi frequens
iniuria. Vbi iniuria, ibi indignatio. Vbi indignatio ibi
quies nulla. Vbi quies non est, ibi mens sæpè à proposito
deducitur. Vbi autem per inquietudinem aliquid aufer-
tur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur. Et vbi minus
est, perfectum non potest dici. Ex hac supputatione illa
summa nascitur. Monachum perfectum in patria sua esse
non posse. Perfectum autem esse nolle, delinquere est.
Vbi autem ego nunc sum, non solum quid agitur in pa-
tria, sed an patria persistat ignoro Imo nec mihi concedi-
tur vnus angulus eremi, quotidie exposcor fidem quasi
sine fine renatus sim.

E

De laudibus & vtilitate Eremi.

QVid igitur agis tu frater in sæculo, qui maior es mū-
do? Paupertatem times? beatos pauperes Christus
appellat. Labore terreris? sed nemo athleta sine sudoribus
coronatur. De cibo cogitas? sed vera fides famem non ti-
met. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra
collidere? sed dominus tecum iacet. Squalidi capitis hor-
ret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita
eremi vastitas terret? sed tu paradisum mente deambula,
quoties illuc conscenderis, toties in eremo non eris. O
desertum Christum floribus vernans. O solitudo, in qua
illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas ma-
gni regis extruitur. O eremus familiarius Deo gaudens, F
& cætera. Atque etiam illud Apostoli. *Non sunt condi-* Rom. 8.
gnæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ re- Luc. 9.
uelabitur in nobis Cur enim timido animo Christianus es?
filius hominis non habet vbi caput suum reclinet, tu amplas
porticus & ingentia tectorum spatia metiris: hæredita-
tem expectans sæculi, cohæres Christi esse non poteris.
Nudos amat eremus. Corpus assuetum tunicis, loricæ o-
nus nō fert Caput opertum linteo, galeam recusat. Mol-
lem otio manū, durus exasperat capulus. Sed cur, inquit,
pergis ad eremum? videlicet vt te non audiam, non videā,
vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me
capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illici-
tos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare
sed fugere. Sta in acie, aduersariis armatis obsiste, vt post-
quam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam.
Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victo-
riam. Si fugero, aut vincendum mihi est, aut cadendum.
Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari?
Aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas,
& superari potes & vincere. Ego cum fugero, non vinco
in eo quod fugio, sed ideo fugio ne vincar. Nulla securi- G
tas est vicino serpente dormire, potest fieri vt me non
mordeat: tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat.
Fuga enim non infidelitatis, sed prudentiæ iudicium est,
ne frustra nos offeramus periculis. Sed nuper Ægypti de-
serta vidisti, intuitus es angelicam familiam, quanti ibi
flores sunt? quam spiritualibus gemmis prata vernan-
tia? Vidisti serta quibus dominus coronatur. Illi tibi ignis
in pectore exæstuet, & illa quotidie cogita, tracta, con-
sidera, & quasi quodam carcere tentus exclama. *Heu me* Psal. 119.
quia prolongata est peregrinatio mea, & in paradisum mē-
te conscendens, toties in terra non eris, quoties terrena
despexeris. Eadem nobis certè cum his qui habitant per
deserta conditio est, idem oculi, totidem & manus, iis-
dem infirmitatibus vel virtutibus subiacemus. Si te a-
quæ potus vexat, quanti nobiles non dicam vina nesci-
unt, sed carnes ignorant, & fuso tantum legumine su-
stentantur? Si balneatum te lauacra sollicitant, quanti H
principes ciuitatum, siue ob culpam propriam, siue ob
inuidiam ad insulas deportati, sine æterno præmio per-
petuaque mercede absque balneis perseuerant? Nemo
id necessitate pati non potest, quod pro Deo pati vo-
luntate detrectat. Habebis cellulam quæ te solum ca-
piat. Imo non eris solus, angelica turba versabitur, tot
socij, quot sancti. Leges euangelium, fabulabitur tecum
Iesus. Replicabis Apostolos vel Prophetas. Nunquid
poteris talem alium tuis sermonibus habere consor-
tem. Terra sumus & cinis, & per omnia momenta de no-
stra salute suspensi, continue in puluerem dissoluendi.
Quid retractamus facere de necessitate virtutem? certe
quandoque moriendum est. Quam cito mundi derelin-
quamus angustias, & si forte ob continentiam (quod ta-
men raro accidit) dolere stomachum, æstuare febribus
ceperimus, perpetuæ vitæ ingressuri ianuam morbum
putemus? Quanti enim in mediis opibus, & inter insulas
consulatus, repentina morte subtracti sunt? Quid ergo
desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate
censemur? Mihi enim oppidum carcer, & solitudo para-
disus est. Sæcularium quoque maxime potentum con-

[A] fortia deuita. Quid tibi necesse est illa saepius videre, quorum contemptu monachus esse coepisti? Nam monachum solitudo facit, non publicum.

De periculo vitae solitariae.

MOnachi etiam nunc mores discutimus, qui iugum Christi collo suo imposuit. Primumq; tractandum est: vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi placet vt habeas sanctorum contubernium, ne absque ductore ingrediaris viam: quam nunquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas, plusque aut minus ambules quam necesse est, & currens lasseris, moramque facies ob dormias. In solitudine cito, surrepit superbia. Et si parumper ieiunauerit, hominemque non viderit, putat se alicuius esse momenti. Oblitusque sui vnde, & quo venerit, intus corde, [B] foris lingua vagatur. Iudicat contra voluntatem apostoli alienos seruos. Quo gula poposcerit, porrigit manus dormit quantum voluerit, neminem veretur, omnes se inferiores putat, crebriusque in vrbibus quam in cellula est, & inter fratres simulat verecundiam, qui platearum turbis colliditur. Quid igitur? solitariam vitam reprehendimus? Minime: quippe quam saepe laudauimus, licet, vt praefertur, solitaria vita periculosa est, ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impiis cogitationibus pateant. & pleni arrogantia, & supercilij, cunctos despiciant, armentque linguas suas, vel clericis, vel monachis detrahendo. Sed de ludo monasteriorum, volumus huiuscemodi egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant: qui speciem conuersationis suae multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent, quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit, qui paupertate, laetantur, quorum habitus, sermo vultus, incessus, doctrina virtutum est. O quoties in eremo constitutus, & [C] in illa vasta solitudine, quae exusta solis ardoribus, horridum monachis praestat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis, situm Aethiopicae carnis obduxerat. Quotidie gemitus, & si quando me repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa haerentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi ibi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego qui ob gehennae metum, tali me carcere damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum, saepe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis aestuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne praemortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, repugnantem carnem, hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudesco infelicitatis meae, quin potius plango me non esse quod fuerim. [D] Memini me clamantem, & diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium praerupta cernebam, ibi meae erat orationis locus, ibi illud miserrimae carnis ergastulum collocabam: & (vt mihi testis est dominus) post multas lacrymas, post coelo oculos inhaerentes, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, [Cant. 1.] & laetus gaudensque cantabam. *Post te in odore vnguentorum tuorum curremus.* Dicam & aliud quod in Aegypto viderim. Graecus erat adolescens in coenobio, qui nulla continentia nulla operis magnitudine, flammam carnis poterat extinguere. Hunc pater monasterij periclitantem, hac arte seruauit. Imperat viro cuidam graui, vt iurgiis atque conuiciis insectaretur hominem, & post irrogatam iniuriam, primus veniret ad querimoniam. Vocati testes, pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium coepit. Solus pater defensionem suam callide opponere studuit, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. [E] Quid multa? Ita annus ductus est, quo expleto, interrogatus adolescens, super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiae aliquid sustineret. Pape, inquit, mihi viuere non licet, & fornicari libeat? Hic si solus fuisset, quo adiutore superasset? sunt enim meliores duo quam vnus. Et si alter ceciderit, ab altero fulcitur. Funiculus triplex non facile rumpitur, & frater fratrem adiuuans exaltabitur. Vidi ego quosdam, qui postquam renuntiauerunt saeculo, vestimentis duntaxat & vocis promissione, non rebus, nihil de pristina conuersatione mutarunt. Res familiaris magis aucta quam imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuij, & nomen sibi vendicant solitarij. Quidam vero pauperes sunt & tenui substantiola, videnturque sibi scioli, pomparum ferculis similes procedunt in publicum, vt caninam exerceant facundiam. Sunt etiam qui humore cellularum, immoderatisque ieiuniis, taedio solitudinis, ac nimia lectione, dum [F] diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis quam nostris monitis indigent. Plaerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum, eadem exercent mercimonia. Non victum & vestitum, quod Apostolus praecipit, sed maiora quam saeculi homines emolumenta sectantes: & sub religionis titulo exercent iniusta compendia, & honor Christiani nominis magis fraudem facit, quam patitur. Quae pudet dicere, sed necesse est, vt saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus publice extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus. Tibi cum in monasterio fueris hoc facere non licebit, & inolescente paulatim consuetudine, quod primum cogebaris, velle incipies, & delectabit te labor tuus. Oblitusque praeteritorum semper priora sectaberis, nequaquam considerans [G] quid alij mali faciant, sed quid boni tu facere debeas. Neque vero peccantium ducaris multitudine, nec te pereuntium turba sollicitet, vt tacitus cogites. Quid? ergo omnes peribunt, qui in vrbibus habitant? Ecce illi fruuntur suis rebus, ministrant ecclesiae, adeunt balneas, vnguenta, non spernunt, & tamen in omnium ore versantur. Ad quod ante respondi, & nunc breuiter respondeo, in praesenti opusculo non me de clericis disputare, sed monachum instruere.

De periculo habitandi in vrbibus.

COnsidera obsecro satis esse difficile locum Stephani implere vel Pauli, & in angelico stare ministerio. Pretiosum margaritum cito frangitur, fractumque instaurari non potest. Nauis quamuis sit rudis & solidis confixa clauis, tumentesque fluctus non sentiat, cito si periculose nauigat, perforatur: & licet plenis ventis lucrosius ad optata perueniat, tamen magis secora sunt quae & tranquilla sunt. Et, vt apertius loquar, plus te quod dicis habere mercedem si in media vrbe consistens monachus victites, & sunt vera quae dicis, sed non tam facile expleuntur [H] opere quam dicto. Nam si aliqua re de optimatibus inuitet ad prandium, certe aut eundum est, aut negandum. Si ieris, aut iisdem cibis vesceris, aut aliis. Si aliis, conuiuarum offenduntur oculi. Si iisdem, perit abstinentia. Quod si non ire volueris, miser comederis in prandio ad singulas quasque phialas, & ad delibuta melle vina potaberis, alius tuum vultum cauillabitur, ille incessum irridebit, hic habitum, & imitatores forsitan Iudaeorum, *Nonne*, inquient, [Matt. 13.] *hic est fabri filius? Nonne fratres eius apud nos sunt*, ego illum memini ante tot ferme annos illud fecisse turpe, dixisse turpius. Alius furem clamabit, & tecum se sceleris finget esse participem. Omnia prandia pariter consonabunt, in te temulentum conuiuium dissoluetur. Quod si vllis abstinueris carnibus, & non crebro balnea frequentes, tunc vero per omnes calumnias Manichaei titulus ascribitur. Si volucrum edulium refutaueris, & tenellas co-

A las columbas crassosque turtures experenti gutturi durior dominus denegauerit, sacrilegij crimen affinguntur, statimque aiunt. Hi sunt qui creatorem mundi condemnant, in vsus nostros facta sunt omnia. Audiui domino teste, non mentior, quendam in sua gula disertum, cum rumore cognosceret me cibis esculentioribus abstinere, se dicere. Nunquid porcellus ideo factus est vt rogatus in senatu sententiam diceret? Quo videlicet me stultitiæ condemnaret, qui me putaret ea quæ sunt in vsus creata non sumere. Quod si pulla fuerit tunica, etiam prætereuntium digitis denotaberis. Ac sic nisi formosus fueris, sanctus esse non poteris. Hæc & illiusmodi, cum vitam lacerent bonam, quid facies frater in medio? Aut vitijs aut anathemati colla submittes, id est, sectaberis ea, quæ
B sunt aduersa continentiæ. Aut si facere nolueris, tempore damnaberis. Prætermitto crebras salutationes, obsequia matronarum, variasque illecebras, quibus etiam rigidissimi molliuntur, cum & sireneo cantu ad naufragia pertrahuntur. Nunc autem illud affirmo, quod etiam si ita non essent, ad comparationem tamen ingentis boni, maiora deserere deberes. Cum enim tanta reperimus in cœlo, parua & caduca nos quæsisse doleamus in terra. Ambitio nãq; potentia, magnitudo vrbis, videre & videri, salutare & salutari, laudare, vel detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam hominum frequentiam saltem inuitum videre, à monachorum proposito & à quiete sunt aliena. Aut enim videmus ad nos venientes, & silentium perdimus. Aut si non videmus, superbiæ arguimur. Interdum vt vicem reddamus, ad superbas fores pergimus, inter linguas rodentium ministrorum, postes ingredimur deauratos. In Christi vero villa (vt didicimus) totum rusticitas. Itaque propter occupationes, aut nobis claudendum est ostium aut scripturarum, propter quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda. His igitur rationibus
C inuitati multi philosophorum reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos suburbanos, vbi ager irriguus, arborum comæ, & susurrus auium, fontis speculum murmurans, & multæ oculorum auriumque illecebræ, ne per luxum & per abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, & eius pudicitia constupraretur. Inutile quippe est crebro videre, per quæ captus aliquando sis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam quos sæculi carcer includit, nunc ira, nunc auaritia, nunc aliorum incentiua vitiorum pertrahit ruinam. Idcoque obterendæ sunt animi voluptates, relinquenda delectationum studia, quoniam hæc est, circumcisionis veritas, non figura. Nitendum in somma, vt naturalibus amputatis, conuersatio nostra tendat ad cœlum. Quod fiet, si ludi, si iocus, si conuiuia, si sermo penè familiarium deseratur, & quæ circumciduntur arescant, non visu, non auditu, non tactu, non sapore vllo capi, & in natura corporis naturam corpoream non habere. Nam
D si velimus despicere quod sumus, meremur melius esse: quam igitur non temere offeramus nos periculis, sed quãrum in nobis est insidias declinemus.

De abstinentia & præcipuè à carnibus.

Luc. 21. SAluator noster, *Attendite*, inquit, *vobis ne forte grauentur corda vestra crapula, & in ebrietate, & curis huius vitæ*. Modicus enim ac temperatus cibus & carni & animæ vtilis est. Balnearum somenta ne quæras, qui calorem corporis ieiuniorum cupis frigore extinguere, quæ & ipsa moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, & maiorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Aiunt enim medici, qui de humanorum corporum scripsere naturis, præcipue Galenus in libris, quorum titulus περὶ ὑγιεινῶν, puerorum & iuuenum, ac perfectæ ætatis virorum mulierumque corpora, insito calore feruere: & noxios his esse ætatibus cibos qui calorem augent, sanitatique conducere, frigida quæque in cibo & potu sumere. Sicut econtrario senibus, qui pituita laborant & frigore, calidos cibos, & vetera vina prodesse. Et etiam Comicus, cuius finis est

humanos mores nosse atque describere, dixit. Sine Cerere & Libero friget Venus. Nihil itaque scias conducere Christianis adolescentibus, vt esum olerum. Nam ardor corporum frigidioribus epulis temperandus est. Nobis enim non corporum cultus, sed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate fit fortior. Inde est quod nonnulli vitam pudicam appetentium, in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam putant carnium, & leguminibus onerant stomachum, quæ moderate parcéque sumpta innoxia sunt, & vt quod sentio loquar: Nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus ructusque conuulsus. Quod enim seminarium voluptatum est, venenum puta. Est autem esus carnium seminarium libidinis. Et non solum de carnibus loquor, sed in ipsis leguminibus instantia & grania declinanda sunt. Parcus cibus & venter esuriens, triduanis ieiuniis præfertur. Multo enim melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terras. Subitus & nimius imber in præceps, arua subuertit. Refectio itaque saturitatem fugiat. Nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate ieiunium. Ilico mens repleta torpescit, & irrigata corporis humore, spinas germinat libidinum. Plures quoque sunt, qui cum vino sint sobrij, ciborum tamen largitate sunt ebrij. Omnes enim qui ebrietatem sectantur, filij Belial vocantur. Nam venter mero æstuans facile despumat in libidinem. Vnde Noe nudauit ebrietate femora. Lot quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Venter quoque plenus facile de ieiuniis disputat. Qui enim Christum desiderat, & illo vescitur pane, non quærit magnopere, de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. Quicquid post gulam non sentitur, idem fit quod panis & legumina. Omne enim quod in hoc mundo laborant homines, vt equasi consumitur, & attritum dentibus, ventri traditur digerendum: & tamdiu tribuit voluptatem, quamdiu gutture detinetur. Cum vero in aluum transierit, desinit inter cibos esse distantia. Nec hoc dicimus, quod negemus pisces: sed quomodo nuptiis virginitatem, ita saturitati ieiunia præferimus. Sed nunc ideo te carnes vesci non putes, si suum, leporum atque ceruorum & quadrupedum animantium esculentiam reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suauitate gustus comprobantur. Scimus ab Apostolo dictum. *Omnis creatura Dei bona*, quæ cum gratiarum actione percipitur. Sed idem loquitur: *Bonum est carnem non manducare*. Comedant carnes, qui carnibus seruiunt. Quorum feruor despumat in coitum, eorum & intestina carnibus repleantur. Tu vero nihil habeas tam necesse, quam in ieiunio perseuerare. Pallor & sordes tuæ gemmæ sint. Igitur cum mihi dixeris, cur porcus creatus est? statim tibi respondebo puerorum more certantium. Cur viperæ & scorpij? Nec Deum superfluorum iudicabis artificem, cum plurimæ & bestiæ & volucres sint, quas tuæ fauces recusant. Sed ne contentiosum hoc & pugna magis videatur esse quam verum. Audi idcirco sues & apros & reliquas animantes creatas, vt milites, athletæ, nautę, rhetores, metallorumque fossores, & cæteri duro operi mancipati haberent cibos: quibus fortitudo corporum necessaria est, qui portant arma & cibaria, qui pugnis & calcibus sua inuicem membra debilitant, qui remos trahunt, quorum latera ad clamandum dicendumque sunt valida, qui subuertunt montes, & sub diuo & imbribus dormiunt. Sed quid ad nos, quorum conuersatio in cœlis est? Cæterum nostra religio non athletam, non nautas, non milites, non fossores: sed sapientiæ erudit sectatorem, qui se Dei cultui dedicauit, & scit cur creatus sit, cur versetur in mundo, quo abire festinet. Vnde & Apostolus loquitur. *Quando infirmor, tunc potens sum*: & si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Et, *cupio dissolui & esse cum Christo*. Et, *carnis curam ne feceritis*. Quodque sine quatuor sensibus viuere possumus, id est, sine aspectu, auditu, odoratu, atque complexu. Absque gustu autem & cibis impossibile est humanum corpus subsistere. Adesse ergo debet

Marginal letters and references: E (beside "humanos mores"), F (beside "stantia & grania"), G (beside "modo nuptiis"), 1. Tim. 4. (beside "dictum. Omnis creatura"), Rom. 14. (beside "ctione percipitur"), H (beside "& reliquas animantes"), 2. Cor. 12. (beside "postolus loquitur"), Philip. 1. (beside "tur de die in diem").

A ratio, vt tales & tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur. Quia & comedendum est, & deambulandum, & dormiendum, & digerendum: & postea inflatis venis incentiua libidinis sustentantur. Sunt quidem sensus nostri portæ, per quas ad animam nostram sæculi blandimenta descendunt, & per quas sensus carnis introeunt. Per quas nisi lata strage facta viam virtutibus potius quam impietate fecerimus, nunquam ad regem pietatis peruenire poterimus. Dicat enim vnusquisque quo dolet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam, & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. Nec tales ergo recipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comestos magno partos & perditos labore doleamus. Olerum & pomorum ac B leguminum, & facilior apparatus est, & arte impendiisque coquorum non indigent, & sine cura sustentant humanum genus, moderatæque sumptus, quia nec auidè deuoratur. Quod irritamentum gulæ non habet, leuiori digestione decoquitur. Nemo enim vno & duobus cibis, hisque vilibus vsque ad inflationem ventris oneratur, quæ diuersitate carnium & saporis delectatione concipitur cum variis nidoribus fumant patinæ, & ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos trahunt. Vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur. Multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Postquam enim venit Christus in fine temporum, & reuoluit ω, & α, id est, finem ad principium, vt in prima ætate non circumcidimur, nec repudium dare permittimur, nec carnes comedimus. Hippocrates in aphorismis docet crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleuerint, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, paralysim & pessima morborum genera parere. Et idcirco esse necessariam demptionem, vt rursum habeant in quæ possint crescere. Non enim ma- C nere in vno statu naturam corporum, sed aut crescere, aut decrescere: nec posse viuere animal nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus ille doctissimus Hippocratis interpres, Athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cœleste: sed semper de carnibus & ructu & ventris ingluuie cogitare. Diogenes tyrannos & subuersiones vrbium bellaque hostilia vel ciuilia non pro simplici victu olerum pomorumque, sed pro carnibus epularumque delitiis asserit excitari. Quodque mirandum sit, Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus & pomis & vilibus cibis: dicens ita esse viuendum: quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparantur, maioremque pœnam habeant in quærendo, quam voluptatem in abutendo. Bibere & comedere non delitiarum ardorem debet excitare: sed sitim famemque restinguere. D Qui carnibus vescuntur, indigent etiam his quæ sunt carnium. Qui autem simplici victu vtuntur, eos carnes non requirere. Sapientiæ ergo operam dare non possumus, si mensæ abundantiam cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget. Cito expletur naturæ necessitas: frigus & fames simplici vestitu & cibo expelli potest. Delitiæ & epularum varietas, fomenta sunt auaritiæ. Quod si quis existimat se abundantia ciborum potionumque perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est versari inter delitias, & delitiarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Sensus noster illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat, & ad eius trahitur appetitum, cuius capitur voluptate. Difficile, imo impossibile est, diuinis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus. Frustraque quidam simulat salua fide & pudicitia & integritate mentis se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit, copiis voluptatum, sine voluptate perfrui. Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes. Anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium. Grandis exultatio animæ est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus: & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & grossiori tunica compensare.

Tolle epularum & libidinis luxuriam, nemo quæret diuitias, quarum vsus aut in ventre, aut sub ventre est. Qui E ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo & castigato victu. Quibus ergo cibis recipitur sanitas his & seruari potest, ne quis putet morbos oleribus concitari. Si autem vires olera non ministrant, quæ nascuntur & aluntur carnibus, quid est sapienti viro & philosopho Christi tantam habere fortitudinem, quæ athletis & militibus necessaria est, quam cum habuerit ad vitia prouocetur? Illi autem arbitrantur carnes sanitati congruas, qui volunt abuti libidine, & in cœnum demersi voluptatum, ad coitum semper exæstuant. Christiano sanitas absque viribus eximia necessaria est. Nec turbare nos debet, si rari sunt huius propositi sectatores: quia rari sunt & amici boni & fideles & pudici & continentes, semperque virtus rara est. Legimus quosdam morbo ar- F ticulari & podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum ad simplicem mensam & ad pauperes cibos redactos, conualuisse. Caruerant enim sollicitudine dispensandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animam. Irridet Horatius appetitum ciborum, qui consumpti relinquunt pœnitentiam. Sed etiam ex vilissimis cibis vitanda satietas. Nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter & æstuans, & huc illuc se vertens, & in ructus, & in crepitus ventorum efflatione respirans. Quale autem illud ieiunium, aut qualis refectio post ieiunium: cum pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum? Dumque volumus prolixioris inediæ famem quærere, tantum voramus, quantum via alterius diei non digerat. Itaque non tam ieiunium appellandum est, quam crapula ac fœtens & molesta digestio. G

De abstinentia philosophorum antiquorum, sacerdotum aliorumque sanctorum.

Dicæarchus in libris antiquitatum & descriptione Græciæ, refert sub Saturno, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes: sed vniuersos vixisse frugibus & pomis, quæ sponte terra gignebat. Chæremon quoque Stoicus vir eloquentissimus narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum: quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis, semper in templo fuerint, & rerum naturas causasque ac rationes syderum contemplati sint, nunquam se mulieribus miscuerint, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint: & ea eo tẽpore quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino semper abstinuerint propter tenuitatem sensus: & maxime propter appetitus libidinis: quæ ex his cibis & ex hac potione nascuntur. Pane vero non vescebãtur, ne onerarent stomachum: & si quando comedebant, tusum pariter hysopum sumebant in cibo, vt escam grauiorem, illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus nouerant, verum & ipsum parum, propter nau- H seam & asperitatem gutturis leniendam. Quid loquar, inquit, de volatilibus, cum oua quoque pro carnibus vitauerint & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum contextum erat. Scabellum accliue ex vna parte obliquum in terra pro puluillo capiti supponebant, bidui triduique inediam sustinentes: & humores corporis qui nascuntur ex otio & ex mansione vnius loci, nimia victus castigatione siccabant. Item Iosephus in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, & in decimo octauo antiquitatum libro, tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essæos, quorum nouissimos miris effert laudibus: quod & vxoribus, vino, & carnibus semper abstinuerint: & quotidianum ieiunium verterint in naturã. Super quorum vita & cibo. Philo vir doctissimus proprium volumen edidit. Eubulus narrat apud Persas tria genera magorum: quorum primos qui sunt doctissimi & eloquẽtissimi, excepta farina & olere, nil amplius in cibo sumere. Orpheus quoq; in carmine suo esũ carniũ penitus

A detestatur. Pythag[illegible]u, Socratis, Antisthenis, & reliquorum frugalitatem referrem confusionem nostram nisi & longum esset, & proprij operis indigeret: vt qui paupertatem Apostolorum & crucis duritiem aut nesciunt, aut contemnunt, imitentur saltem gentilium paupertatem. Ad eam venio, quæ Asella post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, impleuit. Vnius cellulæ clausa angustiis, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, & orationis locus extitit & quietis. Ieiunium habuit pro ludo, inediam pro refectione. Et cum eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret, pane & sale & aqua frigida concitabat magis esuriem, quàm restringebat: & operabatur manibus, sciens scriptum esse: *Qui non laborat, non manducet.* Et ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachus, non viscerum cruciaretur iniuria: non sicca humus iacentia membra confringeret, non sacco asperata cutis, fœtorem aliquem situmque contraheret: B sed sana corpore, anima sanior, solitudinem putaret esse delitias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum. Paulo quoque cibum & vestimenta palma præbebat, & ne cui impossibile videatur, Iesum testor & angelos eius: quod in parte eremi, quæ iuxta Syriam Saracenis coniungitur, monachum vidi, qui per triginta annos inclusus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua viuebat. Alter in cisterna veteri per dies singulos quinque carycis sustentabatur. Vnde si mihi dominus optionem daret, multo magis eligerem tunicam Pauli cum meritis, quam regum purpuras cum regnis suis. Quid tamen nos ventris animalia, tale vnquam fecimus? quos si vel secunda hora legentes inuenerit, oscitamus, manu faciem defricantes, continemus stomachum: & quasi post multum laborem, mundialibus rursus negotiis occupamur. Prætermitto prandia, quibus mens onerata premitur. Pudet dicere frequentiam salutandi: qua aut ipsi quotidie ad alios pergimus, aut ad nos venientes cæteros expectamus. C Deinceps itur in verba, sermo teritur, lacerantur absentes, vita aliena describitur: & mordentes inuicem, consumimur ab inuicem. Talis nos cibus occupat & dimittit. Cum vero amici recesserint, ratiocinia supputamus. Nunc ira personam leonis nobis inducit: nunc cura superflua in annos plurimos duratura præcogitat. Nec recordamur euangelij dicentis: Stulte hac nocte auferent animam à te, quæ autem præparasti, cuius erunt? Nec vero hoc dicens condemno cibos, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed iuuenibus incentiua esse assero voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuuius, Olympusque tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, dapibus inflãmatæ. Auaritia calcatur à plærisque & cum marsupio deponitur. Maledicam linguam indictum silentium emendat: cultus corporis, & habitus vestium vnius horæ spatio commutatur. Omnia alia peccata extrinsecus sunt: & quod foris est facile abiicitur. Sola libido insita est: & quadam D lege naturæ in coitum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est & sollicitæ diligentiæ superare quod natus sis: & in carne non carnaliter viuere.

2. Thess. 3.

De temperatis ieiuniis.

TAntum tibi ieiuniorum assume quantum ferre potes: diuersus est enim hominum stomachus. Alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij leuibus delectantur cibis. Ideo non tibi immoderata imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur. Philosophorum quoque sententia est, moderatas esse virtutes: excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari. Vnde & vnus de septem sapientibus: Ne quid (ait) nimis. Noui enim ego in vtroque sexu propter nimiam abstinentiam cerebri sanitatem quibusdam fuisse vexatam, præsertim qui in humidis & frigidis habitauere cellulis: ita vt nescirent quid agerent, quove se verterent, quid loqui, quid tacere deberent. Sic ergo debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis: sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis E solito quid minus facias. Ieiunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio atque pudicitia: & sine qua nemo videbit Deum. Nam Christus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. Displicent namque in teneris maxime ætatibus longa & immoderata ieiunia, quibus iunguntur hebdomades, & oleum in cibo ac poma vetantur. Experimento didici, asellum in via cum lassus fuerit, diuerticula quærere. Hoc enim in perpetuo ieiunio præceptum est, vt longo itinere vires perpetes superentur, ne in prima mansione currentes corruamus in mediis. Cæterum in quadragesima continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus: quamquam alia sit conditio F sæcularium, alia monachorum. Sæcularis homo in quadragesima ventris ingluuiem decoquit, & in cochlearum morem, succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum parat. Monachus in quadragesima suos dimittat equos, vt sibi meminerit semper esse currendũ. Finitus labor maior, infinitus moderatior est. Ibi enim respiramus: hic perpetuo incedimus. Sic tamen comedas, vt statim post cibum possis legere, orare, & psallere. Ideo sint tibi casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia. Sed quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, & mel? Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario pane non vescamur: & dum delitias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Nec si biduo aut triduo ieiunaueris, putes te non ieiunantibus esse meliorem. Tu ieiunas & irasceris: ille comedit & forte blanditur. Tu vexationem mentis & ventris esuriem ieiunando digeris, ille moderatus alitur & gratias agit Deo. Vnde quotidie clamat Esaias: Non tale ieiunium elegi dicit dominus: & iterum. In diebus ieiuniorum ve- G strorum inueniuntur voluntates vestræ: & omnes qui sub potestate vestra sunt stimulatis. In iudiciis & litibus ieiunatis, & percutitis pugnis humilem, vt quid mihi ieiunatis? Quale illud potest esse ieiunium, cuius iram non dicam nox occupat, sed luna integra derelinquit? Teipsũ considerans noli in alterius ruina, sed in tuo opere gloriari: nec illorum tibi exempla proponas, qui carnis curã facienter, possessionum redditus & quotidianas domus impensas supputant. Nec enim vndecim Christi Apostoli Iudæ proditione sunt fracti. Nec Philegio & Alexandro naufragium faciente cæteri à cursu fidei substiterunt. Conuiuia quoque tibi sunt vitanda sæcularium: maxime eorum qui honoribus tument. Nam pinguis venter, non gignit sensum tenuem. Docet Æsopi fabula, plenum muris ventrem per angustum foramen egredi non valere. Quoscunque namque formosos, calamistratos, crine cõpositos, vel buccis rudentibus videris: de armento Iouiniani sunt, inter quos grunniunt sues. De nostro grege, tristes, pallidi, sordidi, & quasi peregrini huius sæculi, H licet sermone careant, habitu loquuntur & gestu: Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est. Vnde saccus & ieiunium arma sunt pœnitentiæ, & alia peccatorum. Et si è duobus necessariis vnum est subtrahendum: magis eligam ieiunium absque sacco, quam saccum absque ieiunio. At vero hi, quibus pœnitentia præcipitur, consequenter ad ieiunium saccum copulant. Non quidem sanat oculum, quod calcaneo adhibetur. Ieiunio, passiones corporis: oratione, pestes sanandæ sunt mentis. Igitur per ieiunium ostenditur nos posse ire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti. Nam ieiunium curat vulnera deliquentis, curatosque sanctificat.

De contemplatione, oratione, & lectione.

SI monachus esse vis, non videri: habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Corpus pariter animusque tendantur ad

A dominum. Sic teipsum in cœlo animo gestiente procu-
res, vt dum corpore moraris in terra, iam ad Christum
mente peruenias. Assuescas quoque ad orationes & Psal-
mos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sex-
ta, nona hora stare in acie quasi bellatorem Christi, ac-
censaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Sic
dies transeat, sic nox inueniat laborantem: orationi le-
ctio, lectioni succedat oratio. Præcipue ea quæ sancti fa-
ciunt, in conspectu Dei faciunt, & pleniorem scientiam
Dei accipiunt, & plenius diuinis imbuti sunt discipli-
nis. Si enim ægrotus & æstuans febribus aquam frigi-
dam postulet, & dicat ad medicum. Vim patior, crucior,
exanimor, vsquequo medice clamabo, & non exaudies?
Et respondeat sapientissimus & clementissimus medi-
cus. Scio quo tempore debeam dare quod postulas, non
misereor modo: quia misericordia ista crudelitas est: &
voluntas tua contrare petit. Ita dominus noster sciens
B clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non
exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet
ad rogandum: & quasi igne excoctum, iustiorem & pu-
riorem faciat. Ad orationem nocte consurgentem, non
indigestio cibi ructum faciat, sed inanitas. Nam quidam
vir inter pastores eximius. Sicut fumus, inquit, fugat a-
pes: sic indigesta ructatio auertit Spiritus sancti charis-
mata. Ructus autem dicitur proprie digestio cibi, & con-
coctarum escarum ventum efflatio. Quomodo ergo
iuxta qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit,
& vel boni, vel mali odoris flatus indicium est: Ita inte-
rioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abun-
Eue.6. dantia cordis os loquitur. *Iustus comedens replet ani-
mam suam.* Cumque sacris doctrinis fuerit satiatus, de bo-
ni cordis thesauro profert ea quæ bona sunt. Crebrius le-
ge, & disce quam plurima, & tenente te codicem, som-
nus obrepat: & cadentem faciem pagina sancta susci-
1.Thess.5. piat. Et quamquam Apostolus semper orare nos iubeat,
& sanctis etiam ipse somnus oratio sit: tamen diuisas o-
C randi horas debemus habere, vt si aliquo fuerimus o-
pere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.
Nec cibi ante sumantur, nisi oratione præmissa. Nec
recedatur à mensa, nisi referantur gratiæ creatori. Egre-
dientes hospitium armet oratio, & egredientibus occur-
rat oratio antequam sessio: nec prius corpusculum re-
quiescat, quam anima pauseiur. Ad omnem actum, ad
omnem incessum, manus pingat crucem. Dominicis
diebus orationi & lectioni vacetur: quod quidem in o-
mni tempore completis opusculis faciant. Quotidie de
Scripturis sanctis aliquid dicant. Prouidendum et-
iam vt diem solemnem, non tam ciborum abundantia,
quam spiritus exultatione celebremus: quia valde ab-
surdum est nimia saturitate velle martyrem honorare,
quem scias Deo placuisse ieiuniis. Sacerdotes quoque
pro omnibus orare debent, quorum eleemosynas obla-
tionesque recipiunt. Sæpe in manibus tuis diuina sit le-
ctio & crebræ orationes, vt omnes cogitationum sagit-
D tæ, quibus adolescentia percuti solet, huiuscemodi cly-
peo repellantur: quoniam difficile, imo impossibile est
perturbationum vitus carere quempiam. Nam frequens
lectio & quotidiana meditatio, solet magis labor mentis
esse, quam carnis. Quomodo enim quod manu & cor-
pore fit, manus & corporis labore completur: ita quod
ad lectionem pertinet, magis mentis est labor. Literæ
namque marsupiũ non cõsequuntur: sudoris tamen co-
miter sunt & laboris: sociæ ieiuniorum, non saturitatis:
continentiæ, non luxuriæ. Vnde quidam Origenis disci-
pulus dixit, nunquam se cibum Origene præsente sine
lectione sumpsisse: nunquam euenisse somnum, nisi v-
nus è fratribus sacris literis personaret. Edentes au-
tem cucullis capita sua vellent, ne alter alterum aspiciat
manducantem, ne loqui quicquam liceat dum mandu-
cant. Igitur quando comederis, cogita quod statim
tibi orandum, ilico & legendum sit. De Scripturis san-
ctis habeto fixum versuum numerum. Istud pensum
domino tuo redde. Nec ante membra quieti concedas,
quam palladium pectoris tui hoc sub tegmine comple-
ueris. Post sanctas Scripturas, doctorum hominum tra-
ctatus lege: eorum duntaxat, quorum fides nota est: F
Quoniam eruditio timorem creat, imperitia confiden-
tiam. Sed tunc Scriptura proderit legenti, si quod lege-
rit, opere compleatur. Illorum igitur tractatibus, illorum
delecteris ingeniis & libris, quorum pietas fidei non va-
cillat. Cæteros sic lege, vt magis iudices quam sequaris.
Caueas omnia apocrypha: & si quando ea non ad dog-
matum veritatem legere volueris, scias non earum esse
quorum titulis prænotantur: multaque in his & mixta
vitiosa: Et grandis prudentiæ est, aurum in luto quærere.
Quid enim facit cum Psalterio Horatius? cum euange-
liis Maro? cum Apostolo Cicero? Quæ societas lucis
ad tenebras? Ne ergo legas philosophos, Oratores, Poë-
tas, ne in eorum lectione requiescas, ne nobis blandia-
mur: si his quæ scripta sunt non credimus: cum aliorum
conscientia vulneretur, & putemur probare, quæ dum F
legimus non reprobamus. Absit ergo vt de ore Christia-
no sonet Iupiter omnipotens, & me Hercule, & me E-
castor, & cætera magis portenta quam numina. At nunc
etiam sacerdotes Dei, omissis euangelius & prophetis,
videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum ver-
suum verba cantare, tenere Virgilium: & id, quod in
pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. Sci-
entia autem pietatis est, nosse legere Scripturas, Prophe-
tas intelligere, in Euangelio credere, Apostolos non i-
gnorare. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Eu-
angelium, sed in sensu: Non in superficie, sed in medul-
la: Non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Si
quid autem ignoras, si quid de Scripturis dubites, inter-
roga eum, quem vita commendat, excusat ætas, fama
non reprobat. Aut si non est qui possit exponere, melius
est aliquid nescire, quam cum periculo discere. Memen-
to quia in medio laqueorum ambulas. Malo enim a-
pud te verecundia parumper quam causa periclitari.
Qui tamen quod nouit interrogat, non modo discen- G
di, sed studio cognoscendi, an nouerit ille qui responsu-
rus est in similitudinem Pharisæorum, non quasi disci-
pulus, sed quasi tentator accedit. Plerique etiam detra-
ctorum: dum verba sacri eloquij plus quam debent dis-
cutiunt, in carnalem intellectum cadunt. In diuinis au-
tem Scripturis & libris, melius est obscura relinquere vt
sunt, quam aliquid temere, vel praue imitari quod ne-
scias. Sunt quoque nonnulli, qui rugata fronte demisso
supercilio, verbisque trutinatis auctoritatem doctorum
sibi vendicant. Non quod ipsi dignum aliquid arrogan-
tia nouerint: sed quod simplices fratres quædam viden-
tur sui comparatione nescire. Euenit etiam interdum, vt
cum modicum scientiæ quis habuerit, elatus in super-
biam discere desistat, & paulatim eo quod nihil additur,
subtrahitur, vt vacuus disciplinis penitus remaneat: fer-
rumque quod acutum erat, hebetetur. Sed & iam Pro-
phetam horrere, eloquentis est: non Christum sapere, sa-
pientis: iniuriam fecisse, virtutis: aliqua possidere, poten-
tiæ: innocentem circumuenire, astutiæ: humilem despe- H
xisse, nobilitatis. Sic erroribus plena sunt omnia, & ad
hoc vsque veritas obscuratur, vt in mortis gremio iacuis-
se beatitudo dicatur. Nobis vero nil placet, nisi quod ec-
clesiasticum est: & quod publice in ecclesia non time-
mus. In his tamen ita facere solemus. Quando enim phi-
losophos legimus, quando in manus nostras libri veni-
unt sapientiæ sæcularis, si quid in eis vtile reperimus, ad
nostrum dogma conuertimus: Si quid vero superfluum,
de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum: hæc radi-
mus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium more
ferro acutissimo desecamus. Referam tibi meæ infelicita-
tis historiam. Cum ante annos plurimos domo, paren-
tibus, sororibus, cognatis: & quod his difficilius est,
consuetudine lautioris cibi propter cœlorum me regna
castrassem, & Hierosolymam militaturus pergerem: bi-
bliotheca, quam mihi Romæ summo studio confece-
ram, carere non poteram. Itaque, miser ego, lecturus
Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post
lacrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum,
ex imis visceribus fluebant, Plautus sumebatur in ma-
nus. Si quando in memetipsum reuersus, prophetã legere
cœpis-

A coepissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen caecis oculis non videbam: non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris, corpus inuasit exhaustum, & sine vlla requie (quod dictu quoque incredibile sit) infelicia membra depasta est, vt ossibus vix haererem. Interim parantur exequiae, & vitalis animae calor, toto iam corpore frigescente, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat: cum subito raptus in spiritu ad tribunal Christi pertrahor, vbi tantum luminis erat, & tantum ex circunstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, Et ille qui praesidebat, Mentiris ait: Ciceronianus es, non
Matt. 6. Christianus. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Illico obmutui, & inter verbera (nam caedi me iusserat) conscientiae magis igne torquebar: illum mecum versicu-
Psal. 6. lum repetens *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Clamare tamen coepi. & eiulans dicere. Miserere mei domi-
B ne, miserere mei. Haec vox inter flagella resonabat. Tandem ad praesidentis genua prouoluti qui astiterant, precabantur vt veniam tribueret adolescentiae, & errori locum poenitentiae daret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium aliquando literarum libros legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, deierare coepi, & nomen eius obtestans dicere. Domine, si vnquam habuero codices seculares, aut si legero, te negaui. In haec sacramenti verba dimissus, reuertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperui: tanto lacrymarum imbre perfusos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus saepe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod iacui, iudicium testis quod timui: Ita mihi nunquam talem contingat incidere quaestionem. Nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas, plagas sensisse post somnum: & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto mortalia ante non legeram. Quodque praeter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte & mane semper exercendum est:
C statue quot horis scripturam sanctam ediscere debeas, quanto tempore legere: non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animae. Cumque haec finieris spatia, & frequenter ad figenda genua solicitudo animi suscitauerit: aut texenda compone, aut quae sunt texta respice: quae errata reprehende, quae sunt facienda cõstitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupatus nunquam tibi dies longi erunt. Sed quamuis aestiuis tendantur solibus, breues videbuntur, quibus aliquid operis praetermissum est. Haec obseruans, teipsum saluabis & alios: & eris magister sanctae conuersationis, multorumque castitatẽ lucrum tuum facies. Dicas psalmũ in ordine tuo, in quo nõ dulcedo vocis, sed mẽtis quaeratur, scribẽte Apostolo.
1. Cor. 14. *Psallam spiritu, psallam & mente.* Legerat enim praeceptũ, *psallite sapienter.* Nam clamor in scripturis non est vocis, sed cordis. Sed nunquid verborum multitudine flecti Deus vt homo potest? Non enim verbis, sed corde orandus est Deus. Melior est septem psalmorum decantatio
D cum puritate & serenitate, & spiritali hilaritate, quã totius psalterij modulatio cum anxietate cordis & tristitia, Cantor quoque pellatur vt noxius, tibicinas & psalterias & istiusmodi quasi mortifera syrenarum carmina perturba ex aedibus. Sic autem erudienda est anima, quae futurum est templum Dei, quod nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet: turpia non intelligat, cantica mundi ignoret. Non sunt contemnenda quasi parua sint, sine quibus maiora constare non possunt. Graeca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis paedagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuerat infectus. Daemonum itaque cibus est carmina poëtarum, secularis sapientia, rhetoricorum pompa verborum. Haec sua omnes suauitate delectant, & dum versibus aures dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt. Verum, vbi cum summo studio fuerint ex la-

bore perlecta, nihil aliud nisi inanem sonũ & sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt. Nulla ibi saturitas veritatis, nulla iustitiae refectio reperitur. Studiosi earum in E
fame veri & virtutum penuria perseuerant. Mihi autem curae, non quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Ornat enim doctrinam Dei, qui ea quae conditioni suae apta sunt, facit: & econuerso confundit illam, cui cõditio sua displicet. Monachus autem non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & domini pauidus praestolatur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam. & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat & corruat & frangatur, seque monachum esse non loquendo & discursando, sed tacendo & sedẽdo nouerit. Sit quoque tibi sermo silens, & silentium loquens: nec citus, nec tardus incessus. Ac vnusquisque, quando ad communionem ingreditur, cum cuculla tantum accedat. Habeant qui volunt suas oues, vase gemmato bibant, serico niteant, plausu populi delectentur, & per varias voluntates diuinas vincere nequeant. Nostrae diuitiae F
sunt *in lege Dei meditari die ac nocte*, ianuam pulsare, & se- Psal. 1.
culum praeeuntes calcare. Praeparemus igitur nobis fortitudinem, assumamus nobis perfectum robur, vt inter errorum tenebras & confusionẽ, in noctis scientia Christi lumen appareat. Diesque noster nubem habeat praetegentem, vt his ducibus ad terram sanctam peruenire valeamus. Quid enim eruditiona melius? quid suauius disciplina? quid dulcius domino? Sit autem conuiuium Christus, lectio Christus, quies Christus, cogitatio Christus. Quae enim potest esse vita sine scientia scripturarum, per quam etiam ipse Christus agnoscitur? Qui cibi, quae mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiã? Sapiens quoque nunquam solus est: habet secum omnes qui boni sũt & fuerunt, & animum liberũ quocunque vult transfert: quod corpore non potest, cogitatione complectitur. Et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo: nec vnquam est minus solus, quam cum solus fuerit. Prima nãque sapientia est caruisse stultitia: sed stultitia caruisse non potest, nisi qui intellexerit illam. Sed vera quidem sapientia est, nuper factum se nosse: &, vt sic loquar, in carne iusto- G
rum imperfecta perfectio est. Parum tamẽ est scire quod nescitis, sed prudentis hominis est nosse mensuram suam: quam qui ignorauerit, quanto ampliora quaesierit, tanto magis ad inferiora collocabitur. Discamus igitur in terris, quorum nobis scientia perseueret in coelis.

De vigiliis.

DIgnum est, fratres, aptumque prorsus satisque conueniens, de sanctis vigiliis nunc dicere & proferre sermonem: quando ipsa lucubratio exigitur à solicnis. Nox ecce est caligo corporibus: non solum homines, sed etiam cunctos in somno detinet animantes, vt reformatis viribus per soporem, possint diuturnũ sustinere laborem viuentes. Bonus Deus qui ita prospexit, ita cõstituit, vt homo exiturus ad operationem suam vsque ad vesperum, haberet vicarium tempus, in quo a duris laboribus, & multa fatigatione requiescere praestitit. Nouimus autẽ multos hominum, vt aut maioribus suis placeant, aut sibi H
aliquid peculiariter prosint, noctis particulã ad aliquod opusculum segregare: id pro lucro ducere, quod furati de Prou. 31.
sopore suo operari potuerint. A Salomone vero laudatur & femina, quae pensa & lanificium ad lucernam vigilanter exercet. Addidit etiam quod ex hoc laus viro eius in portis, & gloria magna nascatur. Quod si in carnalibus instrumentis, id est, victui & vestitui necessariis, qui vigilat non reprehenditur, imo laudatur: & mirari me fateor esse aliquos, qui sacras vigilias tam spirituali opere fructuosas, orationibus, hymnis, lectionibusq; foecũdas, aut superfluas aestimãt, aut ociosas, aut quod his deterius est, importunas. Et quidem si sunt homines à nostra religione alieni, qui ista sic sentiant, non est mirum. Quomodo enim prophanis religiosa placere possunt: quib. si placerent, nostri essent: quia sumus vtiq; Christiani? Si vero nostri sunt, quos vigiliarũ salutifer actus offẽdit, vt nihil de his deterius suspicer: Aut pigri sunt, aut somniculosi,

A aut quod his est proximũ, senes vel infirmi. Si pigri sunt,
Prou. 6. erubescant: quia illis insonãt Prouerbia Salomonis. *Vade*
Prou. 24. *ad formicam ô piger, & æmulare vias eius.* Si somniculosi
sunt, expergiscantur scriptura proclamante. *O piger, quo-*
usque dormis. Quando autem de somno surges? paululum qui-
dem dormis, modicum sedes, pusillum autem dormitas: pusil-
lum vero comple&eris manibus pectus. Si senex es, quis te
compellit vt vigiles? quanquam & non compulsus pro æ-
tate tamen vigilas. Et si stare non potes, sed tuam cogitas
impossibilitatem, non debes iuuenes & valentes ad tuum
reuocare torporem, quos propter varias tentationes iu-
uentutis, seipsos propensioribus macerare decet vigiliis.
Nam athletæ suis incitatoribus fortiores sunt: & tamen
monet debilior, pugnat ille qui fortior est: Maxime quia
& sancti corruunt, si fuerint negligentes: Et peccatores
pristinum recipiunt, si sordes fletibus lauerint. Hoc ideo
dico, vt te non terreant descendentes, sed prouocent as-
cendentes. Nihil tam facile, quam otiosum & dormien-
tem de aliorum labore & vigiliis disputare. Si vero infir-
B mus es membris, quod facere potes, noli reprehendere:
Psal. 6. imo riga & tu secundum prophetam lacrymis stratum
Psal. 62. tuum, & dic. *Sic memor fui tui super stratum meum.*
Iniunge te etiam vigilantibus, vt te suis precibus iuuent,
quo adiutus à domino, super lectum doloris tui canere
Psal. 62. possis, vt tu quandoque merearis dicere. *In matutinis*
meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Alioquin stul-
tum & satis extraneum est, vt quia ipsi currere non va-
lemus, bene currentibus derogemus. Nam & si non
possumus, debemus congratulari potentibus. Sicut e-
nim de consensu malitiæ participatur cum facientibus
pœna: sic participatio gloriæ speranda est de consensu
bonitatis. Alios enim effectus coronat, alios voluntas
pia lætificat. Nec sane onerosum vel difficile videri debet,
etiam delicatis corporibus in septimana duarum noctiũ,
id est, sabbati atque dominicæ portionem aliquam Dei
ministerio deputare. Ista enim quasi pacificatio est die-
rum quinque vel noctium, quibus stupore carnali ingra-
nescimus, ac mundanis actibus oscitamus. Nec erubes-
cat aliquis in bono studio sanctitatis, cum non erubes-
C cant improbi in perpetrando opere fœditatis. Merito
Eccles. 4 ergo scriptura in Prouerbiis ingerit. *Est confusio quæ du-*
cit ad peccatum. In bono enim opere confundi, peccatum
est: sicut in malo faciendo non confundi, pernicies est. Si
sanctus es, ama vigilias, vt thesaurum tuum vigilando
custodias, & ipse in sanctitate serueris. Si peccator es, ma-
gis cura, vt vigilando & orando purgeris, dum tunso pe-
Psal. 18. ctore frequentius clames. *Ab occultis meis munda me, &*
Psal. 33. *ab alienis parce seruo tuo.* Gustandum enim videtur, quia
suauis est dominus, sicut scriptum est. Qui ergo gustauit,
intelligit & sentit, quantum pondus pectoris vigilando
deponitur, quantus mentis stupor excutitur, quanta lux
animam vigilantis & orantis illustrat, quæ gratia, quæ
visitatio membra vniuersa lætificat. Vigilando omnis
timor excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia
tabescunt, charitas roboratur: recedit stultitia, accedit
prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum
caput diabolus gladio spiritus vulneratur. Quid hac vti-
D litate magis necessarium? quid istis lucris commodarius?
quid hac dilectione suauius? quid hac felicitate beatius?
teste etiam propheta, qui in principio psalmorum suo-
rum beatum virum describens, summam beatitudinem
Psal. 1. eius in hoc versiculo collocauit, Si in lege Dei meditatur
die ac nocte. Bona est quidem diurna meditatio, sed effi-
cacior est nocturna. Quia per diem necessitates obstre-
punt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex
cura dispergit. Nox autem secreta, nox quieta, oppor-
tunam se præbet orantibus, aptissimam vigilãtibus, dum
carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum
in totum hominem diuinis conspectibus sistit. Curan-
dum est etiam ne nimietate cibi vel potus vigilaturi pe-
ctus oneretur, ne cruditates eructantes & crapulam, non
solum ipsi nobis, sed etiam gratiæ spiritus indigni iudice-
mur. Ergo tanquam diuino functuri ministerio ante
nos per abstinentiam parare debemus, vt ingrauati expe-
ditius vigilare possimus. Cogitatio quoque mala pella-
tur, ne male vigilantis oratio fiat, sicut legitur in pecca- E
tum. Sunt enim & ex maligno vigiliæ, sicut in Prouerbiis Prou. 4.
legitur. *Ablatus est somnus ab oculis eorum.* Non enim
dormiunt, inquit, nisi malefecerint. Absint, absint ab hoc
conuentu tales vigiliæ, sit potius vigilãtibus pectus clau-
sum diabolo, apertum Christo: vt quem labiis sonamus,
corde teneamus. Tunc erunt acceptabiles nostræ vigiliæ,
tunc pernoctatio salutaris: si competenti diligentia &
deuotione syncera, ministerium nostrum diuinis obtuti-
bus offeratur.

De vestibus.

FVsca tunica vestiaris, vilis tunica contemptum mun-
di probet. Ita dũtaxat ne animus tuus tumeat, ne ha-
bitus sermoque dissonant. Nam vestis ipsa vilis & pulla,
animi tacentis indicium est. Qui enim mollibus vestiun- Matt. 11
tur, in domibus regum sunt. Tales nãque vestes habeas,
non quibus vestita corpora nudeutur, quæ nec sint mun-
dæ, nec sordidæ, & nulla diuersitate notabiles: quia nec F
affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conueniunt
Christiano. Sed ne hoc ipsum iactantiam tibi generet,
quod seculi iactantiam contempsisti, ne cogitatio tacita
subrepat, vt quia forsitan inauratis vestibus placere desi-
sti, placere coneris in sordibus. Nihil enim intulimus in
hunc mundum, nec auferre quid possumus. At nunc ple-
rosque videas armaria stipare vestibus, tunicas mutare
quotidie, & tamen tineas non posse superare. Et qui re-
ligiosior est, vnum exterit vestimentum, & plenis arcis
pannos trahit, inficiuntur membranæ colore purpureo,
aurum liquescit in literas, gemmis codices vestiuntur, &
nudus ante fores eorum Christus moritur. Pulla enim tu-
nica minus cum humi iacuerit, sordidatur. Sit cingulum
laneum cum tota simplicitate purissimum, & quod pos-
sit adstringere vestimenta magis quam scindere. Idem
semper habitus, neglecta mundities, inculta vestis, & cul-
tus ipse sine cultu: plumarum quoque mollicies iuuenilia
membra non foueat.

De laboribus manuum. G

NE vacet mẽs tua variis perturbationibus, quæ si pe-
ctori insederint, dominabuntur tui: & deducent te
ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt semper
te diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes
potestatem de euangelio viuere, laborant manibus
suis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria,
quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia: cur
tu in vsus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe
iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur
humus, areolæ æquo limite diuidantur: in quibus cum
olerum iactata fuerint semina, vel plãtæ positæ per ordi-
nem, aquæ ducantur irriguæ. Inserantur infructuosæ ar-
bores, vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore
dulcia poma decerpas. Apum fabricare aluearia, ad quos
te mittunt Salomonis Prouerbia, & monasteriorum or-
dinem, ac regiam disciplinam, in paruis disce corporibus.
Texantur & lina pro capiendis piscibus. Scribantur & li-
bri, vt & manus operetur cibum, & animal lectione satu- H
retur. Nam in desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum
monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque labo-
re atque opere suscipiant, non tam propter victus neces-
sitatem, quam propter animæ salutem. Ne vagetur per-
niciosis cogitationibus mens, & ad instar fornicãtis Hie-
rusalem, omni transeunti diuaricet pedes suos. Nec id- Ezech. 16
circo tibi ab opere cessandum est: quia Deo propitio nul-
la re indiges. Sed ideo cum omnibus laborandum est, vt
per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad
domini pertinet seruitutem. Simpliciter loquar, quam-
uis omnem censum tuum in pauperes distribueris: nihil
apud Christum erit pretiosius, quam quod manibus tuis
ipse confeceris. Sudore enim & labore nimio ad vberta-
tem fructuum perueniemus.

De

A

De laude religionis, & de inductione ad eam.

EXtruis quidem monasteria, & multus à te per insulas
Dalmatiæ sanctorum numerus sustentatur: sed me-
lius faceres, & si ipse sanctus inter sanctos viueres. Diffi-
cile, imo impossibile est vt & præsentib. quis & æternis
fruatur bonis, & vt hic ventrem, ibi mentem impleat, &
de delitiis transeat ad delitias, vt in vtroque sæculo pri-
mus sit, & in cœlo & in terra gloriosus appareat. Quod
autem asseris, eos melius facere qui vtuntur rebus suis, &
Matt. 19. paulatim fructus possessionum pauperibus diuidant, quã
illus qui possessionibus venditis semel omnia largiantur,
non à me, sed à domino respondetur. Si vis perfectus
esse, &c. Nec à suo studio monachi retrahendi sunt lin-
gua viperea, morsu sæuissimo: quibus argumentaris &
dicis. Si omnes se clauserint & fugerint in solitudinem,
quis celebrabit Ecclesias, quis seculares homines lucrifa-
ciet, quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc e-
B nim modo, si omnes tecum fatui fuerint, sapiens esse quis
poterit? Si virgines omnes fuerint, nuptiæ non erunt, in-
teribit genus humanum. Sed rara est virtus, nec à plurib.
appetitur. Et vtinam hoc omnes essent quod pauci sunt.
Matt. 20 De quib. dicitur. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ideo
licet paruulus ex collo pẽdeat nepos, licet sparso crine &
scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater ostendat,
licet in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem,
siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis ge-
nus est in hac re esse crudelem. Gladium tenet hostis vt
me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo? Delica-
tus es frater charissime. si hic vis gaudere cum sæculo, &
postea regnare cũ Christo. Multa nos facere cogit affect⁹.
Et dum propinquitatem respicimus corporũ, & corpus
Matt. 10 animæ offendimus creatorem. *Qui amat patrem, aut ma-
trem super* Christum, *non est* Deo *dignus*. Vnde discipulus
ad sepulturam patris ire desiderans, saluatoris prohibetur
imperio. Quanti monachorũ dum patris matrisque mi-
serentur, suas animas perdiderunt? Super patre & matre
C polluti nõ licet, quanto magis super fratre, sororibus, con-
1. Pet. 2. sobrinis, familia, seruulis? *Genus regale & sacerdotale su-
mus*: illum attendamus patrem, qui nunquam moritur, &
qui ideo viuens mortuus est, vt nos mortuos viuificaret.
Sola causa pietatis est, vbi nulla carnis memoria est. Honora
patrem tuum, si te à vero patre non separat. Tamdiu scito
carnis copulam, quamdiu ille suum nouerit creatorem.
Psal 44. Alioquin Dauid protinus tibi canet *Obliuiscere populum
tuum, & domũ patris tui, & concupiscet rex decorem tuum:
quoniam ipse est dominus Deus tuus*. Grande præmium est
parentis obliuisci: quia concupiscet rex decorẽ tuum. Solent
etenim miseri parentes, & non plenæ fidei Christiani, de-
formes & aliquo membro debiles filios, quia dignos ma-
trimonio non inueniunt, religioni tradere. Sed si tu per-
fectus esse desideras, exi cum Abraham de patria tua &
de cognatione tua, & perge quo nescis. Et si habes substã-
tiam: vende, & da pauperibus. Si non habes, grandi onere
liberatus es: nudus Christum nudum sequere. Durum,
grãde, difficile: sed magna sunt præmia. Magis enim qui-
libet labor suscipitur, si ante oculos præponatur ipsius la-
D boris vtilitas. Sed & nauigantibus longa serenitas spem
pollicetur, nauis valida & diuturna tempestas. Sectemur
ergo nos mulierculas, sexus nos doceat infirmior. Quan-
tæ diuitiis pariter ac nobilitate pollentes (nolo earum
vocabula dicere, ne videar adulari) relictis facultatibus,
pignoribusque contemptis hoc factu facile iudicarunt,
Matt. 10. quod tu putas proprio timore difficile? Vnde habeto
simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos,
& serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis.
Non multum distat in vitio, vel decipere, vel decipi pos-
se Christianũ. At illa tibi ad hoc de variis floribus lumen
exornent. Coluber ad bibendum veniens, in aqua vene-
num deponit: ne cum venenum aqua concretum occi-
dat. Nudum hominem timet: caput tamen suum celat
quando percutitur, vbi scit esse mortem suam. Serpens
quidem si calamo percutitur, moritur: si vero ictũ per-
cutiatur, confirmatur. Hyemali tempore infirmior effi-

citur, & à fontibus deuincitur. Igitur ante hyemem circa E
se segetes colligit, vt illis escam præbeat. Anguis quando
senuerit, perdit aspectum: & si voluerit redire ad iuuẽtu-
tem, ieiunat quadraginta diebus vt laxetur pellis eius: &
sic angustum foramen perquirit, vt dum nititur inde exi-
re, pellẽ senectutis dimittat. Pellicani cum suos à serpente
filios mortuos inueniunt, lugẽt, & se & sua latera percu-
tiunt: & sanguine excusso ad corpora mortuorum sic re-
uiuiscunt. Aquila quoque cum senuerit, grauantur eius
pennæ & oculi: & quærit fontem, & erigit pẽnas, & col-
ligit in se calorem, & sic oculi eius sanantur, & in fontem
ter se mergit: & ita ad iuuentutem redit. Multa dicuntur
in scripturis, quæ videntur impossibilia, & tamen vera
sunt. Nihil enim dicas impossibile, vbi est virtus altissimi.
Nihil de humana fragilitate cogites, vbi plenitudo adest
deitatis. Sed quid te ad iugum domini præsentis vitæ pro-
uocare exemplis conor, cum nullum pene sciamus fuisse
sanctorum, qui procellosum huius temporis agonẽ, abs-
que tribulatione & tempestate transierit? Sic etenim bel-
lator vulneris dolorem aut contemnit aut nescit, dum vi- F
uacitatis sensibus solam videtur cogitare victoriam. Et
qui hyemis tempore vadit ad balnea, prius asperitatem
frigoris nudus patienter excipit: quia eum futura calefa-
ctio consolatur, omniumque creaturarum difficile pro-
pter Deum exultatio aliqua nisi mœrore præeunte suc-
cedit. Sit ergo in nobis tanta futurorum fides, vt admodũ
non sentiamus nos illa sustinere quæ patimur: sed ea po-
tius arbitremur nos obtinere quæ credimus. Quãta autẽ
apud Deum merces, si in præsenti homines pretium non
sperarent? Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur?
Minori pretio margaritum Christi emi poterat. Finis mi-
litiæ tuæ erit regnum non terræ & temporis, sed æterni-
tatis & cœli. Nihil est filii, quod possit aut debeat præfer-
ri ei. qui est verus dominus, & verus pater, & imperator
æternus. Cui enim rectius vitam nostram impendimus,
quam illi, à quo ipsam accepimus: & cui eam debemus
vsque ad finem, quia ipsius beneficio viuimus? Vnde si
maluerimus Cæsari militare, quam Christo: postea nõ ad G
Christum, sed ad gehennam transferemur. Igitur nec af-
fectum, nec patriam, nec honores, nec diuitias præferre
debemus: quia scriptum est. Præterit huius mundi figura.
Et, qui hunc mundum dilexerint, cum mundo peribunt.
Illi ergo militemus, qui militantibus sibi gloriam vitæ æ- 1. Cor. 7.
ternæ, honorem regni cœlestis, diuitias hæreditatis suæ,
& diuinæ cognitionis consortium perenne largitur. Nã
nullus rex terrenus totius orbis dominus est. Christus au-
tem totius mundi rex est: quia omnia per Christum facta
sunt. *Et quia regnũ cœlorũ vim patitur, & violenti rapiunt* Ioan. 1.
illud: talis violentia Deo grata est, quæ neminẽ concutit, Matt. 11.
nullius dãno nititur. In hanc rapinam manus tuas mitte,
quæ crimẽ non habet, & confert salutẽ. Solicitudines. n.
nostræ carnales, quanto chariores sunt: tãto plus nos dis-
cruciant & fatigant. Ac proinde nunquã in carnalib. affe-
ctionib. ita requiescit animus, vt cruciatu careat: dum ne-
cessitudines suas, aut bonas amet cum amittẽdi metu: aut
malas odit cum amittendi voto: in vtroque sustinẽdis mi-
seriis semper obnoxius est. Cõmuta ergo in melius vitam
tuã, vt æterno Deo incipias militare, & Deũ habeas pro- H
tectorẽ. Sunt tamen multi qui non metu pœnarũ, sed be-
nedictionum, & repromissionum desiderio veniũt ad sa-
lutem. Nihil enim est dignius quam vt homo sit auctoris
imitator, & secundum modum propriæ voluntatis, diuini
sit operis executor. Nam qui edere vult nucleum, frangat
nucem. Apostolus, ait Rectius enim foerat hominem su- 1 Cor 7.
bisse coniugium, & ambulasse per plana, quam ad altiora
tendentem in profundum inferni cadere.

De laude & detractione vitanda & periculis huius vitæ.

NOn credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem
ne libenter accommodes. Omnis falsa prædicatio
sectatur lucra, & gloriam quærit humanam, vt per glo-
riam nascantur compendia. Laudent te esurientium
viscera, non ructuantium opulenta conuiuia: adulator
quippe blandus inimicus est, naturali ducimur malo.

A Adulatoribus nostris libenter fauemus, quamquam nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat: tamen ad laudem suam intrinsecus anima lætatur. Sed veritas angulos non amat, nec quærit susurrones. Laus quippe iustos cruciat, iniquos exaltat: sed iustos dũ cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Nulli detrahas: nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceras. Accusamus sæpe quod facimus, & contra nosmetipsos diserti, in nostra vitia inuehimur, muti de eloquentib. iudicantes. Nunquam huiuscemodi hominib. applicetis: (Psal. 140.) *ne declines cor tuum in verba malitiæ*, & audias. (Psal. 49.) *Sedẽs aduersus fratrem tuum loquebaris: & aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum.* (Eccles. 10.) Et apertius in Ecclesiaste. Sicut mordet serpens in silentio: sic & qui fratri suo in occulto detrahit. Sed dicis: ipse non detraho, aliis loquentibus, quid facere possum? (Psal. 140.) *Ad excusandas excusationes in peccatis*, ista prætendimus. Christus arte non deluditur: (Gal. 6.) nequaquam mea, sed Apostoli sententia est. *Nolite errare, Deus non irridetur*: ille in corde, nos videmus in facie. Salomon loquitur in Prouerbus. (Prou. 25.) *Ventus aquilo dissipat nubes, & vultus tristis linguas detrahẽtiũ.* B Sicut enim sagitta si mittatur contra durã materiam, nonnunquã in mittentẽ reuertitur, & vulnerat vulnerantem: iuxta illud. (Osee 7.) *Facti sunt mihi in arcum prauum.* Et alibi. *Qui mittit in altum lapidem, recidit in caput eius*: ita detractor, cum tristẽ viderit faciẽ audientis, imo non audientis quidem, sed obturantis aures suas, ne audiat iudiciũ sanguinis: ilico conticescit pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur. Vnde idem vir (Prou. 24.) sapiens. *Cum detractoribus*, inquit, *ne miscearis: quoniã repente veniet perditio eorum, & ruinã vtriusque quis nouit?* tam scilicet eius qui loquitur, quã illius qui audit loquentem. (1. Tim. 5.) Et Timotheo dicitur *Aduersus presbyterum accusationem ne acceperis.* Peccantẽ autem coram omnibus argue, vt cæteri metum habeant. Non est facile de perfecta ætate credendum: quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulũ dignitatis. Si me igitur vis corrigi delinquentem, aperte increpa: tantũ ne occulte mordeas. (Psal. 140.) *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit. Oleum autem* C *peccatoris non impinguet caput meum.* Nam in comparatione duorum malorum, leuius malum est aperte peccare, quã simulare & fingere sanctitatẽ. Quid vulneribus tuis prodest, si ego fuero vulneratus? an solatium percussi est amicum secum videre morientem? Quid enim mihi prodest, si aliis mala mea referas, si me nesciente, peccatis meis, imo detractionibus tuis alium vulneres: & cum certatim omnibus narres, sic singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? Hoc non est me emendare, sed vitio tuo satisfacere. Præcepit enim dominus peccantes interdum arguere debere secreto, vel adhibito teste. Et si audire noluerint, referri ad Ecclesiam, habendosque in malo pertinaces, quasi ethnicos & publicanos. Nam ingenia liberaliter educata, facilius verecundia quam metus superat: & quos tormenta non vincũt, interdum vincit pudor: licet multo melius est timore pœnarum emendare peccata, quam spe prosperorum diuinæ subiacere sententiæ. Qui enim non senserit Deum per beneficia, sentiet per supplicia. Cæterum, grande peccatum est odisse cor- D ripientem: maxime si te non odio, sed amore corripiat. Contra nos autem omnis consonat chorus, & latrant vniuersa subsellia: iunguntur & nostri ordinis, qui & roduntur & rodunt: aduersum nos loquaces, pro se muti, quasi ipsi alij sint quam monachi. Et non quicquid in monachos dicitur, redundet in clericos, qui patres sunt monachorum. Detrimẽtum pecoris pastoris ignominia est: sicut è regione illius monachi vita laudanda est, qui venerationi habet sacerdotes Christi: & non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. Nam quando & inimicis præbemus beneficia, ipsorum malitiam nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam, & iratum animum ad beneuolentiam flectimus. Sed nec ille absque inuidiæ infectione esse poterit, qui soli Deo placere gestierit. Inuidia enim non tam humanas amicitias, quam solam iustitiam persequitur. Qui inuidus est, aliena felicitate torquetur: quoniam virtus semper inuidiæ patet. Difficile quoque euadit opprobria, cui est amica iustitia:

E imo si quis pie viuere voluerit, iniqui [illegible] irrisione blasphemant. Hæc quoque est consuetudo detrahentis, vt malum suum semper velit negando geminare: & dicere, aut non fecisse quod fecit, aut bono operatum zelo. Nil mirum ergo si contra me paruum homunculum immundæ sues grunniunt, & pedibus margaritas conculcent: me que procul ab vrbibus, foro, litibus, turbisq; remotum, sicque latentem reperit inuidia. Tantum enim me diligunt hæretici, quod sine me esse non possunt. Omittã personas, rebus tantum & criminibus est respondendum. (Rom. 12.) Nihil causæ prodest maledicẽtibus maledicere, & aduersarios talione mordere: cum præceptum sit, malum pro malo non reddi: vnde non de aduersario victoriam, sed contra mendacium quærimus veritatẽ. (1. Thess.) Sed nec timeamus odia subire quotidãm. Non enim hominibus debemus placere, sed Deo. At scitote me nunquam hæreticis pepercisse, sed omni studio peregisse, vt hostes Ecclesiæ, mei fierent hostes. Vnde meam iniuriã patienter tuli: impietatem contra Deum ferre non potui. Latrãt F canes pro dominis suis, tu nõ vis me latrare pro Christo? Falsus rumor cito opprimitur: & vita posterior indicat de priore. Fieri quidem non potest, vt absque morsu hominum, vitæ huius curricula quis pertransẽat. Malorumque solatium est, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit: & exundãs flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Nam si ante anno præterito fama mẽtita est, aut si certe verum dixit: cesset vitium, cessabit & rumor. Prima nãque virtus monachi est contemnere hominum iudicia. Igitur non timebo hominum iudicium, habiturus iudicem meum. Cupiunt enim vicini non suam, sed alienam discutere vitam. Sed qui amicus est, etiam praua, recta iudicat. Inueniuntur enim scioli tantum ad detrahendum, qui eo se doctos ostentare volunt, si cunctorum vitam lacerent. Sed nihil Deo clausum est, & tenebræ lucent apud eum. Fuge tamen eos in quibus potest malæ conuersationis esse suspitio: nec paratum habeas illud: Sufficit mihi conscientia mea: non curo quid de me loquantur homines. Certe A- G postolus prouidebat bona: *non solum coram Deo, sed etiam* (Rom. 14.) *coram hominibus*: ne per illum, nomen Dei blasphemaretur in gentibus: nec volebat se iudicari ab infideli conscientia. Si scandalizat, inquit, esca fratrem: in æternum carnem non manducabo. Tolle igitur occasionem, volẽtibus occasionem. Nam castigare videtur alium, quisquis ab eius conuersatione dissentit. Sic & nos in ista prouincia ædificato monasterio, & diuersorio propter extructo: ne forte & modo Ioseph cum Maria Bethlehem veniens non inueniat hospitium: tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur monachorum, vt nec cœptum opus (Luc. 14.) deserere, nec supra vires ferre valeamus. Vnde quia nobis illud de Euangelio contigit: vt futuræ turris non ante cõputaremus impensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere: vt semirutas villulas, quæ barbarorum manus effugerunt: & parentum communium cineres vẽderet: ne cœptum sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis, & æmulis præbeamus. Vnde H omnia plena periculis, omnia plena sunt laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, dãna deterrent. Amaræ sunt obloquentiũ linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium: inde sæuit & odit, hinc decipit officium, & facilius est vitare discordem, quam declinare fallacẽ. Sylua succrescit, vt postea rescindatur: ideo ager seritur, vt metatur. Iam plenus est orbis: terra nos non capit, quotidie bella secant, morbi subtrahunt, naufragia absorbent: & nihilominus detrahimus & litigamus. Vides quoque in Ecclesia imperitissimos quosq; florere, Et quia nutrierunt frõtis audaciam, & mobilitatẽ linguæ consecuti sunt: dum non recogitant quid loquantur, prudentes se & eruditos arbitrantur: maxime si vulgi fauorẽ habuerint, qui magis dictis leuiorib. commouentur. Et econtrario vides eruditũ virum in obscuro latere, & persecutiones pati, & nõ solum in populo gratiam nõ habere, sed inopia & egestate tabescere. Hæc autem fiũt, quia non est hic meritorum retributio, sed in futuro.

De

A

De iuramento vindicta, mendacio, stultiloquio prohibendo.

DIxisti enim (ni fallor) iure te mala malis reddere: & cum iurantibus iurare debere: quia aliquãdo iurauit dominus, aut mala malis restituit. Scio primum, non omnia nobis conuenire seruis, quæ domino conueniunt: ne in comparatione famulorum, domini videatur iniuria. Alioquin forsitan reclamare incipimus: cur non è virginibus, sed de aliis mulieribus generamur? Aut cur mortui nostri tertia die non resurgunt? Iurauit scio sæpe dominus, qui nos iurare prohibuit. Nec statim ex hoc temere blasphemare debemus eũ, quod alios vetuerit dominus quod ipse faciebat: quia dici nobis potest, Iurauit dominus, quasi dominus, quẽ iurare nemo prohibebat. Nobis quasi seruis non licet, qui domini nostri legi iurare vetamur. Verumne in eius exemplo scandalum patiamur: ex quo tempore nos iurare noluit, nec ipse iurauit. B Et qualiter de iuramenti causa breui sermone satisfactũ est: ita etiam ad vindictæ negotium hunc eundem sensum, facile prospicis posse sufficere: quia aliud est nunc tempus gratiæ, in quo plenitudo perfectionis aduenit: aliud fuit legis, aliud prophetarum, dicente domino. *Audistis quia dictum est antiquis, ne occiderent.* Ego autẽ perfectiora præcipio, quæ in ordine Euãgelij digesta suo loco lector inueniet: ex quo enim filius Dei, filius hominis factus est, ex quo verus fermentum Iudaicæ traditionis, est factum noua conspersio: ex quo agnus non in figura, sed in veritate comeditur: ex quo secundum Apostolum vetera transierunt, & facta sunt omnia noua: ex quo iussum est imaginẽ terreni hominis deponere, & assumere formã cœlestis: ex quo cõmortui sumus: ex quo virtutibus consurreximus in Christo, iurare non discas: mentiri sacrilegium putes. Admonendi itaque sunt omnes, vt diligenter periurium caueant: non solum in altari, seu sanctorum reliquijs, sed etiam in communi loquela. Omne C enim quod non ædificat audientes, in periculum loquentium vertitur. Veritas quidem claudi & ligari potest, vinci non potest: quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur. Possunt homines, quamuis iusti, aliqua simulare pro tẽpore ob suam aliorumque salutem. Consideremus ergo quid loquamur: quia pro omni verbo otioso reddituri sumus rationẽ in die iudicij. Verbum quidem otiosum est, quod sine vtilitate dicentis & audientis profertur. Stultiloquium autẽ æstimo non illorum tantum, qui aliqua turpia narrant, vnde risum moueant, & fatuitate simulata magis illudant illis quibus placere desiderant: sed etiã illorum qui prudentes seculi putantur: & de rebus physicis disputantes, dicunt se arenas littorum, guttas oceani, & cœlorum spatium, terræque punctum liquido comprehendisse.

De patientia, reconciliatione, & mortuis non lugendis.

D NVnc iam nobis de patiẽtia, & eius bonis loquendũ est. Est igitur patientia omnium iniuriarum & passionum tolerantia, & expectatio bonorum omnium sine præcipitatione sufficientia: quam si quis intellexerit & habuerit, contraria vitæ grauia baiulat, bona omnia continet. Sororem habet spẽ, & affines eius sunt res bonæ omnes: patitur enim libenter, quia sperat, sperando tolerat. Impatienter enim fertur quod non speratur. Omni autẽ virtute patientia perfert, quod spe præeunte dignoscitur: aut si spes fructus patientiæ subsequitur. Hæc matre gaudet fide, & gubernaculum habet Deum, conscientiam, genus, & propinquitatem. Inde gloriosi testes efficiuntur: dum fide pleni, dum Dei timore solicìti, dum continentiæ discipuli, dum filij spei, duce patientia reperiũtur. Deinde cohæredes Christi, dum illum vsque ad mortem patientiæ virtutibus imitantur. Vnde tu passus iniuriam taceas, iram vince patientia. Sanctus enim amor impatientiam non habet. Mansuetudo namque nulla passione

E turbatur, & specialiter ira & furore non rumpitur. Quã qui habuerit, beatitudinẽ cõsequetur, voce dñi promissam, vt terrã possideat, id est, imperet & dominetur corpori suo. Nulla n. res ita inebriat vt animi perturbatio. Et tristitia, quæ ducit ad mortẽ, est quædã ira quæ iustitiam Dei non operatur, & furori proxima mentis suæ impotẽ facit: intantũ vt labia tremant, dentes concrepent, vultus quoque pallore mutetur. Animi vera lætitia interdũ dolores corporis mitigat. Quod si ad ægrotationẽ corporis accedat ægritudo animi, duplicatur infirmitas. Dicit quoque Apostolus *Sol non occidat super iracundiã vestrã.* Quid agemus in die iudicij super quorũ iram nõ vnius diei, sed tantorum annorũ sol testis occubuit? Igitur mitescat sæuitia, mãsuescat iracundia, remittãt sibi inuicẽ culpas suas: nec sit exactor vindictæ, qui petitor est veniæ. Grandis offensa est, nolle placare offensum: quãquã affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo huius corporis habitamus, & fragili carne circundamur, moderari & regere possumus, amputare non possumus. Ideo psalmista dicit. *Irascimini, & nolite peccare.* Quia irasci hominis est, F & finem iræ ponere Christiani. Vnde quidam ait. Iam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Inde enim iusti dicuntur, dum omnia opera patienter operantur. Multo quoque melius est stomachum te dolere, quam mentem gressu vacillare, quam pudicitia: nec statim nobis pœnitentiæ remedia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Cauendum est vulnus quod dolore curatur: nec scire possumus ægrotationis mala, nisi cum fuerit sanitas subsecuta: & quantũ boni virtus habeat, vina demõstrãt: clariusq; fit lumẽ comparatione tenebrarum. Sed consideremus quid ethicus ille psalmus sonet *Iustus es domine, & rectum iudiciũ tuum.* Hodie non potest dicere, nisi ille qui ad vniuersa quæ patitur, magnificat dominũ, & suo merito imputans, in aduersis de eius clemẽtia gloriatur. Necesse est enim vt qui se credere dicit in Christo, in omnib. Christi iudicijs gaudeat, dicens: Sanus sum, gratias refero creatori. Langueo, & in hoc laudo domini voluntatem. *Quando* enim *infirmor, tunc fortior sum,* & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Nam fortitudo corporis, G imbecillitas animæ est. Patitur & Apostolus aliquid quod non vult, pro quo ter dominũ deprecatur: sed dicitur ei. Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur. Cur igitur durum sit quod aliquando patiẽdum est? Dolemus autem quemquã mortuum? Ad hoc enim nati sumus, vt maneamus æterni. Lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius pœna æternus ignis exæstuat. Nam mors nostra peccatũ est. Nos verò quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus Christus occurrit obuiam, grauemur magis si in tabernaculo isto mortis habitemus. Cæterum tu nonne vereris, ne tibi saluator dicat: irasceris quia frater tuus, meus factus est filius? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lacrymis, facis iniuriam possidenti? Cibum tibi negas, non ieiuniorum studio, sed doloris. Non amo frugalitatem istam. Ieiunia ista aduersarij mei sunt. Nullam animam recipio, quæ me nolente separatur à corpore. H Tales stulta philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, & Catonem. Si viuentem credetes fratrem, nunquam plangeres ad meliora migrasse. Nam sicut præter hanc vitam, est vita alia beatorum: ita præter hanc mortem, est mors alia impiorum. Aduersum mortis ergo duritiam & crudelissimam necessitatem, hoc solatio erigimur, quod in breui visuri sumus eos, quos dolemus absentes: neque enim mors, sed dormitio & somnus appellatur. Nos dolendi magis, qui quotidie stamus in prælio, & peccatorum vitijs sordidamur, & accipimus vulnera. Absit tamen à fide nostra, vt aliquam plagã dicam esse, quæ non habeat consolationem, cum propheta proclamet. *Nunquid medicus non est in Galaad?* Deus enim permisit te istius seculi fluctibus ventisque iactari, vt expertus naufragium, de cætero similiter periclitari caueas. Ita cuncta quæ passus es, sicut intelligis vulnera corporis tui, sic animæ remedia sunt. Breuis enim vitæ spatium, æterna memoria compensat,

Marginal references: Matt. 5. — Ephes. 4. — Psal. 4. — Psal. 118. — 2 Cor. 12. — Hier. 8.

A

De tribulationibus & opprobriis perferendis.

Act. 14. Matt. 5

OPortet nos per multas tribulationes introire in regnum cœlorum. Beati estis cum vos maledixerint homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos: gaudete ergo & exultate: quia merces vestra copiosa est in cœlis. Futuræ vitæ gloria præsẽtis vitæ incõmodis comparatur: præcipue quis non qui patitur, sed qui facit iniuriam miser est. Vnde & Christianis vexilla crucis sunt delitiæ, trophea nostræ vitæ non pompis, sed miserus reportsutur. In nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare, non munera. Nam Christi vincula voluntaria sunt, & vertunrur in amplexus. Si quis autem corpore imbecillis est: si abfit sapientis, non aduersarij certamina vincit, maxime quoniã liberi arbitrij sumus: sed ipsum Dei nutritur auxilio. Paupertati, non nobilitati futurorum beatitudo promittitur. Retrahit quidem verecundia senatorem, ne sequatur pauperem Christum: sed sudiat à Christo, *Qui me cõfessus fuerit, & mea verba in generatione hac adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum in gloria patris sui, cum Angelis sanctis.* Turpe est inter parentes senatores pro Christo volũtaria humilitate esse deiectum. Displicet amicis, si post ambitiosi habitus cultum plebeia & ignobilia vestimẽta mutentur. *Sed si hominib. placerem, Christi seruus non essem*, inquit Apostolus: & propheta in psalmo. *Quoniam Deus dissipat ossa eorum, qui hominib. placent, confusi sunt: quoniam Deus spreuit eos.* Quantũ bona est humana offensio, per quam inuenitur seruitus Christi: tantũ perniciosa est amicitia, quæ Dei præstat offensam, sicut scriptum est. Qui voluerit amicus fieri huius mũdi, inimicus Dei constituetur. Dicat vnusquisq; quod velit: ego interim de me pro sensus mei paruitate iudicaui, melius esse confundi coram peccatoribus super terram, quam corã Angelis sanctis in cœlo, vel vbicunque iudicium suum voluerit demonstrare. Vnde Esaias, vir sua gente nobilissimus, qui socer regis Ezechiæ fuisse refertur, iussu Dei deposito cilicio nudus incedit: nec tam ardui præcepti pudore deterritus est, quo minus Dei imperium sequeretur: quia nihil honestius esse homini, quam suo creatori parere, iudicabat. Ioannes quoque Baptista nobilis & in carne & in spiritu natus, cilicium à pueritia, in habitum elegit, & locustas in cibum: qui nec peccati consciẽtia, nec paupertatis inopia, ad huius gloriam oneris, sed sola futuri seculi beatitudine trahebatur. Vnde & Apostoli stulti & inutiles & tenues fidei arguũtur. Inde Paulum Apostolum proferã, quem quoties lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua, qui oculo mentis futura contemplans dicebat. *Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius?* Illos pericula non separãt, nos vero voluptates. Illi catenas baiulant innocentes: nos aurum circunferimus criminosi. Illi in carceribus vincti: nos in triclinijs delicati. Illi in neruo positi. Deum puro corde & syncera cogitatione laudantes: nos forte in ipsa Ecclesia de forensibus calumnijs cogitamus. Et cum omnibus æqualiter legis data sit gratia, gehenna seu regula promissa sint, alij de diuitijs, alij de virtutibus meditantur. Cumque dictum sit generaliter omnibus: *Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies:* alijs innocẽtia, misericordia, castitate, ieiunijs Deo fideliter & sine fine seruientibus: nos nobis adulteros eligimus, quibus seruire volumus. Siquidem iuxta Euangelij sententiam. *Omnis qui facit peccatũ seruus est peccati.* Reuera si amator pecuniæ sum, si gloriæ, si superbiæ, si ambitionis, aut pompæ: dum illi omne studium meæ voluntatis impendo, domino seruire non possum: Quia duobus dominis neminem seruire posse, scriptũ est. Non estis vestri, dicit Apostolus: *Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deũ in corpore vestro.* Clemẽter Spiritus sanctus iure nostro nos cõuenit, sciens hoc in vsu publico apud omnes homines custodiri: vt tanto seruus in opere domini esset cautior, quanto maiori peculio esset comparatus: vt intelligamus quam strenui esse debeant in opere domini, qui redempti sunt sanguine Christi: vel quam criminosi debeant iudicari, qui cum sciant pro pretio suæ salutis Christi sanguinem esse datum, alteri qui nihil præstitit, magis præbeant seruitutem. Rogo quo pudore obsequij aut laboris sui mercedem sperabit à cœlo, cuius fuerit solicitudo omnes in terra? Mercenarius seculi non potest accipere Christi mercedem. Omnis miles in castris iure spectat annonam, qui fortites in prælio pro ciuibus laborauerit. Et *dignus* est quidem *mercenarius mercede sua*. Nemo tamen *militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt placeat ei cui se probauit*, Apostoli vox, Amplectenda est igitur tristitia, quæ gaudiũ parit: nec eius consideranda materia, quia sæpe per dulcedinem fructus placent, quorum amarũ horruit in radice: & qui literarum scientiam habere desiderat, si discendi non susceperit tædia, peritiæ gaudia adipisci non poterit: nec cuiusquam eruditionis quisquam habere sufficiet gloriam, nisi æstus fuerit ante perpessus. Cumque nos Dei auxilio destitutos hostis inuaserit, duxeritque captiuos, non desperemus salutem: sed iterum armemur ad prælium. Potest fieri vt vincamus, vbi victi sumus: & in eodem loco triũphemus, vbi fuimus aliquando captiui. Nam si iuuat dominus miseros, habemus salutem. Si despicit peccatores, habemus sepulcrum. Multo grauior expectata mors, quam illata. Ad hoc enim laboremus, & in seculi periclitemur militia, vt in futuro seculo coronemur. Nec mirum hoc de hominibus credere, cum dominus ipse tentatus sit. Et de Abraham scriptura testetur, quod Deus tentauerit eum. Quam ob causam Apostolus loquitur: *Gaudentes in tribulatione, & scientes quod tribulatio potentiam operatur, patientia probationem, probatio spem: spes autem non confundit.* Scriptum est etiam. *Quia propter te mortificamur tota die: & æstimati sumus vt oues occisionis.* Sed magnæ miseriæ consolatio est, quando in tormentis quis positus, scit prospera secutura.

Marc. 8. B — Gal. 1. Psal. 52. — C — Rom. 8. — D — Matt. 4. — Ioan. 8. — 1. Cor. 6. — E — Luc. 10. 2. Tim. 2. — F — Rom. 5. Psal. 43.

De timore vltimi iudicij, & defectu huius vitæ.

G

INde satis timeo, ne in illa tribulationis die, quãdo ante tribunal Christi vnicuique secundum sua facta reddendum est: his qui in terrenis magis negotijs quam in cœlestib. laborarũt, iusti iudicij respõsione dicatur. Ite si potestis, & illic vbi tota deuotione seruistis, mercedem exigite. Talis causa virginum est in Euangelio quinque stultarum, quæ dum solicitudine secularium vanitatum se contra professionis suæ ordinem occuparent, oleum vnde verum lumen accenderent non habentes, in tenebris remanserunt. Ecce enim si vmbrato repente cœlo, solis claritas nostris aspectibus denegetur, & productæ in nostram humilitatem pluuiæ terris immineãt: si commotis, vt assolent, elemẽtis, vt in rotã sui currus tonitrua concitentur: & dehinc fulgurũ iacula palpebris terribiliter obiecta coruscent: quanquã & consuetudine ista contingãt, pauemus, cõtremiscimus, & proni ad terrã deposita superbia ceruices submittimus: Quid faciemus in illa die miseri, quando reuoluto cœlo cum angelicis virtutib. igneus dominus totus aduenier? Quando cadentibus desuper stellis, sol in tenebras, & in sanguinem luna mutabitur? Quando montes sicut cera liquescent? Quando terra ardebit, & arescent flumina, & maria siccabuntur contra rerum naturam: insumpto diuitius humore, ariditatem in aquis ignis operabitur? Quando peccatores dicent montibus: cadite super nos: & collibus, tegite nos? Quando vocabunt homines mortem, & vocata non veniet? Quando discrimina vertentur in vota, & quod semper oderunt homines, concupiscent? Quando illud implebitur tempus, quod lugubri Hieremias dicit affectu, dicens: *Respexi in terram, & ecce non erant luminaria: Vidi mõtes, & ecce erant tremẽtes, & vniuersos colles turbari: intendi aerem, & ecce non erat homo. & omnes volucres cœli pauebant. Vidi, & ecce Carmelus desertus: & oẽs ciuitates succensa igni à facie domini, & à facie iræ indignationis eius, & interierunt vniuersa.* Verum ne ex suggestione diaboli hæc ad terrorem dicta, non ad veritatem cre-

Matt. 25 — H — Hier. 4

A credātur, de præteriti futura probātur, quādo talia in di-
luuio, in Sodomis, in Ægypto, in Hierosolymis sæpe ob
15 delicta hominū facta referuntur. Sed veniet illa dies, qua
corruptiuū hoc & mortale, incorruptionē induet & im-
mortalitatem. Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum
populis: & tu gaudebis Iudicaturo Domino, lugubre
mundus immugiet: tribus ad tribus ferient pectora. Po-
tentissimi quondam reges nudo pectore palpitabunt,
Exhibebitur tunc cum prole sua vere tunc ignitus Iupi-
ter: Adducetur & cum suis stultus Plato discipulis: Ari-
stotelı argumēta non proderunt: tunc rusticanus & pau-
per exultabis & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus
meus, ecce iudex, qui inuolutus pannis in præsepio va-
gijt. Hic est ille operarij & quæstuariæ filius, hic qui ma-
tris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Ægyptum, hic
est vestitus coccino, hic qui sentibus coronatus. Cerne
manus Iudæe quas fixeras, cerne latus Romane, quod
B foderas. Videte corpus an idem sit quod dicebatis clàm
nocte tulisse discipulos. O quot virgines & quantorum
infamata pudicitia à Deo iudice coronabitur. O quantis
in illa die expedisset, si membrorum sensu & viscerum
vigore in hac vita caruissent: & quanti illic elingues &
muti feliciores loquacibus erunt, & quanti pastores phi-
losophis, quanti rustici oratoribus: & quanti hebetes ar-
gumentis præferendi sunt Ciceronis. Ibi enim cum an-
te tribunal Christi venerimus, scimus nec Iob, nec Da-
nielem, nec Noë rogare posse pro quoquam: sed vnum-
quemque portare onus suum. Igitur siue leges, siue dor-
mies, siue scribes, siue vigilabis, Amos tibi semper buc-
cina in auribus sonet: & apostoli qui hunc horrendum
diem impiis & peccatoribus præuidere meruerunt, hu-
miles erant, mortuos suscitantes: & nos super omnes e-
rigimur, qui peccando quotidie nosmetipsos occidimus,
non respicientes flebilem infirmamque naturam, quæ
in aduersis fortis, & nec in prosperis aliquando secura.
Si enim intemperate cibus sumptus, aut immoderate
C potus acceptus, leuem corpori febriciunculam conci-
tauerit, dencimus animam, affligimur, suspiramus. Nul-
la cura tunc seculi est, nulla villarum: nemo de patrimo-
nio cogitat, nemo de foro. Omnes calumniæ: omnia lu-
cra in periculo corporis conquiescunt. Curritur ad me-
dicos, & post remedio carnali promittuntur munera,
aurum & argentum, interdum & mancipia traduntur: &
pene totum patrimonium, aut negligitur, aut donatur,
vt consulatur vitæ quandoque perituræ. Et pro æterna
salute omnis admodum homo negligens est, omnis aua-
rus. Illic omnis frugalitas largitoris animi tenacitate
constringitur: vbi promptior voluntas, copiosior & lar-
1.Ioan.2. gitas deberet operari. Et cum scriptura dicat. *Nolite dili-
gere mundum, neque ea quæ in mundo sunt:* sic humana cō-
cupiscimus, sic amamus, quasi aliquid nascentes intule-
rimus in seculum, aut recedentes de seculo nobiscum au-
ferre possimus. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad
naturæ respicit conditionem: nemo considerat, nemo
Psal.93. retractat vana esse omnia quæ aliquo fine clauduntur.
D Labuntur enim tempore, & præterita relinquentia, ad
funera festinant. Sed & *Dominus scit cogitationes homi-
num, quoniam vanæ sunt.* Cumque omnia cogitauerint
per triginta annos, vna febriuncula venit, & tollit om-
nes cogitationes eorum. Nam sicut mane virens herba
& florens delectat oculos contemplantium, paulatim-
que marcescens, pulchritudinem perdit, & in fœnum
quod conterendum est, transit: ita species hominum
vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfectæ
ætatis viris, & repente dum senescit, incanescit caput,
rugatur facies, cutis prius extensa contrahitur. Hoc e-
tiam languor facit & inedia, vt vultus primo pulcherri-
mus, ad tantam transeat fœditatem: tamen qui quotidie
recordatur se esse moriturum, contemnit præsentia, &
ad futura festinat. Sed quanto in hoc seculo persecutioni-
bus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum
cruciatibus fuerimus afflicti, tanto post resurrectionem
in futuro maiora præmia consequemur. Igitur in die iu-
dicij securus inuenietur, si nulla Dei offensa reperiatur.
De his ergo tantum solicitudinem habere debemus.
S.Hieron.Tom.9.

Ambiant terrena gētiles, quibus cœlestia non debentur. E
Concupiscant præsentia, qui futura non credunt.

*De virtute humilitatis & simplicitatis, ac tumenti
animo vitando.*

CAue ne rumusculos hominum aucuperis, ne offen-
sam Dei, populorum laude commutes. Per bonam
& malam famam, à dextris & à sinistris Christi miles
graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangi-
tur: non diuitiis tumet, non contrahitur paupertate, &
læta contemnit & tristia. Nam iusti & fortis viri est, nec
aduersis frangi, nec prosperis subleuari: sed in vtroque
esse moderatum. Nolo te orare in angulis platearum,
ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis.
Nolo te dilatare fimbrias, & ostentui habere phylacte-
ria, & conscientia repugnante, pharisaica ambitione F
circundari. Fidelis mecum lector intelligis, quid taceam,
& quid tacendo magis loquar. Quanto melius erat hæc
in corde portare, quàm in corpore: & Deum habere
fautorem, non aspectus hominum? Quamuis enim
aliis vitiis carere possimus, hypocriseos tamen macu-
lam non habere, aut nullorum, aut paucorum est. Sed
sicut deprecantis humilitas meretur præmia: ita super-
bia confidentis, Dei auxilio deseritur. Tu autem frater
inferius accumbe, vt minore veniente, sursum iubearis
ascendere. Super quem enim, ait Dominus, requiescet
spiritus meus, nisi super humilem & quietum & tre-
mentem verba mea? Sed vis scire quales ornatus do-
minus quærat? Habeto prudentiam, iustitiam, tempe-
rantiam, fortitudinem. His plagis cœli includere, hæc te
quadriga, velut aurigam Christi, ad metam concita fe-
rat. Nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum
varietate distinctius: ex omni parte decori & ornamen-
to tibi sint & tutamini. Philosophorum sententia est, Iac.2.
sibi hærere virtutes, & apostoli Iacobi: Cum vna defue-
rit, omnes deesse. Et sicut quatuor sunt virtutes, qui- G
bus pugnamus & tegimur. sic quatuor vitia sunt, quibus
ab hoste peteuimur, stultitia, iniquitas, luxuria, formi-
do: sed malitia finem non habet. Cognatæ quoque sibi
sunt virtutes, rectitudo & simplicitas: nec ab inuicem
separari queunt. Simplex & humilis & rusticus qui ar-
cana sapientiæ comprehendere nequit, si tamen sapien-
tum exempla in viuendo sectetur, iure inter sapientes
connumerabitur. Melius est enim parua bona cum
charitate facere sine scientia, quam magnis effulgere vir-
tutibus cum admixtione discordiæ. Excelsa namque
periculosius stant: & citius corruunt quæ sublimia sunt.
Sed perspicuum est omnem creaturam quamuis ad per-
fectionem venerit: tamen indigere misericordia Dei, &
plenam perfectionem ex gratia Dei, non ex merito possi-
dere. Nihil sic placet Deo sicut simplicitas & innocen-
tia. Vnde Spiritus sanctus in volatilibus non apparuit,
nisi in columba, propter simplicitatem: in quadrupedi-
bus in oue, propter mansuetudinem. Illud quoque tibi
vitandum est cautius, ne vanæ gloriæ ardore capiaris. H
Cum facis eleemosynam, Deus solus videat. Cum ieiu-
nas, læta sit facies tua, ne ad te obuia prætereuntium
turba consistat, & digito demonstreris. Nec satis reli-
giosus velis videri, nec plus humilis quam necesse est, ne
gloriam fugiendo, quæras. Plures enim paupertatis, mi-
sericordiæ ac ieiunij arbitros declinantes, hoc ipso pla-
cere cupiunt, quod placere contemnunt, & mirum in
modum laus dum vitatur, appetitur. Cæteris perturba-
tionibus, quibus mens hominis gaudet & ægrescit, spe-
rat & metuit, plures inuenio extraneos. Hoc vitio pau-
ci admodum sunt qui caruerint. Igitur non quæras glo-
riam: & cum inglorius fueris, non dolebis. Quæ enim
verba increpantis humiliter recipit, iam propinquam
habet veniam reatus quem gessit. Grauius est enim per-
ficere malum, quam facere. Non est tamen tantæ virtu-
tis ab aliis factam iniuriam sustinere, quantæ gratiæ Do-
mini est, mitem atque tranquillum iniuriam facere non
posse. Neque vero te moneo, ne te diuitiis glorieris, ne de
S

A generis nobilitate iactes, ne te cæteris præferas. Scio hu-
Psal 130. militatem tuam, scio ex affectu te dicere: *Domine non est*
exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Stultissimú
quippe est docere, quod nouerit ille quem doceas. Vox
ex industria quasi confecta ieiuniis tenuis non sit & de-
ficiens. Sunt quippe nonnulli exterminantes facies suas,
Matt. 6 *vt appareant hominibus ieiunantes*: qui statim eum aliquẽ
viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium: & operta
facie, vix liberant vnum oculum ad videndum. Vestis
pulla, cingulum sacceum, & sordidis manibus pedibus-
que, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His
Psal. 52 quotidie psalmus ille cantatur: *Deus dissipauit ossa homi-*
num sibi placentiũ. Tristitiam simulant, & quasi longa ie-
iunia furtiuis noctium cibis protrahunt. Pudet reliqua
dicere, ne videar potius inuehi, quam monere: omnia
hæc argumenta sunt diaboli. Imitare igitur eum potius,
cuius pallor ex ieiunans, eleemosynæ in pauperes, obse-
quium in seruos Dei, humilitas, & cordis & vestium, ac
in cunctis sermo moderatus. Trade quoque te illi, cu-
B ius sermo & habitus & incessus, doctrina virtutum est.
Non cothurnatam affectes eloquentiam: nec more pue-
rorum, argutas sententiolas in clausulis strues. Hæc præ-
teriens tetigi, vt eruditis contentus auribus, non magno-
pere cures quid imperitorum de ingenio tuo rumuscu-
li iactitent: sed prophetarum quotidie medullas bibas.
Quod patritij generis inter monachos esse cœpisti, non
tibi sit tumoris, sed humilitatis occasio, vt imiteris filium
Matt. 20. hominis, qui *non venit ministrari, sed ministrare*. Nã quan-
to humilior, tanto sublimior es: lucet margarita in sor-
dibus. Quantũcunq; enim te deieceris, humilior Christo
non eris. Ideo quamquam mihi multorum sum conscius
delictorũ, & quotidie in oratione flexis genubus loquar:
Psal 24. *Delicta iuuentutis meæ, ne memineris Domine*. Vnde sciens
1 Tim. 3. dictum ab Apostolo: *Ne inflatus in superbia incidat in iu-*
1. Pet. 5. *dicium diaboli*. Et in alio loco scriptum. *Superbis Deus re-*
sistit, humilibus autem dat gratiam: nihil ita à pueritia vi-
C tare conatus sum, quam tumentem animum & erectam
ceruicem, Dei contra se odia prouocantem. Noui enim
Matt. 11. magistrum Dominum & Deum meum in carnis humili-
Psal. 131. tate dixisse. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et
ante per os Dauid cecinisse. *Memento Domine Dauid, &*
omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus. *Ante*
gloriam humiliatur cor viri; & ante ruinam eleuatur. Nihil
enim, vt crebro diximus, tam periculosum est, quam glo-
riæ cupiditas, & iactantia & tumens animus conscientia
virtutum. Idcirco plus est animum deposuisse, quam cul-
tum. Difficilius arrogantia, quam auro caremus & gem-
mis. Nil itaque prodest vile palliolum, furua tunica, cor-
poris illuuies, simulata paupertas, si nominis dignitatem
operibus destruas, si inter sordes & inopiam peccata non
caueas. Fidele namque testimonium est, si non habet cau-
sas mẽtiendi. Cui enim plus creditur, ab eo plus exigitur.
Sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.* Nec sibi quisquam
de corporis tantummodo castitate supplaudat: cum etiam
conuicium in fratrem homicidij sit reatus. Cadit quidem
mundus, & ceruix erecta non flectitur. Pereunt diuitiæ,
& nequaquam cessat auaritia. Congregare quam multi
festinant quæ rursus ab aliis occupentur.

D

De humilitate Christi, quem imitari debemus.

CHristus baptizatur à seruo, & à Deo filius appella-
tur: inter publicanos, meretrices, & peccatores ad
lauacrum venit: & sanctior est Baptista suo, qui de cœlo
venit in vterum, de vtero in præsepe, de præsepe in cru-
cem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro ad inferos, de in-
feris victor remeauit ad cœlos. Imitemur ergo Saluato-
rem nostrum: quia ipse mitis & humilis pastor, agnus &
aries appellatur. Qui pro nobis immolatus est. Qui ab
Isaac cornibus tenetur in sentibus. Ex quo nil hac humi-
litate sublimius. Qui Bethlehem in hoc paruo terræ fo-
ramine cœlorum conditor natus est. Hic inuolutus pan-
nis, hic visus à pastoribus, hic monstratus à stella, hic ado-
ratus à Magis. In baptismo humilitas Christi, nostra sub-
limitas. Illius crux, nostra victoria: illius patibulum, no- E
ster triumphus est. Cum igitur lauacrum & crucis signum
in frontibus dæmon aspexerint, contremiscit. Qui antea
capitolia non timent, crucem timent. Qui contemnunt
sceptra regalia & purpuras Cæsarũ, & dapes Christiano- Matt. 16.
rum: sordes tamen & ieiunia pertimescunt. Iubet enim
Christus, ne quis discipulorum dicat, quia ipse est Chri-
stus. Mira ratio, non vult prædicari, qui gaudet intelligi:
agnosci amat, & odit ostendi: magis vult se inuentum es-
se, quàm proditum, vt virtus sua illum, non fauor osten-
deret alienus. Quæ autem maior potest esse clementia,
quam vt filius Dei, filius hominis nasceretur, decẽ men-
sium fastidia sustineret, partus expectaret aduentum, in-
uolueretur pannis, subiiceretur parentibus, per singulas
adolesceret ætates, & post contumelias vocũ, alapas, & fla-
gella, crucis, quoque nobis fieret maledictũ, vt nos à ma-
ledicto legis absolueret. Patri factus est obediẽs vsque ad
mortem: vt id opere impleret, quod ante ex persona me-
diatoris fuerat deprecatus, dicens: *Pater, volo vt quomodo* Ioan
ego & tu vnũ sumus: ita isti in nobis vnũ sint. Ergo quia ad F
hoc venerat, vt quod impossibile erat legi (quia nemo iu-
stificabatur) ineffabili misericordia vinceret: publicanos
& peccatores ad pœnitentiam prouocabat. Vnde nouum
& mirabile est apud nos. Dominus solus petẽtes se amat,
solus irascitur nisi petatur. Illo enim tẽpore quo suppli-
cia mereantur, Deus argumentum saluationis ostẽditur:
intelligere possumus, quantum valeret præstare non læ-
sus, qui tantum donaret iratus. Amemus & nos Christũ,
eiusque semper quæramus amplexus: & facile videbitur
omne difficile: breuia putabimus vniuersa quæ lõga sunt.
Quodque beata Dei genitrix à filio suo non didicit, cœ-
los fabricare, angelos creare mira deitatis insignia ope-
rari: sed tantum humiliari, cæteraque virtutum documen-
ta intra humilitatis custodiam aggregare.

De iustitia, & vitæ rectitudine.

ETiam de iustitia differamus, quæ est singularum re- G
rum & personarum æquissima distributio: quã quis
obtinens, & cui quis adhærens, vitã suam disposite & si-
ne turbatione conseruat, custodit in omnibus æquitaté:
scit quid Deo debeat, quid sanctis, & quid æqualib. red-
dat: quid non deneget potestatibus huius seculi: quid sibi
retineat, quid proximo competat, quid alienis concedat
aut cõgruat. Iustum est enim Deum colere & diligere ex
toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: sanctos &
coæquales honorare, & tributa impendere potestatibus:
superbum non esse, sed magis mitem & humilem: proxi-
mos tanquam se diligere, alienos & inimicos non prose-
qui odio, sed amore: subiectum esse prioribus, vel ætate
maioribus: quia & Dominus dum esset omnium Domi-
nus, à Ioanne qui maior est in natis mulierum quia prior
illo in natiuitate hominum erat, baptizatur: Et sic adim-
pleri omnem iustitiam protestatur. Ex hac misericordia
nascitur, obsequium deificum generatur, In his omnib.
qui inuenimit, non immeritò in Christo dicitur perma-
nere: quoniam hæc omnia ipse Christus est. Paulus nos
gloriosus informat & instruit de Christo, dicens: *Qui est* H
factus nobis à Deo iustitia, & sanctificatio, & redemptio. 1. Cor. 1.
Item in alio loco: *Qui est misericordia & pax & dilectio,*
quam Græci agapen vocant. Iniquus enim si sequitur iu-
stitiam, negat iniquitatem. Stultus si sequatur Dei sapiẽ-
tiam, negat stultitiam: quodque sapientia, fortitudo, tem-
perantia, & castitas solum prodest habentibus: iustitia
vero aliis & miseris prodest, quæ patrem vel fratrem nõ
nouit: sed nouit veritatem: personam non accipit, &
Deum imitatur. Discite ergo benefacere. Virtus enim di-
cenda est. Nec naturæ tantum bonum sufficit ad iustitiã,
nisi quis erudiatur congruis disciplinis. Discenda est
ergo iustitia: & magistrorum terenda sunt limina.
Secularis autem iudex acceptis muneribus condemnat
insontem, & reum liberat. Quod interdum de ecclesiæ
principibus dici potest, quod propter munera laccerent
legem, & non perducunt iudicium ad finem.

De

A

De fide, spe, & timore.

Hebr.10. SI autē *fides* (vt inquit Apostolus Paulus) *est substātia sperandarum rerum*, quas speramus, & index rerum quas non videmus, credere & fidere quis debet, quod Deus ea quæ promittit, potens est adimplere, & spem suam in futurum transferre: & tunc plena fide poterit ad ea quæ promissa sunt, facile peruenire. Hæc nobis vniuersa inuisibilia ante oculos ponit. Ad hanc ingressi, diaboli & potestatum huius mundi & harum tenebrarum vniuersa deserimus: Deo cum fiducia proximamus. Credere enim & sperare necesse est quæ Deus iussit: cum quæ diabolus inseruerat, abnegamus. Fidem spes sequitur: itaq; de ipsa loquamur. Est igitur spes expectatio rerum omnium futurarum, quam in fide habemus, qua saluamur, Paolo scribente apostolo: *Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod autem* Rom. 8. *videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus,* B *per patientiam expectamus.* Hæc in se habet timorem, nō illum cuius obliuisci, & quem foras debet mittere quisquis in fide viuit: sed qui vnus est de spiritibus, quibus impletur Iesus, sicut Esaias testatur: *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum* Esa. 11. *spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*, illum spiritum quem Dauid canit, dicens: *Timete Dominum iusti eius.* Psal. 33. Vnde & beati efficiuntur eodem protestante & dicente: *Beatus vir qui timet Dominum*: illum dicit timorem, qui castus est & pudicus. Psal. 18. Quoniam *timor Domini castus*, inquit Dauid, *manet in seculum seculi.* Ergo est duplex timor, vnus appetendus, alius fugiēdus est. Igitur appetendus timor, admonitio & custodia omniū rerum, quas credimus aut speramus. Timemus enim iudicium, quia speramus, & metuimus Dominum: quia fortem illum iudicem credimus. Vera namque vita est Deum nosse, timere eius potentiam, amare pietatem. Timor namque virtutum est custos, securitas ad lapsum C facilis. Si pauorem habueris, solicitus eris: & si solicitus fueris, leo in caulas ouium tuarum intrare non poterit. Quod ad præpositos ecclesiarum vel ad animæ custodem pertinet. Qui cautus est & timidus, potest ad tempus vitare peccata: qui securus est de iustitia, repugnat: illiusque auxilio destitutus, insidiis hostium patet. Nunquam tuta est humana fragilitas: & quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus: Si iuxta Ecclesiasten, Eccles.1. *Radix sapientiæ est timere Deum*: fructus sapientiæ quis est, nisi videre Deū? Bonum autem diligit, qui non inuitus, aut necessitate, aut legum metu facit bonum: sed idcirco, vt mercedem bonam operis habeat.

De charitate, & pace.

D

AD charitatem nunc transitum faciamus: quia omnibus maior est. Inter cætera sic fatetur Paulus. 1.Cor.13. *Manent autē tria hæc: Fides, spes, & dilectio: sed maior his dilectio est.* Est ergo dilectio vinculum animorum, casta, & syncera, & sine æmulatione charitas: consummatio omnium mandatorum, breuis omniū præceptorum: quā cum quis habuerit, omnia habet, sine hac in aliis remanet imperfectus. Luc.10. Et vt cognoscat vestra prudentia, quantum charitas valeat: legimus responsum Domini in euangelio dicentis, cum interrogaretur. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Et diliges proximum tuum tanquam teipsum: in his duobus præceptis pendet lex & prophetæ.* Vides in hac sola vniuersa legis contenta pendere? Vere quisquis hanc Rom 8. habet, iam Deus & Dei filius dici potest: ex hac sola poterit Deo similis esse. Considera, qui Deum diligit, nunquid sperat, nunquid timet, nunquid fidit? Non, sed tantum diligit. Deus, inquit Paulus, eum dilexisset mundum: *misit vnicum filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato condemnaret peccatum in carne*: qui 1.Cor.13. præponit eam rebus omnibus, dicens. Et si linguis loquar hominum & angelorum: charitatem autem non

habeam, factus sum sicut æramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. B *Et si habuero prophetiam, & cognouero omnia mysteria, & omnem scientiam: & si habuero fidem, ita vt montes transferam: & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habeam, nihil sum. Charitas magnanima est: charitas benigna est: charitas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non irritatur, non confundit, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniustitia, gaudet autem de veritate. Omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat: charitas nunquam excidit.* Nihil enim amantibus durum est, nullus difficilis est cupientib. labor. Solus tamen ille amor probabilis est, qui Deo & virtutibus animæ coaptatur. Nihil est enim quod non toleret, qui perfecte diligit. Qui autem clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lacrymarū: quamuis spiritualis sit, nō adimpleuit legem Christi. F Vnde legitur, quod beatus Ioannes euangelista, cum Ephesi senex vix inter discipulorum manus deferretur, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas: nisi, Filioli mei diligite alterutrum. Discipulis autem petentibus, quare semper id diceret: Respondit, quia præceptum Domini est: & si fiat, solum sufficit. Sed obsecro ne amicus, qui diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur, pariter cum oculis emittatur. Nam amicitia quæ desinere potest, nunquam vera fuit. Vera namque amicitia nullo liuore, in quanto augetur numero, tanto crescit & robore. Declina igitur à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus. Quin potius faciendum est bonum, vt declinemus à malo. Pax quærenda est vt fugiamus bella: nec sufficit eam quærere, nisi inuentam fugientemque omni studio persequamur: quæ exuperat omnem sensum, in qua habitatio Dei est, propheta dicente: Et factus est in pace locus eius. Infernus itaque inter fratres diuidit. G Quicquid igitur separat inter fratres, infernus dicendus est. Concordia enim paruæ res crescunt: sic & discordia maximæ dilabuntur. Pulchre igitur persecutio pacis dicitur: iuxta illud Apostoli. *Hospitalitatem persequentes*: vt Rom.12. non leni vsitatoque sermone, & (vt ita loquar) summis labiis hospites inuitemus: sed toto mentis ardore teneamus: quasi auferentes secum de lucro nostro atque compendio.

De infirmis & pauperibus recreandis.

SI quis cœperit ægrotare, transferatur ad exedram latiorem: & tanto senum ministerio confoueatur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum. Nec liceat dicere cuiquam: tunicam & sagum textaque iunceis strata non habeo. Ita œconomicus vniuersa moderetur, vt nemo qui postulet, habeat. Seruias fratribus, hospitum laua pedes, pauperibus & fratribus refrigeria exhibe, sumptum manu propria distribue. Quoniam quicquid habent clerici, pauperum est, & domus eorum, omnibus debent esse communes. H Susceptioni enim peregrinorum & hospitum inuigilare debent. Docet Salomon misericordiæ operibus insistendum: nec nostris fidendum viribus, sed à Deo esse auxilium flagitandum. Sed esto quod æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, manus debiliumq; fis, aquā portes, ligna concidas, focum extruas. Sed vbi vincula? vbi alapæ? vbi sputa? vbi flagella? vbi patibulum? vbi mors? Et cum hæc omnia, quæ dixi, feceris, ab Eustochio Paulaque vinceris. Hæc dico, non quod de ardore mentis tuæ quicquam dubitem: sed quod currentem impellam: & acriter dimicanti feruorem augeam.

De pœnitentia, & misericordia Dei.

ARripe quæso occasionem, & fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finiuit. Iudæ laudantur initia, sed finis proditione dānatur. Et licet *Deus nō velit* Ezech.33. *mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: tamen tepidos odit, & cito ei nauseam faciunt.* Cuiq; plus dimittitur,

A plus diligit. Vnde meretrix illa Christi dilectrix in euangelio baptizata, lacrymis, & crine, quo multos ante ceperat, pedes Domini tergens, saluata est. Non quidem habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. Nam quanto fœdior, tanto pulchrior: quæ demum plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, pergit ad apostolos, repertum nunciat: illi dubitant, ista confidit. Non enim tam peccati crimen arguitur: quam velox conuersio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Nec Deus cogeret pœnitere, si non esset pœnitentibus veniam concessurus. Nihil enim tam repugnat Deo, quàm cor impœnitens. Hoc solùm crimen est, quod veniam consequi non potest: præcipue quia non iniustus vt propter multa mala paucorum obliuiscatur bonorum: imo de nullo sic irascitur Deus, quomodo si peccator superbiat, & erectus B & rigidus non flectatur in fletum, nec misericordiam postulet pro delicto. Nihilque sic offendit Deum, sicut erecta ceruix post peccata, & ex desperatione contemptus. Vnde & vos non desperetis veniam scelerum magnitudine: quia magna peccata, magna delebit pœnitentia. Nam Deus non vult inferre supplicia, sed terrere passuros. Ipseque ad pœnitentiam prouocat, ne faciat quod comminatus est. Dæmonũ enim nullus est qui parcat. Omnes ad prædam festini venient: ante faciem ipsorum ventus vrens. Et quicquid aspexerint, quicquid vultui eorum obuium fuerit, vrere desiderabunt & perdere. Sed nec quisquam per patientiam bonitatis Dei, de peccatorum suorum impunitate contendat: nec illum non æstimet offensum, quia necdum expertus reatum. Imo magna est ira, quando peccantibus non irascitur Deus. Ezech 16. Vnde in Ezechiele ad Hierusalem. *Iam nõ irascar tibi, zelus tuus recessit à me.* C Sed reuera Deus hominibus nõ irascitur, sed vitiis: quæ cum in homine non fuerint, nequaquam punit. Habet autem ira Dei mensuras quantum & quanto tempore, & ob quas causas, & quibus inferatur: Psal 79 iuxta illud quod scriptũ est. *Cibabis nos pane lacrymarum in mensura* Misericordiam igitur à Deo consequitur, qui se putat esse miserum Nam Deus qui nullis viribus superari potest, publicani tamen precibus vincitur. Quando ergo tempore te errare nosti, quanto tempore deliquisti: tanto tempore humilia teipsum Deo: & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Quoniam qui peccator est aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici. Igitur quia errauimus iuuenes, emendemur senes, iungamus gemitus, & lacrymas copulemus, culpam simpliciter confitendo. Nam qui post lapsum peccatorum ad veram pœnitentiam se conuertit, citò à misericorde iudice veniam impetrabit: quoniam apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quãtum mortificatio vitiorum. Sed & magnum peccatum magnis D diuturnisque cruciatibus luitur, culpaque leuis præsenti Rom. xi. supplicio compensata sit. Et sic magnum peccatum, magna indiget misericordia. *Conclusit enim Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur.* S[illegible] E rui, si permanent opera. Sed ne [illegible] habeto pauca pro pluribus: in quibus non tam ordo quæritur, quam profectus. Age ergo tu, caue, curre, festina. Age, vt in hac spiritualitate perficias. Caue ne quod accepisti bonum, incautus & negligens custos amittas. Curre, vt non negligas. Festina, vt celerius comprehendas. Nam cœpisse multorum est: ad culmen peruenisse paucorum. Tribuat tibi Christus, vt audias & taceas, & intelligas, & sic loquaris.

Finis concludens Regulam.

ET quoniam ita se natura habet, vt amara sit veritas, & blanda vitia existimẽtur, vt Paulus ait apostolus. Gal 4 *Inimicus vobis factus sum verum dicens.* Vnde & quia Saluatoris dura videbantur eloquia, plurimi discipulorũ retrorsum abierunt: non mirum est, si & nos ipsi vitiis F detrahentes, offendimus plurimos. Dispusui tamen nasum secare fœtentem: timeat qui strumosus est. Quid tamen ad te qui intelligis te innocentem? Nemo reprehendat quod aliquos, aut laudamus, aut carpimus: cum & in arguendis malis sit correptio cæterorum, & in optimis prædicandis boni ad virtutum studia concitentur. Nos enim, vt scitis Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginẽ induximus: intantum vt loquentibus quoque stridor quidam nõ Latinus interstrepat. Vnde ignosce ariditati. *Et si imperitus sum sermone*, inquit Apostolus, *sed non scientia.* 1. Cor 11 Illi vtrunque non deerat, & vnum humiliter renuebat. Nobis vtrunque deest: quia & quod pueri plausibile habueramus, amisimus: nec scientiam quam volebamus, consecuti sumus: iuxta Æsopianam fabulam: dum magna sectamur, etiam minora perdimus Non prolongabuntur vltra sermones mei quoscunque loquor. Ea propter moneo, & flens gemensque contestor, vt dum huius G mundi viam currimus: non duabus tunicis, id est, duplici animo vestiamur: non calciamentorum pedibus, videlicet operibus prægrauemur: non diuitiarum onera ad terram premant: non virgæ, hoc est, potentiæ secularis, quæratur auxilium: non pariter Christum velimus habere & seculum: sed pro breuibus & caducis æterna succedant. Sed & precor qui fideles estis, vt ita vitam nostram & conuersationem seruetis, ne in ipsa vel ipsi scandalum patiamini, vel aliis scandalum faciatis: sed sit in vobis summi studij, summæque cautelæ: ne quis in hanc sanctorum congregationem pollutus introeat: ne quisquis Iebusæus habitet in vobis. Dominus Iesus conterat satanam sub pedibus vestris: & incolumes vos & prolixa ætate florentes, Christus Deus noster tueatur omnipotens. Sed & Spiritus sanctus nobis præstare dignetur, vt in hoc seculo factores mandatorum suorum effecti, in huius vitæ agone probati, & fideles inuenti, spiritualibus fructibus dilatati, his continentibus mereamur adiungi: ipsi gloria & H imperium cum eodem spiritu sancto in cuncta secula seculorum. Amen,

Finis regulæ monachorum,

DIALOGVS NOMINE HIERONYMI ET AVGVSTINI EX VTRIVSQVE SCRIPTIS

ab incerto auctore collectus.

CVM apud vos cœlestis eloquentia purissimi fontis, & literarum omnium fluenta redundent, ac solida secundum verticem sanitas, vestra cuncta firmo statu membra contineat, miror stupore mentis attonitus, cur stillicidium insulani riuuli dignemini haurire, nitores corporis infirma medentes. Magis ergo quæ de Græcorum mutuatu fontibus, sitiẽtibus proferam: atque Latinorum latices limpidissimos ad vestri cordis secreta perducam. Origenes igitur, qui nullũ proprie de anima edidit librum, in catalogo ecclesiasticæ prædicationis animæ faciens mentionem, hæc dicit. De anima vero vtrum ex seminis traduce ducatur, ita vt ratio ipsius vel substantia inserta ipsis corporis seminib. habeatur: an vero aliud habeat initium, & hoc ipsum si genitum est aut non genitum: vel certe si extrinsecus corpori inditur, necne, non satis manifesta prædicatione distinguitur. Item in libro quem de epistola Apostoli ad Titum scripsit.

A psit. Si quis, ait, rationem humanæ animæ requirat, cum de ea neque ex seminis traduce ducatur: neque quod honorabilior & antiquior corporum compage sit, tradiderat ecclesiastica regula: propter quod multi nec comprehendere potuerunt aliter sentiri oportere de animæ ratione. Sed & qui aliter sentire vel disserere visi sunt, à nonnullis in suspitione habentur, velut noui aliquid introducentes. Fatetur autem idem ipse Origenes in præfatis opusculis: sed & Eusebius Cæsariensis, & Pamphilus martyr. Basilius quoque & Gregorius. Dichanusque & Ruffinus similiter in suis, vnius substantiæ omnes esse animas, & immortales & rationabiles liberi arbitrij ac voluntatis: iudicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt: esse tamen eas factas à Deo qui vniuersa creauit & condidit. Quando autem factæ sunt olim, simul, aut nunc per singulos nascentium: quid periculi esse aiunt, alterum è duobus opinari? Athanasius, Hilarius, & Ambrosius præparatis iam in ventre mulierum, de-

B formatisque corporibus: tunc ad præsens creari animis, & inseri deformato iam corpori criminantur. Iam vero illi qui ex traduce anima venire confirmant, & simul corporali eas semine seminari: si quidem, vt quidam ipsorum affirmare solent, non aliud dicunt esse animam, quàm insufflationem spiritus Dei: illam scilicet quam initio facturæ mundi, Deus insufflasse dicitur in Adam: de ipsa Dei esse eam substantia profitentes. Quomodo non isti videbuntur quodammodo hæc præter scripturæ regulam & rationem pietatis asserere, quòd substantia Dei est quæ peccat, si anima quæ de substantia Dei est, peccat: insuper etiam quod & pœnis subdenda sit pro peccato. Sed & illud se, quod perabsurdum est, incurrere nõ vident: quia necesse est eam simul cum corpore, vel seminata, vel formata, vel nata est. Tum deinde illi, id est, Apollonius, Tertullian⁹, Põpeius, Arnobius, Lactantius, atque Apollinarius: qui vnã quidẽ ex nullis substantijs à Deo factam esse dicunt animam, id est, illam quæ prima

C facta est in Adam: & ex Adam omnium hominum animas existere, & secundum corporalem sine dubio successionem, traducem quoque fieri animarum: etiam ipsi quid aliud ostendunt, nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cætera ex solo semine oriuntur: ita etiam da hominibus sentimus, vt cum corpore simul in eodem semine, etiam anima defundatur: quid dicimus de his qui perfecti adhuc, & de ventre abortsi sunt: & qui nonnunquam etiam antequam masculorum naturalium receptaculi semina sint suscepta, depereunt? In quibus sine dubio inuenitur, quod simul etiam illæ quæ naturali ratione seminibus insertæ erant animæ, extinctæ sint pariter [illegible] corruptæ? Siue ergo ex insufflatione Domini sunt, siue [illegible] vna quæ prima facta est, necessarium est, simul vt cum [illegible] oribus corrumpantur, si eandem cum corporibus [illegible] menti sumunt secundum ipsorum rationẽ. A [illegible] enim n[illegible] omnino ex rationabili atque immortali an[illegible] p[illegible] pauit illud quod adhuc in ventre corruptũ

D est [illegible] sepulta est illa ratio, quæ affirmat, eam in seminis traduce simul cum corporibus seminatam: aut si participat, necessitas imminet confiteri mortalem esse animam: quod fides nostra vtique non recipit, Domino declarante defunctorum animas & colloquium apud inferos habuisse, & Lazari scilicet in beatorum sedibus ouantem, & diuitis flagrantem in incendiis. Esse nanque animas immortales, non tantum diuini, sed & Philosophorum pleni sunt libri. Quod taliter esse, Cleombrotus Ambraciota in Platonis libro Socrate disputante didicerat: qui homicidia sibi esse non timuit, ac se de altissimo præcipitauit muro: dum & nullum post mortẽ autumat restare iudicium, & sine discrimine aliquo meritorum, omnes animas post corpora æqualiter ferri arbitratur ad cœlum. Quod adeo pro vero tenuerunt, & sic illos omnes seculi sapientes vna nebula huius erroris inuoluit: vt & ipse tam laudabilis, vt putãt, doctor homicidæ, ipsum se priuatim ne publice occideretur, occiderit. Sic quoque Cato lecto in nocte ad lucernas Platonis libro, qui immortalitatẽ animæ docet: stricto gladio reuelatum manu pectus semel iterumque percussit. Redeamus ad illas præterea

E sanctorum nobilissimas disputationes, non in academiæ nemorosæ obscuris tectas vmbraculis: sed cœlesti illustratas ex lumine. Beatus itaque Hieronymus tam sanctũ Victorinum martyrem, quam plerosque catholicos secutus, se potius fieri, quam propagari animas: secundum illud quod in euangelio scriptum est. Pater meus quotidie operatur, & ego operor, credere significauit. Sanctus quoque Augustinus hanc opinionem in octo admodum voluminibus, verbis tueri cernitur. Sed cum originale peccatum pœnasque paruulorum, qui sine baptismate moriuntur, declarare nititur, à Deo factã in Adam, & ex ipsa omnium hominum animas existere: tam suis argumentis quam scripturarum testimoniis, vt est illud. Animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob Ægyptũ, & egressæ de fœmore illius, amplecti perpensius comperitur. Huius assertionibus beatus Gaudiosus episcopus, animarum & corporum promptissimus medicus, nostrisque temporibus vnus martyr: cum nobiscum colloquium familiariter F habuisset, per totam orationis suæ seriem euidentissimis approbationibus vsus est. At verò sanctus Ambrosius, quem iam superius inter viros apostolicos memorauimus. Inhonestum, inquit, puto animas cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi comperit: aut si certè singulæ cœlesti potestate factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sũt: potest ex vna Adæ anima credibile videri cæteras nasci, sed non conuenit: quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simplex generaret: nec cæteris concederetur, quod tam mysticum est in causa Saluatoris, vt non solum à solis gentilibus vel Iudæis: verum etiã ab ipsis qui Christianos se dicunt, incredibile puteretur Photiniani enim hanc fidem spernunt, non credunt Deũ genetasse. Nam si eo tempore quo seminatur corpus & anima, costam sublatam legimus: non tamen animam natam ex anima. Sed si costa secum habuit animam iam non nata est, si detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est. Propheta enim Zacharias inter cætera: *Qui plasmat*, inquit, *animã hominis in eum*. nec Esaias ab his dissentiens, G ait. *Sic dicit Domin⁹ Deus qui fecit te, & finxit te in vtero*. Si ergo in vtero fingitur, iã formato corpori tribuitur. Cum enim omnia membra implet corporis, figurata dicitur in corpore: vt sicut aqua cum sit sine effigie, missa tamen in vias, figurata videtur: ita & anima cum sit natura incorporea & simplex: formatur in corpore, singula membra viuificans: quod quidẽ Moyses manifestius tradidit, dicens. *Si quis percusserit mulierem in vtero habentẽ, & abortiuerit: si formatũ fuerit, det animam pro anima: si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia*: vt probaret non inesse animam antequam formam. Itaque si iam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata: nam si cum semine & anima existit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt: cum semen fluxu quodam non profecit natiuitati. Sed si prius respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ: in Adam enim exemplum datum est, vt ex eo intelligatur, quia iam formatum corpus accepit animam. Nam potuerat Deus animam limo terræ admiscere, & sic formare H corpus. Sed ratio infirmatur: quia primum oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci. Anima certè, quia spiritus est, in sicco habitare non potest: ideo in sanguine fertur. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima? An foras vagatur quãdiu immittatur cum ratio tradat sic dari eam, vt anima in corpus non otiosa vagetur. Sed ex quo detur, dicant qui aliud putant, ex mare an ex fœmina? Non conuenit, quia aliud in exemplo est: proponunt enim ex viro cum costa datam & animam: quod multis rationibus infirmari docuimus. Vnde forte videatur dari ex fœmina, maximè propter Saluatorem, quem scimus sine complexu carnis, de spiritu sancto natum ex fœmina: quod si arbitrantur plus dant fœminis: anctoritatem enim viri mutant in fœminam. Cum enim tam corporis quam animæ originem ex viro dicant: conuertunt se, vt id quod potius est, ex muliere dicant, id est, animam: quod vero minus, ex masculo, id est, corpus. Cum manifestum sit ordinem exempli à Deo traditum immutari non posse. Qui ergo

A animas ex vna propagari asserunt, & non in corpora iux-
ta exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri, ana-
thema sint. AVGV. Sancte frater Hieronyme, consulens
te de his quæ nescio, oro Deum vt fructuosum esse nobis
velit. Quanq. o. te multo, quā ego sim ætate maiorē, ta-
mē etiā ipse iā senex consulo: sed ad discendū q̄ opus est,
nulla mihi ætas sera videri potest: quia & si senes magis
decet docere quàm discere, magis tamen discere quàm
quid doceant ignorare. HIERO. Beate papa Augustine
in scripturarum, si placet campo, sine nostro inuicem do-
lore laudamus. Noli igitur annorum existimare nos nu-
mero: nec sapientiam canos repures, sed canos sapien-
tiam, scriptura testante. Cani hominis prudentia eius.
Noli inquam fidem pensare temporibus: nec me idcirco
meliorem putes quod prior in Christi exercitu cœperim
militare. AVGV. Accipe igitur, quæ mihi peto aperiri, ac
differere non graueris. Quæstio de anima multos mouet
in quibus & me esse confiteor: nam quid de anima fir-
B missime teneam, non tacebo. HIERO. Metiris nos vir-
tutibus tuis: & paruos magnus extollis, vltimamque par-
tem conuiuij occupas, vt patrisfamilias iudicio prouceha-
ris. Sed velle fateor, sed enim præfero magistrum renuēs:
comitem spondeo, petēti datur, pulsanti aperitur, quæ-
rens inuenit: discamus in terra, quorum nobis scientia
perseueret in cœlo. AVGV. Certus etiam sum animam
nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria
voluntate in peccatum esse collapsam: nec liberari posse
de corpore mortis huius, vel suæ voluntatis virtute, tan-
quam sibi ad hoc sufficiente, vel ipsius corporis morte:
sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.
HIERO. Anima immortalis, inuisibilis, & incorporalis
est: secundum gratiorem dico corporis nostri substan-
tiam: dico vel eo certe tempore punietur, & supplicium
sentiet, quando pristinum corpus receperit, vt cum quo
peccauit, cum ipso puniatur. AVGV. Dicitur conceptio
humana sic procedere, vt primis sex diebus quasi lactis
habeat similitudinem: sequentibus nouem diebus con-
C uertatur in sanguinem. Deinde duodecim diebus solide-
tur: reliquis quindecim formetur vsque ad perfecta li-
neamenta omnium membrorum: & hinc iam reliquo
tempore vsque ad tempus partus magnitudine augeatur.
HIERO. Sicut nescis viam spiritus & animæ ingredientis
in paruulum, & ignotas ossium & venarum varietates in
ventre prægnantis: quomodo ex vili elemento corpus
hominis in diuersas effigies artusque varietur: & de eo-
dem semine aliud mollescat in carnibus, aliud duretur in
ossibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in neruis: ita
Dei opera scire non poteris qui factor est omnium. AVG.
De animæ incarnatione vtrum ex illa vna quæ primo
homini data est, sic ceteræ propagentur. An singulis qui-
busque nouæ etiam modo fiant. An alicubi iam existen-
tes, vel mittantur diuinitus, vel sponte labantur in corpo-
ra? Quænam sit eligenda opinio scire desidero. HIER.
Super animæ statu memini vestræ quæstiunculæ: imo
maximæ ecclesiasticæ quæstionis. Vtrum lapsa de cœlo
sit, vt Pythagoras philosophus omnesque Platonici &
D Origenes putant: an propria Dei substantia, vt Stoici,
Manichæus, & insana Priscilliani hæresis suspicantur: an
in thesauro habeantur Dei olim conditæ, vt quidam ec-
clesiastici stulta persuasione confidunt: an quondie à
Deo fiant, & mittātur in corpora, secundū illud quod in
euangelio scriptū est. *Pater meus vsque modo operatur, &
ego operor*: an certe ex traduce, vt Tertullianus, Apollina-
rius, & maxima pars occidentalium autumant: vt quo-
modo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima:
& simili cum brutis animantibus conditione subsistat.
AVGV. Hoc certe sentis, quod singulas animas singulis
nascentibus etiam modo Deus faciat. Cui sententiæ ne
obiiciatur, quod omnes creaturas sexto die consumma-
uerit Deus, & septimo requieuerit: adhibes testimonium
ex euangelio: pater meus vsque nunc operatur. HIER.
Quid enim ambiguitatis in dicto est: vt diuersæ intelli-
gentiæ tribuatur occasio? Constat, & super hoc nulla
contentio est. AVGV. Doce ergo quæso, quæ doceam:
doce quod teneam. Et dic mihi si animæ sigillatim in sin-
gulis hodieque nascētibus fiunt: vbi in paruulis pecc[...]
vt indigeant sacramento Christi, in remissione peccati pec-
cantes in Adā, ex quo caro est propagata peccati: aut si nō
peccant, qua iustitia creatoris ita, peccato obligētur alie-
no? Cum exinde propagatis mēbris mortalib. inseruntur,
vt eas nisi per ecclesiam subuentū fuerit, damnatio con-
sequatur: cum in earum potestate nō sit, vt eis possit gra-
tia baptismatis subuenire. HIER. *Alienati sunt peccatores
à vulua: errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa*: statim vt nati
sunt, subiacuere peccato, in similitudinē præuaricationis
Adæ, qui est forma futuri. Illud quoque quod in volumi-
ne Iob scriptum ēst: *Nunquid mundus erit homo coram
Deo, aut in operibus suis irreprehensibilis vir? Si aduersus
famulos suos non credit: & contra angelos suos prauum quid
reperit: quanto magis in his qui habitant domos luteas*, è
quibus & nos de eodem luto sumus: *Nullus enim absque
peccato, ne si vnius quidē diei fuerit vita eius. Si enim stellæ
non sunt mundæ in conspectu Dei: quanto magis vermis &
putredo*? & hi qui peccato offendentis Adā tenentur ob- F
noxij? AVGV. Obsecro te quomodo hæc opinio defendi-
tur, qua creduntur animæ non ex vna illa primi hominis
fieri omnes: Sed sicut illa vna vni, ita singulis singulæ. Ea
vero quæ dicuntur alia contra hanc opinionem, facile
me puto posse refellere: sicut est illud, quo quidam sibi
eam videntur vrgere: quomodo consummauerit Deus
omnia opera sua sexto die, & septimo die requieuerit,
si nouas adhuc animas creat? Quibus si dixerimus, q̄ ex
euangelio supra posuisti. *Pater meus vsque nunc operatur.*
Respondent. Operatur dictum est, institutas admini-
strando, non nouas instituendo. HIERON. Hic locus
apud imperitos & scripturarum sanctarum meditatio-
nem vsumque & scientiam non habentes: videtur opi-
nioni tuæ prima fronte blandiri. Cæterum discussus fa-
cile soluitur: & cum testimonia scripturarum aliis com-
paraueris testimoniis: ne sibi Spiritus sanctus pro quali-
tate locorum & tēporum videatur esse contrarius: secun-
dū illud quod scriptū est *Abyssus Abyssum inuocat in vo-
ce cataractarū suarum.* Cerno quo tua tendat assertio: sed G
de hoc in posterioribus differendum est: ne dum misce-
mus quæstionibus quæstiones, obscuram audientibus
intelligentiam relinquamus. AVGV. Verum est quod à
rebus quæ non erant instituendis requieuit: & hoc verum
est, quod non solum gubernando quæ fecit: verum e-
tiam aliquid non quod nondum est: sed quod iam crea-
uerat numerosius creando, vsque nunc operatur. Vel sic
ergo vel alio quolibet modo eximus ab eo quod nobis
obiicitur de requie Dei ab operibus: ne propterea non
credamus nunc vsque fieri animas nouas non ex illa vna,
sed sicut illam vnam. Nam quod dicitur: quare facit ani-
mas eis quos nouit cito morituros? Possumus respondere
parentum hinc peccata, vel vinci, vel flagellari. HIERO.
Super quo quid mihi videretur, in opusculis cōtra Ruf-
finum olim scripsisse me noui: aduersum eum libellum
quem sanctæ memoriæ Anastasio episcopo Romanæ ec-
clesiæ dedit. In quo lubrica & stulta ac subdola confessio-
ne, dum auditorū simpliciratis illudere nititur, suæ fidei,
imo perfidiæ illusit. AVGV. Quod in libro aduersū Ruffi- H
num posuisti, quosdam huic sententiæ calumniari: quod
Deum dare animas adulterinis conceptibus videatur in-
dignum: vnde conantur astruere meritis gestę ante cat[...]ē
vitæ, animas quasi ad ergastula huius mundi iuste posse
perduci: non me mouet multa cogitantē, quibus hæc pōt
calumnia refutari. Et q̄ ipse respondisti non esse vitiū se-
mēris in tritico, quod furtò dicitur esse sublatū: sed in eo
qui frumenta furatus est, nec idcirco terrā non debuisse
gremio suo semina cōfouere: quia sator immunda ea pro-
iecerit manu. Elegantissima similitudo est, quam & ante-
quam legerē, nonnullas mihi obiectio ista de adulterinis
fœtib. in hac quæstione faciebat angustias. generaliter in-
tuēti multa bona Deū facere, ēt de nostris malis prauisq;
peccatis. Animalis aūt cuiusque creatio si habeat prudērē
piumque consideratorē, ineffabilē creatori laudem exci-
tat: quando magis creatio non cuiuslibet animalis, sed
hominis? Si autē causa creādi quæritur, nulla citius & me-
lius respondetur: nisi quia *omnis creatura Dei bona est.*

Et

A Et quid dignius, quam vt bona faciat Deus bonus, quæ nemo potest facere nisi Deus? Hæc & alia quæ possum, & sicut possum, dico aduersum eos, qui opinionem hanc, qua creduntur animæ, sicut illa vna singulis fieri, labefactare conantur. Hier. Antonius orator egregius, in cuius laudibus Tullius personat, disertos se ait vidisse multos, eloquentē adhuc neminem. Noli igitur mihi oratorū & non tuis floribus ludere, per quos solent imperitorum atq; puerorum aures decipi: sed simpliciter dic quid sentias. Aug. Cum ad pœnas ventum est paruulorum, magnis mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam, prorsus inuenio. Non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahātur, si de corpore exierint sine Christianæ gratiæ sacramēto: sed eas ipsas quæ in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos, quas enumerare si velim, prius tempus quam exempla deficient. Languescunt ægritudinibus, torquentur doloribus, fame & siti cruciantur, debilitantur membris, priuantur sensibus, vexantur ab immūdis spiritibus. Demonstrandum est itaque quomodo ista sine vlla sui mala causa iuste patiantur. Non. n. dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri, aut eum non posse resistere facientib. aut iniuste ista vel facere, vel permittere. Hier. Diuersis testimoniis scripturarum eadem in quæstione vteris in theatrales præstigias: qui vnum eundemque hominem personarum varietate mutata in Martem Veneremque producunt, vt qui prius rigidus & truculentus incesserat, postea soluatur in mollitiem fœminarum. Aug. Cum reiteratum sensero, nihil aliud quā veniam deprecabor. Hier. Quæso vt patienter audias, non. n. de aduersario victoriā: sed contra mendacium quærimus veritatem. Aug. Nunquid

C non sicut animalia irrationabilia recte dicimus in vsus dari naturis excellentioribus, & si vitiosis: sicut apertissime in euangelio videmus, porcos ad vsum desideratum concessos esse dæmonibus, hoc & de homine recte possumus dicere: animal est. n. sed rationale, & si mortale. Anima est rationalis in illis membris quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus est, Deus iustus est, Deus omnipotens est, hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum, quæ fiunt in paruulis causa iusta dicatur. Nam cum maiores ista patiantur, solemus dicere, aut sicut in Iob merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri, & quibusdam exemplis, quæ Deus manifesta esse voluit, alia quæ obscura sunt hominum coniectoræ conceditur, sed hoc in maioribus. De paruulis aūt quid respondeamus edissere, si tantis pœnis nulla in eis sunt punienda peccata. Nam vtique nulla est in illis ætatibus examinanda iustitia. Hier. Dedit Ecclesiastes primo omnium mentem suam ad sapientiam requirendam, &

D vltra licitū se extēdens, voluit causas rationesque cognoscere, quare paruoli corriperētur à dæmone. Cur naufragia & iustos & impios pariter absorberent. Verum & hæc & his similia casu euenirent, an iudicio Dei? Et si casu, vbi prouidentia? Si iudicio, vbi iustitia Dei? Aug. Doce igitur, quid dicere, quid sentire debeamus, vt constet nobis ratio nouarū animarū, singulis corporibus sigillatimque factarum. Hier. Videris mihi obliuiosus esse & quasi nihil supra dictū sit, per easdē disputatiōis reuerti lineas: hoc. n. longa dissertione discussum est. Aug. Damnationis in paruulos causam requiro: quia neque animarū, si nouæ fiunt singulis singulæ, video esse vllum in hac ætate peccatum: nec à Deo damnari aliquam credo, quam videt nullum habere peccatum. An forte dicendum est in paruulo carnem solam esse peccati, nouam vero illi animam fieri, qua secundum Dei præcepta viuente in adiutorio gratiæ Christi, & ipsi carni edomitæ ac subiugatæ possit incorruptionis meritum comparare. Hier. Demus operam vt perniciosissima hæresis de ecclesia auferatur, quæ semper simulat pœnitentiam, vt docendi in ecclesiis habeat facultatem, ne si aperta se luce prodiderit, foras expulsa moriatur. Aug. Quærenda causa atque reddenda est, quare damnentur animæ, quæ nouæ creantur singulis quibusque nascentibus, si præter Christi sacramentum paruuli moriantur. Damnari. n. eas, si sic de corpore exierint, & sancta Scriptura, & sancta est testis ecclesia. Vnde illa de animarum nouarum creatione sententia, si B hanc fidem fundatissimam nō oppugnat, sit & mea: si oppugnat, non sit & tua. Nolo mihi dicatur pro hac sententia debere accipi quod scriptum est. *Qui finxit spiritum hominis in ipso, & qui fingit sigillatim corda eorum.* Aliquid fortissimum atque inuictissimum requirendum est, quod nos non cogat Deum credere vllarum animarum sine culpa aliqua damnatorem. Nam vel tantundem valet, vel plus est forsitan creare quam fingere: & tamen scriptum est. Cor mundum crea in me Deus. Nec ideo putari potest anima hoc loco optare se fieri priusquam aliquid esset. Sicut ergo iam existens creatur innouatione iustitiæ, sic iam existens fingitur confirmatione doctrinæ. Nec illud quod in Ecclesiaste scriptum est: Tunc conuertetur in terram puluis sicut fuit, & reuertetur spiritus ad dominum qui dedit illum, istam confirmat sententiā, F quam volumus esse nostram. Plus. n. hoc suffragatur eis, qui ex vna putant omnes esse animas. Nam sicut conuertitur, inquiunt, puluis in terram sicut fuit, & tamen caro, de qua hoc dictum est, ad hominem non reuertitur, ex quo propagata est, sed ad terram vnde primus homo factus est: sic & spiritus ex ipsius vnius spiritu propagat⁹, non tamen ad eum reuertitur: sed ad dominum à quo illi datus est. Verum quia hoc testimonium ita pro istis sonat, vt non omnino huic opinioni, quam defendi volo, videatur esse contrarium, admonendam tantum credidi prudentiam tuam, ne talibus testimoniis ex his angustiis me coneris eruere. Nam licet nemo faciat optando vt verum sit quod verum non est: tamen si fieri posset, optarē, vt hæc sententia vera esset sicut opto, vt si vera est, abs te liquidissime atque inuictissime defendatur. Hier. Propo- G suisti testimonia, quæ non de alterius scripturæ loco, sed de propriis libris absoluta sunt. *Reuertatur puluis in terrā suam vnde sumptus est, & spiritus reuertatur ad dominum qui dedit illum.* Ex quo satis sunt ridendi, qui putant animas cum corporibus fieri, & non à Deo, sed à corporum parente generari. Cum enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, manifestum est, Deum parentem esse animarum, non homines. Aug. Illam vero opinionem, quod ex vna fiant omnes animæ, nec discutere volo nisi necesse sit. Atque vtinam ista de qua nunc agimus, si vera est, sic abs te defendatur, vt hoc necesse iam non sit. Quamuis autem desiderem, rogem votis ardentibus, exoptem & expectem, vt per te mihi dominus huius rei auferat ignorantiam: tamen si (quod absit) minime meruero, patientiam mihi petam à domino nostro. Hier. Iuxta beatum apostolum. Vnusquisque in suo sensu abundat, alius quidem sic, alius autē sic. Certe quicquid dici potuit, & sublimi ingenio de scri- H pturarum sanctarum hauriri fontibus à te potuit atque disertum est. Sed quæso reuerentiam tuam, paulumper patiaris me tuum laudare ingeniū. Nos enim inter nos eruditionis causa disserimus. Cæterum æmoli, & maxime hæretici, cum diuersas inter nos sententias viderint, de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est te amare, suspicere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere. Aug. Qui animas ex vna propagari asserunt, quam Deus homini primo dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt: si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri, quo peruersius quid potest dici? Hier. Qui dicunt prius animas fuisse quam natæ sunt, & non corpori secundum exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri, anathema sint. Aug. Quis negat non vnius tantum, sed omnis animæ creatorem factoremque Deum, nisi qui eius eloquiis apertissime refragatur? Sine vlla quippe ambiguitate per Prophetam dixit: Omnem flatum ego feci, animas scil. intelligi volens. Hier. Dominus in euangelio: *Videte,* inquit, *ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis: quia angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum designatum. Sufficiat nobis memorata credulitas, & nostra tandem finiatur oratio. Ecce Deo fauente feci quod flagi-

A tasti, immo quod potui, rationem animæ iuxta exemplum primi hominis, & verbum Saluatoris à domino Deo quotidie fieri, iamque formato corpori dari, totumque cursum eius breuiter licet, saltibus potius, sic dici fas est, quam passibus pro festinatione ad finem vsque perduxi, atque pro tenuitate ingenioli mei per cūctos ecclesiæ magistros, præsertim per duos pinguedinis libros. Augustinum videlicet & Hieronymum assistentes, aureo dextera læuaque candelabro, instar duorum cœli luminarium cognitioni ad liquidum tradidi: de quam plurimis eorum opusculis, sua eis solerti vigilantia, & sagaci perquisitione inuestigata restituens dicta, loqui veluti præsens alternis vicibus feci. Quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid sole clarius, ad instructionem omnium
B magis vtile, vel contra hæreticos certe, qui inimica aduersum nos mente desæuiunt, quid tam irreprehensibile? Vos ergo catholicorum virorum præcepta tenaciter assequendo, iusti hæredes, sed & necessarij inueniemini: qui Latiali eloquio pollentes, sapientioribus præferamini: & non magis stillantis liquoris, sicut præfatione comprehendi, quam inundantium fluuiorum vbertate rigari, redundetis fluentis sanctorum.

DE CORPORE ET SANGVINE CHRISTI homilia incerto auctore.

MAgnitudo cœlestium beneficiorum angustias humanæ mentis excedit, & propterea ordinauit ita diuina prouidentia, vt quod capere in nobis ratio rerum mole victa non poterat, fides deuota conciperet, & intellectum credulitas robusta nutriret. Cum ergo pro-
C pter transgressionem Adæ, origini & morti teneremur obnoxii, prospiciens ex alto Deus, ex quo essemus graui debitores, iuxta qualitatem captiuitatis, reparauit munus redemptionis, i. vt pro debita morte offerret indebitam: quia nec nos habebamos vnde viueremus, nec iste vnde moreretur. Materiam ergo de nostra mortalitate suscepit, vt de sua immortalitate collata, mori posset vita pro mortuis. Et quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur vel iugiter, iure per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indesessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima, viueret in memoria, & præsens semper esset in gratia. Vera vnica & perfecta hostia fide existimanda non specie, nec exterioris censenda visu hominis, sed interioris affectu. Vnde merito cœlestis confirmat auctori-
Ioan 6. tas: Quia *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est*
D *potus*. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Nam visibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta po-
Matt 26. testate conuertit, ita dicens: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum*. Et sanctificatione repetita, *Accipite*, inquit, *& bibite, Hic est sanguis meus*. Ergo vt ad nutum præcipientis domini, repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorū: profunda fluctuum, vasta terrarum: ita parem potē tiam in spiritualibus sacramentis verbis præbet virtus, & rei seruit effectus. Quanta itaque & quam celebranda vis diuinæ benedictionis operetur: & quomodo tibi nouum & impossibile videri non debeat, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, teipsum, qui iam in Christo es regeneratus, interroga. Dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via, intrinsecus mortuus exulabas: subito initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis innouatus, in corpus ecclesiæ non videndo, sed credendo transiuisti, & de filio perditionis, adoptiuus Dei fieri occulta puritate meruisti, in mensura visibili permanens, maior factus es teipso visibiliter sine quantitatis augmento: cum ipse atq; idem esses, multo alter fidei processibus extitisti. In exteriore nihil additum est, & totum in interiore mutatum est, ac si homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente

E formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subito noua indutus es dignitate, & sicut hæc, quæ in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, non sunt oculis, nec sensibus tuis credita: ita cū reuerendo altari cœlestibus cibis satiandus accedis, sacrū Dei tui corpus & sanguinem respice, honora, mirare, mēte continge, cordis manu suscipe, & maxime haustu interiori assume. Quod si illius veteris legis manna, de quo legitur: Pluit eis manna vt ederent, hoc vnicuiq; sapiebat quod desideriis concupierat, aliudque erat quod sumebatur, aliud quod videbatur, inuisibiliterq; sapor ille in singulorum sensibus formabatur: si ergo illud veteris legis manna, cælitus elapsum per multimodas suauitates, naturæ suæ meritum & generis sui excedebat intuitum: & si creaturam suam dispensatio largitoris multiplici diuersitate condiderat, vt præberet gustus quod ignorabat aspectus: quia iuxta recipientis desiderium, escæ illius nouitas & dignitas nascebatur. Vnumquemque.n. variis & alienis saporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius donū, & multiplex sicci imbris obsequium: quæ cum ita sint, quod illic auiditas faciebat, hic fides faciat: & sicut in corpore cibus sapiebat, in pectore Deus credulitate proficiat, sicut legimus. *Accedat homo ad cor altum, & exal-*
tabitur Deus. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in fauci- Psal 63
bus, hic benedictio operetur in sensibus. Ad cognoscen- F
dum & percipiendum sacrificium veri dominici corporis, ipsa te roboret potentia consecratoris: & qui tunc latuit præfiguratus in manna, sit tibi nunc manifestatus in gratia. Ipsum autem fuisse in mānæ illius specie præfigu-
ratum, etiam propheta euidenter ostendit dicens. *Panem* Psal 77.
cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo: Et quis panis est angelorum nisi Christus, qui cibo suæ charitatis & lumine claritatis nos satiat? Et hūc dat panem dicente propheta. Sexta die duplum colliges. Dum.n primo à dominica die in lege tribuitur, & in solo sabbatho denegatur, iā tunc Christus ab ecclesia cui dominicum resurrectionis diē cōsecrauit, recipiēdus ostenditur, & synagogæ ad quam cultus sabbathi pertinebat negandus esse percipitur, dū dies qui est dies septimus, cœlestis panis fraude mulctatur. De quo pane vetus narrat historia. Nec qui plus collegerat habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus, eo quod eucharistiæ perceptio nō in quā-
titate, sed in virtute consistat, quod corpus domini sacer- G
dote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse cōstat in toto. Quod cum ecclesia fidelium sumit; sicut plenum in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis.
De quo sensu apostolica sentētia deriuata est dicens: *Qui* 2. Cor. 8
multa habet non abundabit: & qui modicum habet, non minorabit. Non. n. de communi pane accipi dictum potest, quem si forte esurientibus apponeremus, non ex toto peruenitet ad singulos: quia particulatim & minutatim proportione sua vnusquisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihil minus habent singuli quā vniuersi, totum vnus, totum duo, totum plures sine diminutione accipiunt: quia benedictio huius sacramenti scit distribui, nec distributione consumi. Sacramenti itaque huius formam, etiam in Iudæorum paginis videmus expressā.
Nam de Melchisedec in Genesi legimus. *Et Melchisedec* Gen. 14.
rex Salem obtulit panem, & vinum, & benedixit Abrahæ.
Fuit autem sacerdos Dei altissimi, dumque à præputio. i. à H
gentili circumcisio futura benedicitur, ecclesiæ gloria prędicatur: & synagogæ infideli populus ex gentib. acquisitus præponitur. Huius ergo Melchisedec genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit: & oblatione panis & vini, hoc Christi sacrificium præfigurauit, de quo pro-
pheta pronūtiat *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē* Psal 109.
Melchisedec. Nam & Moyses de eo mysterio loquens, vinum & sanguinem sub vna appellatione significat, & in benedictione patriarchæ dominicā passionem multo am-
plius demonstrat, ita inquiens: *Lauabit in vino stolam* Gen. 49
suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Aduerte quam euidenter constat vini creaturam, Christi sanguine nuncupatam. Et quid adhuc de hac duplici specie inquirere de-
beas, ipso dn̄o attestante cognosce. *Nisi*, inquit, *manduca-* Ioan 6
ueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non

habe bi

A *habebitis vitam in vobis.* Quod testimonium contra Pelagij blasphemias euidentissimum atq; validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorum, baptismum paruulis conferendum. Sub his.n. Dei verbis, quibus euangelista pronuntiat, non habebitis vitam in vobis, aperte intelligendum est, quod omnis anima munere baptismi vacua, non solum gloria careat, sed & vita. Hoc itaque dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solum traditione, sed ipso genere passionis ostendit, ex cuius sacro latere sanguinis & aqua lanceæ illisione profluxit, sicut & propheta multo ante præcinu dicens. Percussit petram & ef-
Psal. 77. fluxerunt aquæ. Et apostolus. *Bibebant*, inquit, *de cõsequente eos petra.* Vides quod qui biberit de Christi gratia, sequitur eum Christi misericordia. Sed in Salomone de ipso
Prov. 9. B Deo prædictum legimus, *Sapientia*, inquit, *ædificauit sibi domum*, id est, corpus hominis assumpsit, in quo habitat plenitudo diuinitatis. *Excidit columnas septem*: quia illum benedictio gratiæ septiformis impleuit. *Mactauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suã.* Et in sequenti. *Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Admixtum ergo aqua vinum legimus. Nunc causam quare vtrunque dominus misceri voluerit, inquiramus. Quando in Iudæorum conuiuio nuptiali vinum, id est, fides in eis deficiebat, vinum, inquit, deficiebat: quia vinea fructum negabat, de qua dici-
Esa. 5. tur. *Expectabam vt faceret vuas, fecit autẽ spinas.* Vnde & sertum spineum capiti redẽptoris imposuit, quando do-
Ioan. 2. minus nuptiali tempore, id est, quando sponsus se ecclesiæ suæ paschali exultatione iungendo aquas in vinum conuertit: manifeste præfigurans multitudines gentium de sanguinis sui gratia esse venturas. Per aquas enim po-
Apoc. 17. pulos significari, sacris aperitur eloquijs, sicut legitur. *Aquæ istæ quas vidisti, populi sunt & gentes linguæ.* Vnde & luculenter in aquis figuram gentium demonstrari, in vi-
C no autem sanguinem dominicæ passionis ostendi. Ac sic cum in sacramẽtis vino aqua miscetur, Christo fidelis po-
Rom. 8. pulus incorporatur & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt possit dicere cũ Apostolo. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persequutio?* & reliqua. Deus autem homini suscepta sanctificatione miscetur, quam fides in ipso peccatore affectus iustitiæ, misericordia pietatis infundit. Etiam in hoc ipso, quod in numerosis tritici granis panem confici nouimus, vnitatem cõstat assignare populorum. Sicut enim frumentum quod sola purgantis sollicitudine ad candidã speciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis substantiam congregatur: sic variæ gentes, diuersæque nationes, in vnam fidem conuenientes vnum de se Christi corpus efficiunt: & Christianus populus quasi tritici grana innumerabilia in sacrilegis nationibus fide purgata atque cribrata discernitur. Et in vnum, quasi infidelium lolio pertranseunte colligitur, & duorum testamentorum instructione, velut frumentum gemino molarum opere curatum nitescit, & in illã pri-
D mæ originis dignitatem natiuo candore mutatur, ac per aquam baptismi, vel per ignem Spiritus sancti, æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo separari grana ab illius confectione panis adunatione non possunt, & sicut aquæ ad propriam redire substantiam in vinum permixtæ, iam non possunt: sic & fideles quique atque sapientes, qui redemptos se Christi sanguine & passione cognoscũt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo, fidei obseruatione & ardentissima religione sociari, vt ab ea non voluntate, non necessitate seiungi, non vlla terrenæ spei ambitione, non deniq; ipsa possint morte diuelli. Nec dubitet quisquam primarias creaturas, nutu diuinæ potentiæ, præsentia summæ maiestatis in dominici corporis transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicunq; ad fidẽ Christi veniẽs ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero memoratis, mox exuitur omni fece peccati: ita quando benedicẽdæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione sui nominis cõsecrantur, sub-

E stantia illic est panis & vini: post verba autem corpus & sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata conuertere? Imo iam minoris videtur esse miraculi, si id quod de nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit hominem de limi materia figurare, imaginem etiam suæ diuinitatis induere: cui promptum est eum rursum reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine angelum facere, corpus humanum conforme corpori suæ claritatis reddere, figmentum suum in regni sui consortio sublimare, vt qui corpus nostræ fragilitatis assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis assumat: ad quam gloriosam resurrectionem pijs nos operibus præparare dignetur, qui viuit & regnat in secula seculorum. F

HOMILIA SVPER EVANGELIVM Matthæi, incerto auctore.

SAnctus euangelista docet nos necessitatem inopiæ tolerantes, subsidij causa amicum debere perquirere, & id quod deest ad refectionem alterius, oportere ab altero mutuari. Instantium autem ad postulandum pertinacem esse voluit petitorem, vt nec nocturnis horis pulsare amici ianuam desinat, nec excitare eum dubitet quiescentem: ita etiam, vt tædiũ inferens impudentia mereatur, quod amicitia non meretur, & communicationem panis extorqueat importunitas, quam non impetrat humanitas. Ait enim: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit* G
Luc. 11. *ad illum media nocte*, &c. Videtur ergo secundum literam aliquid persuadere, vt media nocte quiescenti amico & clauso cubiculo dormienti molesti esse minime desinamus. Sed si ad spiritualem nos intelligentiam reuocemus, inueniemus, non dure dominum, sed vtiliter præcepisse. Nam vtique postquam discipulos orationem dominicam docuit, hanc subiecit parabolam: vt intelligeremus importunos nos amicos esse debere, non expostulando aliquid, sed potius precando, id est, Christum non carnali manu percutiendo: sed spirituali oratione pulsando. Ipse enim, si recte viuimus, amicus noster est. Nam quis amicitior nobis est, quam ille qui pretio sui sanguinis nos redemit? Ipse, inquam, amicitior omnibus est, qui cum sit dominus, amicus esse dignatur, dicens ad apostolos *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Huius ergo Ioan. 15.
amici ostium incessabiliter pulsare debemus, & horis eum inquietare nocturnis, & vsque adeo molesti esse, vt importuni etiam iudicemur. Sed non huius importunitatis vereamur offensam: quia hæc apud dominum importunitas opportuna est. Acceptior enim est illi impudens deprecatio, quam secura præsumptio, hoc est, plus meretur qui solicitus orat instanter, quam qui confi- H
dens dissimulat negligenter. Ait enim & ille: *si perseuerauerit pulsans.* Perseuerans igitur meretur accipere: quod alibi euidentius dicit. Qui perseuerauerit vsque in finem: hic saluus erit. Non multum ergo iuuat frequenter orare, cui contigerit aliquando cessare. Semper igitur & sine intermissione petendum est & pulsandum, ne precatio ante acta nihil prosit, si non ad finem eodem quo cœperit tenore peruenerit. Dico, inquit, vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter importunitatem eius surget & dabit. Magna perseuerantia est, quæ quamuis importuna est, quanquam molesta sit Deo, tamen plus amica est, quam amicus. Ecce enim quod amico negatur, perseuerantia promeretur. Illi recusat de fiducia, huic de contentione compatitur. Illi non largitur familiariter pulsanti, huic pertinaciter miseretur oranti. Pulsemus igitur ostium domini, non solum per fidem, sed etiam perseuerantia, vt aperiatur nobis: & media nocte pulsemus, ne grauis nos ad vigilandum peccatorum somnus inuadat: quoniam scriptum est. Beati serui, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes. Hoc autem ostium aperiri sibi apostolus exposcit, non solum suis, sed etiã proprijs orationibus

A Coloss. 4. obſecransſe iuuari, dicens. *Vt aperiatur mihi oſtium ad loquendum myſterium Chriſti*, ſcilicet aperto oſtio illos ſacramenti panes accipere deſiderans, de quibus eſurientis gentilis populi ad cognoſcendum dominum inedia ſaturetur Et nos ergo pulſemus hoc oſtium & perſeueranter oremus, vt ex ipſo ſapientiæ & ſcientiæ panem accipere mereamur, Nam niſi ſubſtantiam exinde ſumpſerimus, fraternitatis iſtius deſiderium proprio ſermone reficere non valemus. Vel homo iſte quilibet Chriſtianus intelligitur, qui fidem trinitatis tantummodo intelligit: & quod neceſſarium eſt, niſi alter eum doceat, ignorat. Amicus vero eius, vt diximus, Chriſtus eſt. Quod dicit, vadit ad illum media nocte. i. in nouiſſimo tempore, & dicit illi, commoda mihi tres panes, ac ſi dicat anima illa ad Chriſtum: commoda mihi fidem trinitatis, & fac me intelligere B quemadmodum operari me oportet. Amicus meus venit de via, ac ſi dicat: ſenſus meus ambulauit per diuerſas regiones, & rediens ad me vacuus eſt, non habeo alimenta ſpiritalia quæ ante illum ponam: niſi me doceas fidem trinitatis, ſpem, charitatem, & omne quod ei tribuam, nec vnde eum doceam habeo. Ad quem ille reſpõdens deintus dicat. *Noli mihi moleſtus eſſe*, & cætera. Diſtulit quidem deſiderium, ſed non abſtulit, vt plus nos quæramus, & inuentus ſtrictius teneatur. Quod vero dicit. *Pueri mei mecum ſunt*, ac ſi dicat dominus Chriſtus omnipotens: ſancti mei quos volui iam mecum ſunt. *Non poſſum ſurgere & dare tibi*. Ideo negat petitionem, vt probet cuiuſlibet perſeuerantiam. Et quod dicit: *ſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus eius eſt, propter improbitatem tamen eius ſurget & dabit illi quotquot habet neceſſarios*: ſic & dominus Ieſus amicus & frater noſter Chriſtianorum, omne importune fideliterque petenti pro iugi petitione quicquid in nomine eius petierit, ſine difficultate tribuet. Sicut & ſequitur, ego *vobis dico. Petite, & dabitur vobis:* C *quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*, id eſt, petite patrem, quærite filium, pulſate Spiritum ſanctum. Vel petite cogitationibus, quærite verbis, pulſate operibus. Siue petite fide, quærite opere, & pulſate ſcientia, & ecce omnia aperientur vobis. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Ac ſi dicat: qui petit à domino charitatem & dilectionem, non illi dat duritiẽ cordis. *Aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi?* Per piſcem fides intelligitur, per ſerpentem infidelitas, ac ſi dicat: ſi petis à domino fidem, non tribuit tibi infidelitatem. *Aut ſi petit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem?* ac ſi dicat. Si habes in Deum ſpem veram, ſiue cogitationem ſanctam in corde tuo cogitaueris, non contrarietatem, nec inſidiarum calumniam à domino pertimeſcas. *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris: quanto magis pater veſter de cælo dabit vobis ſpiritum bonum timentibus ſe?* Ac ſi diceret, ſi homines carnales inter bonum & malum diſcernitis, & non vultis vt quiſq; veſtrum de manu veſtra malum pro bono recipiat: quanto D magis Deus qui cuncta condidit homini, quem ad imaginem ſuam fecit fideliter ſibi petenti tribuet bona? Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? Quid hoc loco ignem niſi Spiritum ſanctũ intelligimus: quem dominus in terram miſit, vt vrat vitia & peccata, & accendat animas per charitatem atque illuminet.

Secunda Seriei huius Tomi Finis.



EPISTOLA AD TYRASIVM SVPER MORTE filiæ conſolatio.

BEnedicto & dilectiſſimo parenti Tyraſio Hieronymus. Charitatis tuæ ſcripta percepi, in quibus animum tuum dolore commotum de filiæ dormitione cognoui. Non aliud principaliter admiratus ſum, quam Chriſtiani pectoris in te ablatam virtutem fuiſſe, vt animum flecteres ad dolorem. Stupeo mutum fidei penetratum vulneribus orbitatis: quem ſepire debuerat ſpes reſurrectionis & regni cœleſtis. Nunquam ſpes cum dolore concordat, nec fides aliquando ſentit quamcumque iacturam. Reſurgere credimus ... tuos, & plangimus. Quid faceremus ſi mori tantummodo ſine reſurrectione præciperet Deus? Voluntas eius vtique ſola ſufficeret ad ſolatium, cui nullum præponere iubemur affectũ. Quod dederat, abſtulit qui creauerat. Quis eſt qui plangat quod ad tempus acceperat? Commodauerat vt haberes quantocunque tempore voluiſſet, vt cum vellet, rurſum auferret. Nihil abſtulit tuum, qui dignatus eſt recipere proprium. Creditum ſuum recipere decuit creditorem, & nihil aliud decet, quam creditori ſuo gratias agere mutuantem. Sic Iob legimus: cuius ſequamur deuotiſſimam vocem: *Dominus*, inquit, *dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum.* Iob. 1. Parua ergo non erat hæc conſolatio contra luctum, quod nemo lugere debeat, cum aliquid reddiderit alienum: quia fas non erat apud alium retineri, quod domino ſuo fuerat F neceſſarium. Additur conſolationis alia prouidentia, quæ iaculis orbitatis occurrat. Plangere debuimus de ſeculo recedentes, ſi ſeculi inimicitias contra nos minime ſentiremus: & plangimus domini beneficia, qui nouit infirmitati noſtræ quid præſtet. Periclitari volebat adhuc, qui dolet aliquem dormientem, & inter fluctus vitæ præſentis videre cupiebat miſerum laborare. Talibus ac tantis tempeſtatibus vitæ, tot impugnationes diaboli, tot corporis bella, tot ſeculi clades euaſit. Et lacrymas fundis, quaſi neſcias quid in teipſo quotidie patiaris. Propter quod admonet dominus apoſtolos ſuos, dicens: Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad patrem. Planè Lazarum fleuit mortuum, ſed non tuas lacrymas Ioan. 14. fudit. Reſurrectionis promiſſor dolorem docere non Ioan. 11. poterat, ne fidem perfidiam faceret, quam docebat. Doluit Lazarum non dormientem: ſed potius reſurgentem, G & flebat, quem cogebatur propter ſaluandos alios ad ſeculum reuocare. Hanc vitam dans dominus, ingemiſcebat, quam tu doles eſſe ſublatam. Contra lacrymas eius pugnant lacrymæ tuæ, & amor tuus amori eius non conuenit. Hic fletus non habet pietatem. Ille nolebat reddere laboribus, quem dilexerat, & tu amare credebas te, cui laborum volebas adhuc præſtare tormenta? Cæterum ſi putas eum Lazarum doluiſſe, ante non permiſiſſet exire, qui repellere potuit mortem. Aut certe non fleret, qui mortuum ſuſcitare poſtmodum habuerat poteſtatem. Vnde apparet, ſola eum cauſa fuiſſe commotum, quod ad hoſtilem vitam chariſſimum reuocare denuo, & propter credituros aliquos & confundendos incredulos, vrgebatur. Denique ſic ſubſecutus eſt, dicens: Ergo pater, vt credant, quia tu me miſiſti, ait, clara voce: Lazare prodi foras. Et factum eſt. Gaude ergo vnde H ille coactus eſt flere, ne tu ſaltem videaris dormientis felicitatibus inuidere. Ab alieno mundo proprium tranſiuit ad dominum, & de hoſtili patria migrauit ad cœlum. Contra ſic Apoſtolus commemorat, dicens. *Quam diu ſumus in hoc ſeculo, peregrinamur à domino.* 2. Cor. 4. Non ergo nobis luctum debet incutere quiſquam, cum à peregrinatione redire meruerit ad propriam regionem, maxime cum non inanis & vacuus redire noſcatur, qui Chriſtianitatis mercatus eſt lucrum, propter quod deſcendit ad mundi commercium. Et ego, inquies, nulla promiſſionum cœleſtium dubitatione conturbor: ſed ſola ſeparatione dormientis æſtuans, deſolatus ſolatio pij pignoris iactor. Excuſatio eſt hæc, benedicte, ſine dubio fragilitatis humanæ, quæ patrocinari non poteſt diffidentiæ. Si enim deſolationes homines ferre non valerent, nunquam prorſus parentes à ſe ſua pignora dimiſiſſent. Deſtitutos ſe à morientibus conqueruntur: & viuos filios, aut propter honores, aut propter negotia peregrinis regionibus credũt: & gaudent tota vita ſine affectibus commorari, dummodo capiant, quod cupiunt de ſuis pignoribus adipiſc... & vt ad palatia pergant, peregrinantur. Ad ſtudia dignitatis nauigant acquirenda, vel ad cauſas patrimonij aliquas explicandas cum labore & periculo, proficiſcentes omnes impellunt: nec ſecum vacare quos diligunt, patiuntur. Et vt ad palatia cœli, ad ſtudia Chriſti, ad honorem vitæ perpetuæ, & patrimonium poſſeſſionis æternæ c...m

ſecuri-

(A) recuritate valeant peruenire, nemo filius suos à se libenter gratulatur abscedere. Ad comparanda peccata gaudēt tam parentes à filijs quam filij à parentibus, prouocante diabulo, separari. Ad indulgentiam percipiendam, nolūt ab inuicem Deo vocante, discerni, vt appareat non pro nostra ratione nos dolere quemcunque videmus amittere: sed iudicium magis ostendere diffidentiæ. Mihi crede, sola in omnibus incredulitas mœret. Et sicut non potest fides nosse quod doleat: sic diffidentia sola doloribus inuenitur ancilla. Nam si dormientes dicimus, dormientes vtique credere debemus, & non mortuos: sed requiescentes, secundum vocem domini (Ioan. 11.) *Omnis enim*, inquit, *qui credit in me, licet moriatur, viuet.* Si tibi medicus hoc promitteret quisquam, nullam sine dubio promissioni eius negare poteras omnino lætitiam. Nunc quia Christus fabricator & resuscitator promittit, non times eam plangere, vt fideliorem Christo pariter & potentiorem medicum videaris in promissione iudicare. Sed destitutam, dicis, doleo senectutem meam: qui debueram liberos meos potius (B) antecedere, ne in laboribus remanerem. Quando de spiritualibus bonis quodcunque tractatur: nihil est omnino de carnalibus ante oculos proponendum. Ego tibi melius profiteor euenisse qui non carnalem, sed spiritualem circa te considero felicitatem. Tu te dicis de pignoris tui obitu in senectute confectum: ego econtra probo sublenatum. Senectuti tuæ amputauit dominus magis sollicitudinem, quæ torquebat de viua filia ne periret. Melius vtique nunc mortuam seculo credis esse apud Deum viuam, quam hic viuam mortuam. Gaude tibi quod filiam Christianam mereberis sequi: quam secutus, in cœlo gaudeas rursus amplecti. Non te deseruit, sed præcessit. Misisti nutrimenta tua Christo. Si luctum horrueris, & te obtulisse pignus Deo, deputari poteris. Secundum votum tuum habe post Abraham, si non potes primum, vt quod ille nō dubitabat offerre, tu forte videaris de sublato gaudere. Ab illo dominus postulauit, à te tulit, ille iussioni pa- (C) ruit, tu voluntati consentias. Illum per illicitam legem naturæ probauit sibi deuotum: te saltem per licitam conditionem mortalitatis annotet religiosum. In qua parte Christianum te poteris approbare. Erubescat incredulitas nostra, quæ nec cum gentilibus Deo vult esse subiecta. Communis est nobis cum illis exitus mortis, & dolores illorum superamus doloribus nostris. Quid ageremus, si peculiare aliquid exigeretur à nobis? Quod ad dedecus nostrum pertinet, gentiles dolores sæpe contemnunt, cū non ad promissa cœlestia: sed ad pœnas tartari rapiantur, & nos plangimus euntes ad cœlum? Considera, Christianus talis quid merebitur deinceps, qui nec imitari contendit exempla sanctorum, nec contemptum habere gentilium? Illi luctus desperando despiciunt, nos & sperando despicere non conamur. Illi seruire intrepidanter filios suos mortalibus tradunt, & nos Deo nostro simul & suos liberos, & nostros liberandos dimittere sacrilega mente cunctamur: quasi tutius apud homines iudicemus magis (D) quam penes Deum commendari. Aliquem filiorū Christiani nolunt vel gratulatione sua deducere ad bona, gentiles tradere non cunctantur ad mala. Postremo vel cum ipsa felicitate nostrorum morientium cogamur animum flectere, ne desiderijs eorum desideria nostra incipiant reluctari. Esto religiosus, vel voto eius quæ euasit, si non potes tuo: Exulta, quia placuisse cognoscis tui participiō sanguinis Christo: maxime quod de occasione debeas tolerare domini voluntatem, cui non potes contradicere. Et cum sit omnibus communis hic casus, vanus dolor est, qui nec primus videtur esse, nec solus. Sed dicis: Nullus me de mea desolatione mentis angor exulcerat: sed pro derelictis paruulis morientis humanitatis affectus impulsat. Nec licet commoueri animum Christianum, ne contra Christi imperia reluctetur. Quid interest quandocunque & qualescunque filios dimisisse, quos iubemur à domino causa deuotionis odisse? Melius nunc saluam animam suam moriens dereliquit in pace, ne in persecutione dimittere cum suo interitu non valeret. Ipsis auxiliabitur in mundo, quorū matrem habet in cœlo. Et qui matri subuenit, & filiis certe succurret. Postremo vide, (E) si aliquid debeat dolori concedi, vbi sine aliquo remedio potest animus fatigari. Sapiēter debet dolere qui dolet, ne perdat sine causa quod dolet. Nunc autem contra luctum sumenda sunt arma, vt spes nostra possit habere victoriam. Principaliter quod voluit Deus suscipere gratulemur. Deinde quia hoc nobis in mundo cōmune est: additur priuatim peculiare nostrum, quod ad requiem deducamur. Sequitur consummatio omnium gaudiorū, quod in resurrectione inuicem nobis domino reformante, reddemur: quod Apostolus pollicetur. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. *Si enim credimus quiá* (1. Thess. 4.) *Christus mortuus est & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt in Christo adducet cum illo.* Hæc tibi, benedicte, pro charitate communi transmisi. Cæterum scio te valere alios consolari. Tunc te orbitas non inueniet penetrabilem, si alios contra illam non cesses amare.

(F)

EPISTOLA

AD OCEANVM DE FERENDIS OPPROBRIIS Hortatoria.

Diuersorum opprobria, tribulationes multiplices, quibusdam insidiantibus, te sustinere cognoui. Cuius rei causam non tantum, si hæc refellas, doleo, quantum gratulor, si libēter excipias. In hoc. n. in nobis Christi ostenditur fides, timor cernitur, manifestatur mors, si opprobriis & tentationibus pro suo nos gratanter amore subiugemus. Nec hoc nobis contrarium debet esse, sed gratum pro eo vel parua perpeti, qui maiora pro nostra salute perpessus est: præsertim cum sciamus regnum cælorum non sine varijs tentationibus adipisci: vt scriptū est. *Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei.* (Act. 14.) Si ergo per multas tribulationes, quibusdam cœlestis regni aditus aperitur, illis vtiq; clauditur, qui nolunt sustinere vel pauca. Oportet ergo nos diuersa tentationū (G) genera æquo animo perpeti, per quæ nobis cœlestis ianua promittitur aperiri. Beatus apostolus Iacobus nos hortatur & docet, quales in tribulationibus esse debeamus cum dicit: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* (Iac. 1.) Vnde satis præposterum & contrariū est, nos in huiusmodi rebus mœstitia aliqua fatigari: in quibus gaudium potius iubemur habere, quam luctum. Et alibi idem Apostolus dicit. *Beatus vir qui permanet in tentationibus: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Vide ergo quantum homini tentatio prosit, per quam beatitudinem consequitur & coronam. Sed illud intelligendum est, cum ita dicit: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligen- (H) tibus se. Illos inquit probatos, & ab his Deum diligi, qui ob nominis eius causam in tentatione persliterint, quib. merito corona promittitur: illos vero reprobos & nullius vitæ præmio dignos, quos nulla tentationum causa vexarit. Quapropter & nos gaudere in tentationibus oportet, & portare debemus, per quæ & probati æternæ vitæ præmio coronemur. Hoc etiam ipse dominus in euangelio suo declarauit, dicens. *Beati estis cum vos maledicent,* (Matth. 5.) *& persequentur, & dicent omne malum aduersum vos propter iustitiam. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Quis ergo post huiusmodi vocem tentari se non sinat? Quis ab hominibus persequi se iustitiæ causa non optet? Quis non tribulari vellet? Quis se nō maledici desideret: vt mereatur Christi voce laudari, & cœlesti copiosaque mercede munerari? Vtinam ob domini mei nomen atque iustitiam cuncta infidelium turba me persequatur & tribulet. Vtinam in opprobrium meum stolidus hic mundus exurgat, tantum vt ego merear à Christo laudari, & suæ pollicitationis sperare mercedem. Grata itaque & desideranda tentatio est, cuius præmium speratur à Christo in cœlo: nec maledictio grauis est, quæ diuina laude mutatur. Sustineamus ergo nos paululum in hac vita tentari, vt æternam postmodū possimus pro temporali capere tentatione mercedem. Hominum

A quoque opprobria detractionesq; patienter & leuiter toleremus, vt domini laudibus digni esse possimus. Nam si humanam laudem quærimus, diuinam amittimus. Quisquis.n. ab hominibus laudatur, culpatur à Christo, sicut scriptum est. *Væ vobis diuitibus, qui consolationem vestrā* Luc. 6. *habetis. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis & gaudetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cū benedixerint vobis omnes homines.* Vide ergo quam grauis & molesta sit humana laudatio, cui ita dominus cōminatur. Homines enim animales atque terreni, non nisi quæ tēporalia & terrena sunt, diligunt: & quæ diligunt, hæc laudare videntur. De illis scriptum est. Omne animal diligit simile sibi: & sic omnis homo secundum genus suum laudat opes, epulas, & diuitias, & eos qui pretiosis & mollibus gloriantur in vestibus, quæ omnia lex sancta prohibet atq; condemnat. Eos vero qui dilectione & timore domini cogente, abiiciunt hæc omnia, & sanctos secundū legis ordinem se exhibent, irrident atq; subsannant, infelices atque miseri suorum malorum nimietate cæcati: B quibus non sufficit quod propria nolunt lugere peccata, adhuc insuper eos qui lugere videntur, irrident: & in subsannatione habent, quos debuerant imitari. Sed veniet tempus, vt eorum risus vertatur in luctum, quibus non noster planctus est risus, & vt se fuisse diuites lugeant, qui nunc Christi pauperibus imprudenter insultant. De quibus scriptura dicit. *Tunc stabunt iusti in magna constantia* Sap. 5. *aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & subitatione insperatæ salutis dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finē eorum sine honore.* Quomodo ergo nunc computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? *Ergo nos errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis: & sol non est ortus nobis. Lassati sumus in iniquitatis via, & perditionis, & ambulauimus in solitudines difficiles, viam* Sap 5. *autem domini ignorauimus. Quid profuit nobis superbia no-* Sec. græc. C *stra, aut diuitiarum iactatio quid contulit nobis? Transierūt omnia ista tanquam vmbra.* O si hæc nunc gloriosi & diuites legerent, & qui alios irrident, dum tempus est & ipsi se flerent, non necesse haberent eo tempore gemere, quo nullus iam gemitus fletusq; proficiet. Cuius temporis iudicium beatus apostolus Iacobus cernitur memorare, dū diuites vt in præsenti se lugeant, hortatur & commonet, Iac 5. dicens. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimēta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrū æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Epulati estis, & in luxuriis nutristis corda vestra in die occisionis.* Sciebat.n. quod quisquis se in præsenti tēpore flesset, in futuro non fleret. Hoc & ipse dominus dicit. *Beati qui lugent, quoniam ipsi* Matth. 5. *consolabuntur.* Qui lugēt, inquit, hoc tēpore, ipsi postmodum consolabuntur à Christo. Ridentib. vero dicitur. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis.* Sed ne quis putet q dominus generaliter omnib. ridentibus comminetur, cū Eccl. 21. alibi dicat scriptura. *Vir autē sapiens tacitus ridebit.* Est ergo sine crimine risus, & est risus in crimine. Sapientis ri- D sus, nihil in se criminis habet. Ille vero indignus est, qui sanctos, & eos qui se Deo exhibent, irridet, de quo dictū esse puto. Qui irridet inopem, ad iracundiā prouocat eum qui fecit illum. Sed quis est iste inops, cuius subsannationis causa dominus prouocatur ad iram, nisi ille qui humanas terrenasq; opes idcirco contempsit, vt illi placeret pauper, cui difficile opulens placere potuisset? Merito illis irascitur dominus, qui propter se pauperem factum, irridere non metuunt. Irridebant.n. Scribæ & Pharisæi Christum, quia diuitias contempserat, sicut scriptum est. Hæc [a]udientes Scribæ & Pharisæi, qui erant auari, irridebant [e]um. Habemus & nos scribas, habemus etiam Pharisæos, [qu]i nunc discipulos Christi spernentes diuitias, irrident, [si]c[ut] illi irriserunt dominum ac magistrum. Sed dicendum Luc. 16. est eis, quod tunc temporis dictum est illis. *Vos estis qui iu-* Prou. 20. *stificatis vos coram hominibus. Quod enim hominibus altū est, abominatio est apud Deum.* Non oportet ergo nos quo- E tundam risu vel subsannatione terreri, cum etiam ipsum dominū talibus non ignoremus irrisum, sed exultare potius & gaudere debemus, si & nos illa omnia quæ dominus noster ante pertulit, perferamus: recepturi etiam pro ipsa subsānatione mercedē. Quia nihil est quod nobis pro Christi nomine sine præmio irrogetur. Vide ergo quam beati sint atq; felices, quibus etiam insipientium risus proficit ad salutē. Ita etenim dominus diligentes se diligit, ita se timentes honorat, vt nec irrideri eos gratuito sinat, quibus & pro subsannatione retribuit vltionem. Hæc igitur tu sapiens sanctaq; anima vide, ne insipientium & infidelium fabulis terrearis, quo minus ea quæ sunt legis, facias. Neque.n. de gehennæ ignibus nos hominum fabulæ poterunt liberare vel risus, sed Christi timor atq; iustitia. Noli te nec in hac parte confundi, si tibi pro Christi nomine vel opere, à perituris & vanis hominibus derogetur: quibus & interitum felicitas præstat. Sed gaude potius & læ- F tare, sciens tibi repositam etiā pro ipsa derogatione mercedem. Nam satis iniquum & impium est, si tu tibi pro eius nomine nec detrahi patiaris, qui propter te tanta perpessus est. Quam vero graue sit pro domino non sustinere omnia, quæ aduenerint in hac vita, siue damna, siue derogationes, suspiciones, detractiones, vel cætera, quando ille cum Deus & Dei filius esset, pro tua salute opprobria hominum iniuriasque sustinuit? Valde ab eo alienus est, qui nec detractiones saltem sustinere cōtentus est. Nam quomodo eum amare dicimus, si pro eo nihil sustinere parati sumus? Quod si in nobis est ipsius vera dilectio, quæcūque pro eius nomine (quamuis grauia) irrogentur, exigua censemus, & dicimus. Parua sunt ista quæ patimur, maiora ille pro vita nostra pertulit. Nihil nobis dignum pro eius nomine irrogatur. Quod si sententiæ ipsius memores sumus, intelligemus. Ait enim. *Non est discipu-* Luc. 6. *lus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis dome-* G *sticos eius?* Et nos ergo si discipuli, si domestici Christi sumus, debemus opprobria, detractionesque amplecti, & sustinere libenter, & æquo animo ea omnia ferre, quæ pro nobis magister & dominus pertulit noster. Qui vero hæc sustinere non vult, nec discipulum eius se deprōmat esse, nec seruum, nec filium, nec domesticum. Ille enim innocens, immaculatus, intactus, in quo nulla potuit peccati macula reperiri, de quo propheta prædixerat. *Qui pec-* Isa. 53. & 1. Pet. 2. *catum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius,* pro nobis sacrilegis & peccatoribus & æterno supplicio mancipatis, tanquam atrocissimus reus ab iniquis iudicio sistitur, flagellis cæditur, sputaminibus irridetur, & nos propter eum confundimur erubescere, qui propter nos tanta perpessus est. Ille enim pro salute nostra dorsum verberibus, sputaminibus faciem, maxillas palmis, non confunditur parare, & nos pro eo leue etiam confundimur audire cō- H uitium? Gaudeamus potius & lætemur, si pro tam magnis eius & pro nostra salute passionibus vel parua sustineamus. Cæterum quæ spes nobis est, si ob eum audire blasphemiam, aut sustinere confundimur, qui nostri causa de cœlis descendit ad terras? & vt nos exaltaret, humiliauit se. Et cum immortalis esset, mori contentus est, vt nos ab æterno mortis laqueo liberaret. Coronatus est spinis, vt nos qui ante spinei & infructuosi steteramus, fructum bonæ arboris apportaremus. Felle & aceto potatus est, vt in nobis iam nec fellis amaritudo, nec aceti esset asperitas. Filius hominis factus est, vt nos filios Dei faceret. Vide ergo si pro isto confundi debemus aliquid sustinere. Vere illa est anima felix & angelis æquanda, quæ per nomine & opere Christi, tanta, quanta pro nobis ille sustinuit, voluerit sustinere. Cæterum grande periculum est iustitiæ, eius erubescere exemplo viuere, qui nostram iniustitiam non eruboit sustinere. Deinde si æquo animo perferamus idipsum, quo nobis quis detrahere videtur iniuste, laudari nos potius quam accusari probamur. Nā quid aliud faciunt cum vera de sanctis dicunt, nisi vt ea dicant quæ facimus, ieiunos, abstinentes, sobrios, qui iam delitiis non delectamur & epulis, qui diuitias spernimus, & pretiosis non gloriamur in vestibus. Qui auri cupidi-

tate

A tate minimè captiuamur, qui non adipiſcimur argentū,
& quæcunque humana vanitas videtur amplecti, con-
temnimus. Nullus hic cōfuſionis eſt locus, nullus vere-
cundiæ aditus. Illi magis erubeſcere debent atq; cōfun-
di, qui ea quæ ſanctis diſplicent, concupiſcunt. Erubeſ-
cant igitur ebrioſi, voraces, iniuſti, raptores, adulteri, &
quicunq; ſuis gloriantur in malis, quos gehennæ ignis
expectat, & quibus ſupplicia præparantur æterna. Faci-
entes autem domini voluntatem, cōfundi non debent,
in quibus nulla confuſionis ſunt opera. O quam indi-
gnum eſt atq; præpoſterum, vt iuſti cōfundantur in bo-
nis, & peccatores glorientur in malis. Videat ergo ani-
ma Deo deuota, ne inſipientium riſus eam, aut ſtulto-
rum hominum vaniſſimus ſermo confundat, & à ſuo
propoſito retrahat, in quo magis per dies ſingulos pro-
ficere debet in melius. Videat ne quis à timore Chriſti
ſe reuocet, ne quis ab eius dilectione diuellat, propter
quem omnem ſæculi gloriam pompamq; contempſit,
B cui nihil dignum pœnitentiæ comparauit, quem paren-
tibus filij, quem liberis patres, quem coniugiis præfe-
runt contioentes. Creſcat in nobis quotidie amor Chri
ſti, creſcat fides; quia magna nos pro Dei amore merces
expectat, tantum ne ab eius cultura, vel opere ſemel de-
Apocal. 2. uota mens ſe retrahat, nec ei dicatur. *Habeo aduerſum te
pauca, quod charitatem priorem reliquiſti.* Vnde certum eſt:
non hominibus placendum, ſed Chriſto, nec humanā
laudem quæri debere, ſed diuinam. Quid nobis prodeſt,
ſi illi nos laudent, quibus placere peccatum eſt? Quidve
obeſt, ſi vituperent hi, quorū non plus vituperatio pro-
deſt, quam obeſt laudatio? Audiamus magis quid ille
vas electionis doctor gentium dicat, & quo nos ne ho-
Gal. 1. minibus placere vellemus, hortetur exemplo. *Si homi-
nibus*, inquit, *placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Vnde
nulli dubium eſt, eos Chriſto ſeruire non poſſe, qui ho-
minibus optant potius quam Chriſto placere. Conten-
ti ergo interim ſimus hominibus diſplicere, tantum vt
C Chriſto placeamus. Nec eorum laudibus delectemur,
qui non alios quam ſibi ſimiles laudant Non potius lau
dēt prophetæ & Apoſtoli, laudet in Euāgelio ſuo Chri-
ſtus. Tunc erimus verè felices, ſi à talibus laudari digni
erimus. Omnium enim horū voce laudabimur, ſi quæ-
cūq; dominus per Apoſtolos vel prophetas videtur præ
cepiſſe, ſeruauerimus. Nobis igitur detrahētibus cun-
ctis, vituperantibus vniuerſis ſimus ſobrij, ſancti, humi-
les, & pudici: & Deū ſemper fideli corde precemur, vt
ipſe ſemper in noſtra mēte ſit, & lex eius noſtro ſemper
Pſal. 108. in pectore, vt poſſimus prophetica loqui voce. *Pro eo vt
me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabā* pro eis. Et
Pſal. 34. alibi. *Humiliabam in ieiunio animam meā, & factum eſt mihi
Pſal. 108. in opprobrium Et poſui veſtimentum meum cilicium, & factus
ſum illis in parabolam.* Et iterum. *Genua mea infirmata ſunt
ieiunio, & infirmata eſt caro mea propter oleū. Ego factus ſum
in opprobrium illis, viderunt me & mouerūt capita ſua. Adiu-
Tit. 3. ua me domine Deus meus.* Vides ergo omnes prophetas &
D ſanctos propter hoc ſemper hominum ſubſannationes
pertuliſſe, quia Deo vellent fideliter ſeruire. Hoc & A-
poſt. ait. *Fidelis ſermo. In hoc enim laboramus & maledicimur
quia ſperamus in Deū viuum, qui eſt ſaluator omnium, maxi-
mè fidelium.* Quid plura? niſi vt ſæpe iam diximus, Cur-
ſum quem in timore Dei cœpimus, cōſummemus. Simus
cæteris in amore Dei formam cuſtodientes ne quis in no-
bis aliquid ſcurrilitatis reprehēdat aut vanitatis, ſed ma
gis quicquid eſt grauitatis & modeſtiæ, quia Chriſtiani
vita omnibus in ſpeculo poſita eſt Qui etiam ſi quippiā
titubauerit, iam cecidiſſe iactatur, & amplius etiam di-
citur quam videtur. Simus ergo ſapientes, graues, quie-
ti, nunquam vanitatem, nunquam opera hominum lin-
gua noſtra loquatur, ſed ſine intermiſſione legē Dei no-
ſtri meditetur Tūc ſi quis extiterit ſuæ ſalutis inimicus,
qui ſubſannet, & detrahat, & derideat, hæc non ſolum
non metuamus, ſed potius gaudeamus. Et hinc nos ali-
quatenus conſolemur, ſi mereamur odio magis ſæculi
viuere, quam Chriſti. Caueamus quoq; ambulare inde-
center & inquiete, ſicut & ſanctus Apoſtolus monet, di
2. Theſſal. 3. cens. *Rogamus autem vos vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambu-
lante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quā acceperunt
à nobis.* Cum hæc à nobis omnia omnino noſtra vir- B
tute fuerint cuſtodita, quicunq; putauerit derogan-
dum nobis, propheticæ ſimus ſententiæ memores, per
quam dominus ſui nominis cauſa tribulatos hortatur,
dicens: Et tu fili hominis ne timueris eos, neq; paueas à
facie eorum: quoniam inſanient & cōuenient aduerſus
te. In gyro & in medio ſcorpionū tu habitas, verba eo-
rum ne timueris, & à facie eorum ne paueas. Et alibi di-
cit: Audite me qui noſtis iudiciū, popule meus, in quo-
rum corde lex mea eſt. Nolite timere opprobria homi-
num, & blaſphemias eorum ne metuatis: quia ſicut ve-
ſtimentum, ita per tempus deficient, & vt lanam, come-
det eos tinea. Iuſtitia autem mea in æternum manet. Sa-
lutare vero meum in ſæculū ſæculi. Seruandum præ o-
mnibus, ne alterius laudem velimus ſeruare, quā Chri-
ſti, vt & nos cū propheta poſſimus dicere. *Apud te laus Pſal. 21.
mihi in Eccleſia magna.* Et iterū. *Tanquam prodigium factus Pſal. 108.
ſum multis, & tu adiutor fortis.* Et iterum. *Maledicent illi, &
tu benedices. Qui inſurgunt in me confundantur, ſeruus autem
tuus lætabitur in te.* Hæc ad conſolationē in Dei timore
deuotis mentibus, prout ingenij tenuitas potuit, proſe- F
cutus ſum breuiter. Nūc ſupereſt vt aliquid amplius fa-
ciat mēs deuota, quam noſtra paruitas ſufficit admone-
re. Salutate omnes, qui diligunt dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum, cui cum patre omnipotente ſit laus, vir-
tus & gloria cum ſpiritu ſancto, & nunc & ſemper, &
in omnia ſæcula ſæculorum.

AD OCEANVM, DE VITA CLERICORVM.

SOphronius, Euſebius, Hieronymus, Oceano ſuo ſa-
lutem. Deprecatus es, vt tibi breuiter exponerem,
qualiter clerici debeant victitare in hac vita mortaliū.
Hinc me plerique maledictis æmuli præſtolantur, quia
non ſileo veritatem: tamen mihi chariſſime, ab Apoſto-
lo ſumamus exordium, qui ait. Humanus ſermo & om-
ni acceptione dignus. *Si quis Epiſcopatū deſiderat, bonum o- 1. Tim. 3.
pus deſiderat. Oportet enim Epiſcopū irreprehēſibilē eſſe, ſobriū, G
pudicum, benignum, ornatum, hoſpitalem, docibilem, non per-
cuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, nō vinolentum, domui
ſuæ qui bene præeſt*, & reliqua. Totum comprehendit eſſe
cauendum, cum irreprehenſibilem ponit. Quomodo i-
gitur alterum reprehendet, cū ipſe qui accepit poteſta-
tem vt doceat, ſit reprehenſibilis? Quia vita Epiſcopi,
forma debet eſſe clericorum. Ex Epiſcopo gradus cæteri
clericorum cōdiſcunt, quomodo debeant viuere in hac
vita mortali. Seipſos imitabiles debēt proponere ſacer-
dotes, vt alij iuniores, gradus humiles conſecuti, vita &
teſtimonia ſacerdotum poſſint exurgere. Præcipuè illud
reor attentius tibi eſſe prouidendum: quia prima tenta-
menta ſunt clericorum, mulierum frequentes acceſſus:
iſte ſexus reprehenſibiles exhibet clericos. Quid tibi re-
uera cum fœminis, qui ad altare cum domino fabularis?
Te cuncti in publico, te in agro ruſtici, aratores ac vini-
tores quotidie grauiter lacerabunt, ſi contra diſpoſitum
fidei, cum fœminis habitare contendis. Et quia (vt arbi-
tror) concupiſcis irreprehenſibilis inueniri, teſtimonio H
bono vtere. Nunquid in choro Apoſtolorum fœminæ
affuerunt? Prohibe tecum virgines morari, etiam quæ
de genere tuo ſunt. Dilige eas, exterius ordina, frequen-
ter viſita iunctus obſequio clericorum: ne dum ſecreta-
liter ac ſolus ingrederis, macules teſtimonium tuum. Il-
lud etiam adijciendum eſt: quaſi vxorem duceres, lex te
non prohiberet habitare cum conſerua. Cum vxoris n.
conſenſu eiuſmodi ad regimen ſacerdotij promouētur:
maximè cum Apoſtoli epiſtola præceptum hoc habeat.
Vnius vxoris virum ad honorem clericatus eligendū. Te
vero non ita ſalutaria præcepta conſtringunt. Aliter cō- 1. Timot. 3.
iugati, aliter virgines admonētur Eccleſiaſtici onus ſub-
ire miniſterij. Fœminarum cum clericis nullo pacto cō-
iuncta præcipitur conuerſatio. Ianua diaboli, via iniqui-
tatis, ſcorpionis percuſſio, nociuumq; genus eſt fœmi-
nis: cum proximat ſtipula, incendit ignem. Flammigero
igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis:

A exuritq; fundamenta mōtium. Ego iudico, si cum viris
fœminæ habitent, viscatum non deerit diaboli: ex eis
aucupatus est ab initio peccatum. Ferreas mētes libido
domat. Si alligauerit quis ignem in sinu suo, vestimenta
eius nō cōburentur? Aut si quis ambulauerit super car-
bones ignis, pedes suos nō comburet? Mihi crede, non
pōt toto corde cum domino habitare, qui fœminarum
Prou. 10 accessibus copulatur. Sed dicis: *qui ambulat simpliciter,
ambulat confidēter*. Benè & argutè. Sed *oportet te testimoniū
bonū habere ex his qui foris sunt*. Licet coram Deo rectè in-
cedas: tamen coram hominibus bona prouidenda sunt:
Luc 16. quia & astutiores sunt filius lucis filii tenebrarum. Cum
ergo hoc genus à te nō amputatur das reprehendentib.
te locū, ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si aga-
petarum consortium non dimiseris. Benignus es, gau-
deo: pudicus, falsum est. Si aliquis senserit clericum ha-
bitare cum fœminis, non credit eum esse castum. Si pu-
dicitiam quæris: quare habitas cum fœminis? Fœminā,
quam benè videris conuersantem, mente dilige, non
B corporali frequentes ornatu. Non vestis tenera clericū
facit, aut sacerdotem, sed casta mentis intentio. Hæc e-
nim deuotionem honoris in te custodit. Honorē qui-
dem gloriosum, boni operis fama cōseruat. Sacerdotes
quippe decet, vel cæteros clericorū gradus, vt supra di-
ctum est, à fœminis segregari. Si igitur generis gratia iu-
2. Reg. 13. dicas easdem nullo pacto dimittere: memēto Thamar,
quod ab Amnon fratre suo corrupta sit. Idipsum perse-
quor dilectissime: vbi vnius est tabernaculi conuersatio
carnis non facile tollitur delectatio. De duobus enim
quod vnus desiderat, etsi loqui non potest, tentatur ta-
men. Remotio igitur viri, castitatis collocat arma, con-
struit in melioribus castra, pudoris honorem cōsolatur.
Potuit n. & Maria mater domini de choro Apostolorū
non discedere, si liceret. Tecla post tentationem passio-
nis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere. Ne-
mo miles cum vxore pergit ad bellum. Non inuideo
charitati tuæ: sit tibi cum castis virginibus longæua di-
lectio. Tūc in bono meritum collocabis, & famam me-
C liorabis; sed si congregationes cōstituis puellarum, pul-
chre censeo in hebdomada secūda visitatione ad bene-
dicendum cōgregationem venias, sed non solus: ne ru-
migeruli linguis te lacerantibus maculent. Alienam e-
nim cupiunt vicini discutere vitam, nō suam. Propterea
digne accipe nostrorum præcepta verborū: & monita
humilitatis, quæ fraterno affectu calamo imperante ex-
pressimus, dulciter lege. Iam vero vt reprehensibilis di-
gnitatis non sit sacerdos: pauca de reliquis Apostoli
testimoniis, quantum dominus donat, exponam. Suffi-
ciant superiores causæ, quæ dictæ sunt. Verū ne aliquis
minus intelligēs ad Episcopos tantum sentiat Apostolū
fuisse locutum, quid de diaconibus ad Timotheum præ-
ceptum sit: quid de Presbyteris ad Titum, commemo-
rare delectat. Sed prætereundum non est superiorē ex-
planare sententiam. *Vnius vxoris virum*, & noua & vetus
1. Tim. 3. præceptio sacerdotem censuit eligēdum: quia digamos
ad ministeriū pleriq; Episcopi applicuerunt: sicq; asse-
runt, concubina fuit illa, hæc vxor: quasi non eadē sint
commercia fœditatis in illa, quæ in hac exercentur, quæ
D vxor asseritur. An quia coniugij tabulas non fecit, con-
cupiscentia aliena non fuit? Nullo pacto digamos, vel
concubinarum catenis insertos, decet subire sacerdotij
ministerium. In Leuitico scriptum est ac præfinitum,
quales eligi debeant sacerdotes, sicut habes. *Et dixit do-
Leuit. 21. minus ad Moysen: Sacerdos vxorem accipiat virginē de semine
patrum suorum. Viduā vero, aut destitutam, aut à viro mari-
to derelictā non accipiat*. Bene audius præcipiente domino
Muysi: quia nec vxor debet sacerdoti digama conueni-
re, ne honorem polluat sacerdotij. Sicut vnius vxoris vi
rum, sic vnius viri mādat vxorem. Si ergo clericus mo-
Tit. 1. nogamus fuerit, & vxor eius digama, noli eum ministe-
rio applicare. Digamam enim duxit vxorem. Hæc Tito
præcepta idem Apostolus de ordinandis clericis dedit.
Et quia liber finem expectat, ad id redeamus vnde di-
gressi sumus. Nec si duæ vel tres pariter Dei ancillæ mo-
rentur, solū ad eas ingredi conueniat sacerdotem. Si quis
hæc præcepta non obseruauerit, hostis est animæ suæ. E
Quod si post monita nostra aliquis cleric' agapetas am-
plius quæsierit amare quam Christum, secundum syno-
dalem regulam conueniatur: & præcepta patrū in Ni-
cea definita ei legantur. Iam vero si conuentus fugerit
prædicta & reliquerit, consecuti sumus maximum lu-
crum. Alioquin si neglexerit, talis ab Ecclesia Christi a-
nathematizandus est. Germināt n. fœminæ spinas cum
viris habitantes: & arcana mētium acuto mucrone per-
cutiunt. Proh nefas: dolor est dicere, sed præterire non
decet, Christo istæ nubere noluerūt, non clericis. Vnde
sine nuptiis genus nouum vxorum? Et hoc ad nos quid
pertinet, quod infamiæ non cessamus? A machæra ces-
semus. Bonus honor est in Ecclesia, si à consortio virorū
fœminæ sint longe. Monachum vel clericum solitudo
facit, non publicum. Quid te virginale delectat alloqui-
um? Cur sanctimoniales cōtra fidem frequentas in Ec-
clesia, vel in ipso publico? Si eos quos diligunt viderint,
ridentibus oculis salutationis tenera verba producunt. F
Deinde cum salutauerint: si eas Dei viros præterire cele-
rius viderint, contemptores suos iudicant, & irascūtur.
Ordinatur deinde desertæ satisfactio: post satisfactionē
prandium, quasi noua lætitia disponitur. Inter pocula
improperant verba cōtemptus: ille vero lamētari se si-
mulat, quasi peccati genus inducens. Lege quia talis de-
bet esse solitarius: qualem Hieremias esse descripsit. Ait
n. Sedehit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se.
Bonum est viro cum leuauerit iugū ab adolescentia sua. Et quia Thren. 3.
Iesus relictis Apostolis, solus ibat orare. Mariam quoq;
in penetralibus angelus solam inuenit, non cum agape-
ta loquentem, & illa virilem introitum trepidauit. Tu
quæ fornax es malitiæ, quid à viro desideras frequētius
salutari? An nescis quia dupliciter famam perdis, tuā
simul & clerici: cuius vita Ecclesia Christi debet ornari.
Inordinata consuetudo est, & delicati sermonis fabulo-
sa calamitas. Sed si hospitalitatem cupis habere, habes
tuas sorores: illæ apud te in domum tuam vocari debēt,
non clerici. Erit ad ædificationē tuā sancta virgo quod
dixero. In beatissimi Martini vita legimus cōmemorasse
Sulpitium, quod trāsiens sanctus Martinus, quandā
virginem moribus & castitate præcelsam, cupiēs visita-
re, illa noluit: sed xenium misit ei, ac per fenestram respi
ciēs, ait sancto viro. Ibi pater sancte ora: quia à viro nō-
quā sum visitata. Gratias egit Deo sanctus Martinus, &
quod talibus imbuta moribus, castam custodierit volū-
tatem: & benedicēs eam, abiit lętus. Hucusq; sufficiat
de fœminis dictum. Cōsummata quippe virginum cau-
sa, trāseamus ad reliqua. Hospitalem præcepit Aposto-
lus clericum ordinādum. Hoc præcepto pater Abrahā
& Lot angelos susceperūt: quia hospitalitatem inter cæ
teras dilexerunt virtutes. Sic & Onesiphorus Paulum
doctrinæ fontem suscepit. Hæc imitationes sint vestræ:
& ne sinatis incolam præterire, qui apud vos panem nō
comedat. Sequitur. Non percussorem. Non n. pugilem
describit Apostolus, qui consciētias nō percutiat singu-
lorum, sed modestum: & reliqua. Domum suam bene
regentem, perquam horribile erit, si domus clerici de-
trahatur. Lædet sacerdotis opinionem in plebe, quādo H
de proximis eius male loquitur populus. Super omnia
hæc præcepit clericis boni testimonij Apostolus, funda-
menta componere, vt bonorum operum testificatio,
casto confirmetur affectu.

EPISTOLA.

DAMASVS HIERONYMO.

DAmasus Episcopus fratri & cōpresbytero Hiero-
nymo in domino salutē. Dum multa corpora li-
brorum in meo arbitrio oblata fuissent, contigit vt li-
brum psalmorum in meo animo festinus cognoscerem
denuerti: & memoriam capacitatis meæ imbuere. Cogi-
taui frater amātissime, & in Christo semper sacerdos, vt
secundum septuaginta interpretes, i. Matthiam & Pto-
lemæum, Muchū, Sacreum, Hydrontium, Pampilum,
Zeasti-

A Zoastrem, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, & cæteros, in quantum tua recurrit conscientia, de Septuaginta inuenire vestigia. Peto item charitatẽ tuam, vt sicut à creatore tuo Alesandro coepiscopo nostro didicisti in gremio Græcorum psallere: ita ad nos tua fraternitas dirigere delectetur: quia tantę simplicitatis indago est apud nos, vt tantum in die dominica Apostoli Epistola vna recitetur, & Euangelij capitulum vnum dicatur: & nec psallendi mos tenetur, nec hymnodicus in nostro ore cognoscitur. Peto ergo per fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium, vt iubeat fraternitas tua rei huius nobis aperire vestigium. Missa quinto Kalendas Nouembris per Bonifacium presbyterum Hierosolymam.

HIERONYMVS DAMASO.

BEatissimo Papæ Damaso sedis Apostolicæ vrbis Romæ, Hieronymus supplex. Legi literas apostolatus tui, poscentes vt secundum simplicitatem Septuaginta B interpretum canens, psalmographum interpretari festinem, propter fastidium Romanorum, vt vbi obscuritas impedit, apertius & Latinè trahatur sensus. Precatur ergo cliens tuus, vt vox ista psallentium in sede Romana, die noctuq; canatur, & vt in fine cuiuslibet psalmi, siue matutinis horis, siue vespertinis, coniungi pręcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria patri & filio & spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sęculorũ, Amen. Istud carmen omni psalmo coniungi præcipias, vt fides trecentorum decem & octo Episcoporum Niceni concilij, etiam vestri oris consortio declaretur. Vbi autem Deus & homo honorabili voce cantatur, Alleluya semper cum omnibus psalmis affigatur, vt in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus: in Ecclesia autem, post resurrectionem vsque ad sanctum Pentecosten finiatur: inter dierum vero spatia quinquagesimæ, propter nouitatem sancti Paschæ, vox ista laudis canatur in Aleph: quod Græcè prologus, La-
C tinè præfatio dicitur.

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGVS AD DESIderium.

VIs nunc acriter, mi frater Desideri, vt tibi quasi de luminaribus, quæ tota firmamento mundi refulgent: pauca de scriptoribus qui nobis multa de obscuritatibus, quæ propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualem proferre potuerunt, manifestissimè dicam. Sed vereor Susannæ Helchiæ filiæ, ne in me sententia iniquo iudicio presbyterorum implicatur, dicentis. Angustię mihi vndiq; sunt: & mihi similiter sunt angustiæ. Si n. voluero aliquem ex his reprehendere, aduersarios atque inimicitias mihi vndique concitabo. Si autem noluero, nunquã quæ postulasti inuenies. Sed vnius tantum voluntatem condemnare, quam multorum consilia transire vel de-
D spicere, melius esse videtur: quia vnusquisque eorum in scripturis sanctis diligenter laudari merui: sed omnes breuiter leuiterque cum omni amore tangam, vt vtrunque pacificè impleam.

AVgustinus Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila: & ea quæ in radicibus montium sunt non considerans, multa cœlorum spatia, terrarumque situs, & aquarum circulum, claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora & maiora capere poma festinat, ramos autem proximos paruulis relinquit. Nos autem qui paruuli sumus, infirmique atque minores, si inferiora congregare valuerimus, nobiscum bene agetur.

HIlarius Episcopus Romanorum, lucifer lucernaque Ecclesiarum, & pretiosus lapis: ad quem mortalia vix ascendunt, pulchro sermone aureoque ore vniuersa

loquitur. Etsi enim aliqua secus viam cecidisse potuis- E
sent: tamen ab eo in scripturis messis exorta est magna.

ORigenes Adamantius, altiora atque maiora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens, dum aliud loquitur, per aliud senescit. Et cum hæc nimio mentis ardore cogitasset, oneribus maioribus caricabat se: & cum sic incedere non potuisset, ruina magna illuc deuolutus est, vt ruina eius pareret doctrinas per aliquas seductiones ineptas, multosque deuia recta in aliam viam perduxit, & venenum eius quasi tinnulis vocibus, syrenarumque canticis, plures necare potuit. Melior omnibus in bonis, peior in malis. Aliqua vero per eum secus viam seminata sunt, multi tamen aliquos eius pessimos discipulos, multa venenosa sub eius nomine edidisse testantur.

EVsebius Cæsariensis clauis scripturarum, custosque noui testamenti, multis maior in conscriptionibus à Græcis comprobatur. Scripsit quatuor Canones Euãgeliorum, & vndecim libros historiæ Ecclesiasticæ, qui nouum testamentum narrant atque custodiunt, & χρονικά, F
id est, temporum breuiarium. Hæc tria sunt præclara, quæ in operibus eius testantur, & nos omnia eius vestigia, qu imitari potuisset, nunquam reperimus.

HEliodorus presbyter, domum amplissimam per modicum foramen respiciens, tentansque ostia conclusa, clauesque non habens, vis pauca ad lucem prodere conualuit: sed quæ potuit narrare, fideliter narrauit.

AMbrosius frater, profundorum penna raptus, & aeris volucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto carpere videtur. Et omnes eius sententiæ, fidei Ecclesiæ, & omnium virtutum firmæ sunt columnæ.

DArdanus multas quæstiones arripiens per mentis astutiam, nucemque circa nucleum non confringens, multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.

PAulino visum est magistrum fieri, & non erat ante G
discipulus, & fructum sine radice oriri fierique tentauit. Ideo eius conscriptiones, scriptore & charta non indigent.

PElagius, de quo apud fideles sermo est, de quo etiam & mihi grauis causa disputationis eius verborum penè in toto orbe annuntiata est: quem omnes Ecclesiæ, quasi lupum de sylua mutantur, aureum colorem super nigrum venenum componẽs, fontem dulcem primi mellis, amaritudinis malitiæ commiscuit.

IOuinianus, lęta facie & corde aspero, potu dulcissimo felle commixto, multos potauit, & contrarias sententias per odium occasionum Christianis proferens composuit, & me (quanquam in omnibus laboriosum) assiduè quęstionibus infinitis afficit, & vexat.

IVlius Africanus, cuius vestigium omnes orientales australesque diligenter vnanimiterque in Danielis hebdomadibus inuestigant, vniuersa temporum spatia cum omni peritia ingique sermone construxit, & nulla ab om- H
nibus quæ dicta sunt per eum in toto orbe vnquam data est contradictio.

FAuonius à multis culpabilis, dura sententia fortiterque vniuersa difficillima ingerere conatus est, & quasi qui contra vndas maris nauigare non potest, vel contra impetum torrentis atque natare non valet: ita cuncta quæ scripsit contra scripturas sanctas, obstare non poterant. Ideo quasi vmbra secus hominem sunt.

HIlarius Pictauorum Aquitanię Episcopus, factione Saturnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Byterensi in Phrygiam relegatus, duodecim aduersus Arrianos confecit libros. Et alium librum de Synodis, quem Galliarum Episcopis scripsit & in psalmos tres commentarios, primum videlicet & secundum, & à centesimo decimo octauo, vsque ad extremum. In quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est eius ad Constantium libellus, quem viuenti Constantinopoli porrexerat, & alius in Constantium, quem post

Quæ sequuntur ex catalogo Hieronymi accepta sunt.

A mortem eius scripsit, & liber aduersus Valentem & Vrsatium, Ariminensis & Seleucensis synodi historiam continens, & ad præfectum Salustium, siue contra Dioscorum. Et liber hymnorum & mysteriorum, alius, & commentarij in Matthæum, & tractatus in Iob, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit. Et alius elegans libellus contra Auxentium, & nonnullæ Epistolæ ad diuersos. Aiunt quidam scripsisse eum & in Canticum canticorũ: sed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Pictauis Valentiniano & Valente regnantibus.

DAmasus Romanæ vrbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque & breuia metro edidit, & prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est.

GRegorius Nazianzenus Episcopus vir eloquentissimus præceptor meus, quo scripturas explanante didici, ad triginta millia versuum omnia sua opera composuit, ex quibus illa sunt: De morte fratris Cæsarij, laudes Athanasij, laudes Maximi philosophi post exilium reuersi, quem falso nomine quidam Heronis superscripserunt:
B quia est & alius liber vituperationem eiusdem Maximi continens: quasi non licuerit eundem laudare & vituperare pro tempore. Et liber hexametro versu, virginitatis & nuptiarum contra se differentium. Aduersum Eunomium libri duo. Et de spiritusancto liber vnus. Contra Iulianum imperatorem liber vnus. Secutus est autem Polemonem dicendi charactere, viuoque se Episcopum in loco suo ordinans, rurivita monachi se exercuit, decessitque ante hoc fermè triennium, sub Theodosio principe.

EPISTOLA

AD PAVLAM ET EVSTOCHIVM, DE VIRTVTE PSALMORVM.

QVia me dulcissimę filiæ meæ, in spe misericordię
C Dei petistis, vt vobis diuersos psalmos per ordinem sequestrarem, qui vbi psalli debeant. Vos quoque ego petij pro me deprecare dominum Deum nostrum, vt dono suo mihi concedere dignaretur, quo possim sanctam petitionem vestram arripere, vel ipso donante complere, in cuius misericordia sperans (prout dominus concedere dignatus est intellectum humilitati meæ) necesse habui tam sanctæ petitioni vestræ, pro affectu domini obedire. Pro quo opere, si vobis gratia fuerit integrè assignata, de omnibus quæcunque dicta sunt, ipsi domino nostro omnipotenti pro humilitate mea orantes, gratias referte, qui etiam asinæ loqui præcepit, quæ ipse dominus voluit. Licet enim vniuersi psalmi qui requisitus fuerit, legis diuinæ propemodum omnia habeant: tamen domino Deo & domino Iesu Christo, & spiritu sancto, in confessione trinitatis, qui psalmi propriè ad singulos dies feriatos domini Saluatoris nostri filij Dei pertineant, sequestratim exposuimus: Qui ad natalem, qui ad sanctam Epiphaniam, id est, ad baptismum dominicum siue apparitionis
D stellæ diem, & qui in quinta feria ante passionem domini, & qui in ipsa passione dominica, qui in pascha resurrectionis ipsius domini nostri redẽptoris, & qui in ascensione eius in cœlos, qui etiã in aduentu eius, & qui de iudicio futuro, & qui de ciuitate æterna, in qua Christus Dominus noster, sanctos suos à principio mundi vsque ad finem huius sæculi, sibi congregat secum conregnaturos in æterno regno cœlesti, sanctus Dominus, trinus & vnus Deus æternus: qui etiam ad dominum Deum deprecandum in litania, vel qui à pœnitentibus psalli debeant, qui etiam in natali sanctorum dici debent. Cæterus verò psalmus inuenies, qui quotidie legendi sunt. Omnes tamen psalmi quotidie in toto anno per ordinem psalli possunt, secundum consuetudinem Ecclesiarum & monasteriorum. Sane qui legis, considera, quia vnus psalmus ad multos dies sanctos pertinet: & psalmi Deo multipliciter iterantur per singulos dies. Nam est psalmus qui vbique psalli potest. Alij iterum sunt qui ad vnius diei figuram pertinent, ad pausante vero, qualis personæ fieret, vtrum religiosæ an laicæ. De psalmis qui E
quinta feria ante passionem, aut qui in ipsa passione domini dicuntur, atque in natales sanctorum exinde eligendi sunt psalmi: ita etiam de canticis prophetarum fecimus, vt non in diebus supradictis confuse psallantur: sed qui in quo die dici debeant, qui legis inuenies. Ad maiores operas pertinet psalmus LXXVII. Catechumenis & electis, XXIIII. Per ieiunium, XIX. XXIIII. & LXXII. De baptismo per pascha, LXIIII. De lamentatione, CXXXI. Ad conuentionem fratrum, CXXXII. Ad benedictionem, CXXXIII. Vt laudes ante deum fundantur, IX. Vt pœniteat homo, quinquagesimus. De fixa fide, X. De monendo, CVIII. Vt oculum pudicitiæ agas, primus. De vigilijs in grabbato, VI. De iustitia XIIII. De honesta oratione, LXXXV. De communione cum omnibus hominibus vel pauperibus, XL. De natali domini, CIX. De trinitate, vt non timeatur homo, IX. De insidijs hæresum, III. De monendo proximum, IIII. De spe in Deum, XXII.
De crudelitate, X. De oratione in homine, XXX. Benedictio super principes, XX. De amore legis, XXVI. De F
tribulatione inimicorum, XXV. Vt creatura creatorem laudet, CII. De martyrio, XLIIII. & L. De persecutoribus, LXXXII. Dum intras ad alienigenam, LXXXI. Oratio super agrum, LXXXIII. Oratio nocturni temporis, XC. Oratio ad altare, XXXIII.

AD DAMASVM DE OBLATIONIBVS ALTARIS.

NOVERIT sancta auctoritas tua, Papa venerande: quia de quæstione quam clientulo tuo proposuisti, & congrua responsa per Epistolam mandasti, hoc est, de panibus à fidelibus in altari oblatis, qui illis iure vti debeat. Quantũ à præcipuis Ecclesiæ doctoribus inuestigare valui, in paucis tibi rescribere curaui. Testes autem idonei, quos ad hanc rem corroborandam concitaui, hi sunt: Gregorius Nazianzenus mirabilis doctor, Cyrillus,
Athanasius, Theophilus, Anatholius, Ioannes Chryso- G
stomus, Eustachius, Eusebius chronographus, & noster Hilarius: qui omnes vno ore eodemque consensu veluti vera sancti spiritus organa, anathematis mucrone censent esse feriendos, qui in vsus laicorum panes oblationum contulerint: quia omnino sacerdotibus solis debentur: nisi forte religionis gratia, laici pro benedictione de manu sacerdotis accipiant. Non solum autem de panibus in Ecclesia hoc sanxerunt patres nostri, sed de omnibus quæ altari offeruntur: dicentes atque docentes, magnum nefas esse, & per omnia diabolica temeritate hoc fieri vbicunque acciderit, & valde esse intolerabile sanctę Ecclesiæ, vt sine vindicta sanctorum canonum remaneat. Vnde Chrysostomus in commentarijs super Matthæum, vbi discipuli spicas manibus vellebant sab-
batho, & pharisæi reprehendebant, sic ait. Si non licuit *Matt. 12.*
Dauid & viris eius adhuc sub vmbra legis comedere pa-
nes propositionis, quando ab Abimelech panes petiit fa- H
me stimulante: quomodo nunc Euangelio coruscante persuaderi debet laicis, vt oblationem panum Deo obla-
torum suis vsibus rapiant? Dicit namque perinde Apo- *1 Cor.9*
stolus: *Qui altari seruiunt, de altari participent.* Ergo quia sacerdotes pro omnibus orare solent, quorum eleemosynas & oblationes accipiunt: qua fronte præsumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel alijs concedere, cum ipsi non debeant pro populo orare? Ob hoc, Papa gloriose, mittere oportet illos præsumptores in excommunicationem perpetuam, vt cæteri metum habeant, & amplius hæc in Ecclesia ne fiant.

Pro-

PROOEMIVM IN REGVLAM MONACHARVM.

TEpescens in membris procliuum corpus ad terrã ex qua exiit: iamq; rugosa fronte senem & naturæ pene portentum: vester, prædilectæ in domino filiæ, & dominæ Christi virgines sacratissimæ, Eustochiũ & reliquæ, ad agni nouas nuptias, sub obediẽtiæ, pudicitiæ paupertatis, & religionis in domo domini a lunatę proposito: nimium solicitat pię deuotionis ac charitatis affectos, vt tremulẽta manus suę parumper vetustatis oblita: Deo viuendi, non mundo: spiritui, nõ carni: & quod arduum est, non sibipsi normam & regulam, ex Christi & Apostolorum vita collectam, ex sanctorum etiam patrum anachoritarum, quos per septem annos eremorũ antra circuiens, nõ sine admiratione & informatione reperi, obseruationis & imitationis digno cõmendandam præconio, in præsẽti libello edoceat officio calami, B paratas mentes ad bonum, veloti lingua iam dudum solebat voce non mortua O felix affectio. O desiderium in domino commendandum, vt quæ deficiente per senium & communẽ ætatis finem lingua doctoris, de casu timetis: qui promptus est, præsumptuose & nõ timide ambulantibus in via Dei, in qua tot latent aduersa, quot momenta sunt temporum. Exposcit vestra pietas, vt depicta sibi pericula, & somẽta remedij procliuus sẽper ad malũ à primordio iuuẽtutis rationalis & animalis animus cernẽs, gradiatur per tuta. O prudens consilium, vt pro voce scripturam, & pro faciliter transeunti diu mansurum commutet. O iusta & sancta exhortatio, & perdigna exauditionis beneficio. Sed prædilectæ filiæ, & si iustum & sanctum est, quod petitis à patre: patris tamẽ negat ætas, prohibet insufficientia, licet ingerat charitas. Stupent oculi palpitantes in tenebris, horret naturæ phrenesi inconstans manus peragere iuuenilia. Hortatur tamẽ semper charitatis ardor, ne parcatur C labori, vnde tantus colligitur fructus: quem non putarẽ in vobis carpere, quæ scripturis de domini volũtate melius estis edoctæ, vt blandimenti aliquid fatear, licet veritatis, nisi ad alias succedentes per tempora insormãdum traheretur tantus hic labor. Vincat igitur duellum hoc charitas: quę ipsum inuincibilem vicit, vt immortalis moreretur pro nobis Verum frustra hęc speratur victoria in tanta impossibilitate naturæ, nisi deuotæ orationes filiarum adsint: quibus Deus paruit in tantum ab antiquo, vt etiam eum pœniteret eorum quæ primitus minando spoponderat, quamuis pœnitere non possit.

CAPVT I.

DE CHARITATE ET VNITATE seruanda.

QVis autem in monasterio cõstitutis sororibus, pri-D mus sit arripiendus modus Deo viuẽdi & regula, ipse solus Christus huius propositi inceptor & doctor in vnius responsione instruit vniuersos. Si vis (inquit idem magister hæc petenti) ad vitam ingredi, serua mãdata. Quod si forrè quæratur quæ sint, illico percunctãti, exposuit. Diliges dominum Deũ tuum ex toto corde, mente, & viribus tuis, & plus quam teipsum: & proximum tuũ sicut teipsum. In his duobus præceptis pẽdet quicquid est legis, quicquid etiam prophetæ & sãcti viri perscrutati sunt. Et attẽdite solicitè quæso charissimæ, quæ ingredi non solum totis affectibus cupitis ad vitam, quæ verè vita est (nam viuentibus in mundo vita non est, sed mors) sed iam Dei auxilio estis iter ingressę, quod sine pręceptis charitatis nõ ingreditur quisquam ad Deo viuẽdum. Propter hoc n. Apostolus Paulus nõ gloriatur in linguis angelorum & hominum, nõ in cognitione mysteriorum Dei, non in spiritu Prophetiæ, non in asperitatibus carnis, non etiam in eleemosynarum operibus: quanquã ad omnia pietas valeat, dummodo charitas non desit. Hæc itaq; sola reddit hominẽ Deo viuentem, hæc religiosos, hæc monachos facit, sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt dæmones. Cum hac vero sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt angeli. E Ideoq; mihi dilectæ filiæ, licet longa vos macerent ieiunia, abiecta & nigra vestis desormet, longa officiorum & operum texatur series, si intus desit charitas, ad infimum nondum religionis gradum peruentum est. Propterea charissimæ, hic incipiendum est iter ad apostolicæ perfectionis apicem. Si vero relatiua est charitas, & ad vnum non potest propriè dilectio fraterna dici, idcirco est necesse quod plures sint, qui se mutuo ex charitate diligant, vt dicatur iuxta Prophetã. Bonum & iocũdum est habitare fratres in vnum. quod satis approbat sapiẽtia dicens. *Frater qui simul iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma* Et iterum. *Si fuerint duo simul, fouebunt se mutuo*, sed si vnus gradiatur & cadat, *væ soli, quoniã subleuantẽ non habet.* Propterea solitariorum vita, quam satis expertus sũ, periculosissima est & ardua: & si bona & quampluries Deo vicina, non tamen æquè secura est, vt simul habitantium in vincula dilectionis & charitatis affectu Qui sibi inuicem per tentamenta deficientibus auxiliantur, sibi inuicem administrant pietatis & F charitatis obsequia. Sed certè, si fratres aut sorores simul in vnum non habitent, non iam bonum, sed malum est. Nihil bonum diuisum Omne etiam secũdum Philosophos in tãtum habet bonitatis, inquãtum vnitatis attinens suæ naturæ. Quod si singulum vnum in tota mũdi machina per se creatum est bonum, non tamen est optimum, nisi cæteris nexum. Propterea in exordio mundi *vidit Deus, quod cuncta quæ fecerat, erãt valde bona.* Idcirco charissimę in Apostolica vita vobis de sęculo adunatis per corpora, sit cor vnũ, & anima vna in domino, velut de Apostolis & de ipsis Apostolicis viris in actibus eorũ legitur. *Multitudinis enim credentiũ erat cor vnũ, & anima vna in domino.* Nulla vita pro certo est deterior, quam simul degere corpore & nõ mente. Et verè infelices sunt, quibus non inest vna, sed diuersa volũtas. Sit itaque vobis semper vnus affectus, vna voluntas, vna fraternitas, G vna proportio morum, vna iocunditas, vna tristitia: ne quod alteræ placet displiceat alteræ: quo gaudet altera, tristetur & altera. Et sic habere poteritis religionis propositum, si vnanimes in domo Dei habitetis. Hæc vera vita Dei, non diaboli: verè monasterium, non infernus: verè vita religiosa, non diabolica.

CAPVT II.

De non habendo aliquid proprium.

ANte mentis vestræ oculos semper Euãgelicum illud appareat, stolidissimi viri illius exemplum, qui ædificium suum quod summopere fecerat, ingruẽtibus fluminibus, flantibus ventis, & imbribus inundantibus pluuiarum, totum amisit in casura: quoniam ædificatũ erat in sabulo. Nec mirum charissimæ, firmum enim quid aut stabile diu manere non potest. Ædificat fatuus illie in sabulo, qui in vita Apostolica & religionis proposito appetit temporales diuitias. H Hic attendite filiæ diligentes, hic periculum omne est, hic interitus, hic mors æterna. Qui iam renuntiauerunt omnibus quæ possident, qui relictis omnibus quæ habebant in sęculo, ad Christum imitandum pauperculum, qui vbi caput reclinet, non habet, concurrentes ex voto, sub iuramenti pollicitatione promiserũt, nihil temporale, nihil terrenum præter Christum solum, non solum possidere, sed nec etiam appetere, quæ iam dimiserũt, tenere, vel quærere debent. Hinc Christus Apostolis nõ portare sacculum, neq; peram, neq; æs in zonis mandat, vt ex hoc intelligant eorum vitæ sectatores, quod nihil propriũ in monasteriis licet habere. Certè non tunicam, nisi quæ ex necessitate portatur, non caligam, nec aliud minimũ quodq;. Verũ & si Christus & Apostoli aliqua quæ sibi dabantur, propter necessitatẽ tenebant, nulli singulorum licebat aliquid ex his contingere tanquam suum: sed pessimus ille proditor atq; latro, ferens loculos, omnia portabat in eis velut totius congregationis communia,

A munia, & minister communis, singulorum necessitatibus prouidebat. Ex hoc edocti Apostoli & fideles, post Christi ascensionem nihil omnino suum esse dicebant: sed erāt illis omnia communia, & singulis diuidebatur prout vnicuiq; opus erat. Sic & vos charissimę filię, & si liceat habere aliquid temporale, vt victum & tegumentum, quę duo plenè sufficiunt Christiano, nil horum alicuius sit vestrum: sed commune, quodcunq; etiam minimis puellulis quibusq; distribuatur vt decet.

Capvt III.

De eligendo sorores ad recipiendum & administrandum bona monasterij.

Itaque obtestor vos omnes & singulas corā Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est omnes, vt aurum & argentum, atque cito transiens pecunia, nulla cot vestrum ratione seducat, vt nitatur aliqua vestrum cū A-
B nanię & Sapphira mētiri spiritui sancto, quem nihil latet, retinendo apud se aliquid quantumcuoque minimū temporale, vltra ea quę ex necessitate portātur: nec tamen hoc, nisi de licētia abbatissę. Semper eorum mortis iudicium terribile vos terreat. Nam legitur quod ex eorum morte, factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & omnes qui audierunt, timuerūt. Nudus Iesus nudas quęrit amicas & sponsas. Quod si ipsum sequi, temporale aliquid appetens seu desiderans forte volueris, onerata grauedine, nudum sequi non poteris. Hinc beati pauperes dicuntur spiritu, vt ex hoc sciatur quod non sufficit cuncta temporalia in mondo relinquendo admonasterij paupertatē accedere, si mens misera appetit quę reliquit. Magis enim contemplātur oculi domini affectum quam censum. Melius est enim in sęculo cum cęteris diuitibus, diuitiis insistere, quam in monasterio pauper ipsas appetere. Propter quod volo, hor-
C ror, & moneo vos charissimę, vt hęc perpetuo in vestro monasterio obseruatio maneat, quod nulla scilicet omnino tangere, aut aliqualiter retinere audeat per horum censum, aut obolum, aut quantumcunque minimum, quanquam à matre aut sorore mittatur. Eligantur autem iuxta Apostolorum ritum cōmuni voto abbatissę & cęterarum, singulis annis, aut si decēs videbitur & vtile, confirmentur duę aut plures ex sororibus, boni testimonij, plenę spiritusancto & sapientia, quibus iniungatur hoc opus, vt quosqumq; prouentus tam domus quam singularum sororum recipiāt: & ex his sororibus necessaria fideliter administrent. Caueant quoq; ne aut ex parcitate murmur, aut ex abundantia tumor in sororibus habeat locum: sed iuxta Apostolorum vitam, non plus cuiquam aut minus tribuatur: in xta quod exigit necessitas, non voluntas tribuatur, vt non iam altera sit egens, altera abundans: sed vnaquęq; ex prouisione cōdecenti moueatur ad Dei laudem. Prouideant insuper sic, quibus hic pietatis iniunctus est labor, vt singulis mensibus aut hebdomadis siue diebus paratę sint, tam de his quę proueniunt, quam de his quę expenduntur
D in capitulo coram abbatissa & conuentu sororum sigillatim reddere rationem. Quod fiat saltem semel in mēse, ne & ipsę apud sorores furti sint suspectę, & eis ex negligentia, malè exequendi materia detur.

Capvt IV.

De communitate & humanitate seruanda.

Sic sic Dei sponsę spōsum Iesum astringite mētibus rotundis à terrenorum contagione: quoniam secum in habitatione nihil patitur esse terrenū. Sic sic Apostolicę fœminę proijcite peras & sacculos, vt neque marsupia ex latere pendeant: neq; opus sit clauibus, vt iam ex ipsis monstretur exteriorum indiciis, quod nihil habetur intrinsecū pręter Iesum, quod nihil est clausum, quod est deditum vsibus omnium. Vestimenta duplicia sunt ex Euangelio prohibita vobis, vt discatis ea solum habere, quę naturę tantum subueniant: & non quę nutriant tineas. Si qua vero supersunt, vno claudator in loco: vt ex his quęcunq; soror eget, indui possit. Nulla vnquam in vestibus pretiositas, nulla melioritas, alteram dominam, alteram ancillam ostentet: sed in omnibus ęqualitas existat, quę vni sponso nuptę, communi voto professę sunt. Non quęrat obsecro filia regis filię militis pręeminere pompis terrenis, in Christi & Apostolorum cōsortio. Nō enim Petro vili piscatori Bartholomęus nobilis anteponitur à Christo, imo piscatori totius mūdi monarchię traditur principatus. Dignitatibus carnis, spiritualis vita non eget, & carnis aeras Christus in suo nō quęrit coniugio. In sęculo nubant paribus filię regum, filię militum pręeminentias quęrant & honores. In monasterio verò oblitę populi sui & domus suę, in domino solum gloriam quęrant, & exultent, quod de maiori pręcipitio montis suut ad vitam Apostolicam sumptę. Propter quod admoneo vos filię, vt quęcunque officia vobis domns à matre mona-
F sterij imposita, libēti animo expleatis, *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Nec verecundentur in vilibus nobiles, nec illa recusent, sed audiant sapientem. Quanto maior es, humilia te in omnibus. Audiāt & Christum quid Apostolis de huiusmodi pompis in vltima cœna, humana mente disceptantibus definiuerit. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem nō sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui pręcessor est, sicut ministrator.* Verū ne doctoris doctrina, ex contraria operatione vilescat, statim subinfert ex similitudine quadam cum interrogatione concludens. *Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Erubescat siquidem stercus vilissimum, & vapor ad modicum patens, humana mens se extollere, & domus officia abnuens, à cęteris sororibus sibi velle seruiri. Nam Christus, cuius generationem quis enarrare nō potest,
G non venit ministrari, sed ministrare. Et in vltima cœna discipulorum abluens pedes, hoc suis reliquit humilitatis exemplum.

Capvt V.

De simonia vitanda in recipien lo sorores.

Detestabilem hęresim simonię, quam communi prauitate diaboli monial s assuetę committunt, etiam inaudita horreat vestra societas. Giezi pœna, & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri, Christi vicarij, ad Simonem, nunquam de vestris exeat auribus. *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Existimasti enim donū Dei haberi pecunia?* Donum Dei est spiritus sanctus. Communis mercatorum habet vsus, vt vendirio commutetur in melius. Asserit quippe simoniacus, pecuniam esse pręstantiorem dono D. i, cum idem in ipsam commutat. Ad vos veniētes sorores, ad sanctas Christi suscipite nuptias gratis, pręponatur sanctitas pecunię, exquiratur bonitas vitę, non generositas carnis non vtilitas mūdi. Nulla omnino pactio, nulla opinio ioentis puritatem
H perturbat, pręueniat. Beatum sapientia clamat, *qui excussit manum ab omni munere, & qui post aurū non abiit, nec sperauit in pecunia*, quę subuertit iudicium. Si quas ororū inopiam ex sua abundantia supplere desiderat, iuxta apostolicum ritum, omnia quę habet in sęculo ante sororum pedes ponat, & cunctis quę habebat in sęculo renuncians intratura, fiat sicut vna ex minimis: & sublato domino cum affectu, omnia quę portantur, electis administratricibus domus prębeatur, vt ex his tribuant prout vnicuique opus est. Nec murmuret quidem, quę sua monasterio tradidit, si sibi non maiori sumptu administretur, quam cęteris quę ex paupertate venerunt. Nec extollatur, & ceruice erecta more fœmineo improperet cęteris, se tantum ex suis facultatibus attulisse: plus enim attulit soror paupercula, si ingrediens, affectum habendi dimisit, quam quę multa afferens dona superbiam tulit. Glorietur autem

A rem potius: quoniam diuitiæ quæ solitæ sunt possessores præcipitare in mortem, non præualuerunt aduersus eam, & quæ communi vsu sunt malæ, ex subuentione sororum sibi factæ sunt bonæ. Alioquin melius fuisset sibi cum parua pœna, cum suis diuitiis in mũdo permanendo damnari, quàm ipsas relinquẽdo monasterio, exorta superbia ad infernũ cum maiori pœna deduci. Humilientur etiam pauperes, quæ ex paupertate nihil subuentioni domus potuerunt contribuere, sicut & illæ. Et gratias Deo in humilitate retribuant: quod quæ prius in mundo viuere non poterãt, ex alienis laboribus habent quæ sibi sufficiũt, sicut & diuites. Mirum quidem de infelici conditione plurium hominum, Sunt enim nõnulli vilea & abiecti in sæculo, qui quotidianis laboribus se vltra vires affligentes pro victu captãdo vilissimo, & vix raris fabis & rapia cum rudi & hordeaceo pane saturãtur. Cum vero ad Christi mensam accedunt, & militiã Christi suscipiunt, suæ egestatis obliti, lauriota quærunt quàm milites, qui sunt assueti magnificis. Hæc igi-
B tur omnia in Christi & Apostolica vita locum non habeant Omnes ex ministerio sint contentæ, ne ex murmuratione pereant. Si abundanter sibi tribuant administrantes, recipiat siquidem naturæ necessaria, necessitatum limites non excedat. Si verò modicum, discat cũ Apostolo seruire Domino in fame & in siti, & in egestate noditatis & frigoris, ita vt accepta cruce gradiatur post Christum abnegans semetipsam.

Capvt VI.

De obedientia exhibenda prælatis.

VOlo autẽ vos mortuas sæculo vitiis & cõcupiscẽtiis, carnem crucifigere cum Christo, & quæ iam cœperũt proprio sese voto castrare sub perpetuæ virginitatis & castitatis proposito, in monasterio, velut in duritia lapidis, fore cum Christo sepultas: atque iuxta de-
C cretum summi post Christum pontificis Petri, qui ligãdi soluendique tenet principatum à Domino, resuscitandarum in gloria cum Christo sic deuotione firmetur vestrum propositum, vt fides & spes sit tota in Deo. Castigent animas in obedientia charitatis & fraternitatis, amore simplici & corde inuicem se diligentes attentius. Nihil vt puto stultius, nihil intolerabilius, quam peregrinos & aduenas præcipere ciuibus, & in loco non solito se ostendere directorẽ itineris: & de semitis, & de securitate itineris, & de breuitate tramitis iuxta volũtatis libitũ velle docere. Mõstraretur quippe potentum nauigatoribus, & pro certo nunquam veniretur ad portum, si de directione & gubernatione nauigii, quicunque remigator ordinaret ad votum Non ciuitas, non regnum, non minima domuncula diu maneret in rure, si cuius voluntati pareretur deesset. Propter quod ipse Papa Petrus, qui religionis apostolicæ virum volebat instruere, sicut à magistro didicerat, vt magis intelligatur qualiter anima castigetur in obediẽtia chari-
D tatis & fraternitatis amore, exponit apertius. *Omnes*, inquit, *honorificate, fraternitatem diligite, Deum timete, regẽ honorificate.* Et ne excusationis arripiatur scutum, sub particulari nomine præeminẽtis dignitatis, generaliter infert omnib⁹. *Serui subditi*, inquit, *estote in omni timore Domini.* Et ne prælati in mediũ producatur prauitas, quæ plerumque subditis præstat causam magni casus. Non tantum, inquit, bonis & modestis, sed etiam discolis. Verum ne forte videatur graue humanæ volũtati se abnegare, & crucem tollere, obedientiæ proponit meritũ: quo omnis labor dulcescat etiã grauis. Hęc, inquit, est gratia. O felix & abundãs gratia. In obedientia summa virtutum clausa est. Nam simplici gressu hominem ducit ad Christum, & non solum mena excusatur ad reddendam Deo rationem de subditis, sed nec etiam obligatur reddere de se ipsa. O summa libertas: qua obtenta, vix possit homo peccare.

Capvt VII.

De regimine Abbatissæ.

ATtende diligenter, mi domina charissima Eustochium: quàm grauis imponitur sarcina humeris tuis, quæ de subditarum animabus, de corpore, de verbis, de moribus obligaris apud diuinum examen reddere rationem. Caue quæso, ne de te etiam leuis suspicio in malo possit oriri: ne dispergas, quaa conaris educere. Sic ordinata, sic rationi conformia mandata sororibus proferas, vt etiam depravatæ superbæque mentes animentur ad obediẽtiæ semitas. Sic dulcis, sic mitis sit sermo, vt duritiæ furorem non suscitet, sed frangat exortũ. Sic erga inobedientes, virilis & constans sit anim⁹, vt omnis muliebris mollicies discedat è medio. Excidantur in ortus primordio veptes, ne nimiũ excrescentes, germina seminum suffocent. Nihil quippe in rectore periculosius est, quàm vana humilitas ad correptionem erga superbos protervosque subditos. Singularũ sororum voluntatea in re difficili pertractãda semper auidè audias: nec tamen cuiuscunque voluntati innitaris. Veruntamen si quicquã vtile prodatur, non attendatur persona quę protulit. *Elegit* enim *Deus infirma mũdi, vt fortia* quęque *cõfundat*. Tuam vero in rebus gerendis communibus non tantum volũtatem exquiras & teneas, nisi maior pars discretarum filiarum id communi voto collaudet Soperbarum insensatarumque mentium est, suo tantum vti consilio. Non audiatur cuiusquam volũtaa sub verborum murmure & loco absconditio, sed palam cunctis præsentib⁹ cum omni charitate liceat dicere & audire Si conceptui proprio maior pars sororũ dissidet, non velis sola omnibus contraire. In exercendis furor, odium, inuidia, seu derisio sic penit⁹ discedat, vt nõ nisi pax, charitas, amor, & alterutrũ supportatio cognoscatur, quatenus fiendorum solus spiritus sanctus author meliora inspiret. Nõ sit inter vos quas charitas simul venit feminalis quædam abusio, vt vndique cachinnis & vocibus aer resonet, & audientiũ aures præ strepitu terreantur: sed cum omni modestia stantes, vna loquente, ceteræ sileant. Nec altera alteram ex auiditate loquẽdi interrumpat, & præbeat impedimenta dicenti.

Capvt VIII.

De reuerentia & subiectione erga Abbatissam.

PRopter quod hortor, moneo, & oro vos charissimæ & dilectissimę filiæ, quæ iã mortuæ estis & sepultæ cum Christo, quæ iam carne contempta cum eius gloria, cognito quod omnis caro fœnum, & ei⁹ gloria flos fœni, ad nouitatem vitæ spiritus estis renatæ, nõ ex corruptibili semine, sed incorruptibili, per verbũ Dei viuẽtis & permanentis in æternum, vt tãquam peregrinæ & aduenæ *abstineatis vos ab omnibus desideriis carnalibus, quæ militant aduersus animam.* subiicientes vos in omni obe- H
dientia & timore, & reuerentia præpositæ matri vestræ, vt iam omnino nihil aliud velle vel nolle alicui liceat, nisi quæ abbatissa domus mandauerit facienda: nihil impotiabile videatur, si iussum propriæ non cõcordet voluntati. Verè obediens & qui pro Christo caret omni arbitrio voluntatis, nihil ooint difficile, nihil iniustum. Meminetote, charissimæ, quoniam Christo in vestræ religionis ingressu, dimisistis omnem volẽdi & nolendi licentiam, nisi quæ eius vices gerentes ordinarent de vobis. Obeditis enim Christo firmissimè, cum præpositæ matri vobis parere studetis. Tunc enim sponso Christo cui desponsatę fidem totam vouistis, præter quem nullũ vltra amatorem admittere in despõsatione iurastis, magis gratæ, magis placẽtes estis, citiusque meremini duci ad thalamum, vt cum omni iocunditate dulcibus amplexibus astringamini, cum eius studueritis in vicaria parere mandatis. Vicarii enim honor redundat in Deũ. Sic iubet lex coniugii, vt sponsa sub lege sit spõsi.

Æmulamini ſemper inter vos hac Dei æmulatione, vt certatim adinuicem altera conetur excedere alteram in obedientia. Nou igitur eſt monaſterium, non religioſi, non monachi, vbi ſubditis obedientia deeſt erga prælatum. Deſtructioni eſt corpus expoſitum, cum membra diſcordant à capite.

Capvt IX.

De correptione facienda & generali accuſatione criminum in ſexta feria.

COntumax, preſũptuoſa, ac ſuperba mulier, in ſancto veſtro conſortio, quæ dedignatur eſſe ſubiecta ac ſitis litibus & iurgiis ſcandalum prębet quieti ſororum, & eis inobedientiæ demõſtrat exemplum, arduis crebriſque ieiuniis caſtigetur, cum reſiſtit mandatis impoſitis. Si ieiunia non caſtigant ſuperbam, edonietur
B verberibus, cõtumeliis, & grauibus diſciplinis, vt iã diſcat cum Petro, quod niſi prælato, imo Chriſto in eo obediat, partem cum Chriſto in regno Chriſti & Dei non habebit: quanquam impoſita videantur extranea, nec cõſona rationi. Sed ſi nec ſic indomita ſuperbia ſtuduerit obedire, cum apoſtatis angelis expellatur, quæ partẽ nõ habebit in regno. O infelix ſuperbia vitæ, vt pro implendis voluptatibus carnis, renunciet hæreditati cœli, quam fuerat aſſecutura per Chriſtum. Nõdum Deo viuit, nõdum religionis ſemitam Chriſtique nuptias attigit, quæ non efficitur ita ſimplex & pura, vt quicquid ſibi mãdatum fuerit per præpoſitãm matrẽ, angelico putet ore tranſmiſſum. Tũc vnaquæque cæteris ſe beatiorem exiſtimet, cum in laboribus præponitur reliquis. Non pudeat ſingulis hebdomadis ſexta feria, quo die Saluator opprobria, & mortem pro homine ab homine pertulit, vnamquamque ſororum, ſuam vitam coram omni cœtu ſororum diſcutere, & de cõmiſſis contra præcepta & regulam, ſe proprio ore criminari, ac diſciplinã ſubire, quatenus ſtimulata mẽs cogitationis, ſtimulo ac-
C cuſationis ac verborum, caueat accuſanda pudendaque committere. Nec tamen propter hoc occulta cogitamina cordium prodantur, nec occulta peccata, quæ ſolis debẽt ſacerdotibus confiteri: ſed ſolum quæ præceptis obuiãt publicis, & exempla peccandi ſororibus præbẽt. Si verò vel tumore vel verecundia ſeipſam accuſare neglexerit, liceat vnicuique propalare tale crimen alteri⁹, vt nullatenus radices inobedientia & ſuperbia in sãcto hortulo veſtro arripiant, nõ euellendas de facili. Verum ſi quippiam iuxta feminarum modũ, quæ nihil retinẽre norunt abſconditum, immo ante garrulãdo manifeſtant, quam ſciant, aliquid de his extra cœnobii limites prodiderit, ſubeat grauiſſimam pœnam, vt doctrina tacendi, doceatur in pœna.

Capvt X.

De vita mirifica ſanctorum patrum, quos in eremo reperit.

D REſeram vobis quædam non minus imitanda per opera, quàm audiẽda de aliquibus ſanctiſſimis viris, vt bonorum exempla, obedientiæ humilitatem, qua carente, in ædificii ſpiritualis ſtructura, fundamento virtutum quicquid ædificatur, eſt vanum, veſtras mentes doceant, & crebra memoria ſanctorum geſtorum vitæ religionem inſtruãt & virtutem. Dum igitur per eremorum antra ſeptem annis ſanctos patres degẽtes ibidem in terris velut in cœlis angelos aſſiſtẽtes aſſiduo labore itineris, arduiſque viuẽdi incommodis, cæteriſque innumeris calamitatibus peragrando viſitarem, de quorum vita moribuſque mirificis, quæ luculenter ipſe perſpexi, libellum compegi, qui vobis ſit vt lucerna in cãdelabro ad meditationẽ religionis & vitæ. Nihil ita carum, ita ſtudioſum appetebatur à monachis: quã quod in eis qui iuberet, poſſet inueniri. Profectò non taceam tantam charitatẽ, tantãque humilitatem, quam ſanctæ illę mentes habebant, vt hæc cernens, omnis laboris & grauedinis oblitus itineris, eremos humanæ naturæ tam E deteſtabiles & ingratas, in paradiſos putarem penè cõuerſas. Mirum auditu, ſed felix obtentu, ſic ſanctorum hominum corda charitas transformauerat in creaturas deificas, vt caro penè eſſet neſcia carnis. Licet per Ioãnẽ dicatur: quod *quicquid eſt in mũdo, aut eſt concupiſcẽtia oculorũ, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ.* Nam ſic ſimplicia & humilia corda, obediẽtiæ & humilitatis innitebãtur veſtigiis, vt quaſi quorũdam philoſophorum videretur in eis verificari opinio: qui vnam ponũt in hominibus vniuerſis animam ſolam. Nam abbates & patres nihil omnino velle ſciebãt, niſi illud quod ſubditi, & ſubditi antea conabantur iuſſa implere, quàm forent emiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nitebãtur prophetare de voluntate mandantis.

Capvt XI. F

De vanitate ſcientiæ mundialis.

O Sancta fatuitas, quæ natos ad labores homines in mundo, mereris tranſuehere ad gloriã, ereptos de pœnis. Non hanc fatuitatẽ doctiſſimam Athenis Plato didicit, non Ariſtoteles, nõ Anaxagoras, non cæterorũ ſtultorum mundi ſapientum turba percipit. Non certè miſer ego Hieronymus fatuorum ſapientum imitator, antequam ſancta verbera luerem. Quanquam, vt meas miſerias detegam, me antequã viceſimum annum ætatis attingerem, vrbs Roma in ſummum prælegerat magiſtrum, in omnibus penè liberalibus artibus. Nondum ſancti ſpiritus ſcholas intraueram, nondum cæcutiens peruenire ad ſanctæ veritatis poteram diſciplinam. Nõ academię: nõ certè Romæ, huius doctæ fatuitatis reſonauere gymnaſia, quæ ſancta retinet eremus. Verũ non ſine labore didiciſti tuam ſapientiã fatuam Plato, quem mundus retinere non poterat, mundi ſapientiam inſequentem, per diuerſarum nationum & gẽnum, regio- G numque partes, infinitis ærumnis, innumeriſque peragrando laboribus. Nec tamen fatuiſſimę ſapientiæ finem, qui eſt ſummũ bonum, ad quod te naturæ mouebat intentio, in orbe vniuerſo reperire ſciuiſti, quẽ ſancti hi ruſtici, hanc fugientes, inuenerunt in eremis latitantes. Attende & tu fatuorum ſapiẽtum princeps Ariſtoteles, & ſi fueris abſque dubitatione, prodigiũ grandeque miraculum in tota natura, cui penè videtur infuſum, quicquid naturaliter eſt capax humanum genus: quoniam ſapientia mundi ſtultitia eſt apud Deũ, ſi charitas non informat, ſi intellectus non captiuatur ad fidẽ, ſi cor ad Chriſti ſeruitutem non inclinatur. Qui Iudæis eſt ſcandalũ, paganis ſtultitia, nobis vero credentibus honor & gloria, in quo ſolum gloriatur Apoſtolus. *Qui gloriatur* (inquit) *in Domino glorietur.*

Capvt XII. H

De promptitudine adimplendi mandata impoſita.

NIhil honorabilius, nihilve glorioſius, chariſſimæ, quàm ſeruitus Chriſti. Hæc ſanè præferẽda imperatorum faſtigio, hæc dignitati regiæ, hęc cuiuunque ſæculi gloriæ. Huius ſeruitutis Chriſti, quidã inter cæteros, quos vidi in eremo doctus ex monachis, ex iuſſu patris ſenioris, ſuæ charitatis & humilitatis fructum cupiens augere, & obediendi aliis iuuenibus tradere normam, pergrandem lapidem humeris hominum proculdubio grauem, bis quolibet die per tria milliaria geſtabat in ſcapulis, nulla alia neceſſitate coactus: quod iam per octo annos effecerat. Sed ſi fortè quærebatur, quid in ei⁹ mẽte voluebatur, ex hoc quod fortè noſtræ ſuperbæ menti, quæ nondum ad huius ſanctæ fatuitatis perfectionem aduenit, videtur extraneum, puerorumque ludus, & otioſitatis opus. Teſtor Deum, quod mihi ab eo ſolicitè percunctanti, tanta ſimplicitas & humilitas eſt reperta, quod ex tũc incepi ducere monaſticam vitã.

Nam

A Nam ſic deuotè, ſic affectanter, ſic hilariter continuis diebus explebat tam inſulitum opus, vt ſibi videretur poſt expletionem captare omnem gloriam. Quinimo in huius operis fatigatione, minimè contentus, penè moleſtabat patrem, vt medio tempore nouos induceret labores, & opera perficienda per eum. Quid ego vagor per ſingula? Non eſt opus exponere, quicquid in ſimilibus continuè exercetur à monachis. Hoc vnum apud omnes obſeruationis pręcipuum eſt, & celebre per Ægyptum, vt nullum niſi obedientem & humilem ad omnes labores perficiendos, & opera ſuſcipiant. Quatenus domita cato ex grauedine, cogitationibus vanis & voluptatibus non vacet ex otio. Teneatis firmiſſimè, quod omnis concupiſcentiæ, immunditiæ, atque peccati mater eſt otioſitas.

Cap. XIII.

De ſerorum operibus faciendis.

B HAnc ſanctam ſtultitiam ſtultamque ſapientiam, quotidie in monaſteriis diſcite filiæ, quam ſancti in eremo vos docent ruſtici. Subtilia & alta nolite ſapere: ſed ſuperbis & tumidis ſæculi ea relinquite, vt poſt peractum, incipiant noſcere quod litera occidit, ſpiritus viuificat, & quod Deus eligit abiecta & infima. Hanc ſępe ſcholam intrate, quocunque die & quacunque nocte ex his nouam diſcite lectionem. Non otium, non torpor, & ignauia vos ad Dei ſeruitia tepidas & frigidas reddat. Semper aut officiis, aut orationibus, aut manuum operibus ſanctis cæteriſque laboribus fatigatum corpus, requiem & refocillationem, non voluptatem exquirat. Sed cauete potiſſimè ne quid operis vanitatis veſtris verſetur in manibus: immundus reputatur, qui immundum quicquam tetigerit, vel morticinum. Non deaurata marſupia, C non cingulos, non etiam chirothecas, quæ omnia laſciuæ & ſuperbę mentes exoptant. Horreat Deo dicatum cor talia ſcire: ſed aut ſacri codices, vel legendo, vel ſcribendo genua premant, aut hortulorum cultus exerceatur, aut aliud ſanctum opus & vtile, vt ex relaxatione quadam refocillatus ſpiritus, ad diuinum ardorem fortius accendatur. Sanctorum geſta quæ legitis, veſtro accommoda propoſito imitemini, velitis imitari quod laudatis, & ſequi quod cupitis. *Veſtram inter gentes conuerſationem bonam habeatis*, vt ex odore famæ veſtræ ſanctitatis, etiam malorum corda ad ſancta deſideria moueantur. *Et in eo quod* deprauatæ gentes *detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex operibus veſtris bonis glorificent Deum. Hac eſt enim Dei voluntas, vt imprudentium hominum ignorantiam obmuteſcere faciatis.*

Capvt XIIII.

De officio & poteſtate Abbatiſſæ.

D CAue quæſo quęcunque ſis illa quę pręeminies, ne ex officio regendi eleueris in altum, vt imperes illicita, & quæ ſunt importuna, vel importabilia, & inquieta ſubiectis, ne tibi ille propheticus ſermo conueniat: *Quid eſt Iſrael quod in terra inimicorum es, inueteraſti in terra aliena, coinquinata es cum mortuis, deputata es cum his qui in inferno ſunt? Dereliquiſti fontem ſapientiæ: nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſuper terram.* Non enim ambulant in via Dei, qui in adminiſtratione regiminis, honores & vtilitates proprias expoſcunt. Reuolue ſæpius in mentis arcano, & ſtilo ferreo ſcribe in ſilice cordis: quid Dominus, cuius vices geris ad ſubditas, contendentes Apoſtolos quis maior eſſet eorum, inſtruxerit, ſequenti die receſſurus ab eis: & ſi in ſuperioribus dictum, tamen iterum narrarum fortius teneatur in corde. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper illos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed fiat ſicut minor qui eſt maior in vobis: & ſit peaceſſor ſicut miniſtrator.* Diſce igitur à magiſtro officium quod tibi iniungitur, ne tuo vicariatu poteſtatis traditę limites excedas. Non efficeris certè domina, ſed miniſtra, vnus eſt enim Dominus. Et ſi tibi reliquę ſorores vt Chriſti adminiſtratrici & vicarię obediunt, E propterea non eſt tradita tibi poteſtas, vt inter ſorores & filias hanc eleues, hanc verò deprimas ſicut velis. Sed quid tibi iniungatur ab inſtitutore regiminis, diligenter inueſtiga. Rerum enim omnium monaſterij. & ſororum ſolicitudo in adminiſtratione & prouidentia tibi traditur: vt iam cæteris dormientibus ſororibus, te deceat noctes crebras inſomnes ducere, & ſenem iunioris animum ſumere, pro vtilibus & neceſſarijs domui prouidendis. Itaque non tantum tibi honor, quantum onus imponitur. Et ſi ſic feceris ſicut decet, præmium multò maius conſequeris.

Capvt XV.

De periculo praeminentia & dignitatis.

F NOn tibi obſecro blandiaris de Domini pietate, qui tam diu peccatores miſericorditer ſuſtinet in peccatis. Et ſi diuturna eſt expectatio, nō minus formidanda eſt vindicta, quæ tanto durior eſt, quanto longius tempus in ſuſtinendo præceſſit. Propterea ſi ſecus quam debes egeris, periculum expaueſcas: nec ideo minus, ſi ſtatim diuinum nō incurras iudicium. Dominus enim tuus quę ſuis te omnibus adminiſtratricem, & in ſua te poſuit vinea cuſtodem, à te vult de ſingulis etiam occultis exigere rationem. Et ſi quid eum defraudaueris, tunc diabolo venundatam in carcere exterioris inferni poni te iubet, vbi fletus eſt æternus, & ſtridor dentium: vt exprimatur in his quicquid doloris & pœnæ excogitari poteſt, quouſque debitum vniuerſum reddideris. Sed ſi fortè de reſtituendo debitum confidis, ô te fatuam. Nam pro minimo quoque delicto non habent vnde reſtituant ſimul homines vniuerſi, niſi ipſe idem velit remittere, cui facienda eſt reſtitutio. Felices itaque magiſque ſecuræ quæ G ſubſunt illis quæ ſuperſunt, & quibus potius miniſtratur, quam quæ miniſtrant. Sed tamen ſuperba mens hominum improuida periculi ſemper maiorum dignitatum aſcenſum expetit: nec niſi poſt factum ex deſcenſu terretur: quia quanto altior eſt aſcenſus, tanto durior eſt deſcenſus. Sed fortè deſcenſum rarum æſtimas. Sed firmiſſimè doctus experientiis, & non paucis dicam: Raro per gradus dignitatis aſcendit homo, quin multò grauius non deſcendat. Verum & ſi à propoſito digrediar, nolo opuſculum hoc pertranſire exemplum quoddam, quod ſancto quodam mihi referente ſene in eremo ex veritate didici. Cum iuuenis quidam ſancto propoſito & vita, electus foret ad Epiſcopale faſtigium, quo grauius periculoſius ve nequid aliud cogitari, patruum ſuum quendam, virum vtique ſanctum, & prophetiæ ſpiritu plenum, eremi in cella vt eum ex hoc conſuleret, adiit non incautus. Audita itaque narratione nepotis, vir ſanctus non verbis, ſed ſignis potius percunctanti reſpondit. H Et ne contra Apoſtolum, qui deſiderantem Epiſcopatum in bono opere laudat, contrairet diſſuadendo, & ne iuuenem periculo exponeret ſuadendo. Iuſſit itaque ſenex quadratum diſcum à terra vehementer pedibus eleuatum aſcendere iuuenem, & quater per quatuor diſci latera ſupinum reuoluere ſemetipſum vſque ad horam caſus: ſicque caſu imminente, ſi altera ſuccederet reuolutio, mandauit vt extra ſummitatem diſci, adhuc ſe volueret iteratò. Cui cum nepos ſe non poſſe ex timore caſus reſponderet, illico eum fecit deſcendere, & per quandam latam planiciem diutius volutare. Cumque ex multitudine volutationum vtriſque faſtidium eueniret, ſurge (inquit ſenex) & perge quo vis, facito quod tibi ſecurius cernitur. Dedignatus namque iuuenis, abſceſſit, & alteri ſancto ſeni [illegible], deliramentum putans, factum retulit, à quo de periculo pręeminentiæ edoctus, electioni renunciauit, vt teneret quod eſt tutum. Qui poſt modicum, felici obitu ex ſæculo exiens, hilaris & iucundus apparuit patruo. Gratias (inquit) pater tibi refero ex diſſuaſione Epiſcopatus. Nam ſcito quia nunc eſſem de nu-

A de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.

Capvt XVI.

De ordine in operibus Abbatissæ.

HÆc idcirco mea domina Eustochium dixerim, vt aduertas quanto sis exposita periculo, & quanta te oporteat in via Dei prudentia ambulare, ne derelictis semitis iustitiæ capiaris ab inimicis, quibus plena sunt omnia, & in terram alienam deducta, coinquinata cum mortuis, miserabiliter deputeris cum his qui sunt in inferno. Volo autem te discere, *vbi sit sapientia, vbi virtus, vbi sit prudentia, vbi sit longitudinitas vitæ victus, vbi sit lumen oculorum & pax*, vt intelligas viam disciphnæ, & deducas subiectas tibi per viam pacis & disciplinæ. Te morientẽ filiæ plangant, non gaudeant, tibi iusta & sancta præcipienti, omnes æquanimiter obedire lætentur. Non propinquæ, non affines, sic exaltentur quod cæteræ inuideant. Non carnalis dilectio in multis nociua, in sanctis mentibus habenda est. Omnes itaque amato æquali charitate, & spirituali dilectione vt filias. Cum tempus exigit correptionem, vniuersas simili modo velut ignotas, iu omnibus corrigas. Verum semper in ira misericordię memor esto: vt B nulla mouearis ratione, ad crudelitatem ex furore vel odio. Nec tamen habeas manus remissas ad puniendum scelera, ne ex impunitate, peccandi licentia sororibus concedatur. Non sis ad pertractandum ardua monasterij & sororum, præceps pro libito: sed sororum pluriom & meliorum voluntas semper accedat, ne rea & dissipatrix bonorum cœnobij crimineris. Non omnibus qui loquuntur, sis facilis ad credendum. Leuitas enim in credendo, leuem denotat mentem. Nequaquam effrenis lingua reperiaris, non impudica oculis, non crapulosa, non ebria. Sic te exornes virtutibus, sic muniaris moribus, vt vniuersas opere & exemplo sanctitatis & vitæ, prompta sis ad docendum, vt iam ab omnibus in exemplum virtutum ducaris, vt secura ex dispensatione ministerij tibi traditi, occurrere valeas Domino, & ei reddere rationem de singulis.

C

Capvt XVII.

De iurisdictione Episcopi in sorores.

DEbilis est nimium sexus quem geritis, ac fragilis, ac mobilis, si suo relinquatur arbitrio. & si virtuosus sit animus: tamen nisi regatur nisi dirigatur continuè, cito decidit à sancto proposito. Hoc in Eua sitis expertæ: quæ suggerenti diabolo, quam facilè assensum præbuerit contra diuinum præceptum, & tristitia partus, & conditionis vilitas ipsa perhibent testimonium. Profecto nihil in vobis foret virtutum durabile, nihil sine graui periculo, si de vobisipsis vosipsæ haberetis curam. Propterea Episcopus vester, cui Ecclesię commissum est regimen, quem Deus speculatorem posuit in vinea sua, pastorem ouium, directorem gregis, ac ductorem plebis & populi, ciuitatis & parochiæ, in qua degitis, vos custodia singulari foueat, sanctæ doctrinæ vos pabulo nutriat: & D coram Deo, animarum vestrarum curam gerat specialem. Cui commissa est ciuitas vniuersa, huic æquanimiter sicut Deo omnes deuotè obediant: hunc patrem, hunc zelatorem virtutum, tam præposita venerentur, quàm subditæ. Lex ipsa seruetur, quam posuerit vobis in via Dei. Si qua sororum effrenis est, & disciplinæ præuaricatrix, & incorrigibilis, à præposita emendetur, castigetur, & puniatur per ipsum. Huuc directionis baculum, & virgam disciplinæ, cum à semitis iustitiæ deuiat, ipsamet etiam abbatissa cognoscat cum cæteris. Reddatur eidem bis aut pluries singulis annis patens ratio, de bonis monasterij, de statu sororum, de vita, de moribus, ne iam valeat oues ignorare quas regendas suscepit. Nihil arduum vendendi, emendi, seu perpetrandi in cœnobio sine eius voluntate liceat. Abbatissa verò domus moriente, quam E communis sororum voluntas in matrem elegerit, & abbatissam monasterij ipse, benedicendo, anulo vice Christi subarret in vero coniugio, si ad officium reperiatur idonea. Sororum verò recipiendarum modus, introitus, & conditio, omnino nullatenus eum pertranseat. Si quid dubitandum in fide, si quid obscurum, si quid periculosum occurrerit in via Dei, ipse declaret, ipse vos instruat in omni pudicitia, & spiritus sancti virtute.

Capvt XVIII.

De ordine seruando inter Episcopum & sorores.

NOn nimium sit stricta familiaritas, non suspecta colloquia: & si spiritualis pater, quamuis Episcopus sãctus sit: tamen homo est debile animal, tam cito perditur, nisi fortiter custodiatur, quod charum habetur & vtile. In sancto commercio diabolus minimè quicquam inueniat, ne vnde regimen, vnde ducatus, inde sentiatur interitus. Omnes æqualiter pertractentur: nulla carnalis, sed spiritualis dilectio interueniat: nec stricta sit nimiũ. Principium enim spiritualis operis, si non sit matura prouisio, F solet subsequi quoddam carnale. Vere non taceam, vt in pluribus solet contingere, conditionis muliebris infelicem miseriam: sub feruore spiritus, sub charitate nimium stricta, nisi custodia grauitatis ori ponatur, vt nemo delinquat in lingua, si vtatur loquendi viuendique copia, statim libido, actu turpissimum, dictu infelicissimum, de spiritu & charitate nascitur. Propterea charissimæ, hoc hortor, hoc moneo, hoc mando vobis: vt quę Christi desponsatæ estis coniugio, cui omnem castitatis vestræ fidẽ vouistis, cui nullum præter ipsum amatorem cognoscere sub iureiurando estis pollicitæ, viri cuiuscunque etiam si eum sanctitas exornet, etiam si Baptistæ æquaretur in meritis, quęratis effugere faciem: nec liceat secum dilectione feruenti astringi per diem. Credatis experto, nihil est periculosius viro, quam mulier: & mulieri, quam vir. Vterque palea: vterque ignis. o icam audacter, proh dolor Dei templa, spiritus sancti vasa, & Deo dicata ædificia, nisi diligenti seruentur custodia, prostibula fiunt. Et auferetur tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus, irrecuperabile decus castitatis, si tenui cuiuslibet dilectionis G ineptæ rimula continuus insidiator diabolus intuitum valeat infigere. Ideo omni custodia cor seruetur. Super muros Hierusalem ponantur custodes tota die, & nocte non dormiant, ne fur introeat, ne spolia auferat, quæ penitus recuperari non possunt.

Capvt XIX.

De præposito presbytero post Episcopum sororibus adhibendo.

ANimus diffusus ad plurima, circa singula non potest attendere: curam omnium gerit Episcopus, homo est, nec locis singulis potest adesse: nec diuersorum simul habere scientiam. Nequitur ex absentia securitas sit in vitio, sacerdotem sanctum, quem sanctitas prædicat, quem subornat scientia, quem talem reddit ætas & vita: quod etiam apud improbos lubricosque sinistra opinio non possit haberi, post Episcopum habeatis præpositum. Hic H Episcopi in vobis teneat vicem, hic doceat, hic prædicet, hic corrigat vniuersa, huic soli occulta domus pateant. huius consilio inuitatur ab omnibus. Non diuersarum opiniones in conuentu sororum, diuersas sectas ponant, non diuersos ritus: vt quicquid altera vituperat, altera consulat: sic diuisæ domus pax, quies, & charitas ipsa discedit. Credite mihi, sacerdotum religiosorum circumuenientium turma, ex mulierum consortio omnem sanctitatem expellunt. Intimetur Episcopo, qui circa multa diuisus, vni soli in omnibus continuè non potest adesse, quicquid pro vtilitate agendum, quicquid sanctum euenerit ordinandum. Confiteantur singulæ singulis mensibus bis aut pluries crimina occulta, aut Episcopo, aut præposito soli presbytero, vel cui commiserit: & sacra domu-

A dominici corporis cõmunione monitę, pugnaturæ viriliter, dæmonum castra subintrent. In hac vita mortalibus nihil est validius, non est quicquam salubrius, quã vt statim peracto delicto, confeßionis non differatur medela. Testantur & medici vniuscuiusque ægritudinis morbos auferri ex corpore, si ex orientibus subueniatur in principio. Quod si meminit conditionis humanæ, leui etiam opinione ipse etiam sacerdos erga aliquam sororum inepta familiaritate videretur astringi, non sinatur oriri: quod non sine malo, non sine scandalo remoueri potest exortum. Emẽdetur si opus est, ab episcopo: si verò emẽdatus minimè vult inceptis finem imponere, remoueatur: etiam si vtilißimus, si necessarius existeret loco. Nulla prę ualeat vtilitas, ex qua formidatur animarũ periculum. Adhibeatur verò sanctus successor, quẽ castitas longa commendet & vita.

B

CAPVT XX.

De ordine seruando per sorores erga mares, & specialiter in loquendo.

IMpudici pedes cuiusuis nonquam monasterii limina terant, inordinati animi nuntia voce immũditiæ aures vestræ ounquã surdescãt. Vox omnis muliens ignita sagitta diaboli est, & ecõtrariò. Propterea congemẽs Psalmista exorat animam suam liberari à labiis iniquis. & à lingua dolosa Nam subdens postmodum, quare sic affectanter liberari postulet: Sagittæ potentis acutæ, cũ carbonibus (inquit) desolatoriis. Labia viri, venena prębent mulieri: si non sit astuta fallacus linguæ dolosæ, quam potẽs diabolus miserum vulnerat cor sagittis tẽtationum cum ardore libidinis. Hę fenestræ sũt mortis: quæ nisi claudãtur, statim mors dura subintrat. Vir cuiuscũque cõditionis existat, aut nunquam appareat, aut visus, visum terreat vestrum, velut horridum monstrũ.
C Propterea volo charißimæ, vt si cum viro ex necessitate loqui oporteat, velum in fenestella tractum, alterutrã faciem tegat: ne liceat videri, quod concupisci nõ licet. Excusationem nullam sibi arripiat sanctitas. Sanctus Dauid in videndo capitur. Dina vt videret egressa, visa corrumpitur. Sic infinita forent exẽpla, quæ sæpius ruminanda vobis relinquo. Quid per multa vagor? Penè sacræ scripturæ clamant syllabæ singulæ, penè instruimur corporis proprii singulis motibus: quod victoria non speratur in hoc certamine, nisi ex fuga. Nemo ex fortitudine audeat resistere virib⁹: quoniã nisi fugiat, cito succumbet. In cõmuni etenim vita nec verbũ sit proprium, secreta verbola non carent suspicione. Ideoque præcipio, vt nulla soror alicui exteriorum sine plurium sanctarum sororum & abbatissæ, seu alterius præpositæ domus potissimè præsentia loqui audeat: his dumtaxat exceptis, quæ sacerdoti in confessione dicuntur. Solent profecto talia verba, semina multa mala proferre Inter vos de viro nequaquam, si fieri potest, habeatur mẽtio. Vltrà quam creditur, exultat diabolus, vt in corde virgi-
D neo, virorum memoria vigeat. Nullum venenum nociuius fœminæ, quam affectio erga virum, quacunque de causa procedat. Proh dolor infelix cõditio sexus vestri. Sanctior mulier vltra quàm dici liceat, si vero adhæreat quantumcunque spirituali, instinctu naturali inclinatur tãdem ad nefas, si in viro virtus deficiat. Piget quæ noui cuncta narrare. Etiã argumenta sunt diaboli, & mortis æternæ indicia, filiationes & maternitates, quib⁹ vocabulis & sub velamine spiritus inter se vtũtur mares & fœminæ. Munuscula omnia, & suspectas literulas, hæc cuncta luxuriæ nũtia, vobis interdico sub anathemate, & æternæ mortis pœna. Adhibeatur sũma diligentia, vt extra cœnobium res litera qualiscunque nõ exeat, nisi abbatissæ & sororum accesserint vota. Et si opus est, & grauitas ita rei exigat, adsit episcopalis licentia, seu sacerdotis consilium. Grauißimæ pœnæ subiaceat, quæcunque huius reperta fuerit rea.

CAPVT XXI.

De fictitiis & nociuis sermonibus euitandis.

SEruis Dei frequentiam populi, sancti omnes patres prædicant inter cætera summè nociuã. In multiloquio nequaquam peccatum deesse potest. Lingua hominum ad iudicia præceps: absentium vitam vt plurimum non cessat hinc inde corrodere. Pessimum quorundam spiritualium genus, nõ attendẽtes, quòd Deus filio suo dedit omne iudicium de vniuersorũ hominum vita, ac de moribus, & quod pl⁹ est, de conscientia, cuius occulta scire, solius est diuinæ sciẽtiæ, iudicare sibi licere putãt, proferentes in medium, quòd spiritualis homo diiudicat omnia. Heu immundo spiritu pleni, quid conamini de oculo fratris festucam extrahere, qui fertis continuè
F in vestro trabẽ? Hypocritæ tristes *exterminant facies suas, vt appareãt hominibus ieiunãtes*, & barba prolixa, crine cinere asperso, fracta vndique ac rudi & deformi veste, colloquio blando, verbis fictitiis, se sanctos ostendunt, & dealbati parie es inter mulierculas seminãt sectas errorum. Denique loquentes cuiuscunque vitã simul cũ fama denigrant, instrumenta diaboli hæc sũt omnia. Infortunatißimum mulierum genus, hamo capiuntur vt pisces: ad macellum ducũtur vt bestiæ. Proteruæ omniũ fœminæ, semper fictitia cupiunt, sẽper subornata verba deposcunt, exquirunt mendacia, fabulas nouas nunquã fastidiunt: Auguriis, veneficiis, & incantationibus dæmonum delectãtur Si qui talia proferant, hi prædilecti filii, hi spirituales patres & fratres, hi profecto (vt veri⁹ liceat dici) concubinarii, & corruptores mẽtis, & ventris, nutriuntur exquisitis ferculis & delicatis escis, vina pretiosa nõ desunt. Ex furtiuis sæpe virorum laboribus & inter crapulas & ebrietates ructantes fauces, spiritus dulcedinem prædicãt. Proponitur iterum atque iterum
G illud Apostoli: Quod *omnia munda mundis*. De talib⁹ loqui nefas est, & proh pudor. Sed cupio Dei seruitricibus detegere omnes artes diaboli, vt nihil desit quod caueri possit.

CAPVT XXII.

De silentio & diebus & horis debitis obseruandis.

HÆc itaq; omnia sponsæ Dei dilectæ procul expellite: in his diabolum cognoscite principãtem. Inter vos nunquam de vita disputetur alterius. Maneat diuino examini omne iudicium Peccata vestra cognoscite, delicta vestra plorate. Omnium vobis vita, sanctitatis exemplum appareat. Vos vniuersis æstimate peiores. sic puritas mentibus vestris inhæreat, vt cogitare sit indecens, & credere nefas, aliquem propter vos posse peccare. Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugientes, dimittite vt serpentem, vt verecundia victus, discat de factis aliorum silere. Muliercularũ quarũdam
H solet esse moris vt plurimum, vt sẽper garrulæ, nihil secretum habeant quod audiunt: imò potius quod sæpe nesciunt, dicunt: nihilque scandali seminarium norunt tacitum tenere, hinc inde aut proferentes verba nociua, aut seminãtes discordiam, aut audientes alios ad detractionem incitãt, aut maledicta confirmant, vt duplicis delicti reæ habeantur. In hoc cõuentu ancillarum Dei, muliebris omnis expellatur infirmitas. Illud Iacobi verbum in corde vestro multotiẽs repetatur in die: Si quis putat se religiosum esse, nõ refrenans linguã suã, sed seducẽs cor suũ, huius vana est religio. Religio igitur sancta nõ potest esse in loquacib⁹, quæ nullo possunt tempore silere, nec abstinere ab inutilibus verbis. Ex hoc enim in eremo sancti patres edocti, summa cũ diligẽtia obseruant sancta silẽtia, tanquam sanctæ contẽplationis causã. Plures me reperisse nõ ambigo, qui per septẽnium nullum prorsus verbum homini alteri emiserãt scientes quod nõ in cõmotione Dominus potest haberi. Propterea volo charissimæ, vt in cõuentu vestro, ter

aut

A aut pluries in hebdomada, exceptis festiuitatibus loqui
omnino, nisi vrgente causa perutili, & necessaria, nulla-
tenus liceat, nec simul, nec cum aliis extra. Diebus verò
omnib⁹, quibus & pro remedio, & pro salute loqui cō-
ceditur, non singulis horis vacādum est verbis, quæ vix
proferri sine peccato possunt: sed hæc inuiolabilis ob-
seruatio vigeat, quod singulis noctibus, post peractam
horam completorii, vsque post missam, & à tertiis vsq;
ad nonam, sacra obseruentur silentia, quatenus & lin-
guæ Deum laudandi concedatur opportunitas, & inu-
tilia verba penitus abscindantur. In choro vero eccle-
siæ ad diuinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo,
claustro, ac capitulo, omni tempore loqui non deceat:
nisi ea ad quæ ordinata sunt loca in laudib⁹ Dei, vt iam
& tempus & locus religionis vestræ prædicent sancti-
tatem, & loquacibus compunctionem ingerant, & in-
trandi ad societatem vestram, sancta desideria incitent,
& affectus ad cœlestia moueantur.

B

Capvt XXIII.

De refrenatione linguæ in loquendo.

NEquaquam charissimæ, Iacob⁹ Apostolus experiē-
tiā poneret religionis in refrenatione linguæ, nisi
certo sciret iudicio, quod mors & vita est in manibus
linguæ. Nam vt innuit, *cū ipsa benedicimus & maledicimus
Deum.* Propterea post multa quæ de lingua pronuntia-
uerat: quandam ex omnibus dictis generalem conclu-
sionem infert. *Quicumque* (inquit) *refrenat linguam suam,
hic beatus in facto suo erit.* Ecce q in refrenatione linguæ
beatitudo ponitur, vt detur intelligi, quod in multilo-
quio Deus, qui est beatitudo nostra, haberi & contem-
plati non potest. Refrenatio linguæ est, cū linguæ, quæ
ex sui vitio semper prona est ad mendacia, vnde & mē-
daces appellantur homines, & vani filii hominum, aut
silentium imponitur, ne in displicentiam Dei prorum-
pere audeat, aut ad bonum exerceatur, vt diuinas lau-
C des exoluat. Sic igitur charissimæ & dilectissimæ filiæ,
temporibus quib⁹ præstatur opportunitas, vt beatæ es-
se possitis, linguas domare, ne conuertantur ad lites, ne
iurgia, contentiones, rixas, & scādala resonent, ne iura-
menta, ne blasphemias, ne opprobria, & aliorū displi-
centiam prodant. Quod si ex instinctu diaboli, qui sem-
per discordias seminat, inter sorores leuis etiam dissen-
sio exorta fuerit, penitus statim per abbatissam, aut per
episcopum, siue præpositum domus, nequitia elidatur
in semine: ita vt occasus solis in domo Dei nō inueniat
iracundiam, & ira cōuertatur in odium, & domus pacis
iam ebriosorum efficiatur taberna. Mendacia verò tan-
quam infernum expellite. Semper autem diuina officia,
aut sacrum codicum verbatam inter sorores, quam e-
tiā inter aduenientes deducantur in medium. Siquan-
do mulierculæ de viris propriis, de filiis, de vestibus, de
mundi vanitatibus, garrulando, loquacitentur, vt moris
est eis mox verba frangantur, mox otiosum verbum &
nociuum diuino cedat sermoni. Si diuinum introduci
D non poterit tali colloquio: in detestationē criminis fe-
nestra claudatur in facie, & velox fuga testetur sanctita-
tem intrinsecā. Nihil itaque per exteriora corporis in-
trans, mentem cogitationibus molestet, cum diuinę cō-
templationi exponitur. Raro cogitatur in mente, quod
exteriores sensus non mittunt. Hæ sunt fenestræ, hæ
sunt ostia, quę si clausa non fuerint, morti patet introi-
tus, & non nisi funestè ingreditur.

Capvt XXIV.

De consortio marium fugiendo.

CRedite charissimæ, credite seni penè omnia exper-
to: nō possunt claudi sensus nostri extrinseci in tu-
multibus hominum. Si color opponatur oculo, nequa-
quam potest non videre oculus: sic & auris, non audire
sonus non potest. Ideoque in silētio & quiete cogitatio
nes peruersæ vitātur, quæ separāt nos à Deo. Propterea E
hortor vos & moneo, vt non nisi sanctarum mentiū au-
dire verba velitis: nō nisi pudicas & honestas facies, quas
macerāt sancta ieiunia, liceat intueri. Sic rar⁹ vir appa-
reat, sic rara de viro mentio habeatur, vt puellulæ vestrę
penè virilem sexum ignorēt. Non animal certè mascu-
lum cœnobii limites trāseat, vt omnis cesset occasio lo-
quendi de maribus. Sic pudica, sic casta verba in omni
colloquio sancta personent ora, vt generationis modus
& ortus, iuuēcularum lateat corda. Hæc profectò cate-
na diaboli est: quam si abstuleritis de medio vestri, non
extendendo digitum ad inquirendum omnia per curio
sitatem, & desieritis loqui quod nō prodest. & per lon-
ga silentia non inueniatur vestra volūtas, vt loquamini
sermones inutiles: tunc orietur in tenebris lux vestra, &
erunt tenebræ sicut meridies, & erit vobis à Domino
requies, qualem mundus iste non nouit: & implebitur
splendoribus anima vestra, quos obtenebratæ mētes ca-
ligine sæculi apprehēdere nequeunt. Felix itaque anima F
spreto turbine sæculi pertrāsiens corporis claustra, illi⁹
summæ & incomprehensibilis lucis potest aliquali illu-
strari radio. Sic dulce, sic iucundum est solatium, quod
displiceant protinus cuncta terrena. Mors formidabilis
vniuersis animantib⁹ terræ optatur pro gloria, vt limpi-
dius libeat intueri, quod modica hora visum, tam dele-
ctabile & iucundū sentitur Sic itaque agite charissimæ:
adimplete quæ estis professæ: gaudete, quia potestis. Nō
vos viri, nō filiorum, non supellectilis cura, nō cęterum
maritale onus molestat. Hominum consortia sic fugite,
sic secularia omnia expellite, vt nequaquam perueniat
ad vos quicquid agitur in sæculo. Solus sponsus vester
Christus strictis vestris fruatur amplexib⁹. Solæ cum so-
lo spōso, aut lectionibus sacris, aut sanctis meditationi-
bus secum confabulemini, & ipse vobiscum.

Capvt XXV.

De obsequiis seruitricum quærentium victum & necessaria sororibus. G

ZElotyp⁹ nimium est spōsus vester charissimę, nul-
latenus patitur sponsas proferri in publicum: ne
concupiscantur ab amatoribus sæculi Semper vult so-
lus lodere, semper solus cū solis sponsis morari deside-
rat: neminem vult admittere ad solatium, de cūctis du-
bitat, de nullo confidit. Sic arrogans, sic superbus est
sponsus, quod si aliū quæritis amatorem, protinus rece-
dit, sic proteruus, quod protinus dissoluit omne coniu-
gium. Idcirco dominæ meæ, quia sponsæ Domini mei
estis, vosipsas omni custodia sibi seruate, ne sponsus tā
dulcis separetur à vobis. Sēper Dina egressa videre filias
regionis illius, vos cautas faciat de periculo illi⁹. In Mo-
nasterio vestro velut in thalamo maneatis cum sponso.
Extra monasterū limites nulli omnino vestrū fas sit per
transire. Hæc lex, hęc norma, hæc sūma professio omni-
bus vobis, vt quæ semel intrauerit ex sororib⁹, nunquā,
si fieri potest, exire permittatur. Nō etiam mulieres illæ
quę religionis habitum gestāt, & voto obligatæ noscū- H
tur cœnobio, per ciuitatem & vicos, vict⁹ & necessaria
quærant. Hæ siquidē extra manentes in aliqua parte lo-
celli, cū omni sāctitate & modestia administrēt quæ op⁹
sunt vobis, recepturæ cum Martha sortē mercedis. Has
autem volo tales seruitrices adesse, quod ex cōuersatio-
ne vitæ & habitu, interior sanctitas monasterii prædice
tur. Quod si ob necessaria domus captāda exeunt, non
circumeāt vicos in fabulis, non matronarum domos in
potibus: sed omne opus bonū exerceant, vt nō vitupe-
retur ministerū suum. Cum his nō liceat sororibus in-
tra degentibus, secretis colloquiis fabulationibus, ne ali-
quid possit intrare extrinsec⁹, quod possit obesse. Harū
omnium abbatissa domus curam gerat assiduam, ne &
ipsæ operētur quod non doceat sanctitatem. Hæ obser-
uationum & ieiuniorum sint astrictæ legibus: & præua-
ricatrices, disciplinæ subiaceāt ferulæ. Quæ si emendari
ex prauitate contempserint, in sanctitatis cōsortio pra-
uitas locum nō habeat, & membrum putridum de san-
cto corpore excidatur.

Capvt

A

Capvt XXVI.

De dulcedine contemplationis erga diuina.

SOlæ idcirco filiæ & dominæ meæ, spōsæ domini mei intus manentes nihil sentiant, nisi pium Iesum, hūc paradisum solæ possideant, vbi dulci & iucunda quiete ineffabilem trinitatem inuocātur in sacris literis, choris intersint Angelicis, dulcibus eorum melodiis misceantur, diuina in Ecclesia concinendo mysteria. Informet mētem sanctorum patriarcharum, & patrum antiquorum obediētia, prophetarum oracula, dulci meditatione cor accendant ad promissa felicia. Apostolica documenta, fidei cuncta detegant sacramenta. Euangeliorūque codex semper vt speculum teneatur in manibus. Martyres sancti, cūcta sæculi aduersa, & tēpestates huius maris procellosi cū omnibus diabolicis versutiis, & B infestationes dæmonum doceāt conculcare. Confessorum pretiosa deuotio, ad diuinorum contemplationem assiduam affectus astringat. Regularē vitā instruat sanctorum monachorum mira conuersatio. Frangere omnem sexus molliciem, & sanctæ virginitatis seruare propositum, pretiosissima virgo virginum cū cæteris virginib⁹ sacris sēper edoceat. O felix societas, ô felices vos si talis ac tanti muneris nō sitis ingratæ. Felicissimæ nimium si dignitatem vestram ipsæ cognoscitis, quæ omniū regi & domino, reginæ speciosæ matrimonio copulatæ, ipsum dummodo velitis habere meremini, quem angelici Spiritus videre cōcupiscunt. O ineffabilis gloria. In fragili siquidem corpore Deum intueri potestis. Hic quæso mēs vestra vigeat. Hæc dies diei eructet verbū, & scientiam hanc nox indicet nocti. Angelicis choris, sanctorū societatibus, hic studeatis interesse, vt postmodum in corporis exitu, vobis gaudentes & læti tanquā notis occurrant. Si sic feceritis, nihil vobis dulcius, C nihil iucundius, quā his interesse conuiuiis: his pabulis saturari, quibus semel degustatis, terrena omnia amara cernōtur. Vere tunc clausura cœnobii, cuius tædet mētes vagabūdas & deuias, vobis pro summa deputabitur gloria, & reputabitur extra limites monasterii esse necesse potius mori. Experto itaque seni deuore consulēti credite filiæ. Si semel gustastis quam dulcis est dominus ad quē accedentes poteritis ab eo illud audire. *Venite, & ostendam vobis omne bonum*: & tunc ostendet vobis talia qualia nō nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor charissimæ. Nam vt meam insipiētiam loquar; ego homunculus sic abiectus, sic vilis in domo domini, adhuc vinctus in corpore, angelorum sæpe choris interfui, de corporeis per hebdomadas nihil sentiens, diuinæ visionis intuitu, post multorū forte dierum spatia, præscius futurorum, redditus corpori flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam! quid inenarrabilis delectationis sentiebam! Testis est ipsa trinitas, quam cernebam nescio quo intuitu. Testes sunt & ipsi beati spiritus, qui aderant. Testis est etiam conscientia mea, qui tantis bo- D nis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollicies corporis mei.

Capvt XXVII.

De clausura domus.

NOn potest ad tantæ contemplationis dulcedinem cor sæcularibus plenū negotiis aspirare, sed oportet vt sæculo moriatur, & soli Deo per tātas meditationes & desideria superius inhæreat. Vnde *granū frumenti cadens in terram, nisi mortuū fuerit*, semper sic *solum manet* vt cecidit, *quod si mortuatur, fructum plurimum affert*. Sic & charissimæ, domum paternam & sæculares vestes relinquere, & monachi nomen assumere, modicum prodest homini, si mens ipsa misera quæ in mundo habētur, affectibus optet: & quæ reliquerat, desideriis repetat. Exeunti etenim Lot cū filiabus & vxore de Sodomis, mādatur ab angelis ne retrospiciāt, quæ iam perambulando reliquerant. Cuius vxor, more fœminarū, quæ sem-

S. Hieron. tom. 9.

E per petunt contraria, obuians mandato, statim est conuersa in statuam salis. Hæc itaque vos doceat, qua pœna sint puniendæ, quæ mundi vanitates affectant in monasteriis. Nam efficiuntur insensibiles statuæ salis, vt iam nihil de supernæ cōtemplationis dulcedine sentire valeant, sed maneāt in amaritudine sæculi, quæ sæculo viuūt. Propterea charissimæ, monasterium vestrum vobis sepulchrum eligite, vbi mortuæ cum Christo, mūdo & concupiscētiis eius, solæ cum Christo ibidem maneatis sepultæ, quousque resurgētes cū eo appatebitis in gloria eius. Demum timēdum est plurimum, ne quis ingrediatur nocte ad furandum pretiosum thesaurum, qui latet in tumulo. Hinc inde fures fodiunt, vt furentur infinitis astutiis, quod intus habetur. Custodiatur ergo sepulcrum per episcopum, quem De⁹ in vinea sua primū custodem præposuit. Custodiatur & per præpositū presbyterum, qui vicē eius tenet in loco, ne quis incaute in- F troeat, ne quis ad minuendum pergat. Murorum munitionibus sic vndique circūcingatur locellus, quod vix auibus præbeatur aditus. Sic tēdantur muri in altū, quod non solum non liceat pedibus, sed nec oculis, quæ int⁹ geruntur, agnoscere. Ostia serentur fortiter clauib. Claues vero disponat episcop⁹, ne quis nisi habēs vestes nuptiales introeat vel exeat sine eius cōsensu. Sit autē vna vel plures fenesterulæ iuxta dispositionem episcopi, sic ferreis virgis arratæ vndique, vt vix digito pateat aditus. Per has horis debitis, aut necessitatis, aut ædificationis siue recreationis causa, sanctis sermonib⁹ cum sāctis viduis, & aliis mulieribus, quas vestium habitus & facies tenues & pudicæ reddunt venerabiles; sororibus liceat simul loqui. Prohibitis & suspectis horis, fenesterulæ clausæ maneant. Et claues Abbatissa domus, vel sancta alia soror custodiat, ne coruus egrediatur per fenestram ex arca. Credite hic timendum est thesauro à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Semper horæ hæ suspectæ sint mentibus castis. G

Capvt XXVIII.

De detestatione pretiosarum vestium.

PRophericus ille sermo nequaquam proferatur de vobis. *Filiæ eorū compositæ, circumornatæ vt similitudo tēpli*, & dealbatæ ab extra vt monumenta, quæ extra auro relucent, intus autem sunt turpissima & immunda, plena cadaueribus mortuorum. huiusmodi non filiæ regis Christi, sed Tyri. Hæ sēper in muneribus, hæ vultus impudicitia per diuites plebis capiūtur & capiunt. Imperfectissimus mulierum affectus. Semper in vestib⁹, semper in auro, lapidibus pretiosis & ornamētis extrinsecis gloriam ponunt. Non sufficit eis libido innata naturæ, sed occasiones quærūt explendæ libidinis. Affectant proculdubio, vt oculi virorum aurum cōtemplantes & gemmas, iādem figantur in faciem, vt oculorū suorum nutibus facilius incitēt ad libidinosum incendiū. Quid meretrix communis gloriaris in margaritis & gemmis? H Quid ad te attinet argentum & aurum? Quid exaltaris in pulchritudine panni? Nonne est omnis caro cinis & fœnum & (vt veri⁹ dicam) massa putredinis, cibus vermium, & fœtidissimum stercus? Quid in te mirandum, quid laudandum puerorum spectaculum? Nonne & si laudetur gemmarum & metallorum pretiositas, quam sibi natura tradidit, semper tamē cognosceris cinis, fœnum, & stercus immundum ex immundo productū semine? O si te velles intueri vilissima mulierum, quā verecundareris de corpore quod tanto cultu excolis? Ipsa etenim iumento & bestiis terræ aut es æqualis, aut deterior, intus est vnde glorieris, non extra. In vase isto tam turpi thesaurum tenes, quem summa cum diligentia colere debes, & seruare summa custodia. Nihil ad te de vase fictili, si turpis forma sit extra, dummodo intus sit nobile, intus sit pulchrum quod latet, intus sit integrum quod seruatur.

A

CAPVT XXIX.

De periculo ambitionis vestium.

PRopterea vos charissimæ, quæ estis spōsæ & filiæ regis æterni, cuius regnum nō corrumpetur, nec auferetur ab eo, sit ab int⁹ omnis gloria vestra. Sedere ad dexteram spōsi in vestitu nō exteriori sed interiori, deaurato auro charitatis, in fimbriis aureis, id est, charitatis præceptis: sit vndique vestis circundata varietatibus, vt iam nihil in ornamētis de virtutibus desit. Sint myrrha, gutta, & casia à vestimētis, vt in odorem virtutum & vitæ, cæteræ ad sanctitatē vestram adolescentulæ currant de sæculo. In hoc honore vestro delectemini filiæ regis æterni. Hunc vestrum decorē concupiscet rex vester & sponsus. Sic decoratæ adducemini in tēplum regis. Sic secum manebitis in thalamo in lætitia & exultatione. B Tunc nascentur ex vobis filii, qui non iam terram sed cœlum replebūt, quos pater constituet principes super omnē terram. Quod si vos exteriorum vestiū delectaret ambitio, si egressæ de sæculi pōpa, de domo diaboli, & de congregatione malorum, populi vestri & domus patris nō essetis oblitæ totaliter, extollentes vos aut de parentum dignitatibus, aut de carnis prosapia: siue de huiusmodi vanitatib⁹ caducissimis, terræ vaporibus, vti solitum est incolis terræ, protin⁹ assurgens rex potētissimus accinctus super femur suum gladio bis acuto, expellet vos vndiq; vulneratas dextera sua de tabernaculo suo. Tunc acutissimæ eius sagittæ perforabunt corda vestra in amaritudine, quoniam virga directionis, virga regni sui. Et postmodum abiectas de domo domini vestri, omnes deridebunt vos, & dicent de singulis vestrū. *Filia Babylonis misera*, quæ non posuisti Deum adiutorē tibi, sed sperasti in vanitate tua, sede iam super flumina Babylonis, plange & suspende in salicibus organa, dum recordaris vnde expulsa es. Nam quæ solebas cantare C canticum laudis & lætitiæ, modo ploras ad terram alienam deducta.

CAPVT XXX.

De consideratione extremi Dei iudicii.

ITaq; charissimæ dominę, cum Apostolo arbitremini vos in hoc seculo stercora, & mundi purgamenta, vt sponso vestro placere possitis. Nihil ad vos de pompis sæculi attinet, quæ abrenunciastis in baptismate mūdo, diabolo, & pōpis eorum, quod & postmodum cōfirmastis sub pollicitatione iuramēti, in vestræ religionis ingressu. Nullus vnquam inter vos sermo habeatur de nobilitatibus generis, de prosapia carnis. Sit æqualis in Dei obsequio, filia regis filiæ rustici. Omnes simul nobilitatem & dignitatē vnam habetis ex sponso. Exeatis cōtinue extra castra cum Christo, vt cum Christo crucifigamini mundo & vitiis, portantes cum ipso improperia, & amore eius, officiorum domus labor dulcis appa- D reat. Nō disputetur de maioritate officiorum, sed de deuotione & affectu implendorum. Nunquam murmur, nunquam verborum turpium, nūquam litium sonitus, inter mortuas sæculi sonent. Sepulta cadauera nunquā inter se iurgia peragunt in sepulcris, nunquam blasphemāt, nunquam contendunt. Sic & vos charissimæ, sopitæ somno quietis & pacis, expectetis sponsum & iudicē vestrū, expectetis magnum & terribilem diem iudicii, diem videlicet iræ, diē calamitatis, vbi cœlum simul cū terra patebit, cœlorū omnes mouebuntur virtutes, trementes erunt Angeli simul cum sanctis omnibus, tunc singulorum vitæ discutientur discrimina, & merita apparebunt. Semper tuba illa terribilis vestris perstrepet auribus. Surgite mortui, venite ad iudicium. Ecce rex in manu potenti venit, à cunctis vult exigere rationē, certe de cogitationibus minimis, certe de leuibus & otiosis verbis. Si reddere de singulis rationem paratæ nō eritis proiiciemini in carcerem exteriorem, audietis à iudice.

Ite maledictæ in ignem æternum paratum diabolo & angelis eius. E

CAPVT XXXI.

De abiectione exquirenda in vestibus.

HEu tor infelicissimū, mens infortunatissima, quæ diē iudicii tam horrendam non meditatur quotidie, & si meditatur, fatuissimum appetit quicquam, de sæculo & pōpis eius. Nullo vos die, nulla vos hora transeāt hæc omnia. Quilibet paries domus, quilibet angulus, vestris demonstretur in oculis, ista die depictus. Si hæc non prætermittatur lectio, tunc abiectio vestium, cuius tædet mulierculas fatuas, vos delectabit. Tunc rustican⁹ & abiect⁹ pannus, purpuræ præponetur & bysso. Tunc crassa & rudia velamina capitis æstimabūtur ex sericis. Certe tanta erit deformitas in melotis, tanta grossities in cucullis, caputia tam rudi artificio præparata: quod si sic forent sæcularium indumenta, artificum F pāni, breui tempore periret omnis industria. Ista charissimæ decēt monachas, non strictis manicis, pretiosis & compositis pānis, subtili velamine eleuatis superciliis, cor meretricum non tam prætendere quam habere. Nō tales existimo monachas, sed pessimas meretrices & scortū vilissimum. Nō est enim opus cadaueribus mortuorum pretiosis & compositis ornamētis in sepulcris. Monumenta non indigent talibus, monasterii lapides non appetunt gloriā vestium, quæ sine peccato grandi minime possunt haberi. Histrionibus & lusoribus regū & principum sæculi, mollia sunt relinquēda. Ioānis de pilis camelorū interest vestiri. Pudeat igitur religionis nomē habere, & se cultu vestium histrionem ostendere. Ideoq; charissimæ, volo vos mortuas sæculo: quæ totaliter mundū calcastis, procedere sic deformi & incōposita veste, q̃ si impudicis oculis liceret intueri vos, risus potius prouocaretur quam cogitatio mala. Fateor quidem illos mētiri qui gloriantur se seruare castitatē, G & in vestibus lubricitatem sectantur. Pānus itaque vestet, & si albus & cādidus, tamē grossus & vilis sit, vt & color candorē castitatis intrinsecum, & vilitas contemptum terrenorum exhibeāt. Hęc gloria monacharum, hoc studium religiosarum mētium, hoc indicium sponsarum Dei æterni, hoc signum mortuarum sæculo & sepultarum cum Christo.

CAPVT XXXII.

De austeritate exquirenda in stratu.

COniugatę & viduæ quæ manēt in sæculo, circa plurima, circa laboriosa solicitæ sint: quotidie circa frequēs ministeriū occupatæ cū Martha, soluentur per opera pietatis, Iesu ministrantes in paupere, frangāt esurientibus panem suum, egenos & vagos domum inducant, cooperiāt nudos, insistant misericordiarum operibus, proculdubio tā fructuosis & bonis, quod impossibile est quod Deum non placent iratū. Colligatio- H nes impietatis dissoluant, & fasciculos dissoluentes, omne onus dirūpant. Vos autē charissimæ, quæ meliorem partem, imo optimam elegistis cum Maria, sedete continue secus pedes Iesu, sacrarum scripturarum volumina, sacris reuoluendo lectionibus. Lauate eius pedes assiduis cōpunctionis & gaudii, charitatis ac deuotionis lacrymis, contemplationis intentæ dulcedini. Capillis extergatis, terrenorū omnium superfluitatem per eam capellētes de corde. Audiatis de ore Iesu verbum quasi gladium anceps pertrāsiens corda, scindens compagem membrorum vsque ad diuisionem Spiritus. Hoc verbū dulce erit faucibus vestris super mel & fauū. Hoc verbū per quod facta sunt omnia. Hoc verbum quod Centurionis poscebat deuotio, vt sanaretur puer ei⁹. Huius verbi dulcedinem solum norunt, qui audiunt. Hoc verbum audire non possunt somnolenti & ignauiæ dediti. Quapropter charissimæ, volo vos singulis noctib⁹ breui & duro stratu iacere in cellulis vestris, nō in plumis & mollib⁹, sed aut in paleis aut straminib⁹, siue in ligneis

potius

A potius capsis quam lectulis, vt & membra domata, potius stratum horreant quam affectent, potius somni imminentis quietem magis compellat necessitas quam voluntas. Sic ob duritiem breuis & leuis occupet sopor, quod non sit fas solitis illusionibus noctium, mentem sopitam torqueri.

Capvt XXXIII.

De matutino, & modo dicendi diuinum officium.

AD matutinas excubias, media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiat campanilis sonitus. Non ignoretur an fuerit ob soporem, sed potius ob contemplationis ecstasin. De cellulis oratione præmissa, mediæ noctis summa quiete, ad Ecclesiam singulæ sorores aduenientes, sponsum dilectum matutinis excitent laudibus, vt exurgat in eatum auxilium. Sic distincte alternatim psalmi lectionesque sacræ proferantur, vt ob collisiones & hiatus ac barbarismos, ad risum non prouocentur Angelici spiritus. Sit semper moderatus, attentus, quietus, & suauis sonus in vocibus, vt nulla pompa, nullaque carnalis delectatio habeat locum in diuinis præconiis, summa deuotio, crebra suspiria & lachrymas B fundat. Sic morositas, sic velocitas teneatur in modo: quod nec fastidium, nec impedimentum linguæ possit oriri. Nulla vnquam verba quantumcunque vilissima proferantur inter psallentes, sed illud in mentis arcano, summa cum diligentia ruminetur intrinsecus, quod pertractatur extrinsecus. Nullius est meriti ore diuina officia verbositare, & misera mente, quę extrinsecus imminent, vagando circumire. Expletis vero laudibus matutinalibus, nec tunc somnus arripiat, ne differatur quid sponsus petitionibus sponsarum respondeat. In capitulo mox attentis & deuotis sororibus, sanctorum librorum deuota lectio de voluntate domini sui pandat quicquid agendū sit. Et sic cedant illusiones, & dæmonum phantasmata, quæ dormientes illuderent. Illico lectioni alia succedat breuissima lectio, de his quę ad Apostolicę vitę instructionem pertinent, qualicunque stylo præsenti opusculo pertractato, vt sic singulis diebus quasi quodam bolo pia mēs depasta, dulcedinem appetat, nec retardetur fastidio, C & de modicis eximia cogitet. Sequantur lectiones, confessiones criminum in regularibus disciplinis coram Abbatissa domus & cęteris sororibus. Prodantur in publicum quæcunque gesta sunt contra regulares obseruātias, & obedientias: vt iam nullatenus quicquam inemendatum & impune pertranseat, nec lateat matrem & sorores vniuscuiusque conditio, quatenus & verecundia & disciplina, quam mater imponit, circa futurum tempus vnaquæque reddatur astuta. Extra vero capitulum aliquid de his vnquam qualicunque verbo vel nutu proferre, sit anathema. Hoc itaque sine mox sancta clausa discedat.

Capvt XXXIV.

De ordine dicendarum horarum primæ, tertiæ, sextæ, & nonæ.

CVm laudibus primæ dies salutaris incipiat: quibus expletis, sacræ missæ mysteria ob sponsi præsentiam, sponsarum corda lætificent, charitatis inebrient poculo, D deuotionis & fidei satient pabulo in conuiuio salutari. Sit postmodum vnicuique commodum, aut orandi, aut legendi sacra volumina, siue aliter operandi quæ sancta sunt. Deinde doctæ puellulas nouitias de Euangelica vita, de sanctis moribus, de officiis domus, de regularibus disciplinis, vsque ad refectionis horam instruant. Præparentur & interim cibi, quibus corpora refocillentur ad pœnitentiæ iugum. Nullo vnquam detur otio animus, ne quando cogitationes & motus mentibus instillent illicita. quod si aliqualiter insurgere inceperint, statim elidantur in semine, ne crescant zizania cum tritico, aut laboribus, aut operibus manuum quicquid male concipitur, euanescat. Adeat sanctam sororem vt locutionibus

sacris proiiciatur immundum. Tutissimum valde est fidelem & iustum habere amicum, cui quicquid arcano E cordis sinu latet protinus reseretur, non enim in suis semper potest homo negotiis rectum habere iudicium. Adueniente vero refectionis hora, qua reddere corpori debitum natura compellit, diebus communibus laudes tertiæ & sextę horarum prius Deo deuote soluantur. Postmodum cum omni modestia, benedictione ab Abbatissa pręmissa, cibum sumant, parsque ministret. Postquā vero cæteræ comederint, & ipsę, quę ministrauerant, comedant, & sibi ministretur ab aliis. Cum vero ieiunii tempus refectionem tardiorem effecerit, sacra mysteria missæ, tertia & sexta & nona pręueniantur, cæteris diebus post refectionem nona dicatur hora statuta, cum iam sol in medio gyro diem exhibet medium.

Capvt XXXV.

De cibis & ordine comedendi.

QVando enim vos ad refectionem hora debita aduenerit, in cibis vestris minimè refulgeat cocorum F industria. Non ciborum nobilitas appetitum moueat, sed fames: non apponantur incitatiua libidinum, sed quæ possint famem extinguere, aut legumina, aut olera condita vel in oleo. Carnes vero solum sint ex licentia Abbatissæ indultæ debilibus & infirmis: alioquin eius sint saporis ignoret cœnobium. Oua & lacticinia post ieiunia debilitatis sororibus & præcipuis festiuitatibus permittantur ex gratia. Raro sciantur quæ in aquis oriantur & viuant, nisi parui pisciculi. Gulæ horridum scelus, genitrix luxuriæ, & castitatis carnifex cum Dei ancillis nullam habeat sortem. Ideoque tanta sit in sumendo sobrietas, tanta talisque parcitas, vt venter potius conqueratur quam gaudeat. Non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructus potius vacuatio quam nimia repletio inducat. Nec cinguli ampliatione sit opus, vt & sic mens à Dei meditationibus minime retardetur per crapulam, & corpus non egeat medicinis. Sit semper ordinata & composita in suo modo comestio. Non sit in sumendo ferculo talis velocitas faucium, & tam velox masticatio boli, G quod merito de ingluuie aliqua possit oriri suspicio. Nō tam in comestione cibus, quam turpis modus reprehendendus est. Sæpe etenim in fabis & panibus hordeaceis nimia auiditas grande peccatum causat. Nequaquam auidi & vagabundi oculi per discumbentes huc illucque vagando, hanc vel illam magis vel minus denotent comedentem. Non prandentium numerus animum occupet vniuscuiusque.

Capvt XXXVI.

De sobrietate & ieiunio.

VInum quoque *in quo est luxuria*, sponsis Christi tanquam venenum suspectum sit. Potius stomachi languor, & afflictæ naturę debilitas consulat, quam delectatio aut ingluuies. Quod si sumere cogit pene ipsa necessitas, tunc aut sic debile vinum, aut sic aqua permixtum H præbeatur in potum, quod nequaquam ex fumositatibus repletum caput, ridiculosa aut puerilia verba depromat. Sacrilegium reputatur ebrietas, in fœmina præcipue, sed infinito plus in domini sponsa. Noe denudatio verendorum: & Lot incestus ob ebrietatem, vos cautas instituat, vos semper reddat timidas semperque suspectas. Vere credatis quod ignem portat in gremio, qui assiduo vtitur vino. Nequaquam quæso inter mortuas corpori, quæ omnibus voluptatibus se abdicarunt pro Christo, de gulæ horrendo facinore, & ebrietatis immunditia sermo etiam minimus habeatur. Ventris ingluuies & ębrietas, tam animæ infirmitatis, quam corporis causam & materiam tribuunt. Ideoque medicinale ieiunium, omnem auferat languorem, omnem tribuat virtutem & gratiam. Hoc vos legislator edoceat, cui lex non datur priusquam ieiunium quadragesimale perficitur. Elias in fortitudine sub-

A subcinericij panis, ieiunus per quadraginta dies peruenit ad montem Dei Oreb. Quid vero virtutis contineat sacrum ieiunium, à vestro muestigemini sponso, qui quadragenario peracto ieiunio, tentationem diaboli vicit. Viri Niniuitæ non sileant, qui ieiunus commune euaserunt exitium, & irreuocabilem Dei motauerunt sententiam. Hæc vos charissimæ imitamini, sed assequamini sapienter, ne dicatur à domino. *Nõ est hoc ieiunium quod elegi.* Castigate membra vestra, sed nolite interficere. Non causet ieiunium verecundiam, vt scandalum sit cæteris, non dolore capitis, & debilitate corporis sacræ omittantur lectiones, nec orationes deficiant, ne necesse sit contemplationes deserere. Vnaquæque suæ salutis per ieiunium sibi medelam adhibeat. Frangatur corpus ieiunus, castigetur in cella verberibus. Si quicquam concupiscit illicitum, multiplicentur abstinentiæ, adhibeantur grauissimæ disciplinæ, donec sic humile, sic benignum fiat, quod nihil sibi vendicet nuxium, nihil exigat quod non vultis. Ergatur domina, principetur in omnibus, subuciatur, suppeditetur & conculcetur ancilla. Quod si iterũ
B atque iterum erigit se contra dominam, eiciatur ancilla, denudetur, fatigetur, & humilietur ad votum. Si vero quietum corpus vltra vires, vltra condecentiam velitis exasperare, indignatum vos in foueã deuciet indiscretas. Nil quippe potest habere virtutis, quod indiscretio facit, quod imprudentia initiat, & improuisio docet.

CAPVT XXXVII.

De lectionibus ad mensam.

SIc dulcia sano palato eloquia domini sunt, quod ounquam degustata fastidiunt. Semper nouos generant præ suauitate & dulcedine appetitus. Vos semper ea degustare decet. Nullo vnquam tempore vobis est ab oratione cessandum. Semper vos orare Apostolus instituit, quæ non pro carnis illecebris vacare ad tempus obliga-
C mini velut coniugatæ. Ideoque semper pro posse oretis, vt dum corpus saginatur cibo, saturetur anima lectione. Non est fas etiam secularibus simul cibum terrere, & inania verba ructare. Sacram de veteri testamento, & de nouo, sanctorum gestis & dictis, singulis hebdomadibus deputata soror comedentibus lectionem legat. Tunc vniuscuiusque mens sobria intenta sit dulcedini verbi Dei, suspiret anxia, cum propheticus aut historicus sermo Dei sæuitiam monstrat in prauos. Gaudio repleatur inoriendo com benignitas Dei annunciatur in bonos. Respiret spes, cum erga pœnitentes indulgentiam posse exhiberi monstratur promisso vel facto. Erigatur fides, cum in promissis Deus fidelis ostenditur. Charitas accendatur, cum tot priuilegiis & moneribus ex Christi natiuitate, & eius vita & passione ac resurrectione, nostra dotatur humanitas, atque oostra vilitas sublimatur. Non resonent verba, sed gemitus: non risus & cachinnus, sed lachrymę. Nou occupentur manus incisionibus inutilibus, sed ex recordatione criminum tundantur pectora. His enim itenis agi-
D tata sæua gulæ rapacitas, sobrietatis nõ excedit limites, toribus ventris non adeunt crapula, demum æstuans libido non nocebit quicquam.

CAP. XXXVIII.

De operibus sororum post prandium.

SVmpto denique cibo, nec tunc ad eundum est fabulas, sed Christi exemplo, cum Dei laudibus ad gratiarum actiones consurgant, Deoque in Ecclesia hymnos persoluant. Deinde cum omni silentio, vt sacra lectio lecta proficiat, vt menti inscribantur narrata, vnaquæque singillatim relegat & cõfirmet, aut in Ecclesia de his quæ didicit meditetur, quousque simul diebus communibus, post prandium horæ nonæ, in Ecclesia celebrauerint dignas laudes: aut si forte prandium præuenerit hora nona diebus ieiuniorum, quousque cãpanella in claustro pulsabitur, interim si breuitas noctium & temporum conditio, & naturæ necessitas exegerit, post aliquam horulam
E in qua legendum est post prandium, vel orandum, liceat paulisper volentibus quiete potius quam somno corpus refocillare, vt fortius reddatur laboribus. Post quietem quidem hora nona decursa vel pulsata campanella, ne quicquam otiosum possit diabolus reperire, ne vanis desiderijs pateat cordis aditus, altera sororum libros scribat, vt & manus labore, & mens diuino repleatur pabulo. Sua altera cucullas sororum, & tunicas & melotas. Plantas olerum plantet altera in hortulo, vt crescentes vobis præbeant escas. Altera femina iactet. Irrigentur areolæ, vt seminibus aptæ fiant. Inserantur fructiferæ arbores infructuosis, vt ars vim repellat naturæ. Ex his resurgat mẽs propter visibilium horum inspectionem ad meditandum de inuisibilibus Dei: oriatur admiratio diuinæ potentiæ in semine, quod ex sic paruo, sic arido, tantæ magnitudinis & viriditatis & pulchritudinis creatura formetur. Ex admiratione crescat deuotio, ex deuotione eleuatio mentis, ita vt iam ipse hortulus fiat oratorium, & creaturæ in- F
sensibiles creatoris magnitudinem prædicent. Sed cauendum est potissime, ne manus vestræ quicquam contingere audeant, quod vanis vsibus possit aptari.

CAPVT XXXIX.

De horis vespertinis & completorio.

SErpens morum, omnis otiosus sermo expellatur de medio vestri. Nunquam risus, nunquam cachinnus cor vanum pronunciet. Sic sancti, sic pudici sint actus corporis cuncti, vt mentis sanctitatem exponant. Homo nempe exterior, interioris index est. Sancto vos in labore, sancto vos in opere debellantes diabolum, vespertina hora teperiat, qua in Ecclesia sinoctis Deus laudetur officiis. Si festiuitatis celebritas, si nimia debilitas communẽ cœnulam breuemque refocillationem corporis potius quam ad delectationem paratam indulserit, vespertinæ laudes Deo tempestiuios persoluantur quam cæteris ie- G
iuniorum diebus, vt nec etiam debitæ laudes in vltima hora diei, vel omittantur, vel in aliquo detruncentur ob cœnam. Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam, iuxta exigentiam temporis ad Ecclesiam sorores campanella vocet: vbi vel de sanctorum gestis, vel de alijs mirabilibus Dei lectio deuota dicatur: Cui succedant completorij laudes, vt ex his toboratæ mentes diuino pabulo, nocturnis phãtasiis occultisque fallaciis diaboli occurrere non formident, nec timeant dimicare: & sicà diuinis obsequiis exortus dies, à diuinis finiatur in laudibus. Post completorium vero nihil aliud quam silentium sentiatur, vt sorores quietæ semotæ totaliter corporeis sensibus, quæ in præterito tempore diuinis audierunt lectionibus, ruminent mente, & restringant in corde. Hęc meditans vnaquæque suam cellulam adeat, benedictione matris suscepta, & religionis habitum gestans, vt si natura H
exegerit se in stratu ad quiescendum componat. Si vero dormientem dæmon insequi cœperit, quam vigilantem metuerat, si illusiones immiserit, si turpia cogitatui opposuerit, mox vt Dei sponsa persenserit exurgat, cedatque ignauiæ & sopori velox excubitus. Inde protinus horrẽdum & tremendum diabolo signum crucis opponat, sponsi dilecti inuocet auxilium, & sponsus zelotypus, qui nimio zelo sponsam custodit, exurget protinus in auxiliũ sponsæ suę. Scuto circundabit eam, ne iam nimeat à timore nocturno. *Et cadent statim à latere eius mille, & decem millia à dextris eius: nec appropinquabunt ad eam. Postremo Angelis suis mandabit vt custodiant eam in omnibus viis eius: ne forte offendat ad lapidem pedem suum.*

CAPVT XL.

De charitate seruanda erga infirmas sorores.

BAlnearum mollitiem caro sponsę Dei non suscipiat. Harum vsus castis corporib. nõ competit. Satis nosipsi experti quotidie quantus in membris nostris libidinis ignis

A ignis exuratsentimus,etiam si ignis fomenta auferátur pro posse. Nimis est demens & fatuus,qui materiã præparãs igni ad incendium,non vult vt ardeat. Ista decent miserrimas mulierculas, cum periclitantur naufragio partus. Tamé si extrema necessitas infirmãti consuluerit,seruato omnis pudicitiæ honore, cũ omni modestia fiat, Alias in seruis Dei talia cogitare sit nefas. Sũmopere seruetur in vobis,vt erga infirmantes sorores,cum omni solicitudine,omnis exhibeatur cura hospitalitatis, & præbeátur integre totius pietatis obsequia. Si periculum exegerit, medicum sobrium & pudicum ,& omni suspicione carenté,protinus consulaut:& quæ mandauerit sanitati congrua,omni dom⁹ necessitate postposita,benigne fiant. Si veró desunt necessaria , vendantur quæ monasterii sunt,ne temporale aliquod misericordiarũ impediat opera. Nulla lex escæ,vel pot⁹ , aut stratus astringat infirmam vel debilem. Tamen solicite cauendũ est ne ingluuies gulositatis sub infirmitatis velamine,sua commoda quærat : & ne infirmitas sub specie **B** sanctitatis,corpus abstinentiis conterat vltra vires , ne corpus duplici fractum sit malo , apud iustum iudicem deficiens,impium criminetur cœnobium & homicidã. Deputentur custodes infirmantibus discretæ & sanctæ sorores,quæ solicite præcaueant pericula,quæ imminere possunt infirmis , ne quid aliqualiter contingat aduersi. Onera quæso non aggrauent seruitrices. Semper Christum cogitent in infirma sorore latenté,semper se cogitent posse in futurum talibus indigere. Semper lex illa naturæ astricta teneatur sinu mẽtis,hominem debere aliis id exhibere,quod ab ipsis ipse deposceret. Non infi-ciat quæso hospitalitatis opera murmur , sed quod fieri decet,cum omni mansuetudine fiat, iuxta Apostolum dicentem : hospitalitatem sectantes , inuicem in charitate sine murmuratione.

Capvt XLI.

C *De auctoritate Episcopi & præpositi circa obseruationes ordinis.*

Ecce vobis mea domina Eustochiũ & cæteræ dilectissimæ filię Christi,apostolicá vitam rudi & crasso stylo his cartulis scriptam,senex pater & propinqu⁹ iam morti,vt pote centenarius in ætate, deuoto affectu trãsmisit. Hoc speculum æternum,per hoc ænigmatice in præsenti vita,felicitatis viam vnaquæque filiarũ assidua meditatione cernat. Non causet grossities corticis medullam requirendi contemptum. Non imperitus & rusticanus sermo fastidiũ generet. Talia decent poëticas fabulas. Non est opus pietatis & totius veritatis legi rhetorum pompis. Hæc omnia iuuenũ intersunt. Ex hac singulis dieb. velut ex delectabili ferculo,singulum vobis sumite bolum. Hunc non transgluttiendo:sed magna morositate masticando,hinc inde transferte per ora , vt sentire valeatis dulcedinẽ. Fateor enim vobis, quod ex his quæ scribuntur,si sedula sit meditatio,exurgẽt vobis talia,qualia lingua humana nõ nouit , quãquam & hoc **D** imperfectum sit opus. Nulla enim tam sancta,tam iusta, & diu prouisa est constitutio,quæ in futurum plurimos non patiatur defectus,quæ aliquando correctione non egeat. Propterea si quid in hac normula Apostolicæ vitæ & religionis,dispensatione,correctione, vel immutatione indiget, Episcopo vestro , aut præposito vestro presbytero sancto committo , vt secundum plenitudinem Spiritussancti dispenset,mutet,& corrigat. Sic itaque charissimæ filiæ,sanctos viuite dies:sic Christo nuptiali fœdere copulatæ, vt nõ vacua lãpade paratas vos semper media in nocte cum venerit sponsus vocaturus ad nuptias inueniat , nequaquam vobis per exteriora quærentibus oleum , ne tanquam fatuis ex tarditate, thalami negetur introitus. Senectutem vestri deuoti Hieronymi,sanctis vestris iuuate orationibus.

Epistola.

B

CHROMATIVS ET HELIODORVS Episcopi, Hieronymo.

Dilectissimo fratri Hieronymo presbytero, Chromatius & Heliodorus Episcopi saluté in domino. Ortũ Mariæ reginæ virginis, simul & natiuitatem atq; infantiã domini nostri Iesu Christi in apocryphis inuenimus libris,in quibus multa cõtraria nostræ fidei considerantes scripta,recusanda credimus vniuersa, ne per occasioné Christi,lætitiam antichristo traderemus. Ista igitur nobis cõsiderantibus,extiterunt viri Dei, Armenius & Virinus,qui dicerent sanctitaté tuam beatissimi Matthæi Euãgelistæ manuscriptum volumen Hebraicum inuenisse,in quo & virginis matris & Saluatoris infantia esset scripta,& idcirco tuam charitatem per ipsũ **F** dominum nostrum Iesum Christum expetimus,quatenus & illud ex Hebræo Latinis auribus tradas,non tantum ad percipiẽdum quæ sunt Christi insignia, quantũ ad hæreticorum astutiam excludenda,qui vt doctrinam malã instimerent,bonam Christi natiuitatem, suo mẽdacio miscuerunt,vt post dulcedinẽ vitæ, mortis amaritudinem occultarent. Erit ergo purissimæ pietatis,vel vt rogantes fratres exaudias , vel Episcopos exigentes charitatis debitum,quod idoneum credideris recipere facias. Vale in domino & ora pro nobis.

Epistola.

HIERONYMVS CHROMATIO ET Heliodoro Episcopis.

Dominis sãctis & beatissimis, Chromatio & Heliodoro Episcopis, Hieronym⁹ exiguus Christi seru⁹ in domino salutem. Qui terrã auri consciam fodit, non **G** ilico arripit quicquid fossa profuderit lacerata : sed pri⁹ quam fulgens pondus vibrantis iactus ferri suspendat, interim vertẽdis suspendendisque cespitibus immoratur,& spes non aliter quã lucris augetur. Arduum opus iniũgitur,cum hoc fuerit mihi à vestra beatitudine imperatum,quod nec ipse S. Matthæus Apostolus & Euãgelista voluit in aperto conscribi. Si enim hoc secretum non esset, Euangelio vtique suo quod edidit,addidisset: sed fecit hunc libellum Hebraicis literis obsignatum, quam vsque adeo edidit,vt & manu ipsius liber script⁹ Hebraicis literis à viris religiosissimis habeatur, qui eũ à suis prioribus per successus tẽporum susceperũt. Hũc autem ipsum librum, nunquam alicui transferendum tradiderunt,textum eius aliter atque aliter narrauerũt. Sed factum est vt à Manichæi discipulo nomine Seleuco,qui etiam Apostolorum gesta falso sermone cõscripsit,hic liber editus,non ædificationi , sed destructioni materiam exhibuerit,& quod talis probaretur in synodo,cui merito aures Ecclesiæ non paterent. Cesset nũc **H** oblatrantium morsus , non istũ libellum canonicis nos superaddidimus scripturis: sed ad detegẽdum hæreseos fallaciam , Apostoli atque Euangelistæ scripta trãsferimus,in quo opere non tam piis iubẽtibus Episcopis obtemperamus,quam impiis hæreticis obuiamus. Amor igitur est Christi cui satisfacim⁹,credẽtes quod nos suis orationibus adiuuent,qui ad Saluatoris nostri infantiã sanctam per nostram potuerint obediẽtiam peruenire.

DE NATIVITATE SANCTÆ Mariæ.

Petitis à me vt vobis rescribã,quid mihi de quodã libello videatur,qui de natiuitate S. Mariæ à nõnullis habetur. Et ideo scire vos volo multa in eo falsa inueniri. Quidã namque Seleucus, qui passiones Apostolorum conscripsit,hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorũ & miraculis per eos factis vera dixit,de doctrina vero eorum plura mẽtitus est: ita & hic multa

A non vera de corde suo confinxit. Proinde vt in Hebræo habetur, verbum ex verbo trāsferre curabo. Si quidem sanctum Euangelistam Matthæum eūdem libellum loquet composuisse, & in capite Euangelii sui, Hebraicis literis obsignatum opposuisse, quod an verū sit, auctori præfationis & fidei scriptoris cōmitto. Ipse enim vt hæc dubia esse pronuntio: ita liquido falsa nō affirmo. Illud autem libere dico, quod fidelium neminem negaturum puto, siue hæc vera sint, siue ab aliquo conficta, sacrosācta S. Mariæ magna miracula præcessisse, maxima cōsecuta fuisse: & idcirco salua fide ab his qui Deū ista facere posse credunt, sine periculo animæ suæ credi & legi posse. Denique in quātum recordari possum, sensum nō verba scriptoris sequens: & nunc eadem semita nō eisdem vestigiis incedens, nunc quibusdam diuerticulis ad eandem viam recurrens, sic narrationis stylum texebo, & nō alia dicam quam quæ aut scripta sunt ibi, aut cōsequenter scribi potuerunt. Igitur beata & gloriosa sēper virgo Maria de stirpe regia & familia Dauid oriūda,
B in ciuitate Nazareth nata, Hierosolymis in tēplo domini nutrita fuit. Pater eius Ioachim, mater vero Anna dicebatur. Dom' paterna est ex Galilæa & ciuitate Nazareth. Maternum autem genus ex Bethlehem erat. Vita eorū simplex & recta apud dominum, apud homines irreprehensibilis erat & pia. Nā omnem substantiam suā trifariam diuiserunt. Vnā partem templo & templi seruitorib' impendebant, aliam peregrinis & pauperibus erogabant, tertiā suæ familiæ vsibus & sibi reseruabāt. Ita isti Deo chari, hominib' pii, per annos circiter viginti, castū domi coniugium sine liberorum procreatione exercebant. Vouerunt tamen si forte Deus donaret eis sobolē, eam se domini seruitio mancipaturos, cuius rei gratia & templum domini singulis per annū festis frequētare solebant. Factum est autem vt encœniorum festiuitas appropinquaret: vnde cum nonnullis cōtribulibus suis Hierosolymam & Ioachim ascendit. Ea vero tempestate Isachar ibi pontifex erat. Cumque inter cæteros conciues suos etiā Ioachim cum oblatione sua
C videret, despexit eum, & munera eius spreuit, interrogās cur inter fœcundos, infœcundus ipse stare præsumeret, dicens: munera nequaquā Deo digna posse videri, quem ipse prole indignum iudicasset scriptura dicēte: maledictum omnem esse qui nō genuisset masculum in Israel. Dicebat ergo prius eum ab hac maledictione, sobolis generatione soluendum, & sic demum in cōspectu domini cum oblationibus esse venturū. Cuius opprobrii obiectu, pudore magno suffusus Ioachim, ad pastores, qui cum pecudibus erant, in pascuis suis secessit. Neque enim domum repetere voluit, ne forte à contribulibus suis, qui simul aderant, & hoc à sacerdote audierāt, eodē opprobrii elogio notaretur. Verum cum ibi aliquandiu esset, quadam die cum esset solus, Angel' domini ei cum immenso lumine astitit. Qui cum ad eius visionem turbaretur Angelus qui ei apparuerat, timorē eius compescuit dicēs. Noli timere Ioachim, neq; in visione mea turberis. Ego enim sum Angelus domini, missus ab ipso ad te, vt annuntiem tibi preces tuas esse exauditas, & e-
D leemosynas tuas ascendisse in conspectum eius. Videns quippe vidit pudorem tuū, & audiuit sterilitatis opprobrium non recte tibi obiectum. Peccati namque nō naturæ vltor est Deus: & ideo cum alicuius vterū claudit, ad hoc facit, vt mirabili' denuo aperiat: & nō libidinis esse quod nascitur, sed diuini muneris cognoscatur. Prima enim gētis vestræ Sara mater, nonne vsque ad octogesimum annum infœcunda fuit? & tamen in vltima senectutis ætate genuit Isaac, cui repromissa erat benedictio omniū gētium. Rachel quoq; tātum domino grata, tātumq; à S. Iacob adamata, diu sterilis fuit: & tamen Ioseph genuit, non solum dominum Ægypti, sed plurimarum gentium fame periturarum liberatorē. Quis in ducibus vel fortior Sampsone, vel sanctior Samuele? Et tamē hi ambo steriles matres habuere. Si ergo ratio verbis meis tibi nō persuadet credere dilatos diū cōceptus & steriles partus mirabiliores esse solere. Proinde Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomē eius Mariā:

hæc erit, vt vouistis, ab infātia sua domino cōsecrata, & E
Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris. Omne immūdum neque manducabit neque bibet, neq; inter populares forinsec' turbas, sed in templo domini conuersatio ei' erit, ne quid de ea sinistrum vel suspicari saltē possit vel dici. Itaque ætate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur: ita incōparabiliter virgo generabit altissimi filium, qui Iesus vocatur, secundū nominis etymologiam Saluator omnium gentium erit. Et hoc tibi eorum quæ annuntio signum erit. Cum perueneris ad auream in Hierosolymis portam, habebis ibi obuiam Annam vxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tardatione modo solicita: tunc in aspectu tuo gaudebit. His dictis Angel' discessit ab eo. Deinde apparuit Annę vxori ei' dicens. Ne timeas Anna, neque phātasma putes esse quod vides. Ego enim sum Angelus ille, qui preces & eleemosynas vestras obtuli in conspectu Dei, & nūc missus sum ad vos, vt annuntiē vobis nasciturā filiā: F
quæ Maria vocata, super omnes mulieres erit benedicta. Hæc à natiuitate sua statim domini gratia plena, tribus ablactationis suæ annis in domo paterna permanebit: postea seruitio domini mācipata, à templo vsque ad intelligibiles annos non discedet, ibi deniq; ieiuniis & orationibus nocte ac die Deo seruiēs, ab omni immūdo se abstinebit: virum nunquā cognoscet, sed sola sine exemplo, sine macula, sine corruptione, sine virili commixtione: virgo filium, ancilla dominum, & gratia & nomine & opere Saluatorem mundi generabit. Itaque surge, ascende Hierusalem, & cum perueneris ad portam, quæ aurea, pro eo quod deaurata est, vocatur, ibi pro signo virum tuum pro cui' incolumitatis statu solicita es, obuiū habebis. Cum hæc igitur ita euenerint, scito quod quæ annuntio, sine dubio complenda erunt. Igitur iuxta Angeli præceptum, vterq; de loco in quo erant promouētes ascenderunt Hierusalē, & cum ad locū peruenissēt Angelico vaticinio designatum, ibi sibi inuicem obuiauerūt. Tunc de mutua sua visione læti, & promissæ pro- G
lis certitudine securi, debitas domino humiliū exaltatori gratias egerunt. Itaq; adorato domino domum regressi, diuinum promissum certi & hilares expectabant. Concepit ergo Anna & peperit filiam, & iuxta mādatū Angelicum, parentes vocabant nomen eius Mariam. Cumque trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tēpus completum esset, ad templum domini virginem cum oblationibus adduxerunt. Erant autem circa tēplum iuxta quindecim graduum psalmos, quindecim ascensionis gradus. Nam quia templum erat in mōte cōstitutum, altare holocausti, quod forinsecus erat, adiri nisi gradib' non valebat. In horum itaque vno beatā virginem Mariam paruulam parentes constituerunt. Cumque ipsi vestimenta quæ in itinere habuerāt exuerēt, & cultioribus ex more vestibus se & mundioribus induerēt, virgo domini cunctos singillarim grad' sine ducentis & leuātis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac duntaxat causa nihil deesse putares. Iā quip- H
pe dominus in virginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quāta futura esset, hui' miraculi indicio præmoustrabat. Igitur sacrificio secundum cōsuetudinem legis celebrato, & voto suo perfecto, virginē intra septa templi, cum aliis virginibus ibidem educādam dimiserunt: ipsi vero domum regressi sunt. Virgo autem domini, cum ætatis processu & virtutib' proficiebat, & iuxta psalmistā, pater & mater dereliquerāt eā domin' autem assumpsit eā. Quotidie nāque ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ eam à malis omnib. custodiebat, & bonis omnib. redundare faciebat. Itaq; ad quartūdecimū annum vsq; peruenit, vt nō solum nihil de ea mali reprehēsione dignum confingere possent: sed & boni omnes qui eam nouerant, vitā & conuersationem eius, admiratione dignam iudicarent. Tunc pontifex publice denuntiabat, vt virgines quæ in tēplo constituebātur, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptiis secundum morē gētis, & ætatis maturitatē operā darent. Cui mandato cū cæteræ pronæ paruissēt, sola virgo domini Maria hoc se face-

A facere non posse respondit, dicens: Se quidem & parentes suos domini seruitio mancipasse, & insuper seipsam domino virginitatem vouisse, quam nunquam viro aliquo commixtionis more cognito violare vellet. Pontifex vero in angustia constitutus animi, cum neque contra scripturam quæ dicit: Vouete & reddite, votum infringendum putaret: neque morem genti insuetum introducere auderet, præcepit vt ad festiuitatem quæ imminebat, omnes ex Hierosolymis & vicinis locis primores adessent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Quòd cum heret, omnibus in commune placuit dominum super hac re esse consulendum. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, pontifex ad consulendum Deum, ex more accessit. Nec mora, cunctis audientibus, de oraculo & de propitiatorij loco vox facta est secundum Esaiæ vaticinium, requirendum esse cui virgo illa commendari & desponsari deberet. Liquet enim Esaiam dicere: *Egredietur virga de radice Iesse* B *& flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini.* Secundum hanc ergo prophetiam, cunctos de domo & familia Dauid, nuptui habiles nō coniugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit: & cuiuscūque post allationem virgula florem germinasset, & in eius cacumine spiritus domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse cui virgo commendari & desponsari deberet. Erat autē inter cæteros Ioseph homo de domo & familia Dauid grādæuus, cunctis vero virgas suas iuxta ordinem deferentibus, solus ipse suam subtraxit. Vnde cum nihil diuinæ voci consonū apparuisset, Pontifex iterato Deum consulendum putauit. Qui respondit solum illum ex his qui designati erant virgam suam nō attulisse, qui virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph. Cum enim virgam suam attulisset & in cacumine eius, columba de cœlo veniēs consedisset, liquido o- C mnibus patuit ei virginem desponsandam fore. Igitur nuptiarum iure de more celebrato, ipse quidem in Bethlehem recedit ciuitatem, domum suam dispositurus, & nuptiis necessaria procuraturus. Virgo autem domini Maria cum alijs septem virginibus coæuis & collactaneis, quas à sacerdote acceperat, ad domum parentum suorum in Galilęam reuersa est. His verò diebus, primo scilicet aduentus sui in Galilæam tempore, missus est ad eam angelus Gabriel à Deo, qui ei conceptum dominicum narraret, & conceptionis vel modum, vel ordinem exponeret. Denique ingressus ad eam, cubiculum quidem vbi manebat, ingenti lumine perfudit, ipsam verò gratissimè salutans dixit: *Aue Maria* virgo domini gratissima, virgo *gratia plena, dominus tecū, benedicta tu præ omnibus mulieribus*, benedicta præ omnibus hactenus natis hominibus. Virgo autē quæ iam angelicos benè nouerat vultus, & lumen cœleste insuetum non habebat, neque angelica visione territa, neq; luminis magnitudine D stupefacta, sed in solo eius sermone turbata est, & cogitare cœpit qualis ista salutatio tā insolita esse posset, quidve portenderet, vel quē finem esset habitura. Huic cogitationi angelus diuinitus inspiratus occurrēs: *Ne timeas*, inquit, *Maria*, quasi aliquid contrarium tuæ castitati hac salutatione prætexam. *Inuenisti enim gratiam apud dominum*: quia castitatē elegisti. Ideóque virgo sine peccato *concipies, & paries filium. Hic erit magnus*: quia *dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ. Et filius altissimi vocabitur*: quia qui in terris nascitur humilis, in cœlo regnat sublimis. *Et dabit illi dominus Deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius nō erit finis.* Ipse quippe rex regū & dominus dominantiū est, & thronus eius in sæculū sęculi. His angeli verbis virgo non incredula, sed modum scire volens, respondit: Quomodo istud fieri potest? Nam cum ipsa virum iuxta votum meum nunquam cognosco, quomodo sine virilis seminis incremento parere possum? Ad hoc angelus: Ne existimes inquit, Maria quòd humano more concipias. Nam sine viri commixtione, virgo cōcipies, virgo paries, virgo nutries. *Spiritus* enim *sanctus* E *superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, cōtra omnes ardores libidinis. *Ideóque quod nascetur ex te* solū erit sanctum: quia solum sine peccato conceptum, & natum vocabitur filius Dei. Tūc Maria manibus expansis, & oculis ad cœlū leuatis, dixit: *Ecce ancilla domini* (neque enim dominæ nomine digna sum) *fiat mihi secūdum verbum tuum*. Longum fortè & quibusdam tædiosum erit, si cuncta huic opusculo inserere voluerimus, quæ natiuitatem dominicā vel præcessisse, vel subsecuta fuisse legimus. Vnde his omissis quæ in Euangelio plenius scripta sunt, ad ea quæ minus habentur, narranda accedamus. Ioseph igitur à Iudæa in Galilæam veniens, desponsatam sibi virginem vxorem ducere intendebat: iam namque tres fluxerant menses, & quartus instabat, ex eo tempore quo sibi desponsata fuerat: interea paulatim vtero puerperæ intumescente, puerperā se manifestare cœpit, neque hoc latere potuit Ioseph. Nam sponsi more liberius ad virginem introiens, & familiarius cum ea loquens, grauidam esse deprehendit. Æstuare itaque animo & fluctuare cœpit, quia ignorabat quid sibi potissimum esset faciendum. Neque enim eam traducere voluit, qui iustus erat. Neque fornicationis su- F spicione infamare, quia pius. Itaque cogitabat clam dissoluere coniugium, & occultè dimittere eam. *Hæc autē eo cogitāte: ecce angelus domini apparuit in somnis, dicens: Ioseph fili Dauid noli timere*, hoc est, ne velis fornicationis suspicionem in virgine habere, vel aliquid sinistrum cogitare, neque timeas eam in vxorem ducere. *Quod enim in ea natum est*, & nunc animum tuum angit, non hominis, sed Spiritus sancti est opus. *Pariet enim* omniū virgo sola Dei *filium, & vocabis nomen eius Iesum*, id est, Saluatorem: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Igitur Ioseph secundum angeli præceptum virginem vxorem duxit: nec tamen cognouit eam, sed castè procurans custodiuit. Iam vero nonus à conceptione instabat mensis, cum Ioseph vxore cum alijs quæ necessaria erant assumpta, Bethlehem ciuitatem vnde ipse G erat, tetendit. *Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum*, sicut sancti Euangelistæ docuerunt, dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre & filio & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA.

EVSEBIVS DE MORTE HIERONYMI AD DAMASVM.

PAtri reuerendissimo Damaso Portuensi Episcopo, & Christianissimo Theodosio Romanorum senatori, Eusebius olim Hieronymi sanctissimi discipulus: nunc vero eodem orbatus lumine, pium dolorem & suauissimum gaudium. Multifariam multisque modis olim Deus locutus est omnibus nobis per suum dilectissimum filium sanctum Hieronymum de Scripturis sanctis in virtutibus & prodigiis multis, quæ H per illum fecit ipse dominus in medio nostri: sicut vos scitis, de quo & testes sumus, qui eum vidimus, & oculis nostris eius sanctitatem perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo eius scientiæ & doctrinæ, quibus vita manifestata est. Quod ergo *vidimus & audiuimus, annunciamus vobis*. Eramus enim tanquam oues errantes, erroneis & superstitiosis fabulis, non audientes sanam doctrinam: sed coaceruantes nobis Pseudoprophetas, qui surgentes in populo magistri mendaces, introducebant sectas variæ perditionis, donec iste illucesceret dies: qui tanquam sol refulgens quinquaginta annis & sex mensibus, multis laboribus & ærumnis, in lectionibus & vigiliis, vt nobis frangeret panem doctrinæ desudans tenebras errorum profugans, & cunctos à perditione liberans, effulsit in templo Dei. Incipiensque ab oriente vsque ad occidentem, auferens bella hæreticorum, eorumque arcum conterens, arma & scuta eorum combussit igni. Quoniam in ipso

A Deus posuit prodigia super terram, vt nomẽ suum manifestum fieret in nationibus. Deinde pertrãsiens vsque ad fines terræ, sanando pressos ab hæreticorum iaculis, illuminando mentes hominum, scripturarum ænigmata reserando, soluendo nodos, obscura dilucidando, dubia exponendo, confutando & corrigendo falsitates, & verissima ex linguis quam plurimis adnnando, vt nobis notas faceret vias vitæ, & nos adimpleret gaudio, lętitia & exultatione, templum domini corroborauit, & eius aditum instar lucernæ non sub modio, sed supra candelabrum in domini aula positæ, dominico irriguo rore plenissimè fœcũdatæ, posteris omnibus suorum verborum præ cæteris elegantia singulari, excellẽtius omnibus aliis patefecit, vt irent in ciuitatem habitationis, & locum gloriæ inuenirent, & ne fierent velut priores eorum genus peramarũ, quos direxit & liberauit ab errorum perditione. Cum enim fiot sicut stipula ante faciem venti, & sicut lutum platearum balbutiens loqui nesciens, nec verba plenè formare valens: quid impertiar vobis B charissimi patres & domini suæ laudis? Nempe iuxta illud Apostoli: *Si linguis hominum loquerer & angelorum,* suum laudandi genus necdum attingerem. Idcirco non in arcu meo sperabo: nec gladius meus saluabit me, sed dominus erit illuminatio mea. Qui docuit & docebit manum meam ad scribendum, & dirigit linguam meam ad loquendum, vt quondam asinæ Balaam. *Quoniam ipsius est regnum & imperiũ,* & *dominatur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* In cuius cũcta sunt posita ditione, coram quo procident reges: nec est qui suæ possit resistere volũtati. Quoniam *omnia quæcũque voluit, fecit, in cœlo, terra, mari, & in abyssis.* Et sic lingua mea tanti viri laudem meditabitur, & nomen suum annũtiabit vniuersis. *Hic vere* fuit ille *Israelita, in quo dolus non fuit,* electus secundum cor domini, ad loquẽdum omnia quæ sibi mandauerat dominus vniuersis gentibus, & regnis, & doctor datus in gẽtibus, vt sentes euelleret, C destrueret, disperderet, & dissiparet: & sapientiam veram seminaret, ædificaret, atque plantaret. Hic est fratrum amator, hic est qui populo Christiano tot librorum volumina ex linguis Hebraica, & Græca, in Latinã non paruo pondere transtulit. Ecclesiæ officium primitus ordinauit, & totius sacrę scripturę aspera fecit plana. Certe in huius lumine videmus lumen, & pane suę salutiferæ doctrinæ pasti, ambulamus vsque ad montẽ Dei Oreb. Hic est flumen aquæ viuæ splendidum tanquam crystallus, procedẽs de sede Dei in medio Ecclesiæ. Et ex vtraque parte eius lignum vitæ, afferens fructus tempore suo, cuius folia ligni, sunt ad gentium sanitatẽ. Vir iste in populo suo mirissimus apparuit, & Deo dilectus & hominibus, orat nũc pro Ecclesia sancta. Vas vere admirabile, omni ornatum lapide pretioso, opus excelsi. Veruntamen de hoc quid plura dicam? cuius enarrant cœli gloriam, & opera scripturarum manuũ eius annũtiat firmamentum? Nec sint loquelæ neque sermones, cuius non audiantur doctrinæ verba, cum in omnem terram exijt sonus eius. O ineffabilis misericordia Saluatoris, quæ tot gratiarũ cumulos in Hieronymo aduna-
D sti, vt ad ea, quæ solus possidet, penè nulli hominum nisi particulariter fas sit aspirare. Hic certè dux nostræ fidei ad se currentes in cœli contrahit arcem. Hunc præ cæteris potioribus ornatum insignijs dignitatum, in cãtilenis & prouerbijs operationibus & interpretationibus miratæ sunt gentes. Cuius nota facta est in populis virtus: quia impletus fuit quasi flumine sapientia. Sed vt vera dicam, iuxta illud reginæ Saba. Maior est enim sapientia & opera sua, quàm rumor quem audistis. Quàm certè bonus est iste his qui recto sunt corde, quoniam malitiam semper odiuit. Fecit enim mirabilia in terra nostra. Sub vmbra illius sedimus, & fructus illius dulcis gutturi nostro. Quanta autem de eo audiuimus & cognouimus, quomodo annuntiabimus? Atque ego qui sum, vt narrem laudem eius & virtutes eius, & mirabilia quæ fecit? Sed quoniam non sum eloquens ab heri & nudius tertius, vt breuiter dicam, si vultis accipere, Ioãnes Baptista ipse est, vterque virgo, vterque eremita. De

Ioanne dicitur. Erat Ioannes vestitus pilis camelorũ in deserto. E De se idẽ Hieron. dicit. *Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis, situ Æthiopicæ carnis obduxerat.* De Ioanne iterũ. *Locusta & mel syluestre edebat.* De se iterum Hieronymus dicit. *De cibis & potu taceo, cum etiã languentes monachi aqua frigida vtãtur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit.* Quid plura? Ille propter iustitiam martyr, iste verò etsi eius spiritum materiale ferrum non abstulit, tamen martyrij præmij non est expers. Duplex namque martyrium est. Vnum, succumbere gladijs impiorum: alterum, in infirmitatibus & aduersitatibus in animo patientiam custodire. Certè hic est verè martyr, qui propter iustitiam, & mãsuetudinem, & salutifera doctrinę suæ verba, in huius mundi lachrymarum solo, certamẽ forte à malorum cœtu viriliter supportauit, sciens quoniam omnium fortior est sapientia. Nec impiè gessit in conspectu Dei, sed in omnibus tribulationibus suis, inuocans dominum, non peccauit labijs suis, nec stultum aliquid contra Deum locutus est. Taceam namque quot tribulationes, labores, afflictiones, cruciatus, agones, flagella, fames, sitim, amaritudines, tem- F pestates, tentationes, abstinentias, vigilias, peregrinationes, carnis macerationes, nuditates, ieiunia, ærumnas, & non solum hæc, sed grauiora & innumerabilia propter Iesu Christi nomen, in suo gloriosissimo perpessus est corpore, vt idem loquitur. *Sed dũ in eremo consisterem, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus monachis horridũ præstat habitaculũ, cogitans me Romanis potiri delitijs: quotidie gemitus, quotidie lacrymæ. Et si quãdo me somnus imminẽs oppressisset repugnãtem, nuda humo, vix ossa hærẽtia collidebã. Horrebãt sacco mẽbra deformia, aqua frigida lãguẽs vtebar, & coctũ aliquid accepisse luxuria erat. Cutis mea propter incõmoda squalida, carnis Æthiopicæ sitũ obduxerat, & tamẽ socius scorpionũ tantũ & ferarũ, sæpe choris interesse puellarum, & in frigido corpore etiã ex præmortuo iam homine, sola libidinum incẽdia bulliebant. Teste Deo memini me diem crebro iũxisse cũ nocte, nec à pectoris cessasse verberibus, donec iubente domino, in* G *me rediret tranquillitas. Flebã continue, & repugnantẽ carnẽ, hebdomadarum inedia subiugabã. Cellulam meam quasi cogitationũ mearum consciam pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam: & si cõcaua vallium, & prærupta montiũ cernebam, illud meæ miserrimæ carnis erat ergastulũ, ibi meæ orationis locus.* Quis ergo infirmatus est, & non ipse? Quis scandalizatus, & non ille? Sed si in infirmitatibus & laboribus laudãdi sunt sancti, certè & hic laudandus est. Veniam autem ad contumelias & persecutiones, quas ab improbis & falsis pertulit fratribus in huius valle miseriæ. Quid aliud in hoc mundo sua semper fuit vita, nisi quædã iugis aduersus improbos hæreticorum omnium & malorum cuneos pugna, continuumque certamen? Super eum rugierũt vt leones hæretici: quoniam corripuit eos, & tabescere fecit sicut araneas animas eorum, & fructus eorum de terra perdidit, & semen eorum à filijs hominum. Aperuerunt in eum clerici lasciuiis dediti ora sua, & despexerunt eum, & locuti sunt labijs dolosis, & odio iniquo oderunt eum: quoniam eorum insectatus est vitam pessimã & crimina. *Circumdederunt* eum *canes multi,* & *tauri pingues obsederunt* eum: & *insurrexerunt in* eum *testes iniqui, acuentes lin-* H *guas suas sicut serpentes, & venenum aspidum sub labijs eorũ,* cogitantes malitias in corde, *tota die constituentes prælia,* supplantantes gressus eius. *Et funes extenderunt in laqueos* pedibus eius, vt delerent de terra memoriam eius, & eijcerent eum de nationibus, vt opprobrium fieret vicinis suis. Super Romanum populum fuit magnificentia eius, & virtus eius mirabilis in verbis, & sanctus in omnibus operibus suis, alleuans corruentes, soluens compeditos, illuminans cæcos, & dirigens iustos: dans fortitudinem & virtutem plebi Dei, & quasi tuba altisonans, annuntians cũctis iniquis scelera: portas peccatorum æreas, & vectes ferreos confregit romphea doctrinæ suæ. *Audientes autẽ hæc* impij *dissecabãtur cordibus suis, & stridẽtes dentibus in eũ cogitauerunt, & locuti sunt nequitias.* Arcum suum tetenderunt & illum parauerunt, & in ipso parauerunt vasa mortis. Cum autem esset ille plenus Spiritu

sancto

A sancto in orationibus & in operibus bonis perseuerans, vitia mortificans, bona viuificans: suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem. Quoniam non in viribus equi, neque in tabernaculis viri beneplacitum fuit sibi, nec sperauit in diuitijs, sed fortitudine domini corroboratus, non formidauit aduersarios suos, sed super ipsos correctionibus & doctrinis sanctis tonuit, dans imperium regi suo, & sublimans cornu Christi sui. Alios docens laborando, sicut bonus miles Christi, sciens quòd non coronabitur qui in agone certat, nisi legitimè certauerit. Videntes autem hęc viri iniqui, irati sunt, & dolores comprehenderunt eos: quia sunt generatio praua & peruersa, filij in quibus fides aliqua non est. Et *exacerbauerunt eum in consilijs, & in abominationibus suis ad iracundiam concitauerunt ipsum.* Et perdito consilio sine disciplina, veste muliebri irridentes ei, tanquam viro luxurioso & iniquo impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eiecerunt eum extra Romanam ciuitatem. At ille benignus, patiens, humilis, & mansuetus, eorum vesaniæ B locum dans, projciens post tergum suum omnia peccata eorum, recedens inde peragrauit in Constantinopolim ad antistitem sanctissimum Gregorium Nazianzenum. O vir ineffabilis, ô virtutum vas admirabile, ô splendor patientiæ, ô lampas pręfulgida, ô diadema honoris & gloriæ, angularis lapis firmissimus, exemplar innocentię, columna aurea, & totius Ecclesiæ fundamentum. Cum plus rudens, minus confunderis. Agnus innocens quod loqueris, pressus collo tot iugis? Gratias ago Deo meo: quia dignus sum habitus, vt me odiat mundus. Scio me namque peruenire ad cœlestem gloriam per infamiam & bonam famam. Aperuit autem cœlos patientia eius, quia ibi confirmata semper fuit virtus gloriæ eius, & in Deo posuit firmam fortitudinem suam, nec à domino recessit vnquam cor eius. *Arcus fortium superatus est*, & ipse *accinctus est robore*, & præualuit in infirmitate sua, & fortis factus est in bello, & dextera sua glo- C rificata est in virtute. *Dextera manus* sua *confregit inimicos*, quoniam adiutor & protector factus est sibi Dominus in salutem. Et ideo *cantemus domino: quoniam magnificè fecit. Annuntiemus hoc in vniuersa terra. Hauriamus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Euanuerunt impij de cogitationibus suis, quia obscuratum fuit insipiens cor eorum, & credentes se esse sapientes in malitiis suis, stulti facti sunt: quia mutauerunt veritatem in mendacium: sed tamen veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Etenim fatui in lacum quem aperuerunt, & in foueam quam fecerunt, inciderunt. Et iustus nunquam fuit conturbatus, quia Dominus firmauit eius manum. Vnde sanctissimi patres & domini, considerate virum istum, quàm fidelis & iustus semper in domo domini fuit ad docendum nos, & illuminandum abscondita tenebrarum, & effugandum nequitias peccatorum. *De quo nobis grandis esset sermo & ininterpretabilis ad dicendum:* sed nimis imbecillis factus sum, quoniam introiuit tremor in ossa mea, & subtus me turbata sunt vestigia mea, ne D nimis ascendam. Est enim angusta porta, & arta via, & cibus iste solidus perfectorum est & sapientum, qui exercitatos habent sensus ad discretionem. Quapropter non modica relinquens difficilia & ardua tanti viri ineffabilis: cuius laude plena est terra, cuius splendor est sicut lumen, & cornua sunt in manibus eius: ad præsens sui exitus gloriosi aliqua breuissimè cupio reserare. Deus enim omnipotens, cuius misericordia præit ante faciem suam, & qui iustus est, & rectum iudicium suum, reddens mercedem laborum sanctorum suorum, pastor verus & bonus, in misericordia disponens omnia, & congregans oues suas in sinu suo, quæ nouissimè diebus istis cursu intolerabili & oneroso, agonis grauissimi, in quo *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnē*, feliciter consummato, partu iam diu concupito, de nauigatione huius maris procellosi, in quo sunt reptilia innumerabilia, & inimicorum agmina colluctantia, vt decipiant & trucident rectos corde iam obtento, dilectissimum filium suum Hieronymum exutum toga mortalitatis, & putredinis huius carnis miserrimæ, perpetuæ immortalitatis brauio decoratum, ad cœleste atrium euoca- E uit, vt quod videbat hic in ænigmate, ibi videat facie ad faciem. Quem cum extrema eius hora egredi de corpore eius vrgeret, iam completis nonaginta & sex annis, febre æstuans valida, suos circa se voluit esse in vnum filios, quos sicut nouellas plantationes stabiliuit à iuuentute sua. Quorum luctu vultus graues intuens, vt pius & misericors, his paulisper motus fletibus infremuit spiritu, & lachrymans, in me aliquantulum eleuans oculos, plana voce inquit: Fili Eusebi, cur istas inutiles fundis lachrymas? Nonne vanum est super defunctum fundere lachrymas? Qui viuens non videbit huius corporis dissolutionem? Quod semel locutus est Deus & audisti, audes contradicere? Et nosti nullum posse resistere voluntati eius. Iam fili rogo non secundum carnem ambules, flere desine. Certè nostræ militiæ arma carnalia non sunt. Deinde vultu hilari & iucundo, alacri voce cæteros alloquens filios, exclamauit. Cesset mœror, luctus abeat, sic omnium vita vos gaudentium. Quoniam ecce tempus F acceptabile, ecce dies iubilationis & lætitiæ, præ omnibus diebus vitę meæ, in quo fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, aperit manum suam, vt meam eandem animam hucusque in carcere mortis huius ob reatus mei genitoris Adæ, reuocet ad supernam patriam, recuperatam sui filij sanguine pretioso. Nolite filij dilectissimi (quos semper habui in visceribus charitatis) impedire gaudium meum, ne prohibeatis reddere terræ quod suum est. Corpus meum statim exuite, terræ date, ex qua factum est, vt redeat vnde venit. Quibus finitis verbis, omnes fratres lachrymis madefacti, denudantes suum sacratissimum corpus, ita squalidum & deforme abstinentiis, quod quidem terribile cunctorum visui cernebatur: nam tanta erat affectum macie, vt ossa eius potuissent per articulos numerari, sic verberibus cruentatum, vt leprosi potius corpus crederetur, nuda humo protinus tradiderunt, & ipsum sacco lineo cooperuerunt. Ast vbi vir domini, terræ sensit aspe- G ritatem, nimium iucundatus, conuersusque ad fratres præ dolore & angustia lachrymarum fontibus inundantes, inquit. Hortor vos charissimi mei & dilectissimi filij, quos genui in visceribus Iesu Christi, per dilectionem & charitatem qua dilexi vos, vt pacificati iam pacem habeatis. Debetis enim vos, tanquam Dei ministros, domesticos & amicos decet, ad spiritualia anhelare, vt sitis alijs ad exemplum. Vos qui spirituales estis, cur istas tot infructuosas funditis lachrymas? Peccatorum vobis semper recordatio lachrymas inducat. Tanto prompti estote ad lachrymas, quanto fuistis ad culpam. Si quis peccato moritur, flete. Nam si malus cum per pœnitentiam à morte surgit, Angeli gaudent in cœlis, certè si bonus peccato moritur, Angeli dolent. Me verò non tanquam morientem lugeatis, sed mecum tanquam portum salutis attingentem gaudeatis. Quid imbecillius miseria huius vitæ, qua tot dolorum & passionum agminibus circumdamur, vt nulla penè hora sit, in qua viuens quicunque homo liber à dolore transeat? Si diues vndique an- H gustatur timore, ne quod possidet, amittat. Si pauper nunquam quiescit vt inueniat. Si bonus, hunc diaboli timet periculum: hinc ne nauis mortalis corporis, in huius mundi pelago naufragetur, non mediocriter pertimescit. Idcirco nullus sexus, vel ætas, vel conditio, doloris transit expers, quousque in hac manet miseria vitæ. Si quid in me esse scitis meum impediens iter, dolete. Heu quot nauigantium per hoc mare magnum & spatiosum, in quo sum, tot diuersa genera inimicorum secundum cuiuslibet virium quantitatem colluctantium, post multam nauigandi felicitatem, post multas victorias iam credentes finem capere peroptatum, aliqua diabolica suggestione in hac hora in laqueum perditionis, sua in discretione peruenerunt? Heu quot hic & vita recommendat & fama, quibus vnico peccati assensu, dira mors imminet & ruina? Idcirco dum viuitis, timeatis fratres. *Principium sapientiæ timor domini.* Vita nostra militia est super terrā, qui hic vicerit, alibi coronabitur. Dū hac pelle tegimur, nolla nobis inest certa victoria. Si noster genitor timuisset,

nun-

nunquam cecidisset. Principium omnium malorum, sui præsumptio. Qui non timet, de se præsumit. Quomodo inter latrones quis iniustus auro securus graditur? Saluator quid nos aliud docet, nisi timere? *Vigilate*, inquit, *quia nescitis qua hora fur venturus est.* Nam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfudi domum suam. Summus ille clauiger Petrus. Subrij, inquit, estote fratres, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Nemo inter serpentes cum securitate habitat. Qui sanctior & sapientior est, plus semper timeat. Nam qui altior est, cadens, maiores casus recipit. Esca diaboli electa est, de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon: cecidit & eius genitor Dauid, electus secundum cor Dei. Timeatis fratres, iterum rogo vndique timeatis: quia beatus est vir timens dominum. Etenim *si consistant aduersum eum castra, non timebit cor eius. Si exurrexerit in eum prælium, in hoc ipse sperabit.* Perfectus Dei timor foras vanum mittit timorem. Timorem vanum non habet charitas. Charitas & timor Dei vnum sunt. Considerans enim hæc Propheta clamans dicebat. Confige timore tuo carnes meas. Qui ex vobis est cupiens videre dies bonos, accedat huc, & illuminetur: & facies sua non confundetur. *Qui timet Deum, faciet bona: & demorabitur in bonis anima eius, & semen eius hæreditate possidebit terram. Quia firmamentum est dominus timentibus eum: & testamentum ipsius vt manifestetur illis.* Si quid boni facitis cum magna cautela timeatis. Multi bona faciunt, quorum fructus surripit humanæ laudis appetitus. Decem fuerunt virgines, & tamen mediæ à cœli ostio sunt exclusæ: Heu quot hodie sacro sunt renati baptismate, & Christiano funguntur nomine: quibus foret melius non fuisse. Est enim gehennalis pœna paganorum infinito minor, quàm malorum Christianorum. Vtinam non foret talium maior pars. Nauis vndique sana, vnico mergitur foramine. Errauerunt homines in hac lata solitudine, alij colla iugo auaritiæ submittentes, alij luxuriæ fœditate, vt turpissimæ sues deturpati, alij circa inutilia dirripienda occupati. Vnde obiecto rationis visu cooperantes vt iumenta insipientia (& vtinam similes essent illis,) viam ciuitatis nouæ Hierusalem non inuenerunt. In regnum cœlorum reptobus nullus ingreditur. Centuplo arta est via eius quàm creditur, quamuis larga sit verè timentibus. Timenti Centurioni promittit Christus ad eum accedere: præsumenti Regulo, cum illo ire ipse denegat. Verè non omnes hodie obediunt Euangelio. *Veniet* (dicebat Apostolus) *tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt homines.* Plures prædicant, sed non omnes veritatē prædicant: simplicium corda in peccatis alligant. Alligant onera grauia in peccatis minimis, in grauibus oculo transeunt conniuente. Est enim doctor falsus gladius anceps: hinc scindit opere & exemplo: hinc percutit & interficit verbis dolosis & iniquis. Quomodo ignis frigiditatem donat, aqua caliditatem? Lapis quomodo sui sursum graditur? & vir luxuriosus quomodo prædicabit castitatem? Et si prædicat, quæ audientibus inde veniet vtilitas? Quid potest dicere audiens, nisi quare voce prædicas, quæ opere denegas? Benè loquens ore, & malè viuens opere, semetipsum damnat. Ecce quantum Deo talis prędicatio sit acceptabilis, ostenditur per Psalmistam. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Multi legunt grandia, addiscunt ardua, subtiliter disputant, ornatè loquuntur, vt à populo honores capiant, in plebibus magistri nominentur, & nihil faciunt. Si experto creditur, mihi credite. Plus mouet corda hominum vitæ sanctitas, quàm ornata eloquia. Facite, & postea prædicate. Cœpit Iesus facere, & postea prædicare. Valet facere sine prædicare, sed non prædicare sine facere. Non dixit Deus. Qui prædicauerit voluntatem patris mei, sed qui fecerit. Non vitupero prædicationem, nisi non facientium ea quæ prędicant. Subtilium verborum doctor tantùm & non operum, est quædam leuis aurium inflatio & veritatis fumus, cito sine fructu pertransiens. Intelligite fratres, intelligite quæ dico. Multo plus meretur qui facit & prædicat, quàm qui facit & tacet. Si bonum solus facio, mihi soli prosum, sed si prædicans facio, & mihi & alijs prosum. Vnde *qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sunt enim sancti prædicatores lux ad illuminandum: quia per eorum doctrinam corda caligantia & cæca nube peccati à Christo vero lumine, qui lucet in tenebris, illuminantur. Sunt sal etiam ad condiendum verbum Dei, quod cibus est animæ operibus bonis. Cuilibet scienti iniungitur prædicationis officium, dummodo faciat, imò vt plus dicam, Qui scit & solum facit, & alios non docet, tenebitur domino reddere rationem. Cum enim iuxta Apostolum Ioannem. *Qui odit fratrem suum, homicida sit: & qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo manet in eo charitas Dei?* Quanto magis qui viderit fratrem suum errantem, & mortalibus oppressum criminibus, & non ministrauerit ei verbum doctrinæ, ille qui doctus est, homicida & sine charitate est? Timeatis ô doctores & rectores, quibus iniungit Dominus prędicationis officia, vt populo suo verbum dominicum ministretis. Quot enim vel vestro exemplo, vel vestri negligentia peccatis moriuntur, tot de manu vestra requiret Dominus. Quanto enim estis altiores gradu, tanto maioribus cruciabimini cruciatibus. Non estis Domini, sed pastores. Vnus Dominus est, & vnus pastor principalis, qui cognoscit oues suas, & exquiret eas de manibus vestris. Heu quot hodie in Ecclesia sunt non pastores, sed mercenarij: ad quos nihil pertinet de ouibus Iesu Christi. Quinimò (vt & vera dicam, & ipsimet sciunt) sunt lupi rapaces qui & oues rapiunt, & dispergunt. Certè nil peius, nil abominabilius, quàm cum ille qui custodire deberet, dissipat. Heu quòd hodie in aliquibus Ecclesiæ non pastoribus, sed destructoribus, quorum non est pars minor, factum est, vt substantias & labores hominum tanquam infernus insaturabiliter deglutiant. Et non solum eos à peccatis non emendant, sed & ipsimet vel ex sui negligentia, vel suis pessimis ministerijs, vel suis nefandis operibus eos contrahunt ad illicita. Ita quidem dicam, hos tales si impunes Deus relinqueret, Deus amplius non esset. Et ideo (vt sæpè dictum est) filij charissimi, dum viuitis, seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. *Apprehendite disciplinam* eius, *ne quando pereatis de via iusta.* Gustate filij mei charissimi, iterum dico. *Gustate & videte, quoniā suauis est Dominus. Diuites eguerūt & esurierunt,* & dormientes hic in diuitiis & voluptatibus suis, nihil inuenerunt in manibus suis. Inquirentes verò dominum, nō deficient omni bono. *Iunior fui & senui, & nunquam vidi iustum in fine derelictum, nec se non eius egens pane.* Imitatores paupertatis estote, vt sequamini vestigia eius: *qui cū in forma Dei esset, portās omnia verbo virtutis suę,* in cuius domo sunt diuitiæ & gloria, *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* & pauper & inops natus est. Pauper & plus quam inops fuit quovsque vixit. Pauperrimus mortuus & sepultus est. Vnde *vulpes*, inquit idem, *foueas habent & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Apostolis etiam iubet non portare sacculum neque peram. Et iuueni consuluit vendere quæ habebat, & pauperibus erogare. Si Christum Deum creditis, eum non falli posse credite. alioquin non esset Deus: & si ipsum falli nō posse creditis, ipsum sequamini. Impossibile est diuitiis affluere & Christum sequi. Natura denegat vt contraria misceantur. Aut ego fallor, aut ipsi in fine decipientur. Qui mihi non credunt, credent cum diuitię suę transierint in egestatem. Diues hic epulabatur quotidie splendidè, indutus purpura & bysso: sed mortuus, quod Moysi & Prophetis noluit credere, in tormentis positus sensit. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Non saluabitur rex per multam virtutē suā: nec diues diuitijs suis.* Est enim equus diuitiarum fallax ad salutem. Nonne diuitiis coniuncta est superbia? & vbi superbia est, ibi peius. Nonne omnia oriuntur mala ex superbia, tanquam ex vna radice? *Cum enim diues factus est homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius,* nonne superbit? Et cum superbierit, nonne polluuntur vię eius in

omni

A omni tempore? Et tunc *sedẽs in insidijs cum diuitibus in oc-*
cultis, cogitat vt *interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem*
respiciunt: & insidiatur in occulto vt rapiat eum, tanquã leo in
cubili suo, dicens *in corde suo: Oblitus est Deus, auertit faciem*
suam ne videat vsque in finem. Etenim est dormious ali-
qoando dormiens, quasi crapulatus à vino. Cum verò
plus moratur Deus patientia ad inferendum iudicia,
plus inebriatur ira. Et ideo plus centuplo timendum est,
cum longanimiter tolerat mala, quàm cum festinanter
punit. Permittit enim Deus aliquo tempore cruciari
bonos ab iniquis & superbis, vt supra dorsum bonorũ
fabricent peccatores, & prolongent iniquitatem sibi. Et
ideo quamuis aliquantulum obliuiscatur Deus, paope-
rem tamen in finem nõ obliuiscetur miserert. Sed quo-
niam pupillo ipse adiutor est, cui derelictus est pauper,
& *superbis resistit Deus, humilibus dans gratiã*: conterit bra-
chium peccatoris & maligni, exaudiẽs desiderium pau-
peris, iudicansque pupillo & humili, vt non apponat vl-
tra superbus magnificare se homo super terram. Qua-
B propter dilectissimi filij mei: si paoperes estis, humilia-
mini sub potenti manu Dei, vt nõ amittatis, quod absit,
quæ facitis. Nihil paupertas Deo gratiosa est sine bumi-
litate. Maluit De° de beata Maria incarnari propter hu-
militatem, quàm propter aliam quamcunque virtutem.
Sicut enim ex sola superbiæ radice omnia oriuntur ma-
la, sic ex sola radice bumilitatis generantur omnia bona.
Discite à Saluatore, quia mitis est & humilis corde: hu-
miliauit semetipsum pro nobis, factus obediens vsque
ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod dico
vobis: & si humiles esse vultis, estote etiam obedientes
omni humanæ creaturæ propter Deũ. Considerate filij
charissimi quo censeamini vocabulo. Monachus, id est,
vnus, Non decet monachũ velle habere & nolle, nisi io
non peccando Sit enim vobis velle & nolle hoc vnum,
in omnib° bonis, in rebus licitis obedire. Nec sint vobis
plura præcepta vt faciatis. Non est obedieos, sed negli-
C gens qui secundum expectat mandatum. Ad vnius dici-
tur iussioois vocem, Petrum & Andreã relictis retibus
& omnibus quæ habebant, domini secutos esse vestigia.
Hoc semper vera optat obedientia, nunquam suæ ob-
temperare voluntati, sed reuerẽret alienæ. Istud namque
in vltima cœna exemplum Christus reliquit: cum suo-
rum abluens pedes discipulorum, Petro dixit, quod nisi
obediens fieret, non haberet partem secum. Idcirco di-
lectissimi filij, sicut vobis vnum est nomen monachi: ita
sit vnũ velle & vnũ nolle. *Bonũ est* enim *& iucũdum habi-*
tare fratres in vnũ. Nec sit in vobis maior aot minor: sed
qui præcessor est, fiat sicut iunior, ne videlicet regnũ gẽ-
tiũ instat, qui maior est in vobis, dominetur cæteris fra-
trib°, vt ab eis gaudeat superuaco s laudibus attolli. Sed
ad exẽplum regis Iesu Christi, maior humilitate efficia-
tur, quasi minor quibns tegẽdis præest. Sit enim vester
maior per bumilitatẽ socius minori cũ bene agit: sed cũ
delinquit, sit erectus contra vitium per zelum iustitiæ.
Nullũ sit vnquam cum vitiis fœdus, sic diligarut homo
vt eius vitium odiatur. Magnũ dilectionis signom est,
hominem io quibuscunque minimis reprehendere. Sæ-
D pe multũ vana oocet humilitas. Non vera humilitas est
vitia tacendo permittere. *Clama, ne cesses* (Esaias inqoit)
quasi tuba exalta vocem tuam: annuntia populo meo scelera eo-
rum. Vtinam & contra vitia omnis clamaret creatura:
Quia si peccator Deum non timet, tamẽ homines reue-
retur. Quod Apostolus nos docẽs dicit. *Irascimini & no-*
lite peccare. Sol non occidat super iracundiã vestram. Iustus est
dominus, & iustitiã dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Si iu-
stus, & vos iusti estote. Negligentia & vana pastoris hu-
militas, efficit vt lupi in agnos audere possiot Ne respi-
ciatis in vultum potẽtis: oó est personarum acceptio a-
pud Deum. Vbique quod iustũ est opetemini. Vult ve-
ra iustitia vnicuique reddere quod suum est. Obedire o-
portet Deo, & non bominibus. Nonne si veritatem ta-
cetis metu potentum, iudicatis apud vosmetipsos: &
facti estis iudices cogitationum vestrarum, & non plus
vestra abundat iustitia, quam scribarum & pharisæo-
rum? Non plus diuitem honoretis quam pauperem,
nisi melior sit. Quinimo (vt verius dicam) multo plus E
pauperem honoretis. Relucet enim io paupere imago
Iesu Christi: in diuite autem imago mundi. Omoes nos
ex vna sumus carnis radice geniti, omnes inuicem mẽ-
bra sumus in vno corpore, cuius caput est Iesus Christ°.
Quid ergo plus honoris meruit diues & potens, quam
pauper? Forte, quia diues est & potens? Sed si hoc: quare
diuitias in sęculo detestamur: quare mũdi gloriam con-
temneodam prædicamus? Neminem certe malorũ vsu
honorandum puto. Si diuites honoras diuitiis plus pau-
pere, Deo præponis moodum. Et si plus Deo aliquid in
mundo diligis, non dignus es Deo. *Reddite quæso quæ sunt*
Dei, Deo: & quæ sunt mũdi, mundo. Bonitas vbique ho-
noretur, malitia omnino deturpetur Sed quoniã mihi
nunc de his qui in caducis diuitiis suis gloriantur: quiq;
de quadam fœtidæ carnis post modicum in cinerem re-
uersuræ, nobilitate, potẽtia, & digoitate vana & leui: si-
quidem aurium quorundam stultorum nominũ insuf-
flatione extolluntur, & alios contemneodo deprimunt,
ac se ob boc credunt illam attingere gloriam, quam so- F
lis humilibus & mundi cõtemptoribus pius dominus
præparauit, sermo est: quid de eis vt conuenit disseras?
Væ væ vobis qui ad cœlorum regna diuitiarum itinere
festinatis.

Quoniam *facilius est transire camelum per foramen acus,*
quã diuitem intrare in regnum cœlorum. Non mea sunt hæc
verba, sed Christi Si hæc reuocabilis est sentẽtia, Chri-
stus omnino non est Deus. Cœlum (idem inquit) & ter-
ra transibunt: verba autẽ mea non transibuot. Vlulate
vos ò miseri, nomen instabilis fortunæ, nobiles & potẽ-
tes, qui alios confunditis, & tanquã ignobiles conculca-
tis: quia huius mundi honorum & falsarum dignitatũ
fumis obcęcati, cũ vestræ vitæ breuissimæ tela à morte
velut à texente, forte hac nocte succidentur: io infernoo
fine ioterminabili præ aliis cruciabimini, cõtinue mori-
eodo. Viuentes in laboribus hominum mũdi noo estis: G
imo cum hominibus ooo solum labores oon fertis, sed
laborantes viuere noo permittitis: idcirco non cum ho-
minibus, sed cum diabolis flagellabimini. Quanto enim
in mundo maior fuit gloria & lætitia, tanto maior in in-
ferno præparatur pœna: Sed quid dicã? Duodecim fate-
mur Christum Apostolos elegisse · quorum omniũ so-
lus Bartholomæus carnis origine fuit oobilis: & Mat-
thæus diuitiis (antequã reciperet apostolatũ) iosistebat.
Cæteri vero erant pauperrimi piscatores. Cur hæc retu-
li, audiatis. Si Christus verax est: & si omnia quæ ex ore
eius audiui mendacia non sunt: huiusmodi hominũ vix
vous aptus regno Dei inuenitur de mille. Qui vero eorũ
mihi non credunt, post modicum tempus in tormẽtis
positi sentient. Sed forte qois veritatis lumine cæcus iã
mirabitur. Ad quẽ ego, si ex hoc me interrogaret, respõ-
derem. Nonne vnico credimus damnari hominẽ mor-
tali peccato? Sed si hoc, inqoiet, ita est: ergo quomodo
saluabitur centum millibus? Sed qoid diues & mortalis
famæ aura pastus aliud est, quam quoddam peccatorum
omnium vas putridum? Vbi superbia? Vbi auaritia? Vbi
luxuria? Nonne in diuitibus, nobilibus, & potentibus?
Nonne latrones sunt, qoi pauperum mercedem violen- H
ter deprædantur, & eos deprimuot atque necant? qui ex
vbertate domus domini faciunt iniqoa, quam vt paupe-
ribus necessaria condonarent, receperunt? Certe super-
fluitatem vestimentorum superfluitati nimiæ addũt, de
pauperibus frigore & nuditate morientibus non corã-
tes. Palatia & magna erigunt ædificia, vt humanis oculis
contemplentur, & pauperes in plateis moriuntur incõ-
modis. Conuiuia frequenter aliis præparãt diuitibus, vt
ferculis delicatissimis suam ventris repleant ingluuiem,
quibus pauperes fame pereuot. Quid aliud est eorum
vita, quam peccata? Si venter repletus tanta ciborum
est copia, nonne ad fores eius adest luxuria? Et quid
ergo amplius loquar, cum omnis mortalium liogua
deficeret, vt quæ millis peccatorum faciunt, intima-
ret: nec Deum nisi somniando cognoscunt, nec se (vt
puto) morituros arbitrantur. Non enim facile in pec-
cata labitur, qui se moriturum cogitat, & Deum sibi
fore

A fore iudicem nō ignorat. Verè nimis imbecillis & miser
est, cui harum rerum est memoria, si cuncta diabolica
tentamenta non facilè vilipendit. Idcirco verè dicam, si
Deum iudicem suum agnoscerent, & se mori crederēt,
non peccarent saltem tam securè. Cur hi miserrimi ad
Ecclesias properant, vt diuinis intersint mysteriis, an vt
mulierum contemplentur vultus: Hæc sua est medita-
tio, hæc prædicatio, & Dei cognitio. Sic diuinā percun-
ctantur legem, vt pecuniam, terram, maréque peragrā-
tes, crebris vigilijs, & meditationibus sibi & suis filiis
congregent, certatim vestimenta in societate, mira arti-
fici varietate frequenter mutent, quin vt ludos, hastilu-
dia, choreas, procationes, ebrietates, magna cōuiuia, de-
licata fercula, suis alternatim exhibeant sodalibus, mu-
lieres ad suam voluptatem explendam sufficienter ha-
beant. Sed væ miseri, quid facitis nō agnoscitis, corpus
ante tempus destruitis, & animam interficitis. Vnde in-
firmitates & mors tam intempestiua, nisi ex nimia cibo-
B rum copia, & frequenti mulierum vsu? Deum deludere
creditis? Certè deluditis vosmetipsos. Pro corpore obli-
uiscimini animam, & ecce corpus simul cum anima de-
struitis ante tempus: & ideo gaudete, & iocundamini, &
lætamini in hoc breuissimo tēporis spacio quod habe-
tis, vt postmodum cum diabolis sine omni tempore lu-
geatis. Quod facitis, non differatis, frequētissimè vesti-
menta permuteris, ne fortè vestra dispereat nobilitas,
nec sit qui vos excedat, vt in inferno verecundiam reci-
piatis & cōfusionem. Vbi conuiuia? Vbi delicata fercu-
la? Vbi vina pretiosa melle mixta, & aromatibus præpa-
rata? Epulemini, & inebriemini, non enim post mortem
amplius facietis: sed cum diuite, qui quotidie epulaba-
tur splendidè, in tormentis gehennalibus guttam aquæ
minimā peroptabitis, nec habere poteritis. Agite sola-
ria vestra, in luxuriis explere voluptates. Seminate in cor
ruptione, vt de corruptione colligatis diuinam senten-
tiam: quam iustus ille dabit iudex, in magno iudicij die
dicens: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est
C diabolo & angelis eius. Heu cor lapideum, si cum talem
tibi cogitas ob huius mūdi parua solatia imminere sen-
tentiam, nō formidas. Si illum expectas diem tam terri-
bilem & crudelem, in quo non solum de luxuriis, vesti-
bus, & ebrietatibus, comessationibus, & de toto tempo-
re amisso quo vixisti, sed etiam de qualibet te oportebit
cogitatione vana domino reddere rationem. cur non e-
mendaris? Cur moraris de die in diem miser conuerti ad
dominum? Cur te iam malorum non pœnitet? Ecce
mors properat, vt te conterat, die noctúque currens. Ec-
ce diabolus iam properat vt te recipiat. Ecce diuitiæ tuę
tibi deficient. Ecce vermes corpus, quod tanta enutris
diligentia, expectant, vt illud rodant, quousque iterum
coniunctum animæ, cum illa pariter pœnas habeat infi-
nitas. Quid errando per huius sæculi inuia, in vanitati-
bus petis solatia? Diuitias. gaudia. gloriam, & cętera tibi
placita non inuenies hic: quia non hic sunt. Sed si vera
quæris gaudia, ad illam cœlestem gloriam propera, ad
quam factus es. Ibi certè illa sunt gaudia vera, quę nec o-
D culus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
derunt. Dimitte, quæso, caduca & momentanea, & quę-
re habere perpetua. Sed quid de his qui nec Dei timore,
nec amore, nec mortis & tormentorum subsequentium
terrore à peccatis cessant: sed condolent, si vt optant,
patria agere nō possunt, dicam? Væ, væ miseri qui hic ri-
detis, quia plangetis. Væ cum ista optatis gaudia tempo-
ralia: quia vobis inuitis sustinebitis tormenta infernalia.
Ecce vobis modicū restat temporis, implete mensuras
malitiarum vestrarum, vt veniat super vos omnis diuina
indignatio. Fruamini hoc paruo tempore in iocis, ebrie-
tatibus, prælijs, & cōtentionibus, choreis, & procacio-
nibus, nec vacuum præterire tempus dimittatis. Quid
moramini dum viuitis? Congregate filiis vestris hono-
res, diuitias, & potentias, vestram augere nobilitatem &
famam, vt vestri filij quæ fecistis explere & ipsi queant,
quatenus cū illis pariter in inferno ampliora patiamini
cruciamenta. Sed fortè quis dicet: Benignus est domi-
nus & misericors, qui omnem peccatorem ad se redeū-
tem recipit & indulget. Verum quidem hoc esse confi- E
teor. Benignior est enim dominus, quā creditur, & vni-
cuique parcit ad se (vt condecet) redeunti. Nonne beni-
gnissimus est dominus, qui tantas tolerat iniurias à pec-
catoribus, dans eis temporis spatium vt emendentur?
Sed hoc noueris, quia sicut benignus est in tolerādo, ita
iustus est in puniendo. Sed fortè quis iterum dicet: Vir
qui toto tēpore quo vixit malefecit, in mortis articulo
accepta pœnitētia, à Deo veniam obtinebit. Heu quàm
vana suspicio & falsa meditatio. Vix de centum millibus
hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur à
Deo habere indulgētiam vnus. Vir totus in peccatis ge-
nitus & enutritus, qui nec Deum vidit, nec agnouit, nec
de eo audire voluit, nec se peccasse cognoscit, nec quid
pœnitentia sit, nisi fortè dormiendo nouit, totus adhuc
sæcularibus innodatus negotiis, quem angustia premit
filiorum quos deserit. quem infirmitas conterit, quem
dolor diuitiarum, & temporalium bonorum concutit, F
cum eis non posse frui amplius se cernit, quàm acceptā
Deo accipit pœnitentiam, quam non acciperet, si adhuc
se posse sanari crederet. Certè verè cōcludam, qui dum
sanus est & iuuenis, Deum offendere non formidat, in
morte non merebitur diuinam obtinere indulgentiam.
Quæ dilectissimi filij est pœnitentia, quam solum quis
accipit, quia se viuere non posse amplius cernit, qui si ex
infirmitate conualesceret, peior quàm prius fieret? Scio
nonmodicos pecuniosorum, accepta in mortis articulo
pœnitentia, cōualuisse corpore & peiorasse vitam. Hoc
teneo, hoc verum puto hoc multiplici experientia didi-
ci, quòd ei nō bonus est finis, cui mala semper fuit vita,
qui peccare non timuit: sed in mundi vanitatibus sem-
per vixit. *Pretiosa* (inquit Propheta) *in cōspectu domini mors
sanctorum eius*. Et, *mors peccatorum pessima*. Et ideò filij prę-
dilectissimi accingimini potentia, estote filij potētes, &
nolite horum miserorum diuitum, & potentum (quo-
rum iam tantam ostendimus imbecillitatem & mise-
riam esse, quantam non diceret lingua carnis) tenuem
potentiam formidare in operando iustitiam. Qui enim
propter iustitiam persecutionem patitur, beatus est, &
benè sibi erit: & si moritur, beatior. *Pretiosa* nempe est in G
cōspectu domini mors sanctorum eius. Si cupis vitam tenere
in Christo, noli mortem timere pro Christo. Non enim
potes illa sustinere pro Christo, quæ sunt condigna ad
futuram gloriā, quæ reuelabitur, cum apparuerit glo-
ria nostra quę sursum est, & non super terram. Non spe-
ret mercedem qui nō laborat. Non sufficit solum Chri-
stiani nomen. Christianus, es imitare Christum. Frustra
Christiani habet ille nomen, qui diabolum sequitur.
Quinimò Christianus omnino nō est, sed Antichristus,
iuxta illud beati Euāgelistæ Ioannis. *Audistis quia Anti-
christus venit, nunc Antichristi multi sunt*. Vis ergo regnare
cum Christo, patiaris cum Christo. Si Christum domi-
num & regem, cui est nomē super omne nomen, opor-
tuit pati, vt sic intraret in gloriam suam: quam fiduciam
habes te intrare sine labore? O quàm stulti sumus & tar-
di corde ad credendum. Volumus hic gaudere cum sæ-
culo, & postea regnare cū Christo. Dominus nudus in-
greditur, seruus superfluitate onustus vestium, auri, & H
gemmarum intrabit? Ille ieiunus, iste crapula & luxuria
plenus: ille in cruce pro ipso moriens, iste in lecto deli-
catè dormiens? Quod dominus non facit, seruus faciet?
Promittit dominus Zebedæi filiis regnum suum, si cali-
cem quem bibiturus erat, possent bibere. Sic fatui filij
hominum non rectè iudicantes, neque quod verum est,
cognoscentes: dicentes malum bonum, & bonum ma-
lum. Reuertimini ad cor, venientes audite me, & narra-
bo vobis quæ audiui & cognoui, & patres nostri narra-
uerunt mihi, nec occultetur à filiis hominum. Adhærere
Deo bonum est, & sicut ille ambulauit, sic ambulare. Si-
cut Christus animā suam pro nobis posuit: sic & nos (si
opus est) pro veritate, quæ ipse Deus est, debemus ani-
mas ponere. *Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet
eam*. Christus pro nobis passus est, nobis relinquens ex-
emplū, vt sequamur vestigia eius. Non se cogitet Chri-
stianum, qui pro Christo mori se non inuenit præpara-
tum.

A tum. Qui Christo ministrat, ipsum sequatur. Dicas homo qui solum nomine & verbo Christianus es: Fidem Christi habeo & prædico. Bonum est, sed vbi opera? *Fides sine operibus mortua est*. Certè dicam, qui Christum tantùm ore & nō opere laudas, ipsum negas: quia si quæ facit crederes, saltem eum timeres, & de peccatis verecūdareris. Et si credis & mala facis, centuplo puniēdus es. Nonne peccatum quod fit ex certa malitia, infinito peius est peccato quod fit ex ignorantia? Peccauit angelus, peccauit homo, alter veniam potuit inuenire, alter non. Quia deterior ille ex propria malitia, homo suggestione diabolica. Et fortè dices. Et ego similiter pecco suggestione diabolica. Ad quod ego, quod miser mereteris præmiū, si nullum habeteres prælium? Nonne terrestris miles ad omne se exponit periculum, vt suo regi placeat? Nec certè vlla tibi esse potest excusatio, si te peccare diabolica dicis suggestione sicut & ille: quia tibi non est occa-
B sio quæ illi. Vnum solum habuerat præceptum, vt de ligno non comederet. Nondum, quid diabolica foret suggestio nouerat, nec quantum peccatum Deo displiceat, sciebat: & tu (vt dicis) nosti, & bene credis, & tot nullia facis peccata. Et quid concludam? Qui tales sunt Christiani, diligunt eum in ore suo, & lingua sua mentiuntur ei. *Cor autem eorum non est rectum cum eo, nec fideles habentur in testamento eius*. Si quis diligit Christum, si quis verus est Christianus, & specialiter sacerdos & monachus, in quo tanquam in speculo relucet perfectio, non solum renunciet omnibus quæ possidet, sed etiam abneget semetipsum, ita vt totus sit mortuus mundo. Quia *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Qui mundi viuit negotiis, mortuus est Deo. Oportet namque hominem qui vult capere perfectionem & tenere, ita mortuum esse mundo, vt tanquam mortuo nihil de rebus secularibus sentiat, ita vt cum Apostolo dicat Nostra conuersatio in cœlis est Et iterum: *Viuo iam non ego, viuit autem in me Christus*. Idcir-
C co qui verè iustus est, vitam hanc quæ mors est, non metuat amittere, vt vitam quę Christus est, valeat inuenire. Eos qui occidunt corpus, non timeat, quia animam non possunt occidere. Hic tribulationes quæ cito labuntur, sostineat, vt gaudia quæ sine fine manent, habeat. Hæc sola via est, qua itur ad patriam cœli. Certè si alio posset iri tramite, in toto mendax Deus fieret. Non enim quæ dico vobis verba, accepi ab homine, neque per hominem didici, sed per Euangelium suum. Itaque oportet nos per multas tribulationes acquirere regnum Dei. Errat in via, qui per diuitias & delitias festinat ire Signum manifestæ damnationis est, in hoc mundo sua beneplacita assequi, & à mundo diligi. *Quos Deus diligit*, hos sepè corripit *& castigat*. Si in mundo gloriatio poteret, libēter gloriemini in tribulationibus & aduersitatibus vestris. Promisit enim Christus hæc suis discipulis, quos dilexit vsque in finem in signum præcipuæ dilectionis, cum in
D vltima cœna dixit: *Amē dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autē gaudebit*. Gaudete filij mei prædilectissimi, cum odit vos mundus. Desiderate sufferre contumelias & opprobria ab hominibus. quia beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter filium hominis: gaudete tunc & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Vtinam in vos insurgeret totus iste mundus Scitote quòd de mundo non estis. quoniam si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret. Omne gaudium vestrum existimate, cū multa habetis in sæculo opprobria & aduersitates, scientes quòd fortitudo & patientia ex ipsis oriuntur. Patientia autem perfectum opus habet. Probantur autem virtutes in homine per patientiam, tanquam aurum per ignem qui cæteras habet virtutes sine patientia, aurum in vasis fictilibus portat. In sola, dicebat Saluator, *patiētia vestra possidebitis animas vestras*. Fortitudo cōnexa est patientiæ. Vir patiens, fortis est animo. Qui patiēs & fortis est, securè bona sequentis vitę sperare potest. Seruate patientiam in mente, eamque dum tempus est, exercete in operatione. Est enim patientia velum, quo in

baius maris procellis, nauis nostra quocunque flante vento nauigat securè, nullum timens periculum. Nal- E
lum vestrum ad vindictam vel odium proximi, contumeliosa verba commoueant. *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, qui pluit super iustos & iniustos: & solē suum facit oriri super bonos & malos*. Iudicium sine misericordia illi fiet, qui non facit misericordiam. *Misericordia superexaltat iudicium*. Si non remiseritis de corde vestro illis qui offendunt vos, nec pater vester dimittet vobis. Frustra petit misericordiam, qui alijs denegat misericordiam. *Sustinetis*, inquit Apostolus, *si quis vos in seruitutem redigit: si quis in faciem vos cædit*. Hic vestra stabilitur virtus, hic tota merces & prēmium, vt amicos diligamus in Deo, & inimicos propter Deum. Seruus ille nequam accepta misericordia, conseruo suo denegauit misericordiam & ideo meruit habere seueritatem iustitiæ. Iustitia sine misericordia, crudelitas est: & ideo iustitiæ misericordia miscenda est. Lex nostra tota in misericordia est. Propter peccatum quoque poterat damnare nos Deus F
iustitia, quos sua saluauit misericordia. Quapropter qui misericordia caret, Christianus non est. Impossibile est esse hominem misericordem & pium, & iram nō placare diuinam. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Sacerdos & monachus præcipuè sine misericordia, nauis est in medio pelagi vndique perforata. Vana religio est, quæ caret misericordia. Parum prodest differentem esse vestimentis à secularibus, & concordem vita Non vestimentis & ordine solum quis est sacerdos & monachus, sed vita. Heu quid dicam? Sæpè ex magna abundantia tristitiæ, homo multa loquitur. Ecce mūdus vndique feruet monachis & sacerdotibus, & tamen iam sunt rarissimi sacerdotes & monachi, quod vix de centum vnus reperiatur bonus. Nulla certè in mūdo tā crudelis bestia, quàm malus sacerdos vel monachus: nam corrigi non patitur, nec veritatem vnquam audire potest, &, vt breuiter dicam, omnes præeminet malitia. Sūt hi tales sacerdotes & monachi solum habitu & no- G
mine, quorū vana est religio. *Religio munda & immaculata apud Deū patrem hac est. Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Heu quantum in quibusdam spiritualibus habitu & nomine creuit cupiditas, immo, vt verius dicam, causa huius spiritualitatis est auaritia, qui certè sunt lupi rapaces in vestimentis ouium. Vbi sacerdos & monachus cupidus est, & sine misericordia, ab eodem plusquam à serpente fuge. Sunt etiam nonnulli qui totum suum fructum existimant Ecclesias & monasteria, miro modo & opere ex pauperum mercede ædificare, in quibus tanta viget cupiditas, vt terram sibi & omnia deficere putent. Ibi cor, ibi mens, ibi semper sua est cogitatio, vt aliena possint expoliare marsupia. Hos tales Saluator increpans. *Væ vobis*, inquit, *qui ædificatis monumēta Prophetarum*. Ecce qui monasteria ædificant, Ecclesias miro artificio aptant, bonum videntur opus facere Sed siquidem misericordiam pauperibus faciunt, bonum est. Vis vt opus tuū Deo placeat, fac vt de hoc paupe- H
res gaudeant. quod templum est Deo charius, quàm homo? Templum Dei vos estis, inquit Apostolus. Cum pauperi manū tribuis, cum viro in suis necessitatibus subuenis, cum errantem ad viam rectam reducis, ô quàm admirabile & Deo gratum templum ædificasti. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Nemo se excusans dicat, non habeo quod pauperi fratri tribuam. Si vestimentum vel aliquid vltra extremam possides necessitatem, & pauperi indigēti non subuenis, fur es & latro. Sumus dilectissimi filij in rebus tēporalibus solum dispensatores, & non possessores. Si quid superfluum quo frater egeat possidemus, furamur, immo peius quàm qui furatur aliqua ex inopia & necessitate. Iste tantum vltra necessitatem retinet, quo centū viuerent, qui fame pereunt. Ille vni furtum facit, iste tot, quot non condonat patientibus necessitatem. Dices fortè miser, meum est: nam hoc dimiserunt mihi parentes, sed si tua hæc dimiserūt parentes: quomodo tibi potuerunt dimittere quod

A suum non erat? Ast si suum erat, inquies, vnde habuerunt? quis dedit eis? quid in mundum venientes, apportauerunt? quid recedêtes secum ferent? Certè quæ pauperum possidemus, in die iudicii coram oculis diuinę iustitiæ vindictam exclamabunt. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Qui mihi non vult credere, heu quàm grauiter sentiet, cum diuitiæ suæ transierint in egestatē. Lex naturæ illis hoc præcipit, vt quod ab aliis desideramus, hoc aliis faciamus. Quid aliud lex vetus prædicat? ac Euangelicam doctrinam percunctare vndique, quid aliud insinuat? Verè coram Deo iudice erūt testimonia. Quid ergo dicā de his, qui solum lapides congregant, & muros erigunt in altitudinem, quorum est cor & cogitatio, vt humanis oculis opus appareat? Laudatur ædificium, & totam hic suam arbitrantur iustitiam? Sunt etiam aliqui qui de rapinis & pauperum sudore oblationes & victimas Deo offerunt. Tales oblationes ante diuinam clementiam non parum sunt abominabiles. Quis tam insipiens est, vt non intelligat quòd tal a ædificia non cedunt ad Dei gloriā, sed ad mundi pompam? Sed si quis
B dixerit. Quid dicis? Nonne bonum est ædificare monasteria, vt inde honoretur Deus? Ad quod ego. Bonum est, dummodo pauperes violentiam non sint passi: nec interpellent Deum contra eos. Quomodo possum ædificare domum Deo placitā vel sanctis eius ex illis peccuniis, de quibus pauperes spoliantur & plorant? Qualis iustitia potest esse munerare mortuos, & spoliare viuētes, & de indigentia pauperum offerre Deo? Certè si hæc placeret Deo iustitia, foret socius violentiæ. Et si hanc à nobis vellet oblationem, conscius fieret in peccato. At si Deo displicet. nō potest placere sanctis. Qua de re, filii dilectissimi, deponentes omnem malitiam, omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gu-
C stastis, quoniā dulcis est dominus. Verè si non eritis sicut paruuli, nō intrabitis in regnum cœlorum. Paruulus videns pulchram mulierem, non delectatur. Pretiosam vestem intuens, non desiderat, in iracundia non perseuerat læsus, non recordatur, nec odit. Patrē sequitur. matrem non deserit. Et ideo nullus se regnum cœlorū cogitet attingere, nisi hanc paruuli innocentiam & simplicitatem imitari studeat, id est castitatem habere, mundum spernere fratrem diligere, patientiam seruare, patrem Christum sequi, & in gremio matris Ecclesiæ semper incumbere. Et *exuite* vos dilectissimi *veterem hominē, & induite vos armatura Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.* Diabolus nihil in mundo possidet. Expoliati ergo mundanis rebus momentaneis, & cito velut vmbra latentibus, cum nudo pugnetis. Qui oneratus vestibus cum nudo luctatur, citius ad terram deiicitur: quia vnde teneatur, habet. Vis firmiter cum diabolo dimicare? vestimēta proiice ne succūbas. Terrena omnia sunt, quasi quædam corporis indumenta. Qui plus possidet, citius
D vincetur. Arma vestra pugnaturis sint castitas, patiētia, humilitas, & charitas. Hęc sunt arma aduersus versutias diaboli, quibus si muniti fueritis, accingetis fortitudine lumbos vestros, & roborabitis brachium vestrum. Fortitudo & decor indumentum vestium erit: & cum eritis in prælio, ridebitis. Non timebitis à frigoribus niuis, & verè fundata erit domus vestra super firmam petram, quę Christus est. Ensis diaboli, luxuria. Heu quot illa interficit romphæa? Non est aliquod peccatum, quo totiens diabolus victor existat. Fugite luxuriam: nam sicut virginitas hominem æquat angelis, imò plus eum facit quàm angelum: ita luxuria hominē plus quàm bestificat, & (vt ita dicam) multo peius bestia eum efficit. De nullo alio peccato legitur Deum dixisse se pœnitere fecisse hominem. Hæc huiusmodi facit opera: Corpus debilitat, & quasi semper eum morte destruit, famā denigrat, marsupia euacuat, furta instruit, homicidia caosat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos vtriusque hominis cæcat. & præ cęteris irā Dei prouocat: ex radice gulæ oritur. Pro nullo alio reatu, tam manifestam iustitiam exercuit Deus sine misericordia, quàm pro isto. Propter hoc namque legitur peccatum, Deum mundo induxisse E
diluuium Sodomā & Gomorram combussisse, & multos alios homines interemisse. Hoc rete diaboli, si quis hoc capitur, non cito soluitur. In isto tam graui prælio, nemo potest vincere, nisi fugiat, nemo potest firmiter perdurare, nisi carnem domet. Qui vino vtitur, ignem portat in gremio. *Nolite*, inquit Apostolus, *inebriari vino, in quo est luxuria.* Hoc prçliū non sustinetur, nisi in abstinentia & ieiunio. Vinū nocet, sed vultus centuplo magis mulierum. Mulier, diaboli sagitta est, qua in luxuriā homo cito trahitur. Nullus in hoc cōfidat viuēs. Si sanctus es, nec tamen securus es. *Mulier, viri pretiosam animā rapit.* Nonquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, vt vestimēta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Homo & mulier, ignis & palea, Diabolus nonquam insufflare cessat, vt accendatur. Huius prælij nunquam fiet victor, nisi fugiens. Nunquam viro cum muliere sint longa colloquia.
Sola insimul loqui faciat necessitas. Vir mulieris cūcta F
spernat munuscula, & blanda verba, si non vult luxuriæ capi laqueis. Tanta sit inter virum & mulierem raritas, vt alter alterius nomen nesciat. Plurimi sanctissimi iam ceciderunt hoc vitio, propter suam securitatem. Timeatis filij, si in aliis peccatis timendū est, in isto multo plus, sed verè dicam. Hodie sub spiritualitatis nomine, nouū fit fornicationis genus à pluribus. Heu quid proferam? Hodie non verecundantur homines, quin imò gloriantur cum malè fecerint. Aliqualis in mulieribus viget verecundia, quāsiquā parua: sed in viris ita hæc creuit malitia, vt ille putetur insipiens, qui huiusmodi doctus nō est. Quid plura? Hæc sua est festiuitas, hæc omnis prædicatio. Ob hoc frequentant Ecclesias, vt mulieres videāt, & earum vtantur colloquiis, quatenus inde luxuriç amplius crescat appetitus. Sed quid vir miser gloriatis in malitia ista? Fortè quia potens es in iniquitate? Cētuplo plus peccas quàm mulier. Mulier mollis, & tu fortem te existimas. Illa in domo sedet, & tu vagando mille modis
eam illaqueas, & aliquando eam cogis, vt vi faciat: Hæc G
cum facis, quia Deus tacet, tu cogitas, quòd sit tibi similis. Sed veniet tempus quo arguet te, & ita ruet contra faciē tuam. Vnde filij *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colūbæ, & pugnate* viriliter *cum antiquo serpente. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,* & tunc viriliter agite, & confortetur cor vestrum: quoniā illi qui debellabant vos, timebūt, & in Deo facietis virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes vos. Prædilecti mei, diligite vos inuicem. Non enim accepi hoc ab homine, sed à Saluatore. Hoc est, inquit, præceptum meum, vt diligatis inuicem. In sola dilectione omnium virtutum bona consistunt. Sicut ex vna radice multi exeunt rami, sic ex charitate omnes generantur virtutes. *Si linguis hominum*, inquit Apostolus, *loquerer & angelorum, si omnem habuero prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam, si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil sum.*
Qui veram habet charitatem, benignus est & patiēs. Il- H
le veram habet charitatem, qui non tantum proximos diligit per affectum cognationis & carnis, sicut ethnici & publicani faciunt: sed ita diligit inimicum, sicut amicum. In hoc vno potest homo agnoscere si manet in charitate, si ab eo diligitur qui ei aduersatur. Certè hic quam plurimum animaduertendum est. Sunt quam plurimi qui diligunt, sed malè. Intantum enim aliquem diligunt, vt dilectionem Dei perdant. Qui aliquid supra Deum diligunt, Deo non sunt digni. In cunctis virtutibus requiritur temperantia. Virtus semper vult mediū. Nimis diligere malum est, minus diligere malum est: sed vt ius exigit diligere, bonum est. Omnis dilectio quę nocet, vitanda est. Propter nimiam dilectionem aliqui in luxuriam ceciderunt, propter modicā aliqui in inuidiam deuenerunt, multi orationes & Dei obsequia dimiserunt. Hoc quippe agit superfluus amor, vt quem diligit, semper videre vellet. Nimius & stultus amor, ignorat siquidem iustitiam & veritatem, ratione caret, modū nescit, neq; aliud cogitare potest, quā quod diligit.

Amor

A Amor iste non accipit de impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium. Impossibile est hominem qui talem habet amorē, Deo posse acceptabiles orationes facere aut placere. Hic amor nō est charitas, sed stultitia. Omnes nostros debemus diligere fratres, sicut nosmetipsos: ita tamen vt vitia non diligantur. Punire malum, charitas est, plus meliorem diligere, iustum est. Sic diligendi sunt homines, vt bonitas exaltetur, & vitium deturpetur. Vera charitas exigit, vt Deum diligamus ex toto corde, & ex tota mente, & ex totis viribus nostris, & ita singulariter quòd cum Deo nihil aliud diligamus, & proximum nostrum sicut nos. In istis duobus mandatis tota pēdet lex, & prophetæ. Quj sine charitate est, sine Deo est, quia Deus charitas est, & charitas Deus est. Qui manet in charitate, in cœlo iam cœpit habitare. In cœlo vna est charitas omnium beatorum. Vbi charitas vera est, ibi inuidia nulla est, ibi ambitio nulla cognoscitur, nec murmuratio, nec detractio, nec irrisio, sed est
B omnibus vna & eadem voluntas. Hoc scitote fratres, quia si non habetis charitatem perfectam, sub diabolica potestate estis, nec vltra vobiscum Deus habitat. & qui sine Deo est, in inferno est.

Idcirco prædilectissimi mei filij, hortor vos dum tēpus habetis, *ne in vacuum gratiā Dei recipiatis*: gratia Dei data est omnibus, per mortem filij eius. Dum tempore isto breuissimo viuimus, seminemus, quod postmodum suo tempore metemus. *Breues dies hominis sunt*. Præciditur velut à texente vita vestra, tanquam fur, mors venit. Cum mortuus fuerit homo, nō simul descendit cum eo gloria domus eius. Diuites in bonis, quamuis minimis, ducūt dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Opera cuiuslibet sequuntur illum. Pertatum est, vt hominis cuius semper mala fuit vita, bona sit mors. Siue malum siue bonum tempore isto fecerimus, illud idē post finem mortis inueniemus. Non expectetis: quia tempus istud acceptabile est. *Dum lucem habetis*, non ambuletis
C in tenebris. *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*. Lux vestra Christus est, quæ lucet in tenebris, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vt ergo filij lucis sitis, & *tenebræ vos non comprehendant*, ad ipsum accedentes lapidē viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & glorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificabimini, *& in omnibus exhibeatis vosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei*. Non sit inter vos mendacium. Omnis vir mendax, abominabilis est Deo. *Est enim Deus veritas*, & veritati obstat medacium. Omne fugiatis verbum otiosum. De quolibet enim verbo otioso & vano reddemus Deo rationem. Silentium diligite. Vbi est multiloquium, ibi frequenter mendacium: vbi mendacium est, ibi pecca-
D tum. Sermo indicat qualis est homo. In ore sacerdotis vel monachi, nullum vnquam sit verbum, in quo non sonet Christi nomen, semper diuinam nominet legem. Etenim qui in lege domini meditatur die ac nocte: non abiens in consilio impiorum, neque in via peccatorum: *erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum*, cuius folia non decident, sed dabit fructum in tempore suo: *& omnia quæcunque fecerit, semper prosperabuntur*. Certè nil tam nocet homini, quàm mala societas. Talis enim efficitur homo qualium societate fruitur. Nunquam cum agno lupus habitat. Vir certè castus, luxuriosi societatē fugit. Plusquam impossibile puto virum diutius in bonis permanere operibus, qui maiorum assidua conuersatione vtitur. *Cum sancto*, Psalmista vociferat, *sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris. & cum peruerso peruerteris*. Sicut enim mala nocet conuersatio, ita bona prodest. Nihil potest huic comparari thesauro Qui bonam inuenit societatem, vitam inuenit, diuitiis affluit. Certè verè dicam. Perraro homo vel bonus, vel malus efficitur, nisi ob societatis causam. Pueri cor tanquam tabula in qua nihil pictum est,

fore dicitur. Illud ergo quod à societate recipit, vsque ad E
senectam retinet, siue bonum siue malum sit. Raro cum iuuene iuuenis habitet. Nam ignis si apponatur igni, calorem non extinguit, sed enutrit. Semper vir quem delectat sapientia, se maiori ætate & sapiētia socius existat. Alioquin si sibi simili societur, assidua societate, de stultitia in stultitiam dilabetur. Ante omnia autē filij mei, nolite iurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester: est, est; non, non. Cuius in ore frequens sonat iuramētum, in ipso homine parua est Dei cognitio & dilectio. Si non est quod iuro, Deum esse nego. Præceptum enim Dei prohibet. *Non assumatis nomen Dei in vanum*. Orationibus instate cōtinuis. Multum valet frequens oratio & deuota. Oratio hominem à terra sublemat, ad cœlestia vehit, & facit hominē cum Deo loqui. Gratias ab eodem obtinet, dummodo sit deuota & mixta lacrymis. Multum valet oratio frequens cōspersa lacrymis ad promerendam diuinam clementiam, ad exau- F
ditionis beneficium. Obtinuit Ezechias statim gratiā à domino suis lacrymis & orationibus, vt mutaret sentētiam quam sibi indixerat. Liberauit dominus Susannam à iudicio diræ mortis, propter orationē & lacrymas. Orationibus Eliæ, cœlum dedit pluuiam, quod clausum fuerat tribus annis & sex mensibus. Si quo egeris, petatis à domino orationibus & lacrymis in fide nihil dubitantes. Quia qui fidem habet vt granum sinapis: quicquid petierit fiet statim illi. Idem dominus est diues in omnibus: qui tunc erat & nunc est. Spes vestra, gaudium vestrum, cogitatio vestra, & omne desiderium vestrum sit semper Deus. Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: in quo viuimus, per quem mouemur & sumus: sine quo nihil penitus sumus. Iam filij meī non multa loquar vobiscum. Venit enim hora ad quam natus sum. Hac conditione huc veni vt exirem. Nunquam natus fuissem, si mori non debuissem. Suo proprio non pepercit dominus filio: sed pro nobis omnibus fecit eū G
mori in crucis stipite, per cuius mortem, mors nostra mortua est. *Nemo enim nostrum sibi viuit vel moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus; siue morimur, domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, domini sumus*. In hoc enim vocatus Christus viuorū dominus & mortuorum. Si enim Christus mortuus est (certè nō est seruus maior domino suo) idcirco & nos moriemur. Si enim resurrexit, habemus spem firmissimam quòd & nos resurgemus. Et si Christus sic resurrexit vt amplius nō moreretur: certè & nos post resurrectionem nostram nunquam moriemur, sed semper cum ipso in gloria stabimus. Cum enim mortuus fuit Christus, vetus homo noster simul mortuus est: vt destrueretur corpus peccati, & fieremus vnum corpus cum illo. Idcirco si resurrexit Christus, & nos resurgemus cum illo: quia sumus membra eius. Si autem & Christus non plus morietur, & nos similiter. Quo quidem dilectissimi filij mei, si nunc morior, credo quod redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor hac pelle mea, & H
in ista propria carne mea videbo ipsum saluatorem: quem visurus sum ego ipse qui nunc loquor, quem hic nunc cernitis morientem, & non certè alius loco mei. Et isti proprij mei oculi quibus vos video cōspecturi sunt. Vnde dilectissimi filij mei, *videte quomodo cautè ambuletis, nō quasi insipientes, sed vt sapiētes. Et nolite secundum carnem ambulare: quia si secundum carnem ambuletis, moriemini. Sed spiritu* ambulantes, *& facta carnis mortificantes*, nunc mecum exultate, cantate, & psallite. Abiicite vestimenta luctus & tristitiæ. Spargite cinerem de capite vestro. Iubilate Deo, psalmum dicite nomini eius: date gloriā laudi eius, quoniam hucusque transiui per ignem & aquā: & ecce nunc inducit me in refrigerium. Introibo in domum domini, *& reddam vota mea de die in diem*. O quantum lucrum mihi est mori: quoniam viuere deinceps meum Christus erit. Ecce *terrestris domus huius habitationis dissoluitur*, vt alia succedat *non manufacta*, habitatio *æterna in cœlis*. Ecce quod mortale est vestimentum exuor, vt æternum induat. Hucusque peregrinatus sum: iam redeo

A ad patriam.Ecce brauium capio. pro quo in agone cu-
curri. Ecce portum attingó,quem tanto desideraui desi-
derio. Ecce de tenebris ad lucé, de periculis ad securita-
tem,de inopia ad diuitias,de prælio ad victoriam,de tri-
stitia ad gaudium, de temporali vita ad perpetuam, de
fœtore ad odorem suauissimũ vehor. Hic cæcus sum &
illuminor:vndique vulneratus & sanor.Hic semper cõ-
tristatus sum & ecce iam lætificor. Verè hic viuẽs mor-
tuus sum,& iam verè viuificor. Vita mundi, nõ vita sed
mors, vita fallax,vita onusta tristitiis, imbecillis & vm-
bratica,vita mendax.Nunc flores, & statim arescis: vita
priuans,vita cui mors inest, vita fragilis, vita momenta-
nea & caduca,quę quãto magis crescis,tanto magis de-
crescis. Cum plus procedis, plus ad mortẽ propinquas.
O vita plena laqueis, quot in mũdo homines illaqueas,
quot per te iam sustinent tormenta infernalia ? Quàm
beatus qui tuas agnoscit fallacias : quàm beatior qui de
B tuis non curat vanis blanditiis:quàm beatissimus qui te
benè priuatus est. Melior est negotiatio mortis argento
& auro,primi & putissimi eius fructus. O mors dulcis&
iocunda. Nõ certè mors quæ vitam veram largiris,quæ
fugas febres & vulnera:famẽ extinguis & sitim. O mors
iustissima & pia bonis, & malis aspera : humilias super-
bum,diuitem,& potentem, & exaltas humilem. Per te
pauperes satiantur cum aurum proiicis. Tu malis das
supplicium,& iustis æternũ præmium. Veni soror mea,
sponsa mea, amica mea, dilecta mea: indica mihi quem
diligit anima mea. Ostẽde mihi vbi pascat dominus me-
us: vbi cubet Christus meus. Ne dimittas me amplius
vagari per inuiũ huius incolatus mei. *Exurge gloria mea.*
Porrige mihi manum:trahe me post te. Apertum est cor
meum,vt exurgam, & post te curram in odore vnguen-
torum tuorum, donec introduxeris me in cellaria do-
mus domini mei,vt exultem & gaudeam cum apparebo
ante faciem suam. Tunc *cantabo & psalmum dicam domi-
no. Ecce tu pulchra es amica mea,* iam noli morari amplius.
C Ecce *omnes dies mei defecerunt,* & anni mei trãsierunt vel-
ut vmbra. Conuertere aliquantulum super me : quia te
inuenire exultaui,& in te delectatus sum omnibus die-
bus vitæ meæ. Suscipe me, nam cum suscepisti domi-
num meum, me saluasti, me viuificasti. Iam respice in
me, saluum me fac, & libera me de aquis multis, & de
manu filiorum alienorum. Erue de carcere animam: &
redue eam per gratiam, quam operata fuisti suscipiendo
dominum meum, vnde exultaui per culpam,quam per-
petrauit meus genitor Adam. Veniam per te in hortum
dilecti mei, vt comedam fructum pomorum suorum.
*Defecerũt sicut fumus dies mei, & caro mea iam sicut fœnum a-
ruit.* Ecce iam venit tempus miserendi mei, noli tardare,
accelera vt eripias me, quia amore langueo. Per te bona
mors, fructum recipimus bonorũ quæ facimus, cogno-
scimus præmia quæ speramus. Antequam venias, Deũ
ex parte cognoscimus: dũ veneris, perfectè videbimus
D eũ sicuti est. Nigra es sed formosa, pulchra es & decora,
fauus distillans labia tua. Terribilis es,& quis resister
tibi? Terribilis quidem apud reges terræ: aufers spiritũ
principum : notam facis humilibus virtutem tuam : tu
confringis cornua peccatorum,& exaltas cornua iusto-
rũ. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit & cõmota est
terra.* Aperi mihi dulcis soror & amica mea ianuas vitæ,
quas aperire mihi promisisti cum fuisti cum domino
meo, vt iam sit in pace locus meus, & habitatio mea in
Sion. Expolia me ista mortali tunica mea quam fero, vt
induam me vestimentis lætitiæ. Anima mea liquefacta
est, vt inuenire possim dilectum meũ, quem in mundo
quæsiui & non inueni. Inuenerunt me in hac solitudine
custodes, qui circumeunt ciuitatẽ : percusserunt me, &
vulnerauerunt me, & tulerunt pallium meũ custodes
murorum. Percussus sum & humiliatus sum à voce ma-
lorũ & dolorum. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei:*
loquentes aduersũ me lingua dolosa, & sermonibus o-
dij circumdantes me,& expugnantes me gratis, posue-
runt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dile-
ctione mea. Ergo iam bona mors propera: confringe ar-
cũ, cornu, scutum, gladium & bellum. Si moraris, iam

deficit paulisper spiritus meus propter multitudinẽ do- E
lorum meorũ. Iam *consolationes tuæ lætificent animam me-
am.* Hodie vocem meam audiens : noli obdurare cor tu-
um. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei,* vt inhabi-
tem in domo sua in longitudine dierum? *Fuerunt mihi* in
miseria huius vitæ *lacrymæ panes die ac nocte:* labores, cõ-
tumeliæ, afflictiones, ærũnæ, fames, sitis, ieiunia, vigi-
liæ, tentationes & pestilentiæ. Audi gemitus vinculati,
solue colligationes meas. Accipe filium hunc famelicum
in regione aliena : & redde eũ patri suo. Suscipe vlceri-
bus plenum: & colloca eum in sinum Abrahæ patriar-
chæ. Fac me intrare in vineam domini sabaoth, vt non
stem hic otiosus. Suscipe me de via iniquitatis, & deduc
me in viã æternam. Educ me de tenebris & vmbra mor-
tis. Disrumpe vincula, solue compeditum, illumina cæ-
cum, erige elisum, custodi aduenã & pupillum. Seden-
ti in tenebris, & habitanti in regione vmbræ mortis, o-
stende lumen tuũ : illumina nunc me, vt nunquam am- F
plius obdormiam in morte. Hæc & his similia prose-
quente sanctissimo viro, omnium astantium creuit mœ-
ror & tristitia: nec quis nostrũ poterat se à lacrymis con-
tinere, sed omnium vna erat vox plangentiũ. Quid sine
te faciemus pater? quò pergemus? Vineam istam ex Æ-
gypto transtulisti & plantasti eã, vt quid auertis faciem
tuam ab ea? In lumine vultus tui ambulabamus : gloria
virtutis nostræ tu eras. Heu quid sine te amplius facie-
mus? Tu pater, tu doctor & refugium, tu exẽplar inno-
centiæ: vtinam nobis tecum mori liceat. Iam ad nihilum
deueniemus: sicut oues erimus sine pastore. Ad nihilum
deueniemus velut aqua decurrens. non erit qui console-
tur nos. Fient filij tui orphani: & famẽ patientur vt ca-
nes: circumeuntes vndique te non inuenient. Heu quã-
tus super nos cecidit ignis Non te deinceps videbimus
solem. Congregatio quid faciet fidelium sine te? Tu dis-
persio hæreticorum eras, tu interfector eorũ gladio o-
ris tui. Tu eorum malleus & securis, conterens eorum
dentes in ore ipsorum, molas leonũ confringens: & de- G
ducens eos in puteum interitus Gaudebunt nunc & ex-
ultabunt, & humiliabunt populum tuum, & hæredita-
tem tuam vexabunt. *Captabunt in animam iusti, & sangui-
nem innocentem condemnabunt.* Incendent igni sanctuariũ
Dei, & veritatem fidei lacerabunt. Tunc ille motus his
verbis, aliquantulum lacrymatus est, vt totus semper in
domino misericordiæ visceribus affluebat, conuersusq;
ad eos, hac eis flentibus voce respondit. Eia boni milites
Christi, confidatis in domino, & in potẽtia virtutis eius.
Nolite timere, consequimini à domino misericordiá,
si sperabitis in eum. Est enim ipse pius & misericors, &
nullum deserit sperantium in se. Quis confisus est in do-
mino & derelictus est? Si autem nunc vos derelinquo,
dominus nonne vos recipiet? Ipse enim legẽ vobis con-
stituet in via sua, diriget vos in semitam rectam, & non
tradet vos in animas persequentiũ vos. *Viriliter ergo agi-
te, & confortetur cor vestrum, & sustinete dominum.* Est enim
Deus in cœlo pius & misericors, qui suos mille modis scit
iuuare famulos. *Nõ turbetur cor vestrum neq; formidet.* Spe- H
rate in domino, *& effundite coram illo corda vestra,* quia ipse
adiutor erit vester. Si enim abeo nunc, iterum me vide-
bitis, & gaudebimus insimul. Quia non multo post hos
dies quò ego vado, & vos poteritis venire: & vbi ego ero
& vos eritis in gaudio, quod nemo tollet à vobis. Memẽ-
tote filij charissimi, quomodo post mortẽ Moysi Deus
elegit Iosue in ducem & protectorẽ populo suo. Et ele-
uato Elia per turbinem curru igneo in cœlũ, fecit Heli-
seum in populo esse prophetã, in quo duplex requieuit
spiritus Heliæ Nunquid nũc exinanita est manus domi-
ni? An oblitus est Deus misereri, aut cõtinebit in ira mi-
sericordiam suã? Dominus erit pars hæreditatis vestræ
& calicis vestri, & ipse restituet vobis hæreditatem ve-
stram. Suscitabit namq; ex vobis alium pastorẽ, cui da-
bit verbũ euãgelizandi, & ille ingredietur sine macula,
& operabitur iustitiã. Et rogo Deũ meũ, qui eduxit &
reduxit me secundũ voluntatem suã, vt si quis in me fuit
spiritus ad obediendũ pręceptis suis, ꝙ in isto quem vo-
bis mittet paracleto & pastore fiat duplex. En Eusebiũ
filium

A filium meum dilectissimum habebitis vobiscum, & ipsum tanquam me audietis. Ipse enim erit vobis in patrem, & vos ei tanquam filij obedietis in charitate cum omni humilitate & mansuetudine, & cum omni patiētia. Si quid vobis fuerit necessitatis, referetis ad eū. Obsecro vos vt solliciti sitis seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnū corpus & vnus spiritus sitis, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrę. Vnus est Deus & pater omnium Iesus Christus: cui soli in vna simul viuentes fraternitate placere cupiatis. Ergo eius estote imitatores sicut filij charissimi, *& ambulate in dilectione, sicut & ipse dilexit vos, & tradidit semetipsum pro vobis*, vt vos redimeret, & faceret vos sibi acceptabiles sectatores bonorum operum. Vnicuique vestrum det ipse gratiam secundum mensuram donationis suæ. Det vobis de tore Spiritus sancti abundè, vt habeatis cor ad colendum eum. *Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, vt cognoscatis eum, & faciatis eius voluntatē*, nec vos vnquam deserat. Tu autem mi fili Eusebi consurge, consurge, B induere fortitudinem, semper subditus esto domino, nec æmuleris eum vt nequiter facias. Salus tua Deus in sempiternum erit, & iustitia tua non deficiat. Humilior sis omnibus: leua in cœlum oculos tuos: lex Dei semper sit in corde tuo. Noli timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuas. Si sperabis in domino, assumes fortitudinē, & venient tibi pennę vt aquilæ, & volabis, & non deficies. Vniuersa legis dogmata securè loqueris omnibus. Ne timeas à facie hominum, quia cum illis semper est dominus cum quibus est veritas: descenditque cum illis in foueam, & in vinculis non derelinquit eos, sed à seductoribus tutatur eos, & est illis adiutor & protector in tempore tribulationis. Certè non facilè timet mortem hanc: imo vt plus dico, odit hanc vitam, qui se benè agerę cernit. Ecce constituo te super societatē istā, *vt euelles & destruas, & dissipes & disperdas,* C *reædifices & plantes*. Oportet te enim esse irreprehēsibilem. Potest malè alios corrigere, cui potest is quem corrigit dicere: Et tu similiter facis. Tibi amodo maior erit labor, sed maius præmium. Esto sobrius, prudens & pudicus, hospitalis & doctor. Nemini violētiam facito, sed omnes æqualiter dilige: & tanto plus quanto melior es. Non sis percussor, sed modestus: non litigiosus, nec cupidus. Tu autem *prædica opportunè* verbum Dei. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum. Acquire verba quæ prædices orationibus. Valet enim huiusmodi prædicatio & doctrina ad illuminandum & arguendum, ad corripiendum & ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit audiens, & in omni bono opere instructus. Est enim Christus Iesus in cœlo sedens ad dexteram virtutis Dei, reuelans mysteria, & docens omnē scientiā. In omnibus fili dilectissime teipsum præbe exemplum bonorum operum, in omni sanctitate & bonitate. Nam capite patiente, totum debilitatur corpus. Vt ergo breuiter te doceam, facies omnia bona si timueris D Deum. Patri meo reuerendissimo Damaso Portuensi episcopo scribens, facies mei memoriam, vt habeat me in orationibus suis, nec corrumpi dimittat opera, quæ tāto labore contexui, ab hominibus iniquis & dolosis, à quibus sæpè expugnatus sum à iuuentute mea. Ecclesiam prudenter custodiat, sciēs quoniam mali erigent se illaqueantes animas simplicium, quos conatus sum educere in viam rectam, loquentes in ore suo, & gladium habentes in labiis suis. Quoniam *obmutui & silui à bonis*, & proiectus sum in monumento dormiens. Spero enim in domino quòd benignus est, & nō derelinquet fideles suos. Gaudium enim habeo magnum & consolationem, præsumens de misericordia domini, quòd virum mirabilē & multæ scientiæ & bonitatis Augustinum Hipponēsem Episcopum post me relinquo. Propter quem multam habeo fiduciam in Christo Iesu sustentandi fidem nostram. Cui de me scribens hoc ipsum rogato, vt tanquam fidelis pugnet miles, ne veniant (quod absit) mala gēti nostræ. Theodosio senatori, & omnibus in Christo fratribus me recommēdes. Finitis his verbis, vir sanctissimus iucunda voce versus adstantes, inquit: Accedite

huc vt tangam vos filii mei antequam à vobis recedam. E Ad quem appropinquantibus illis, singulos brachiis vt melius poterat amplectens, cuilibet pacis osculum tribuit. Deinde vocem mediocriter eleuans, vultu placido & iucundo, extensis in cœlum manibus, cōuersisque ad dominum oculis gaudii lacrymis inundantibus dixit. Pie Iesu, virtus mea, refrigerium meum, susceptor meus & liberator meus, laus mea, in quem speraui, cui credidi, & quem dilexi, summa dulcedo, turris fortitudinis, & spes mea à iuuentute mea: voca me dux vitæ meę, & ego respondebo tibi. Operi manuum tuarum, quod tu de limo terrę creator omniū formasti, quod ossibus & neruis compegisti, cui vitam & misericordiam moriens tribuisti tuæ clementiæ porrige dexteram. Iube domine, ne moreris: quia tempus est vt puluis in puluerē reuertatur, & spiritus redeat ad te saluatorem, qui huc misisti illum. Aperi illi ianuas vitæ. Nam cum pro me in ligno crucis tanquam latro pependisti, tu promisisti mihi quod cum reciperes. Veni dilecte mi: teneam te, nec dimittam F te, introduc me in domum tuam. Tu susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum: salus mea & benedictio mea. Suscipe me misericors Deus secūdum multitudinem miserationum tuarum. Nam latronem ad te currentem in cruce moriens suscepisti. Possideam te beatitudo sempiterna. Cæcum iuxta viam clamantem, Iesu fili Dauid miserere mei, lumine tuę visionis æternę illumina. O lux inuisibilis, qua carens Tobias clamabat. Quale mihi gaudium est cum in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? O lux sine qua non est veritas, non est discretio, nō est sapientia neque bonitas. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: prętualui aduersus eum. *Tædet animam meā vita mea, loquar in amaritudine animæ* meæ, ægrotus sum. *Infirmata est in paupertate vita mea, ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.* Et ideo ad te domine curro medicum. *Sana me domine, & sanabor: saluū me fac, & saluus ero.* G Et quoniam in te confido non erubescam. At quis ego sum, pissime Deus, vt tam audacter loquar ad te? Peccator sum, & in peccatis totus natus, & genitus & educatus, cadauer putridū, vas fœtidū, esca vermium. Heu mihi domine, parce mihi. Quæ victoria si pugnando mecum me viceris, qui sum minus quàm stipula ante faciem vēti? Dimitte omnia peccata mea, & erige de stercore pauperem. Certè domine si placet dicam, non debes me ad te currentem fugare: quia tu es Deus meus, Caro tua de carne mea, & ossa tua de ossibus meis. Propter hoc nāque non relinquēs patris dexteram, adhæsisti meæ humanitati, factus Deus & homo, quod prius æternus permanens in vna eademque persona. Et hoc quare tam arduum & inopinabile perpetrasti, nisi vt confidenter ad te recurrerem quasi ad fratrem, & vt mihi tuam misericorditer condonares diuinitatem? Quapropter exurge & adiuua me domine, exurge & ne repellas me in finem. *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita sitiens animæ mea* petit te fontem viuum, vt hauriat aquas in gaudio de fontibus saluatoris, ne sitiat amplius. Quādo H veniet & apparebit ante faciem tuam? *Domine* mi *quando respiciens restitues animam meam* à malefactis eorum, & à *leonibus vnicam meam*? Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris grauior hæc appareret. Vnde & si amplius expectes, tribulationem & dolorem inueniam. Veni gaudium spiritus mei, vt delecter in te. Reuela mihi misericordiā tuā lætitia cordis mei, inueniam te desiderium meum. Sicut seruus præstolatur finem operis sui, sic & ego expecto te. *Intret postulatio mea in conspectu tuo domine*, & fiat manus tua vt saluum me faciat. Ecce virum qui descendēs à Hiericho, captus à latronibus, vulneratus sū, semiuiuus relictus sum, tu pie Samaritane recipe me. *Peccaui nimis in vita mea*, & malum coram te feci. Non te cognoui, ingratus fui tot beneficiorum tuorum, non vt decebat te laudaui. Fortè multotiēs veritatem tacui. In corde meo cum pulsabas ad ostium cordis mei, piget fui, vt te reciperē reuerenter. Corpus putridum quod velut vmbra declinatur, nimio dilexi

A affectu. Verbis vanis os inquinaui. Mens mea non semper fuit in testamento legis tuæ. Non auerti oculos meos vt non aliquando viderent vanitatem. Aures meas quandóque verbis inutilibus inquinaui. Manus meas ad proximi necessitatem multotiens non extendi. Pedibus ad iniquitatem cucurri. Quid plura dicam? *A plāta pedis vsque ad verticem capitis non est in me sanitas.* Certè nisi in ligno crucis moriēs me adiuuisses, digna erat habitare in inferno anima mea. Ego pie Iesu sum pars tanti pretii, pro me fudisti sanguinem tuum pretiosum, non me refutes. Ego sum ouis quę erraui: require eā bone pastor, & appone eam ouili tuo, vt iustificeris in sermonibus tuis. Nam promisisti mihi, quòd quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit. Dolens factus sum, *iniquitates meas ego cognosco, & delicta mea corā me sunt.* Verè nō sum dignus vocari filius tuus, quia peccaui in cœlum & coram te. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiā. Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Dele iniquitates meas secundum B magnam misericordiam tuam. *Ne projicias me à facie tua. Non secūdum peccata mea facias* mihi, *neque secundū iniquitates meas retribuas* mihi. Sed *adiuua me Deus salutaris meus & propter honorē nominis tui libera me. Benigne fac in bona voluntate tua, vt inhabitē in domo tua omnibus diebus vitę meæ,* vt in sæculum sæculi cum habitantibus in ea laudem te. Surge propera sponse dilectissime animæ meæ, & noli considerare quòd fusca & nigra est peccatis. Ostēde illi faciem tuam. *Sonet vox tua in auribus suis. Vox tua dulcis & facies tua decora.* Ne auertas eā à me, & ne declines in hac hora à seruo tuo. Ne tradas me in animas persequentiū me, expecto te domine. *Credo videre bona domini in terra viuentiū.* Veni ergo dilecte mi, egrediamur in agrum, videamus si floruit vinea. *Conuerte planctum meū in gaudium mihi. Inclina ad me aurē tuam,* accelera vt de hac lacrymarum & miseriarum valle eripias me. Hæc vbi vir sanctissimus continuatis lacrymis, & manibus in cœlum erectus dixit, parumper siluit. Deinde fratres intuens dixit.

C Præcipio vobis filii mei dilectissimi, per virtutem & nomen domini Iesu, vt corpus meum cum dissolutū fuerit, in terra iuxta præsepe domini nostri nudum sepeliatis, vt illud ferat secum rediens, quod veniēs apportauit. *Nudus inde egressus sum, nudus reuertar illuc.* Societur terra terræ, non licet terram sociari lapidibus. Appetit enim naturaliter suum simile quodlibet. Iterum rogo vos vt domini mei afferatis corpus, quatenus in suo lumine videam lumen, vt firmans super me oculos suos det mihi intellectum, & instruat me in via qua gradior. Tūc quidam frater ad locum accedēs, sacratissimum corpus Iesu Christi obtulit. Quod vbi vir domini videre potuit, nobis ei auxiliātibus, prostrauit se in terram pronus, voce & lacrymis quantum poterat clamans: Domine quis ego sum, vt sim dignus quòd sub tectum meum intres? Meruit hoc peccator homo? Certè domine non sum dignus. Nunquid ego melior sum quàm omnes patres mei? Tu noluisti Moysi vno ictu oculi te mōstrare. Cur D nunc tantum te humilias: vt patiaris ad hominem descendere publicanum & peccatorem? Et non solum cum illo manducare vis, sed teipsum māducari ab illo iubes. Cúmque prope illum esset sacerdos, erigens se vir gloriosus, genibus flexis cum cūctis tenentibus, magnis lacrymis & suspiriis, & quam pluries percutiēs pectus suū dixit. Tu es Deus meus & dominus meus, qui pro me passus es, an fortè alius? Certè tu es ille, qui cum Deus esses, solus ante omnia tēpora & sine principio genitus à Deo patre æterna & inuestigabili generatione, qui cū ipso patre & spiritu sancto vnus Deus es, permanens illud idem quod eras & es, intra vnius puellæ corpusculū te clausisti, factus homo sicut ego sum. Verè & Deus & homo es. Sic enim in virginali vtero hominē suscepisti, quòd nec sine homine Deus es, nec sine Deo homo: quamuis neque humanitas sit diuinitas: nec diuinitas humanitas. Nō sunt confusæ naturæ, quamuis sit vna & eadem in te persona. Nōne es caro & frater meus? Verè sic. Famem habuisti, sitisti, fleuisti, meas infirmitates habuisti vt ego. Sed tamen in te peccandi infirmitas & defectus non fuit vt in me: non enim peccare potuisti vt ego. In te fuit corporaliter & est omnis plenitudo gratiæ: E non enim data fuit tibi gratia ad mēsuram. Tua enim anima statim cū vnita inseparabiliter fuit diuinitati, omnia perfectè sciuit & potuit, quę ipsa scit & potest diuinitas. Quantum ad diuinā naturam, quæ in te est, æterno patri Deo æqualis es. Sed ob illam, quam pro nostra redemptione assumpsisti humanitatem, minor es: nec tamen ex eo aliquod incurris vituperium. Tu nempe es ille quem in Iordanis alueo baptizante Ioāne, vox subitò paterna cœlitus intonuit. *Hic,* inquiēs, *est filius meus dilectus, in quo mihi benè cōplacui, ipsum audite.* Et Spiritus sanctus in te vt columba descendens, te vnum esse cum patre, & eundem in substātia declarauit. Tu bone Iesu pro me crucis tam grande in tuo isto, quod præsens cerno, corpore subisti supplicium, vt mortē, quam meis incurrerā flagitiis, interimeres: animas antiquorum, quas dudum diabolica potestas miseras infernalibus mansionibus retinebat, recuperares, & totā humanam naturam, F quæ corruerat in mortem perpetuam, tuo cū ipsa pacificato patre ad vitam interminabilē, tuo quem pro ipsa fudisti pretioso sanguine, reuocares. Cuius quidē vitæ, die resurgēs tertia, de illo in quo mortuus iacuisti baratthro, certitudinem firmissimam comprobasti. Quo quidem nostra est solidata fides & aucta spes, vt sicut incorruptibilis & impassibilis & immortalis resurrexisti: ita similiter & nos resurgemus. Tu certè bone & pie domine post tuam mirabilem & singularem resurrectionem quadraginta expletis diebus, quibus experientia lucida iudiciorum multiplicium, te ab inferis viuum resurrexisse declarasti, & vt nulla dubitationis oriretur caligo, ad cœlos cunctis cernētibus discipulis tua propria virtute ascendisti, mihique ianuas reserans paradisi, ad Dei patris omnipotentis dexteram cōsedisti, vbi sine fine sedes. Tu insuper bone Iesu à Deo cōstitutus iudex viuorum & mortuorum: sicut in illa die ascendisti: ita in tremēdo & horribili vniuersalis iudicii die descēdes reddere singulis secundum opera quæ fecerunt. Coram G te certè tunc procidēt reges, omnis strata erit dominatio. Te tunc omnes timebunt, qui te nunc contemnunt. Quid tunc tibi infelices homines, qui nūc cum malefecerint gloriantur, dicent: qui te omnia scientem cernēt, quibus nullum amplius erit remedium misericordiæ? Quid in conspectu potentis omnia, cernentis omnia, & solum quod iustum est iudicantis, facient miseri, qui totum suum in mundi vanitatibus & flagitiis amiserunt tempus, plus diuitiis fallacibus quàm tibi insistētes, plus filios & filias, & mundi gloriam momentaneam quàm te diligentes, cum tuum erga eos iratum cernēt vultum, cum tam seueram expectabunt sententiam, cum eos de minimo quoque cogitamine & propria accusabit consciētia, & dæmonum caterua, & simul quælibet creatura, quam te Deum offendendo offenderunt: cum videbunt statim cum fuerit sentētia diuulgata, se adepturos tormenta quibus & corpus & anima simul cruciabitur, cum diabolis sine fine nullum inde in perpetuum refrigerium expectantes? Væ, væ miseris, qui in isto tā breui H tempore vilissimis bonis temporalibus ebrii, quę nō solum inopiam nō auferunt suis possessoribus, sed & ipsa suam faciunt indigentiam negligentes in beluam rediguntur. Væ, væ, qui saltem tanto hoc timore peccare, & tuam prouocare iracūdiam non desinunt, si tuo nolunt amore vt teneantur. Sed quomodo pie Iesu tu, cuius tanta est magnificentia, vt nulla queat explicare creatura, quem cœli, mare, & omnia quæ eius ambitu continētur, capere non possunt, qui idem totus vbique locorum præsens es, nec intus inclusus, nec extra exclusus, idem in cœlo ad patris dexteram omnium supernorum ciuium beatitudo & gloria, qui tuæ celsitudinis speciē contemplantur: idem in terra pugillo ipsam continens & concludens, idem in mari & in abyssis ad nutum regens omnia & conseruans, idem in inferno potēter dominans, sub tanta panis breuitate contineris: non particulariter, sed integrè & perfectè ac inseparabiliter. O ineffabilis admiratio. O omniū nouitatum nouitas. Oculi in te vident albedinem, saporem sentit gustus, odorē olfa-

A olfactus, tactusq; subtilitatem reperit. Sed auditus cordi repræsentat in te illa non fore accidentia. Hinc certe per se sola existunt accidentia sine subiecto: Quia nō vt humanis videtur sensibus panis es, sed Iesus Christus integer, sicut in cœlo ad patris dexteram residēs Deus & homo. Aue panis vitæ, qui de cœlo descendisti dans te sumētibus digne vitam: non sicut manna quod in deserto nostris pluit patribus, de quo omnes qui manducauerūt mortui sunt. Certe qui te digne sumit quanquam morte corporali anima à corpore separetur, nō morietur in æternum: quia nō illa separatio mors est, sed de morte ad vitam transitus. Vnde qui te digne manducat in mundo, moriens tecum æterne viuere incipit. O quam pretiosa mors illa est, antequam homines mortui sūt, postquam incipiūt viuere. Tu panis Angelorum, tua visione Angelos reficis & glorificas. Tu esca es animæ, non corporis: impinguans mentem, non ventrē. Qui in te non impinguatur in virtutibus, nimis æger iacet in flagitiis. Tu te
B mãducantem, vt condecet, in te transmutas, vt tui participatione efficiatur De⁹: nec tamen illum transmutaris, velut alia corporea facit esca. Sed væ te indigne sumētibus. Certe ad sui pœnam & reatum iterū te crucifigunt, non quod diiudicet illa manducatio: quoniam impassibilis & immortalis omnino es. Heu domine mi quid dicam? Quod hodie sacerdotes comedunt in altari vt carnes pecudum & volucrum, imo peius. Nocte mulierum fruuntur actu turpissimo, & te mane masticãdo comedunt. Vbi domine sanctitas? dormis ne an vigilas? Est tibi hoc acceptum sacrificium? Est hæc oblatio quam eligis? Exaudis preces eorum de cœlo, & de sede maiestatis tuæ? Vere si hoc velles sacrificium & libamen, mendax fieres & peccatorum socius. Certe domine si vera sunt quæ per os locutus es prophetarum, si iustis solum supplicationibus præsto es, & si tibi placet æquitas, hoc tale est impediendum sacrificium ne fiat: quanquam in se & natura sui sacrificium bonum sit, nec possit violari malis sacerdotibus, quia malitia non diiudicat sacrificiū. Vnde huiusmodi sacrificium fit ad sacerdoris præiudicium
C & damnationem, nec pro quib⁹ fit, prodest, imo (vt verissime dicam) qui vitam sacerdotis agnoscit, & eum pro se celebrare facit, fit in eiusdem peccato cōscius, nec nō & pœnæ particeps. O magnum & inscrutabile mysterium. Panis accidentia franguntur per partes, & tamen in qualibet permanes particula: totus & integer Christ⁹ sicut eras antea. O humanorum illusio sensuum. Franguntur illa quæ humanis sensibus in te videntur accidentia, & tamen nec frangeris, nec corrumperis. Te dentes videntur masticare veluti materialem panem, & tamen nunquam masticaris. O nobile conuiuium, in quo sub panis & vini specie, totus Christus De⁹ & homo sumitur: & ita totus in specie panis, & qualibet ei⁹ particula, & in vini specie cum qualibet gutta, sicut in panis toti⁹ & vini specie simul. Nā totus perfectus & integer Christus, sub panis specie, & sub qualibet quantumcunque minima continetur particula, & idem tot⁹ in vini specie & in qualicunque gutta permanet. O esca sacratissima, quam vere comedēs, Deus efficitur, iuxta illud: *Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes.*
D Liberatur à malis, impletur bonis, & immortalis indubitãter efficitur. O sacrū peregrinationis nostræ viaticum, quo de hoc nequam sæculo peruenitur ad cælestis Hierusalem consortium. Partes nostri in deserto manna comedentes, non peruenerunt ad terram promissionis. Qui vere te comedit, in fortitudine tui ambulabit vsque ad montem Dei Oreb. O comestio delicatissima in qua omnis saporis & odoris est suauitas, omne delectamentum, omnis medicina, omnis sustentatio, & omnis requies à labore, nec nō & omne quod desiderari potest. Tu certe vita es, qua omnis viuit creatura, & sine qua moritur. Tu es vita vitalis, dulcis & amabilis atque iucunda. Odoris tui suauitas ægros recreat & debiles, quos tuus facit sapor salubres & fortissimos. Tu lux illa incōprehensibilis, quæ omnē illuminas hominē venientem in hunc mundum. Tua mi domine est omnis potentia, tuū omne regnū, ante te curuabitur omne genu. Omnia quæcūq; vis facis in cælo, & in terra, & in mari, & abyssis. Tuæ nihil est quod possit resistere E voluntati. In te, & ex te, & per te sunt omnia, & sine te nihil. Eia ergo fidelis anima gaude, epulare, ne moreris his pasci deliciis, ne pigriteris hoc frui conuiuio, in quo nō carnes hircorū aut taurorum, vt olim in lege, sed saluatoris tui corpus sumendum proponitur. O signum dilectionis inopinabilis, vt idem sit dator quod datur, & donator idem sit quod ipsum donum. Quam magna dulcedo tua domine, quã abscondisti timentibus te, & perfecisti eam sperantibus in te. O ferculum excellentissimū, venerandum, colendum, adorandum, glorificandum, & amplectendum, omnibus extollendum laudibus, exaltandum cunctis præconiis, firmiter in cordis visceribus retinēdum, & perpetuis temporibus alligandum animo. Cecidit homo per cibum ligni vetiti ad miseriã, per te releuatur ad æternam gloriam. Tu certe in rectis & eruditis habitas cogitationibus. Tu miserrimum, arrogãtem, & superbum detestaris diuitem, eum dimittis inanem & vacuum, ac de te famelicum. Tu pauperē in- F stum, pium & humilem, omnibus eum implens diuitiis, tuæ dom⁹ vbertate satias. In te & per te est rectum iudicium & æquitas, tecum prudentia & fortitudo & omnis victoria. Per te sancti regnant in cœlestibus. Per te doctores prædicant. Per te iustus viriliter contra hostes dimicat. Tu superbum potētem deponis de sede, exaltando humilem. Tecū sūt omnes diuitiæ & gloria. Te diligētes diligis. Qui ad te puro corde vigilant, te inueniūt: quoniam cum simplicibus & rectis corde gradieris. Tu solus ante omne principium, omniū eras & finis & principiū. Tu solus sine tēpore æterne à Deo patre genitus. Quam beati qui te diligunt, qui aliud quam te non desiderant, qui de te assidue cogitant, qui te digne comedūt, qui tecum manentes omnes vias tuas omni tempore custodiunt. Certe qui te inueniunt, inueniunt vitam, & hauriunt vitam interminabilem. O esca mirabilis ac stupenda, delectabilis ac iucunda, tutissima ac super omnia peroptanda. In qua tot sunt innouata signa, & mirabilia G immutata. In qua omne habetur delectamentum, & ad omnium gratiarum proficimus incrementum. Quam singularis & inaudita tua liberalitas. Quam superabundantissima ac prodiga largitas, vt tui neminem exortem facias, nisi ad te venire contemnat. Si quis ergo paruul⁹ est, secure ad te veniat, & te comedēs fiat magnus, & relinquens semitas insaniæ, per vias ambulabit prudētiæ. Si quis debilis est, ad te declinet, & protinus fiet fortis. Si quis infirmus sanabitur. Si quis mortuus est, si audire teuoluerit, vitam interminabilem apprehendet. Sed qui magnus est & fortis, nec hic te deserat: nam superabundanter in te inueniet quo pascatur. Nemo certe sine te potest viuere ad momētum. Tu solus vitam das omnib. creaturis. Idcirco defecit cor meum, & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula. In te solum delectatur cor meum. In te exultat anima mea. Tibi soli adhærere cupit mens mea: quoniam qui elongãt se à te peribunt. Tu autem domine ne longe facias auxilium tuum à me, sed tuam ad me inclina aurem misericordiæ. Te edat pauper & inops, & satietur: & tunc viuens cor laudabit te. O lux inuisibilis, inextinguibilis, & omnia H vere illuminans, sedenti cæco huic secus viam, miserere mihi fili Dauid clamanti, visum tribue quæso, quo te videat. Propitius, quæso domine, huic esto peccatori, vt sis mihi in adiutorium & in locum refugii, vt saluum me facias. Et tunc si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Mortuus en pie IESV iaceo. exurge & resuscita me, & confitebor tibi. Æger & infirm⁹ sum, cui nulla est amplius in carne sanitas: medicus es, sana me. Nud⁹ affligor frigore: diues es, indue me. Fame in hac solitudine pereo: cibus es, satia me. Sitio: salubre poculū es, inebria me. *Infixus sum in limo profundi, & non est substãtia. Veni in altitudinē maris, & tēpestas demersit me. Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Iam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Educ me de laqueo isto, protector meus, gubernator meus, firmamentum meum, refugium meum, dux meus, & rex meus, & Deus meus. In cuius commendo mani-

A bus spiritum meum, quē in crucis stipite redemisti, cui
vitam & misericordiā tribuisti. Respice domine humi-
litatem meam, nec concludas me in manus inimici. Ho-
die tecū ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vt
inhabitem in domo tua, in lōgitudine dierum in sæculū
sæculi. His finitis, vir domini gloriosus sacrum domini
corpus suscipiens, ad terram supinus rediit. Deinde ma-
nus in modū crucis supra pectus tenens, Simeonis pro-
phetæ vaticinium decantauit. Quo finito, subito cūctis
qui aderant cernētibus, tanta in loco in quo iacebat di-
uinitus lux effulsit, vt instar solis radii splēdor quorum-
libet vibraret oculos, ne possent morientem virum glo-
riosum aliqualiter intueri. Qua quidem luce ad horam
permanente, circunstantium quidem agmen angelicum
ibidem viderunt vndique discurrentium, vti scintillæ in
arundineto solent. Quidam vero Angelos non viderūt,
sed vocem lapsam cælitus audierunt sic dicentem: Veni
dilecte mi, tēpus est enim, vt mercedem accipias pro la-
boribus, quos mei causa viriliter supportasti. Quidam
B nec viderunt Angelos, nec hanc audierunt vocem: sed
tantum cum his à B. Hieronymo illa finita voce hæc au
dierunt verba: Ecce ad te venio pie Iesu, suscipe animam
quam tuo recuperasti sanguine. Tunc subito illa lux di-
sparuit, & illa anima sanctissima tāquam sydus omnibus
virtutibus radiās, carnis resoluta cœno, cœlorum regna
adiit gloriosa. In quibus iam certe tamquam luminare
conspicuum retinet, & splēdore beatitudinis, & multo-
rum coruscatione prodigiorum. Quoniam non potest
abscondi ciuitas supra montem posita. Nec voluit Deus
vt in morte ipsius lateret sanctitas, cuius vita sanctitatis
causa fuerat, & salutis totius Ecclesiæ militantis. Tātus
denique illa recedente sanctissima anima odor subse-
quutus est per dies nō modicos, vt nulla forte vetustatis
recordetur ætas. Sed certe dignum erat, vt illius merita,
odoris præcipue clarerent indicio: qui ad vnitatē fidei
intemeratæ membra fœtida suorum verborum odore e-
uocauerat. Hora namque charissimi patres & domini,
C huius transitus gloriosæ diei erat vltima. In qua quidem
vt sui athletæ pius dominus gloriam demonstraret, &
omnib⁹ qui in Ecclesiæ domo habitāt, proferret clarum
lumen, hoc modo Cyrillo Episcopo transitum gloriosi
Hieronymi ipse dominus reuelauit. Cumque dicta iam
hora Cyrillus Episcopus deuotis in sua cellula orationi
bus inhæreret, sursum in spiritu raptus, velut in ecstasi
factus, subito quoddam à monasterio, à quo vir sāctissi-
mus migrauerat, vsque ad cœlum, mirabile & speciosissi
mum vidit iter. Cuius tanta erat pulchritudo & admira-
tio, vt (sicut eodem postmodum testante cognouimus)
stupore velut amēs effectus, huc illucque admirans, sui
paulisper credebat oblitusci. In hac siquidem mentis
positus anxietate, eleuauit oculos, & ecce Angelorum
maxima à monasterio societas veniebat, alternatim me-
lodiarum & mellifluorum cantuum vocibus concinen-
tium, quorum videbantur vocibus cœlum, & terra, & o-
mnia quæ continentur eorum ambitu, vndique resona-
re. Ferebant etiam singuli Angelorum singulos manib⁹
accensos cereos, quorum claritas solis repellebat lumē.
D Sed quid additur admirationi admiratio? Ad cœlos ver-
tens Cyrillus oculos, non minorem Angelorum cernit
numerum, modo similiter istis obuiam venientium, qui rei
huius anxius expectans euentum, interrogasset quidem
quid hoc esset: sed ita eum stupor oppresserat, quodquid
diceret nesciebat. Ast illo diutius expectante, gloriosam
vidit Hieronymi animam præ cunctis qui præibant An-
gelis & sequebantur, mira decoratam pulchritudine ve-
nientem. Ad cuius erat dexteram Saluator cum illa pa-
riter veniendo. Quæ quidem in loco, quo Cyrillus de-
gebat, gradum figens & stās, ei taliter est locuta: Agno-
scis ne me? Ad quam ille: Minime quidem. Quis enim
es, qui tanto cæteris honore emines? At illa: De Hierony
mo vnquam fuit aliqua tibi cognitio? At ille: Certe quē
nominas, singulari affectu diligo charitatis. Sed quæso
ille es? Et illa: Eius sum anima, quæ gloriam iam obtineo
quam sperabam. Ad meos pergito filios: & quæ vidisti
nuntia, vt & à luctu desinant, & meo statui congaudeāt

quem elegi! Quibus omnibus finitis, omnis illa beat E
visio ab ei⁹ euanuit oculis, & fuit in semet reuersus pro-
tinus Cyrillus ineffabili gaudio perabundans: ita tamen
quod per totam noctem illam non se potuit à lacrymis
præ mentis lætitia continere. Quam ergo mirabilis est
dominus in sanctis suis, mirabilis in maiestate, faciens
prodigia. Dextera domini fecit virtutē, dextera domi-
ni exaltauit eum, notam faciēs in populis virtutem eius.
O diuini amoris immēsitas, diuinæ largitatis affluentia,
Quid enim isti suo potuit facere filio honoris & gratiæ,
& non fecit: cum tā copiosa & in vita & in morte erga eū
fuerit munificentia? Dedit enim ei dominus claritatem
æternam, & nomine æterno hæreditauit illum, & fecit
eum hæredem gaudiorum supernorum: in quibus per-
manebit in sæcula. Quam singularis honor & admiranda
gloria, excedens pene alio rum gloriam sanctorum & ho
norem. Vbi non solum illam sanctissimam animam om-
nes cælestes comitātur cohortes: sed etiam ipse propri⁹
Saluator. Nec enim sola in cœlo fulget insignis dignita- F
rum illa beata anima: sed etiam corpus suum non cessat
in terris radiare miraculis. Ad cuius narrationem con-
gruū est redire. Defuncto namque (vt dictum est) viro
sanctissimo hora completorii, corp⁹ illud tantis fragrās
aromatibus custodientes, totam illam insomnem noctē
ducentes circa eum, in magnis siquidem pro dāno quod
cunctis euenerat fletibus, & pro sua quam iam obtinue-
rat gloria gaudiis vigilauim⁹. Mane autem facto, diuinis
peractis, vt condecebat, mysteriis, debitisque obsequiis
honore debito consummatis, in Bethleem iuxta præse-
pe, in quo pro nobis Christus de intemerata ibidem na-
tus Virgine infās vagiit, corpus illud sacratissimum, sac-
ci coopertum linteo, in terram, vt ordinauerat, sepeliui-
mus. Quantis autem ipso die & etiam ad præsens mira-
culis gloriosis mirificauit dominus filium suum S. Hie-
ronymum, certe nō foret enarrare sufficiēs lingua car-
nis. Sed tamē aliqua de multis (ne noster nimis prolon-
getur sermo) referam. Quidam à natiuitate cæc⁹, in ipso
sepulturæ die, videndi beneficium, corpus tangens san- G
ctum, obtinuit. Cuidam etiā iuueni surdo & muto san-
ctissimum corpus deosculanti, soluto auris & linguæ li-
gamine, & loquendi & audiendi gratia est concessa. Et
certe dignum erat, vt qui cæcitatis veræ lucis, quę Chri-
st⁹ est, tenebris obcæcatos, suis sanctissimis doctrinis &
exemplis illuminauerat, surdis quoque & mutis in diui-
nis operib⁹ veram exercuerat medelam, vt diuina intel-
ligerēt documenta, & Catholicæ fidei confiterentur ra-
tiones quas spernebāt, in die sui obitus gloriosi, & cęcis
lumen tribueret corporale, & surdis ac mutis cōcederet
sanitatem. Quamplurimi, vt asserunt qui viderunt, à ne-
fandis spiritibus obumbrati, in loco quo sanctum quies-
cit corpus clamantib⁹ dictis vocibus dæmonibus: Sancte
Hieronyme, cur nos tam grauiter insequeris, tu nostrū
semper flagellum fuisti, & viuus & nūc mortuus, per eū
sunt mirabiliter liberati. Hæretic⁹ quidam dum prædi-
ctum B. Hieronymum blasphemaret, & eius fore dignū
corpus incendio diceret, vltione diuina ad aliorum hæ- H
reticorum formidinem, in ligni speciem est mutatus. Et
subito, cunctis qui aderant videntibus, ignis cælitus eum
inuasit, ac eum taliter combussit, quod totus in cinerem
est conuersus. Ad hæc magna hæreticorum multitudo,
cum tātam suæ sanctitatis aduerterent experientiam, &
ad veritatem sacræ fidei tātis & tot apertis signorum in-
diciis, tanquam quibusdam clamantibus præconibus
vocarentur, ad ipsius sacratissimę & intemeratæ fidei lu-
men redierunt. Quid plura dicam. Certe in generatione
& generationem via annuntiarem quæ per illum Deus
ostendere voluit, vt magnificaret eum, & colendum ex-
hiberet vniuersis. Quam magnus certe est iste tot faciēs
mirabilia, cui certe non est similis secundum opera sua.
Magna magnalia de hoc per mundum resonant vniuer-
sum, sui gloriosi easlit triumphi fama in omnem terrā,
& in extrema terrarum spatia rutilant sua lucida signa,
iam tantorum miraculorum multitudine corroboratur
intemerata fides. Quot enim infirmis integram sanitatē
cōcesserit peroptatam, enarrare cederet in immensum.

A Et tempus, & vita, & omnis humanus deficeret sensus, si vellet omnia indagare quæ operatus est in diebus nostris, quæ auribus audiuimus: nec sunt occulta à filiis hominum. Lætetur itaque totus fidelium cœtus, & canticum lætitiæ & exultationis Deo concrepent alta voce, quod ex eis prosilut stella micans, cuius fulgentes lucis radii, eos dirigunt ad cœlestem patriam adeundã. Ist ius certe vitã sacratissima est omnibus disciplina. Mores sui fuot omnium fideliũ instituta. Adsint hodie sacri matri Ecclesiæ & pro tanti filii recessu piæ lacrymæ, & pro tãta eis gloria, inæstimabile gaudiũ. Liceat ergo instar piæ matris ei pias lamentationes impendere, cum tanto se cernit priuatam filio, viduatam viro, destitutam pugile, & capitaneo viris suæ incisa palmite, quam in agro fidei plantauit & coluit. Nõ mihi quæso imputetur filio tanto orbato patre, si præ dolore damni tã Inæstimabilis ea referam quæ nõ decent. Sæpe namq; nimia cordis abũdãtia plura homo loquitur quam vellet. Quid heu cha-
B rissimi patres & domini nũc vobis referam? Circunquaque prospiciens & pergens, vt si forte meum, quem dira mors abstulit patrem Hieronymum innenitem, & non inuenio quem diligit anima mea, cuius amore langueo. *Tædet animam meam vitæ meæ*: quoniã ablata est à me vita mea, *& excussus sum sicut locusta*, & exaruit virtus mea, *& lumen oculorũ meorum extinctum est*. Quale amplius erit mihi gaudium in mundo, cum lumen meum videre non possim? obscuratus est enim sol meus, & luna nõ stat in ordine suo. Ouis cum lupis quid faciet, pastoris priuata munimine? Quomodo viget arbor radice detruncata? Quid heu dira fecisti mors? cur patrem recipiens filium tam mendicum, & omnibus bonis exulem dimisisti? O mors crudelis, non illi, sed mihi, & pene toti Ecclesiæ, quem surripuisti athletam? Cur non distulisti eum recipere? Quare aliquantulum non auertisti faciem tuam ab eo? Scis quid fecisti? Numquid non considerasti quem tam velociter à nobis surripuisti, quod non sit in mũdo ei similis, in virtute, in doctrina, in sanctitate? Hic certe
C princeps pacis, dux iustitiæ, doctor veritatis & æquitatis, armiger intemeratæ fidei, contra hæreticos bellator fortis, cuius sagitta nũquã abiit retrorsum, nec declinauit clypeus eius in bello, & eius nunquam est auersa hasta. Inclyti Christianorum plebis flete: quoniam cecidit dux vester. Vox in Rama sonet. Tanti filii recessum pie ploret Ecclesia. Iam circundabunt eam canes multi, & concilium malignantium obsidebit eam: quoniam longe factus est ab ea auxiliator eius. Iam ad suam nõ aspicit defensionem. Iam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet. Iam in sepulcro iacet protector solitus, non certe exurget aduersus malignantes in ea. Idcirco clama in cilicio & plancto pia mater, induere viduitatis veste tanto viduata filio. Heu vaticinabuntur pseudo prophetæ, & prophetabunt visiones mendaces, & fraudulentas diuinationes, & sui cordis in nobis seductiones, & certe non erit qui resistat eis. Siccatus est enim fons vitæ, & vena disparuit aquarum viuentium. Sed & tu quid dices charissime pater Damase? Vbi quem plus diligebas
D quam te, Hieronymus? Vbi tui norma itineris? Consiliator, doctor & rector quo abiit tuus? Quando quæso scribes ei? Sine tuo sum Hieronyme charissime consilio velut abscissum à corpore membrũ? Scribe, scribe quæso, ne pigriteris, vt si tua locorum distantia peroptata careo visione, saltem tua mihi adsit memoria frequẽs tuis assiduis literis gratiosis. Teste Deo in nullo viuentiũ, vt in te meæ spei firmaui anchoram. Plora igitur, plora, deducant oculi tui lacrymas per diem & noctem, quoniã defecit anchora tuæ spei. Aruit scribentis manus tanquam flos fœni, iam nõ erit tibi amplius memoria eius. Vox certe sua dulcis & iucũda, quæ erat in fidelium auribus mel dulcissimum, siluit. Heu qualem amisisti consiliatorem & adiutorem. Certe iam in multitudine consiliorum tuorum defecisti. Non erit qui panem frangat tibi vitæ. Extincta est lucerna in medio Ecclesiæ micãs, vt non nobis, sed sibi luceat, non mundo, sed cœlo splẽdeat. Quid ergo dicam? Cui conquerar? Vnde mihi in hoc veniet auxilium vt cõsoler? Certe, vt intueor, à do-

E mino factum est istud, & ideo sibi dicam: Cur bone Iesu tam velociter à tua sponsa, quam in cruce moriens desponsasti, tantum abstulisti filium protectorem, & contra eios hostes belligerum? Forte voluisti eum tecum esse. Certe domine non eo egebas vt ipsa. Bene quidem ei subuenisti, sed nos orphanos reliquisti. Non conqueror quod aliud quam iustum & æquum feceris: quoniam certe iam ipse merebatur finem imponere huius vitæ laboribus, & tecum esse. Sed doleo quod tantum incurrit damnum Ecclesia eo abeunte. Vtinam eum redderes vt tuam regeret, stabiliret, & defenderet Ecclesiam velut prius. Quid bone domine ei⁹ deinceps facient filii, iacẽtes, esurientes, circumeuntes famelici ciuitatẽ vt canes, non habentes qui eis panem frangat? Sunt oues errãtes non habentes pastorem, discipuli sine doctore, cæci sine ductore. Heu pater pie Hieronyme, nostræ sustentationis baculus vbi es? Quid tuus faciet currus sine te dulcis auriga? Vbi cubas indica nobis. Cur es nũc terræ socius, qui in te nihil voluisti esse terrenum? Bethlehem, Beth-
F lehem ciuitas Iuda, quæ non minorem de principib. Ecclesiæ retines, quid fecisti? Redde nobis quẽ retines patrem. Sed & tu terra, quare audes retinere hominem nõ tuum, qui nihil gessit terrenum, nil carnale certe sua redoluit caro. Suspende & tu piissime Theodosi tua in salicibus organa. Non prius cesset fletus, cum tui dilecti Hieronymi recordaris quem amisisti. Tanta denique tibi insit doloris affectio, quãta extitit dilectio: tãta sit lamentatio, quantum damnum. Sed quæ posset mortaliũ explicare lingua, quãta eo superstite aderãt toti Ecclesiæ vtilitas, quanta Christianorum singulis salubritas, quantum certamen, quãtaque hæreticis destructio ac dispersio? Hic certe omnibus Christicolis amabilis erat & decorus in vita sua: & ideo eius recessu singulis flere licet, nec est qui se abscondere vel excusare possit. Ne igitur noster nimis protrahatur sermo, vt breuiter concludam quæ pro nostro damno ad dolorem attinent, vt quæ ex illo proueniebat omnibus vtilitas & exultatio explicari non potest, ita dolorum est lamẽtatio. Cesset igitur do-
G lor, abeat tristitia: quibus tamen attingere nõ possumus quæ vellemus, quæ non solum nullum remedium adhibet dolori, sed auget. Si patrem nostrum diligimus, de eius lætitia gaudeamus. Non vere diligit qui suam tantum vtilitatem diligit. Idcirco & si pro ea quæ nobis euenit inutilitate dolem⁹, & pro eis quæ recepit gaudiis collætemur. Adsit ergo hodie nobis causa magnæ lætitiæ. Cãtet quilibet nostrum nouum domino canticum. Sonoris iubilet vocibus mater Ecclesia. In hymnis & confessionibus plaudat hodie plebs Catholica. Vndique iucũdetur Christiana concio. Hodie certe obtinuit Hieronymus quod tanto æstuabat desiderio. Hodie, deuictis hostibus, securum obtinuit triumphum. Certe, omnibus expletis laboribus, requiem possidet sine fine. Iam non esuriet neq; sitiet amplius, neq; cadet super illũ sol, neq; vll⁹ æstus. Ablata est ab oculis eius omnis lacryma, abiit enim luctus. Iam certe sibi dolor deinceps nõ erit: iam certe mercedem habet pro qua toto vitæ suæ tempore laborauit. Consolemur ergo, demus magnifi-
H centiam Deo nostro: quoniam Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Confiteamur domino & collaudemus Deum Saluatorem nostrum: quoniam non dereliquit sanctum suum sine adiutorio in tribulationibus, quæ in agone huius vitæ miserrimæ circundederunt illum. sed adiutor & protector suus fact⁹, liberauit corpus suum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mẽdaciũ: & eum sublimiter collocauit infra patris mansiones, vbi omne est gaudiũ, omnis suauitas, omne quod desiderari potest. Vbi gloriosa & felix est refectio animarum post labores & ærũnas, vbi dulcis solẽnitas Angelorum, vbi vna societas & charitas omnium ciuium supernorum. Ibi certe neminem timor aut dolor concutit. Ibi nulla penitus agnoscitur angustia, tribulatio, aut aduersitas. Nulla ibi infirmitas nominatur. Nemo enim fraudatur suo desiderio. Procul ibi distat mors. Nulla ibi prors⁹ præsẽtis gloriæ expectatur minoratio, sed augmentũ, scilicet cum omnium vniuer-

salis

A falis erit resurrectio mortuorũ: ibi tunc corpus cuiuslibet beatorum simul cum anima, prædictam gloriam, quam nunc sola possidet anima, sine interminabili possidebit. Quis autem Angelorum vel hominum, quãta sit minor particula gaudiorum & glorię quæ ibi sunt, esset sufficiens enarrare? Quis esset intellectus ad hæc intelligendum idoneus, quæ nec ocul⁹ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Certe si hæc quãta sint gaudia consideretur, terrena omnia viliora omni stercore apparebunt. Si hęc temporalis vita illi compararetur, hanc quilibet hominum extinguere quam citius poterit ardesceret, vt illius capax efficiatur. Hæc vita caduca & momentanea, respectu illius mors potius est dicẽda quã vita. Omnis mundi fallax & vana lætitia, pondus amarissimum & grauis sarcina est. Hanc quippe sarcinam deponens Hieronymus sacratissimus, optimam illam elegit partem, quæ ab eo nullo tempore auferetur. Rogo gaudete & exultate, cantate & psallite, quia pater noster B gloriosus nauim plenam cœlestibus diuitiis æternisque mercibus iam concupito in littore collocauit, anchorã spei tranquilla iam in statione firmauit. Iã certe brauiũ obtinet, pro quo in agone huius sæculi ab omnib⁹ se illicitis abstinendo cucurrit. Iam victor de suis hostibus triumphauit, cum quibus scuto amoris domini munit⁹ viriliter dimicauit. Iam denarium accepit, pro quo tãto labore in vinea sanctæ Ecclesiæ laborauit. Iam talẽtum domino reddidit duplicatum, pro cui⁹ mercede in gaudium domini meruit introire. Propter hæc gaudẽs gaudebo, & cãtabo dilecto patri meo canticum nouum, vt sit laus eius in Ecclesia sanctorum. Ecce dilectus pater meus, candidus, speciosissimus, electus ex millibus, in quo nulla est macula, pascitur inter lilia in vinea domini sabaoth. Ecce flos campi, & rosa nimio fragrans odore, de horto nuper Ecclesiæ, in viridarium est domini trãsplantatus. Ecce cypressus ad cęli altitudinem se extollit. Ad insulas longe diuulgetur nomen suum, vt sit in æternum eius memoria in benedictione. Exultate igitur charissimi patres & domini, lætamini & laudate: quia decet C laudare dominum, qui mirabilem se in suis declarat sãctis. Lætetur totus orbis. Erubescãt fallaces hæretici, & iam se noscant ad nihilum deuenisse. Certe non est mortuus, vt existimant sui hostes sed certe victor regnat in terra viuẽtium, iam certe eius refulget claritas per æterna palatia, iam veterib⁹ depositis armis fragilibus, noua induit ac perpetua. Hodie vndique facta sit in populo Christiano lætitia. Exultet præcipue sacra mater Ecclesia, cui⁹ hodie gloriosus fili⁹ & cultor, amator & propugnator præcipu⁹, omnibus extirpatis hæreticis dogmatibus cũ suis fallacibus auctoribus de agro fidei Catholicæ, & doctrinis sacratissimis & præfulgidis signis ac prodigiis, vt sol relucet inter agmina beatorum. Vale igitur Hieronyme gloriose, nostri semper faciens apud Deum memoriam, vt tua valeamus piissima intercessione, & in præsenti ab omnibus protegi nociuis, & in futuro gaudia, quæ iam tu possides, adipisci.

D

AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum, de magnificentiis B. Hieronymi.

GLoriosissimi Christianæ fidei athletæ, sãctæ matris Ecclesiæ lapidis angularis, in quo admodũ firmata consistit: nunc vero in cœlesti gloria syderis radiantis, olim Hieronymi presbyteri laudes venerabilis pater Cyrille silendum ne putas, aut lingua balbutientis pueri, vt virum pollutum labiis me loquuturum fore reris? Cęli enarrant gloriam Dei, & omnia quæ fecit dominus, cum in sanctis suis laudant. Silere debet rationalis creatura à laude Dei irrationabili non silente? Taceam, an loquar? cum si taceam lapidibus iubetur clamare. Certe loquar, & non tacebo totis nisibus eximium Hieronymum laudare. Qui quamuis indignus & insufficiens laudator existam, cum non sit pulchra in ore peccatoris laus, tamen ab eius laudibus minime cessabo. Firmetur itaque manus nostra, & lingua nostra palato non adhæreat: quoniam certe magnus est iste vir sanctissimus, mirabilis, & metuendus super omnes qui in circuitu nostro sunt. E Magnus certe in vitæ excellẽtissimæ sanctitate, magnus in sapientiæ ineffabilis profũditate, magnus in maioris nũc gloriæ quantitate. Mirabilis in prodigiis insuetis. Metuendus ob sibi à domino traditã potestatem. Quam itaque magnus sit iste gloriosissimus Hieronymus, in vitæ suæ excellẽtissimæ sanctitate, quomodo patefaceret mea lingua, cum præcipue cũctorum non sufficerent mortalium linguæ, vt eius excellentiam explicarẽt? Liceat ergo dici: alter hic Elias, alter hic Samuel, alter hic Ioannes Baptista, vitæ excellentissimæ sanctitate. Elias & Ioannes eremitæ magnis ciborum & vestium asperitatibus carnem macerauerunt. Non minoris vitæ Hieronymus gloriosissimus eremita, idem per quadriennium in eremo, ferarũ tãtum socius perstitit. Quinquaginta annis (vt venerabilis Eusebii literæ quas pridie recepi, plenius fatebantur. & vt me certius tu idem nosti) vinum & siceram aliqualiter nõ gustauit. F Ab omni carnium, & etiam piscium esu ita se abstinuit, quod vix ea nominare volebat. Coctum quid non nisi in vltima ægritudine bis comedit. Cilicino sacco carnem veluti Æthiopis macerans, desuper pãno vilissimo se tegebat. Stratum aliud nisi terram nunquam sciuit. Non nisi semel fructibus, aut herbarum foliis sine radicibus pastus in die: post vesperas se orationibus præbẽs, vsque secundam noctis horam quotidie vigilabat. Postmodum vero somno fessus in terra dormiens, vsque ad mediam noctem quiescebat. Qua quidem continue surgens hora, lectionibus & scripturis sanctissimis (quibus tota radiat Ecclesia vti lapidibus pretiosis) intentus vsque ad esus horam perdurabat. Ita leuissima flebat peccata, vt quis eum æstimasset hominem interemisse. Ter in die continue carnem diris verberibus flagellauit, ita vt ex eius corpore riuuli sanguinis effluebant. Quin verbum otiosum aliquod vt pestem maximam fugiebat. Sibi otium nullum erat: semper aut sacris lectionibus, G aut scribendo, aut docẽdo cunctos exercitabatur. Quid plura loquar? si sanctorum singulorum perquirerem vitas, eo (vt puto) maiorem neminem inuenirẽ. Sed quia superius Samuelem nominauimus, fuisse hunc Samuelem ostendamus. Hic certe ille Samuel qui de vanis literarum studiis verberibus euocat⁹, sacræ scripturæ ministerio deputatur: in cuius vult⁹ lumine diuina grana influente, vtriusque testamenti lumen vidimus, & in cuius brachii fortitudine hæreticorũ pars maxima est dispersa. Hic certe gloria virtutis nostræ trãsferens vtrunque testamentum ex Hebræorum lingua in Gręcam pariter & Latinam: disponensque ipsum posteris in æternum, declarans ænigmata & obscura dubia & nodosa, præparans officiorum seriem cũctis Ecclesiæ ministris, totam pene Ecclesiam ædificauit. Vnde bene magnus apparet in sapientiæ ineffabilis profunditate. Liberales autem scientias ita perfecte sciuit, quod relatione omniũ nullus sibi similis apparet adhuc. De scripturis vero sacris, vti multarum suarum epistolarum, quas ad me direxit, experientia didici, æqualem sibi neminem vnquam nouimus. Hebraicorum, Græcorum, Chaldæorum, Persarum, Medorum, Arabicorum, & pene omnium nationum linguas & literas, tãquam si fuisset in eisdem natus & educatus, sciuit. H Quid plura dicã? Quæ Hieronymus ignorauit in natura humana, nullus hominum vnquam sciuit. Non me ista venerabilis pater existimes dicere, vt putem te Hieronymi & vitam & virtutes per⁹ me scire, cum sibi socius exstiteris multo tẽpore. Sed testor Deũ: quoniam ob tam ineffabilis viri sanctitatẽ, si voluissem tacere, non potuissem. Confitentur mirabilia & sanctitatem suam & ipsi cœli, in quib⁹ magnus, maiori gloriæ quantitate quã multi sanctorum, habitat sine fine. Nulli itaque dubium est, intra patris mãsiones ipsum vnam ex maioribus & sublimioribus sedibus obtinere. Cum enim homo secundũ opera præmietur, & iste perfectioris pene vitæ extiterit, clare patet ipsum vnum de maioribus & sublimioribus cœlestis Hierusalem ciuib⁹ fore. Quod vt à nobis plenius & certius credatur in mundo:

præ

A præ cunctis, quorum nostra recordatur ætas, valde mirabilis apparet prodigiis insuetis & miraculis infinitis: quorum mihi aliqua venerabilis Eusebius suis literis declarauit. De cæteris vero prodigiis quæ mirabiliter fiũt quotidie, vt continue intelligo relatibus plurimorũ, auidus peraudire, tibi ipsi pater charissime supplico, vt mihi in breui volumine quæcunque poteris vera & vtilia miracula collecta: quam citius facultas aderit, eiusdem Hieronymi sanctissimi deuotione transmittere non deneges. Sed vt multa merita Hieronymi sanctissimi non lateant, quid erga me, diuina annuente clemẽtia, in ipso sui obitus die acciderit, enarrabo. Eodem namque die & hora, qua exutus putredinis immunditiæ carnis tota Hieronymus sanctissimus, vestimentum perpetuæ immortalitatis, inæstimabilis lętitiæ & glorię induit, dum Hypponæ in cellula mea quiescens, auide cogitarem qualis inesset animabus beatorum, qui cum Christo gaudent, gloriæ & lætitiarumquantitas, cupiens inde ex hac materia breuem componere tractatum, precib⁹ cõ-
B pulsus nostri Seueri, quondam venerabilis Martini Turonensis Episcopi discipuli, charta, calamo, pugillarique in manibus susceptis, breuem vellem scribere epistolam sanctissimo Hieronymo destinandam, vt quidquid ex hoc sentiret, responderet: sciebam enim in tam difficili quæstione à nullo viuennum me posse doceri euidẽti⁹, cumq; iam scribens salutationis exordium Hieronymo prænotare, ineffabile subito lumẽ nostris inuisum temporibus, nostrisque minime linguis declarandum, cum ineffabili inauditaque odorum omnium fragrãtia, cel⁹lulam in qua stabam, intrauit hora completorii. Quo à me viso, stupore admirationeq; cõmotus, animi & membrorum virtutes repẽte amisi. Nesciebã enim tũc quod dextera mirabilis Dei, exaltasset seruũ suũ, notas faciens in populis virtutes suas. Nesciebam etenim quod Deus antiquæ miseratione, seruum suum fidelem à carnis immunditiis dissoluisset, & tam sublimem ei in cœlo sedem præparasset. Nesciebam certe ininuestigabiles vias do-
C mini. Nesciebam thesauros infinitæ Dei sapiẽtiæ & sciẽtiæ. Secreta & occulta Dei iudicia nõ agnoscebam: quoniam quos vult, facit sua ineffabili sapientia ad sui agnitionem venire. Quos autẽ prædestinat, vocat, iustificat, & beatificat, prout discernit conuenire. Itaque quia talem oculi mei nunquam perspexerant lucem, talem olfactus meus odorem non senserat: tã nouis, tam inauditis miris obstupebã. Inter hæc autem meis in me perstrepentibus cogitationibus quid hoc esset, de luce hæc dicẽs verba, vox emicuit. Augustine, Augustine quid quæris? Putasne breui immittere vasculo mare totum, breui includere pugillo terrarum orbem, cœlum firmare, ne vsitatos exerceat motus? Quæ oculus nullus hominum videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nulla per sonum hausit, audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitauit, existimas te posse intelligere? Infinitæ rei quis erit finis? Immẽsa, qua mensura metieris? Potius totum mare in artissimo clauderetur vasculo potius terrarum orbẽ paruulus teneret pugillus: potius cœlum à motu continuo desisteret, quam gaudiorum &
D glorię quibus beatorum animæ sine fine potiuntur, minorem intelligeres particulam, nisi, vti ego, experientia docereris. Discurre adhuc breui temporis spacium: impossibilia facere ne coneris: donec tuus impleatur vitæ cursus. Hic non quæras, quæ non alibi nisi quo tam feliciter propero inueniri possunt. Hic satage talia exercere opera, vt postmodum ibi quæ aliqualiter hic intelligere cupis, totaliter in æternum habeas: inde qui intrant, nullatenus exeũt. Ad hæc ego pauore stupens, admiratione tam inuisa pene amens, omni quasi vigore carẽs, his verbis aliqualem sumens audaciam, tremebunda voce dixi. Fas vtinam mihi foret, qui tam felix es, tam gloriosus, honorifice ad illa properans gaudia: qui tam dulcia eloquia gutturi meo faris, non ambigere. At ille, inquit, nomẽ meum quæris? Hieronymi illius presbyteri, cui trãsmittendam epistolam iam scribens cœpisti, sum anima: quæ in hac hora in Bethleẽ Iuda carnis onere deposito, Christo omnique cælesti comitata cohorte, omni deco-rata pulchritudine, omni illustrata splẽdore, illo induta
E immortalitatis deaurato vestimento, circumamicta omnium bonorum & gaudiorum varietate, terrenorum omnium triumphatrix, omni diademate coronata, & omni beatitudine & felicitate vallata, tam gloriose, tamque ineffabiliter pergo ad regna cœlorum, sine fine mãsura. Iam nullum etenim deinceps expecto gloriæ defectum, sed augmentum, quando iterum iungar corpori glorificãdo, & nõ morituro: sed gloriã quam nunc sola habeo cũm illo habitura, in illa scilicet vniuersæ carnis resurrectionis die. Tunc ego amplius animi in me collectis viribus præ gaudio à lacrimis nõ cessans, sic respõdi. Vtinã virorum eximie, tui mererer fieri pedissequ⁹. Sed quæso tui seruuli quanquã vilissimi, quẽ dilexisti in mundo nimia charitatis affectione, recorderis, vt tuis interuẽtionibus à peccatis emunder: tua gubernatione recto calle, inoffenso pede procedam: tuis defensionib⁹ assiduis, ab inimicis mihi continue insidiãtibus protegar, tuoq; san-
F cto ductu salutis attingam portum. Placeret vtinam voluntati tuæ aliqua mihi interroganti respondere. At illa. Quod optas, dicito, me omni tuæ voluntati respõsuram sciens. Vellem (inquam) intelligere, vtrum beatorum animæ quædam velle possint, quæ obtinere nequeant. At illa. Vnum Augustine noueris, quod sanctorũ animæ ita in illa æterna gloria in Deo sũt solidatæ & firmatæ, quod nulla sibi inest alia volũtas, nisi Dei: quod nil velle aliud possunt, nisi quæ Deus vult: ideo quæ volunt, obtinere possunt: Etenim quæcunque volũt, Deus & vult & adimplet. Nemo quippe nostrum suis fraudatur desideriis, quia nil pręter Deum aliquis nostrum optat. Quoniam vero semper vt volumus, Deum habem⁹: nostra semper desideria sunt plenissime adimpleta. Longa quidem pater charissime Cyrille verborum texeretur series, si omnia quæ mihi gloriosa illa anima perscrutanti patefecit, scriberem in hac breuitatis epistola. Spero enim quod Bethlehem ad tantas reliquias visitandum veniam non post multos annorum circulos: vbi tũc quæ audiui, & in scriptis tradidi, videbo perspicaciter. Plurib⁹ itaque ho-
G ris illa gloriosissima anima ibidem mecum manens, trinitatis sanctissimæ vnitatem & vnitatis trinitatem, filii à patre generationẽ, Spiritus sancti à patre & filio processionem, angelicas hierarchias & ordines, & eorumdem beatorũ spirituum mysteria, beatarum etiam animarum felicitates: & alia vtilia & grauia humanis intellectibus, quam subtiliter, quam euidenter, quam mirabiliter mihi pate fecerit auido, si omnium hominũ linguis loquerer, nõ explicarẽ sermone. Deinde à meis oculis lux illa disparuit: sed multis postmodum diebus ineffabilis odorũ suauitas remansit. Quam mirabilis ergo iste est, faciens tot mirabilia, tot & tã insueta hominib. prodigia? Ad ipsum ergo ore nostro clamemus & exultem⁹, demusq; gloriam laudi eius: quoniam certe dignus est omni laude: nec sum⁹ sufficientes eum laudare. Introiuit enim in domum domini candidus & pulcherrimus, vbi sine dubio de sublimiorib⁹ & præclarioribus gloriæ sedem obtinet. Quod vt iterum clarius veritatis lumen pateat,
H pluribus testib⁹ quam vno censui, quid supradictus noster Seuerus, vir doctrina & sapiẽtia pollens, cum tribus aliis in ipso die & hora obitus Hieronymi in Turonensi ciuitate viderit, meæ addere visioni: de quo quidem solũmodo ipsemet pridie ad me veniens, fuit testis. Volẽs itaq; Deus vt sublimis Hieronymi gloria mundũ non lateret, veluti sanctitas sublimis, & pene cunctorũ viuentium excellentissima nõ latebat: ne illi quos sanctitatis illius delectabat sequi vestigia, habiturũ præmiũ ignorãtes, aliquando à sanctitatis deuiarent tramite: & vt etiam alii sibi tot & tanta elargiri cernentes præmia, illi⁹ sanctitatis & virtutis inhærerent vestigiis: minuit enim laborem ponderis præmiorum spes, die & hora qua idẽ gloriosus Hieronymus feliciter expirauit, elargiendam sibi gloriam, Seuero & trib. aliis cum eo stãtibus, taliter declarauit. Hora cõpletorii die illo in domo sua Seuer⁹ cũ tribus viris catholicis, quorũ duo monasterii quondã venerabilis Martini erãt monachi, in diuinis legens locutionibus in cœlo, in æthere, terraq; cantuum suauissi-

mo-

A morum, inauditorum, ineffabilium, & incredibiliũ infinitas repente audiuit voces. & organorũ, tympanorũ & psalteriorum, & totius symphoniæ & instrumẽtorũ sonos: quibus cœlum & terra, & omnia (vt sibi videbatur) vndique resonabãt: quorum suauitatibus eorum animæ pene à corporibus exhalabãt. Stupefacti illico omnes illi eleuãtes oculos, cœlum totum, æthera, & omnia, quæ eorum continentur ambitu, quadam viderunt luce septies solis luce præclariore clarescere: ex qua omnia odorum aromata erumpebant. Hæc illi tam miñda cernentes, Deum exorarũt precibus vt eos cur talia fierent, non lateret. Quibus vox de cœlo veniẽs, ista dixit. Nulla vos moueat admiratio, nil vobis videatur admirabile, si talia & videtis & auditis: hodie enim regum rex, & dominus dominantium, Christus dominus, exeunti de hoc nequam sæculo, animæ gloriosissimi Hieronymi presbyteri in Bethleem Iudæ commorantis, totus festiuus obuiam venit, vt eam præ cæteris tanto honorificẽ-

B tius, tãto excellentius & sublimius ad sua introducat regna, quanto cæteris sublimioris & sanctioris vitæ meritis fulget. Hodie omnium Angelorum ordines exultãtes, & talibus vocibus alternatim concinentes, suum sociantur dominum: hodie omnium patriarcharum & prophetarum cœtꝰ: hodie Apostolorum & discipulorũ chorꝰ: hodie omnes sancti martyres: hodie confessores: hodie gloriosa Dei genitrix sanctis omnibus comitata virginibus: hodie omnium beatorum animæ lætabũdæ & festiuæ suæ occurrũt compatriotæ & ciui. His auditis vox siluit: sed tamen lux & cantus & odor per horam postmodum perdurantes cessauerunt. Itaq; liquido patet ipsum de sublimioribus & maioribus ciuibus fore: quo & magnus & mirabilis est, & metuẽdus super pene omnes sanctos ob sibi traditam potestatem. Nulli sit dubium, ita præ cæteris quæ vult, posse ipsũ assequi: sicut præ cæteris sua voluntas diuinæ magis cohæret. Nullus vero me tantæ audaciæ putet, vt fatear ipsum Ioãne Baptista, quo (testãte ipso Saluatore) nullus maior surrexit

C Petro & Paulo, & cæteris duodecim Apostolorum, qui ab ipso Christo electi & sãctificati sunt, præstare gloria. Sed tamen & si prohibeat ratio ipsum illis maiorem obtinere gloriam in cœli regno aliquem audere dicere: tamen nullas video rationes, cur sit nefas dicere, æqualem illis in gloria Hieronymum fore, dummodo illis in vitæ sanctitate discors non fuerit: cum nõ sit personarum acceptor Deus, sed singulorũ merita decernens, & reddẽs vnicuique quod meruit. At si cuiquam videatur minorẽ Ioãne & Apostolis Hieronymum gloriam obtinere, parum videatur minorem ipsum obtinere, cum, & si illius sanctitatis merita, illius laboris grauia, illiꝰ scripturę & verissimæ trãslationis vtriusque testamenti, officiorumque ordinationis fructus, non solum præsentibus, sed etiã futuris, perspicaciter cernat, paulominꝰ fore nil ipsũ ab eisdem in gloria discordem, vt verum testor Deum, puto iudicabit. Porro ne aliquibus deridendi laqueum iniicere videar: dum Ioanni & Apostolis in sanctitate & gloria, æqualem esse Hieronymũ sanctissimum fateor:

D vnum quod expletis nõdum diebus quatuor in visione vidi, enarrabo, vt veritas nõ lateat: & ne quis me has lauder texere credat, vel amore carnali, quo homo à veritatis cognitione maxime deuiat, vel vesanæ mẽtis imperitia, vel alia quacunque causa. Sed ne hoc ambigant ab homine intellexisse minime: sed per reuelationem quã Deus omnipotẽs, qui suos exaltat sanctos, & exaltando magnificat. Quarta præeunte nocte, mihi auide cogitanti, quid laudis, quidue debitæ reuerentiæ Hieronymo in breui texerem epistola demonstrauit hoc modo. Dum itaque, vt dixi, disponens hanc epistolam tibi scribere, cogitarem aptã laudis materiam inuenire: hora adueniẽte noctis media, me somnus oppressit: & ecce maxima mihi affuit Angelorum multitudo: inter quos fulgentes plus infinito sole duo erant viri ita similes & vniformes, vt nulla in eis videretur differentia, qua alter ab altero differre posset, nisi quod tria serta ferebat alter in capite, ex auro & lapidib. pretiosis: alter vero duo. Hi candidissimis induti collobiis, vndiq; auro gemmisque

E contextis, tantæ erãt pulchritudinis, vt non valeat quispiã imaginari. Accedentes itaq; illi ambo prope me, sub silentio paulisper steterunt. Deinde ille qui tria ferebat serta, his me verbis fuit allocutus. Cogitas Augustine quid debeas laudis de Hieronymo in veritate proferre? Et certe diu cogitans, nõdum nosti: sed huc ambo venimus, vt eius tibi gloriã indicemus. Hic certe meus socius quẽ vides, Hieronymus ipse est: qui sicut ęqualis mihi in vitę sanctitate fuit: ita per omnia in gloria ęqualis est. Et quæ possũ, & ipse potest: & quæ volo, & ipse vult: & sicuti Deũ video, & ipse videt, & cognoscit, & intelligit. In quo omnis nostra, & sanctorum omniũ cõsistit gloria & beatitudo. Nec habet maiorem vel minorem gloriam alter ab altero sanctorũ: nisi inquantum magis & minus diuinam contemplatur speciem, siue cognoscit. Sertum vero tertium quod plus illo fero, aureola martyrij est, quo vitam finiui corporis. Qui & si in mundo ob labores, pœnitentias, ęrumnas, afflictiones, verbera, cõtumelias, & hominũ opprobria & derisiones, & cætera

F valde grauia: quæ ita pacifice pertulit, ita gaudenter propter Deum, vt in infirmitatibꝰ exultaret, & verus martyr extiterit, & pręmia martyrij non amiserit: tamẽ quia gladio vitam non finiuit, aureolam quæ in signũ datur martyrij, nõ habet. Serta vero duo alia quę habemus, aureolæ sunt, quæ solum virginibus & doctoribꝰ dantur, vt ab alijs discernantur. Ad hæc (vt mihi videbatur) respondi. Quis enim es domine mi? Et ille. Ioãnes, inquit Baptista sum, qui huc ad te descendi, vt nuntiarem tibi Hieronymi gloriam: quatenus ipsam gẽtibus nunties. Hoc enim noueris, quia honor & reuerentia quæ singulis sanctorũ exhibetur, cęteris omnibꝰ exhibetur: ne putes vt aliqua sit in cœlo inuidia, vt in mundo. Sicut enim in mundo quilibet hominum cæteris præesse potius vellet, quam subesse: ita in cœlo propter charitatem ineffabilem qua se inuicem diligũt beatæ animæ, quilibet sanctorum ita alterius gloria gaudet, sicut sua. Quin etiam vellet quisq; maior vt quisque minor sibi esset æqualis & pene maior, quia eius gloria esset sua, ita minor maioris gloria gau-

G det, sicuti si eam haberet: nec vellet eã habere, vt ille non haberet, imo potius de sua, si fas esset, impartiret. Vnde gloria singulorum, est gloria cunctorum: & gloria cunctorum, est gloria singulorum. His dictis, societas omnis illa discessit. Et expergefactus ita à somno, tantos in me subito sensi charitatis ardores, quantos in me nunquam senseram. Nam deinceps hactenus nũquam aliqualis in me vel inuidiæ, vel superbiæ, siue arrogantiæ fuit appetitus vel cogitatio. Testis enim est Deus, qui omnia antequam fiant, nouit, quod inde tãtus in me exiit charitatis feruor, quod plus alieno bono gaudeo, quam meo: plus affecto omnibus subesse quam præesse. Hæc idcirco dixerim, non vt laudis acquiram famam: sed vt quis hæc non putet vana fuisse somnia, quibus sæpe deluditur mẽs nostra. Sæpe enim Deus abscondita & maxima per somnia reserat. Magnificemus ergo opera sua: quoniam perfecta sunt, nec est in eis iniquitas. Sanctum domini Hieronymum, propter Deum cum quo regnat secure, magnificemus: quoniã in vita sua magnifice fecit, in morte

H sua magnifica recepit. Quapropter magnus est in medio nostri: & sanctus & excelsus, in vitæ excellentissimæ sanctitate. Magnus, sanctus & excelsus, in sapientię ineffabilis profunditate. Magnus, sanctus & præexcelsus, in maioris nunc gloriæ quantitate. Mirabilis & laudabilis & gloriosus in prodigijs inuisis, inauditis, & insuetis. Metuendus, colendus, & venerandus, ob sibi traditam à domino potestatem, honorem, & gloriam sempiternam. Magnificemus ergo obsecro eum, ne taceamus: quoniam maior est omni laude. Notas faciamus in populis gloriæ suæ laudes. Non mireтur homo si eum quem Deus magnificauit & coluit, laudamus. Non hominem pigeat venerari, & colere quem Deus coluit & veneratus est. Non putet quispiam Ioanni & Apostolis in gloria & sanctitate æquãdo Hieronymum, Ioanni & Apostolis exercere iniuriam: quoniam illis præstare & gloria & sanctitate si possent, optarent. Gloria enim & beatitudo eius, eorum est sua. Honor,

laus,

A laus, & reuerentia à nobis exhibita Hieronymo, eorum singulis exhibetur. & quæ illis sigillatim exhibetur, Hieronymo exhibetur. Si ergo cupis Ioannem Baptistam & Apostolos venerari simul venerare ipsũ: quoniã illis per omnia est æqualis. Secura igitur mẽte, omni depulsa formidine Ioannem Baptistam Hieronymo æqualem & nõ maiorem, quoniam null⁹ maior surrexit omni deuotione & reuerentia, fateamur: quem si minorem facim⁹, Ioannis gloriæ derogamus, & magis iniurias exercemus quam laudes. Huius mei imperiti sermonis opus, quanquam insufficienter, quanquam vilissimè, quãquam nihil: tamen deuotè & reuerenter à nobis expletum: ad te venerabilis pater puro corde & magna animi deuotis affectione dirigo: supplicãs vt ingenioli mei verbula: quæ de meæ imperitiæ paupertie in laudes eximii Hieronymi obtuli, non deridendo, sed charitate debita æquanimiter tolerando legas. Et quæ minus debitè dixi ad tanti viri laudes, & meæ imputes imperitiæ, & epistolæ breuitati, B & eius laudum immensæ maiestati. Quoniam certè si omniũ mortalium linguæ solum eius laudes promererẽt, min⁹ debito satis esset. Mei peccatoris venerabilis pater esto memor, vt dum in illo steteris loco, quo illud sacrũ eximii Hieronymi cadauer quiescit, eius me interuẽtionibus recommẽdes: quoniam nulli dubium est quod ea quæ optat, idem Hieronymus potest cõtinuò obtinere. Non enim suo aliqualiter defraudatur desiderio.

CYRILLI EPISCOPI HIEROSOLYMITANI DE MIRACVLIS HIERONYMI, AD sanctum Augustinum Episcopum Hypponensem.

VEnerabili viro, episcoporum eximio, Augustino Hypponensi præsuli, Cyrillus Hierosolymitanus pontifex, & omnium sacerdotum infim⁹: illius sequi vestigia, cuius in terra sanctitas radiare nõ cessat, illius sc. Hieronymi gloriosi, cuius memoria erit in benedictione in sæculum sæculi. Qui quantus sit, & tu similiter bene C nosti, eius vsus maxime colloquiis & doctrinis, de quo me velle disserere, cum sim reprobus in toto & indign⁹, quasi reputo audaciam. Sed tamen quia tua me cogit dilectio, vt aliqua tibi scribam de prodigiis hominib⁹ insuetis, quæ per illum in diebus nostris fecit Dominus, vt eum celebrem mundo faceret, & cunctis hominibus gloriosum: tuis confisus orationibus opus aggrediar, vt tua poscit deuotio, & breuiloquio perstringam de multis pauca. Gloriosum huius viri obitum, visionemque meam, necnõ & mirifica nunc temporis peracti, te nosse non ambigo. Nam vir vtique reuerẽdus, & memoriæ obliuioni non dandus, Eusebius nobilis Cremonensis eius discipulus, in quo magistri refulsit sanctitas & doctrina, eius sapientiam, probitatem, & excellentiã non ignoras: qui post biẽnium à nostræ mortalitatis miseria ereptus, suum prædilectissimum magistrum Hieronymum in cœli patriam est secutus, vt nobis indicant eius crebra miracula, de quibus etiam inferius aliqualiter pertractabo. Reuerẽdo patri Damaso Portuensi episco-D po, & Theodosio Romanorum senatori, eius fratri Seuero probissimo viro, Eustochio sãctissimæ mulieri, & tibi, & multis aliis, quos singillatim nominari non eget: tunc temporis per suas literas totius eius obitus seriem intimauit. Vnde amplius ea, quę nosti, reiterare esset superfluum, & dicendorum impedimentum. His ergo omissis ad eiusdem, quæ non cessant continuè clarere miracula, noster se stylus vertat, vt tua poscit deuotio. Et primo ab Eusebio viro sanctissimo, eiusdẽ Hieronymi sanctissimi discipulo sumat initium. Post obitum gloriosissimi Hieronymi, quædam hæresis inter Græcos, id est, secta surrexit: quæ ad Latinos vsq; deuenit: quæ suis nefandis nitebatur rationibus probare, quod animæ beatorum vsque ad vniuersalis iudicii diem, in quo eorum corporibus erant iterum coniungendæ, visione & cognitione diuina, in qua tota consistit beatitudo sanctorum, priuabuntur: & damnatorum animæ similiter vsque ad diem illum, nullis cruciabuntur pœnis. Quorũ ratio talis erat. Sicut anima cũ corpore meruit, vel peccauit: ita cũ corpore præmia recipit, siue pœnas. E Asserebant etiam illius sectæ nequissimi, nullum fore purgatorii locum, in quo animæ, quæ nõdum de suis peccatis in mundo plenam egissent pœnitentiam, purgarẽtur. Qua quidem secta pestifera crebrescẽte, tantus in nos dolor irruit, vt nos amplius pigeret viuere. Quocirca meis cũctis suffraganeis episcopis, & aliis viris catholicis cõuocatis, eis ieiunia & orationes indixi, vt suã sic agitari fidem diuina non permitteret bonitas. Mirares, & fortè huic sim his nunquam visa: Tribus expletis diebus ieiuniorũ & orationum, subsequẽti nocte gloriosus Hieronymus, suo prædilectissimo filio Eusebio orationibus incũbenti manifestè apparẽs, benignaque eum allocutione confortans, ei dixit in hac secta pestifera minimè formidandum, cum sibi finis iam ponendus erat. Quem Eusebius nimio fulgẽtem splendore: ita vt eum oculus humanus aspicere non valeret intuitus, quasi de graui somno euigilans, dulces per oculos fundens lacrymas, ita vt penè vocem formare non posset: quantum poterat, clamare F cœpit. Pater me⁹ Hieronymus es? Quare meam societatem spernis? Certè teneam te nec dimittam: nec sine tuo quem dilexisti filio, gradieris. Ad quem glorios⁹ Hieronymus. Non te fili dilectissime deseram. Consortare: vicesimo namque die me sequeris, & simul in gaudio permanebimus sine fine. Sed Cyrillo cunctisque fratribus nuntia, vt crastina die iuxta præsepe Domini, vbi meum quiescit corpus, omnes in vnum conueniãt, tam catholici, quam etiam illius sectæ viri. Et tu trium hominum, qui in hac nocte defuncti cadauera inhumata, in locum in quo meũ est humatum corpus facies deportari: super quibus saccum quo vtebar ponens, & statim vitæ pristinæ redditi, hanc radicitus hęresim extirpabunt. Cui valedicens gloriosus Hieronymus, disparuit. Mane autem facto, ad me qui Bethleem tunc eram, venerabilis Eusebius veniẽs, cuncta quę viderat, enarrauit. Quo immensas creatori gratias agens, & glorioso Hieronymo omni-G bus in prædicto loco, in quo pro nobis de intemerata Virgine Saluator natus est: & vbi etiam sacratissimum Hieronymi cadauer humatum est cõgregatis, prædictorum defunctorum cadauer deferri fecit. O mira erga homines Dei miseratio & dispensatio. Quot modis in se sperãtes scit iuuare: quantis & quot honoribus suos exaltat sanctos. Fiebat interea ab illius sectæ cultoribus derisio, credentibus quod foret exinanita manus Domini. Lætetur itaque omnis fidelium cœt⁹, & Deo in voce exultationis psallant, quãdo suscepimus misericordiam in medio templi sui. Accedens namque vir venerabilis Eusebius ad singolorum cadauera, flexis genub⁹, manibusque in cœlum extensis, cunctis audientibus, sic orauit. Deus, cui nihil est impossibile, nihil graue, inuictæ fortitudinis & virtutis, qui facis mirabilia magna sol⁹, & nullum in te sperantium spernis: nunc preces tuorum exaudi fidelium, & vt tua, quam dedisti, fides, intemerata inuiolataque per sæcula maneat, ac etiam vt horum error appareat: & per merita & intercessiones gloriosi H tui Hieronymi dilecti, introduc in hæc cadauera animas quas de ipsis egredi voluisti. Qua quidem oratione finita, singula sacco quo supra carnem gloriosus Hieronymus vtebatur tangens cadauera, protinus in eum vitæ spiritum introduxit. Qui homines apertis oculis, omnibusque vitæ signis ostensis, sunt perfectè resuscitati, & cœperunt beatarum animarum gloriam, & peccatorum pœnas, tam purgatorii, quam inferni clara voce omnibus intimare. Nam, vt mihi postmodum interroganti dixerunt, beatus Hieronymus eos conduxerat secum in paradisum, purgatorium, & infernũ: vt quę ibi agebantur, patefacerẽt vniuersis. Sibique dixerat quod ad corpora redirent, & de perpetratis peccatis ibi agerent pœnitentiam: quia eo die & hora qua venerabilis Eusebius migraturus erat, & ipsi morituri erant, ac etiam si benè agerẽt pœnitentiam, cum eo gloriam adepturi: quod & factum est, vt inferius declarabo. His igitur peractis, multitudo maxima populorum tam fidelium, quam etiã illius sectæ defensorum: qui ad tam grande concurrerãt

A ſpectaculum, tam certum indicium, & veritatis experi-
mentum, necnon beati Hieronymi merita egregia cer-
nentes, magnis vocibus immenſas gratias referunt crea-
tori: qui ſuos in ſe ſperantes nõ deſerit. Et ſic Auguſtine
chariſſime, pius Dominus nauiculam ſuæ fidei ſacratiſſi-
mæ, in huius mundi mari eructantibus malorum homi-
num fluctibus agitari permittit, ſed minimè naufragari.
Quo quidem forti quæſo eſto animo, viriliter age, non
formides cõtra fidei perſecutores magnanimus dimica-
re, ſub vmbra alarum tam pii patris, qui ſuorum fideliũ
preces inefficaces non ſinit, dummodo tota ſpe & puto
fiant animo. Non enim noſtræ nequeũt exaudiri preces,
niſi cum in Deo noſtra non perfectè ſpes conſiſtit: vel
quia petimus non petenda. Ad ipſum ergo Dominum
non tantum ore, ſed toto corde clamemus dum affligi-
mur, & ipſe qui dominatur in virtute ſua, & nos quotidie
oculo reſpicit pietatis, non permittet nos tẽtari ſupra id
quod poſſumus. Sed ne nimis deuius à propoſito modo
B gradiar, ad incepta redeam: & venerabilis Euſebii obitũ
explens primò, & virorum illorum trium ſimiliter, quos
reſuſcitatos noſti, migrationem ſcribens: quia eadẽ ho-
ra ſunt & die, qua Euſebius de huius mũdi & valle miſe-
riæ exẽpti, aliqua Hieronymi miracula de multis intro-
ducam. Adueniente autem die quo venerabilis Euſebi⁹
à beato Hieronymo in viſione, de qua ſupra fat⁹ ſum, ſe
migraturũ ſcierat, die tertia præeũte, languore febrium
concuſſus valide, ſe ſuper terram, magiſtri nõ immemor
nudum deferri fecit à fratribus, & ſingulum fratrem be-
nigna conſolatione confortauit, & vt in ſancto manerẽt
propoſito, admonuit. Deinde ſaccum, quo glorioſus in-
duebatur Hieronym⁹, deferri fecit, & ſupra ſe poni iuſ-
ſit, ordinauitque ſe nudum inſtar glorioſi magiſtri extra
eccleſiam in qua iacebat ſãctum Hieronymi cadauer ſe-
peliri. Poſt hæc communione ſacratiſſimi corporis Ieſu
Chriſti ſe muniẽs, Domino ſe & beato Hieronymo cõ-
mendauit: & ſic per triduũ locutione corporalique vi-
ſione priuatus, circũſtantibus fratribus alternatim pſal-
C terium, paſſiones Domini, & alia ſacra cõtinuè legenti-
bus, iacuit. Durum quippe & cunctis rectè in mũdo de-
gentibus formidabile hoc quod narro. Die autem quo
moritur⁹ erat, per duas horas ante animæ beatæ exitum,
venerabilis Euſebius tam terribiles act⁹ cœpit peragere,
quod circunſtantes monachi pauore perterriti, velut a-
mentes in terra iacerent. Nam quãdoque tranſuerſis o-
culis, manibus iũctis, facie terribili, voceque dira quaſi
ſæuiens clamabat. Non faciam, non faciam: mentiris,
mentiris. Poſt hæc ad terram rediens, faciem firmabat
in terram quantum potuit, clamans: Adiuuate me fra-
tres ne peream. Quod monachi videntes, lacrymantes
& trementes, eum interrogauerunt: Quid habes pater?
Ad quos ille: Non videtis dęmonum agmina, quæ me
debellare cupiunt? Et illi: Quid te facturum volebant,
cũ dicebas, Nõ faciã. Et ille: Conantur namque vt diuini
nominis blaſphemus inueniar: & ideo hoc me non fa-
cere clamabam. Et illi. Quare pater faciem abſcondebas
in terram? Et ille: ne eius aſpectum cernerem, qui tam
D turpis & terribilis eſt, quod omnes penè formidines,
quæ in mundo ſunt, reſpectu eius nihil ſunt. Inter hæc
verba actus priores reiterans, ſic ad extremam horam
vſque deuenit. Fratres autem qui ſtabant, pauore & do-
lore perterriti, velut mortui ſtabant, quid facerent ne-
ſcientes. *Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in maieſtate
ſua*, benignus, & ſe amantib⁹ miſericors: ſanctos ſuos nõ
derelinquit in tempore neceſſitatis. Ad extremam nam-
que horam venerabili Euſebio præueniente, glorioſus
Hieronymus apparuit, eum benignè confortans. Cuius
aduentu omnis illa dæmonum turba quaſi infinita, eius
timore perterrita, ab eo velut fumus euanuit, vt plures
teſtantur monachi, qui propriis oculis diſpenſatione di-
uina ſe hoc vidiſſe dicunt. Sed hoc magis approbatur:
nam omnes circunſtantes audierunt has ab Euſebio vo-
ces. Vnde venis pater? Quare tãtum moratus es? Quęſo
filium tuum ne derelinquas. Cui ſubitò cunctis audien-
tibus, alia vox reſpondit: Expecta fili, ne formides, quia
te non deſeram, quem tantum diligo. Qua audita voce,
breui inde decurſa morula, venerabilis Euſebi⁹ expira- E
uit. Qua quidem hora & illi tres qui reſuſcitati ſunt, mi-
grauere, & (vt puto) cum Euſebio ad ęterna gaudia per-
uenerunt. Nam per illos omnes viginti dies, quib⁹ poſt-
quam, vt noſti, reſuſcitati ſunt, ſe in tãta pœnitentia tra-
diderũt, quòd ſine dubio æterna beatitudine potiantur
& pręmiantur. Silentio pręmittendum nequaquam pu-
to, quæ ab eiſdem tribus viris per illos dies quibus vixe-
rũt, didici. Continuè toto hoc tempore cum aliquo eo-
rum ſecreta vitæ illius, quam poſt hac breuẽ & momen-
taneam expectamus, rimari cupiens, alternam diem du-
cens ad veſperam. Sed quamuis multa ab eiſdem didice-
rim: tamen ad præſens breuitatis cauſa quædam tãtum
referã, cætera vero alias ea dicturus omittam. Quadam
vice ad vnum eorum me iuiſſe contigit: quem dure la-
crymantem, nec meis verbis conſolationem aliquam
admittentem comperiens, tanti fletus cauſam ab eo cœ-
pi inquirere. Qui pluries de hoc à me interrogatus, nec
tamen ad interrogata reſpondens: tandem meis coactus F
importunitatibus, ſic reſpondit: Si quæ pridie ſum ex-
pertus, non ignorares, tibi ineſſet ſemper cauſa fletus.
Ad quem ego: Quæſo vt quæ vidiſti, ediſſeras. Tunc ille
pauliſper tacẽs: dixit: Quales credis pœnas & tormenta
non ſolum damnatis, ſed etiam in purgatorio exiſtenti-
bus, præparari? Ad quẽ ego: De incertis quæ vera poteſt
proferri ſententia? Vt enim puto, noſtris quibus affligi-
mur pœnis, æquari non poſſunt. Ad quod ille: Si omnes
quæ in mundo cogitari poſſunt pœnæ, tormenta, affli-
ctiones, minori quæ illic habentur pœnæ & tormento
comparentur, ſolatia erunt. Mallet enim quilibet viuen-
tium, ſi illas experiẽtia noſceret pœnas, vſque ad finem
mundi, omnibus his ſimul ſine remedio cruciari pœ-
nis: quas omnes homines ab Adam huc vſque ſigillatim
pertulerunt, quam vno die in inferno, ſiue purgatorio
minori, quæ illic habetur pœna, torqueri. Et ideo ſi cau-
ſam mei fletus interrogas, timor pœnarum eſt, quæ
peccatoribus iuſte dantur. Scio namque me erga Deum
meum peccaſſe: & ipſum iuſtum fore non dubito.
Qua de re non mireris, ſi plango, cum potius ſi non G
plangerem, vehementer admirari deberes: ſed potius
admirare, quare homines qui ſe mori non dubitant, ſal-
tem aliorum experimento, tanta hic ſecuritate viuunt,
nec tantas cogitant euadere pœnas. Ad hæc dolore ta-
ctus intrinſecus, ita vt vix verba formare poſſem, dixi:
Heu quid audio? Sed quęſo, in quo tormenta differunt
infernalia ab his quæ ſunt in purgatorio, dicas. Et ille:
Nihil inter ſe differunt: quia eadem ſunt magnitudine
pœnæ purgatorii & inferni. Sed vnum eſt quod differre
poſſunt: quia infernales finem non expectant, ſed au-
gmentum: ſcilicet in iudicii vniuerſalis die, quando
corpora ibidem cruciabuntur cum animabus: & pur-
gatorii pœnæ ſunt cum fine. Nam poſt expletam pœni-
tentiam inde exempti, gaudiis beatiſſimis perfruentur.
Ad hæc ego. Sunt omnibus in purgatorio exiſtentibus,
æqualia tormenta vel diuerſa? Ad hæc ille. Diuerſa qui-
dem. In aliquibus maiora, aliquibusve leuiora, iuxta
magnitudinem peccatorum. Nam in patria etiam bea-
torum omnes animæ glorioſæ diuinam contemplan- H
tur ſpeciem, in quo omnis conſiſtit gloria. Quæ quam-
uis ſingulæ tanta habeãt gaudia, quanta velle vel cogi-
tare poſſunt: tamen gaudiis non ſunt pares: quia maiora
hæc poſſidet, minora illa, iuxta opera quæ fecerunt. Sed
ſi tibi aliqua ex hoc oriretur admiratio, vt ſanctis poſſit
ineſſe diuerſitas gaudiorum, quorum cauſa eſt ſolus ipſe
Deus, in quo nulla potuit vnquam eſſe diuerſitas, ſolu-
tio ſatis patet. Nam cum diuina contemplatio & cogni-
tio, ſiue intelligentia, ſit tota merces & gloria in aliquo
poteſt eſſe ſanctorum minor, in aliquo vero maior. Id-
circo cum omnes ſimul animæ Deum ſicuti eſt, videant
& cognoſcant, aliqua minus videt & intelligit: & ſic mi-
nor ineſt ſibi gloria. Aliqua vero clarius videt, & ſubti-
lius intelligit: & ſic maiorem poſſidet gloriam. Sic etiam
de illorum miſerorum damnatorum pœnis dici po-
teſt: nam cum omnes animæ damnatorum in vno
conſiſtant pœnarum loco: tamen diuerſis crucian-
tur

A tur pœnis, iuxta vitiorum qualitates. Tantum siquidem differt inter Christianorum, qui ibi torquentur, pœnas & paganorum, vt paganorum cruciamenta respectu eorum quæ falsi Christiani & peccatores sustinent, sint quasi nulla: quamquam ineffabilia sunt, nec à viuentibus cogitabilia. Et dignum est. Nam illi gratiam Dei in vanum receperunt, nec voluerunt à peccatis corrigi dum vixerunt, sacris continuè vociferantibus scripturis, quas pro nihilo putauere. Tum ego, horribile est, inquam, quod dicis: & vtinam sedulo mortalium insisteret mentibus, vt vel tantarum pœnarum terrore à prauis cessarent, si nollent amore gloriæ. Sed quæso quid erga te pridie exeunte anima peractum est breuiter innotesce. Ad quod ille: Adueniente, inquit, mortis meæ hora, tanta in loco quo migraturus iacebam, nefandorum affuit spirituum multitudo, quod præ multitudine dinumerari omnino non possent: quorum species talis erat, quòd ea nil pœnosius, nil ve horribilius excogitari potest. Potius enim quilibet hominum flammis ardentibus arsurum se ex-
B poneret, quam earum formarum ictu oculi visione potiri. Qui ad me venientes, omnia quæcunque perpetraui opera contra Deum, ad meam memoriam reuocabant: suadentes mihi vt amplius de diuina misericordia, quam tam grauiter offenderam, non sperarem. Et certè noueris quòd nisi me diuina miseratio adiuuisset, eis resistere non valuissem. Nam dum omni vigore spiritus destitutus, eorum verbis paulominus assentirem, gloriosus affuit Hieronymus, magno vallatus agmine Angelorum, septies sole splendidior, me confortans. Qui vbi illos spiritus immundos fuit intuitus, me tam dure exacerbantes, valde commotus erga eos, voce terribili eis dixit: Quid ad huuc nequitiæ & omnis maledictionis spiritus venistis? nesciebatis hunc meis fore fouendum auxiliis? Protinus hunc relinquentes, abite, & vestras ab eo elongate nequitias, quantum distat ortus ab occaso. His illa maledictorum spirituum societas perterrita, diris vlulatibus & clamoribus, limen loci in quo iacebam excessit.
C Tunc gloriosus Hieronymus aliquibus imperans Angelis, ne à me discederent, sed quousque reuerteretur, expectarent, cum cæteris Angelis festinanter abscessit. Eodem quoque abeunte, Angeli qui ad custodiendum remanserant, me confortare cœpere, blanda & dulcia promittentes, si forti animo perdurarem. Inter hæc autem consolationis colloquia, hora quasi decursa, secūdo beatus Hieronymus veniens stansque in limine, velociter, inquit, venite. Tunc subito anima corpus relinquens, tam grauiter & acerbè: quod certè quantæ fuerint pressuræ & angustiæ, intellectu non caperet mens humana, nisi, vt ego, experientia didicisset. Si enim omnis humanorum intelligentia, quas vellet angustias & dolores æstimaret respectu animę dissolutionis à corpore tanquam pro nihilo computaret. Hæc & alia non minus ardua & valde mortalibus formidanda, quæ pro longitudine, præsenti operi non inscribam, eo loquente, incipiebat claudi dies, occasu solis, quo necesse fuit quid ei post mortem contigerit non explere. Sed quia id præ cæteris affecta-
D bam, sequenti die, duobus aliis cum eo insimul conuocatis ad narrationis illius seriem redij, hoc cupiens ab illis etiam duobus aliis perandire, vt trium testimonio solidius edocerer. Itaque cum hi iam dictare inciperent, sic respondi: Quamquam hæc vtilia sint, nec tæderet in vacuum sæpius ipsa fari: tamen his quæ iam audiui omissis, quæso, vt quid vobis post dissolutionem corporis euenerit, meo hianti detegatis animo. Ad hoc ille qui mihi, quę audisti, transacto narrauerat die. Quod Cyrille, inquit, interrogas: non est possibile plenè fari: quoniam spiritualia nostris minimè sensibus comprehenduntur. Scis namque non te examinem fore: tamen quid aut qualis sit anima, non agnoscis. Deum certè scis omnium esse principium & finem, à quo incipiunt omnia atque tendunt: & tamen quid sit Deus aut qualis, dum carnis istius grauissimæ corruptibile portas onus, non intelligis, nisi per speculum & in ænigmate: sic etiam de Angelis & cęteris incorporeis idem liquet. Cum enim multa quę sunt notissima in natura, nostrę paruæ intelligentiæ defectu, intelligere non possumus, super cœlestia & spiritualia o- E
mnino aliena à naturæ cognitione, quomodo intelligemus? Vt dicitis, inquam, est: sed vti potes, quæso dicas. Ac ille. Circūloquar, inquit, id quod optas, & dicam paulominus quod non possum. At hi qui mecum ea quę pridie dixi, sunt experti: si ita est, testificabuntur. Mea pridie anima à corpore tot (vt supra fatus sum) pressuris & doloribus dissoluta, subito in ictu oculi ineffabiliter fuit ante Dei iudicantis præsentiam deportata. Sed à quibus & quomodo non agnosco. Nec certè mirū nam nunc carnis mole aggrauor, tūc autem erat anima sine carne. Fuerunt etiam ibidem istarum animæ, terroribus inexcogitabilibus quid iudex ageret formidantes. Heu cur mortales nesciūt, quibus hoc eueniet quod tunc nobis? Certè si illius non foret ignorantia, toties non peccarent Nullum, quę toto tempore gessimus peccatorum, iudicem latere potuit. imò cuncta quæ fecimus tamquam si forent præsentia cunctis astantibus clara erant: ita vt minimum nostrorum cogitaminum, sicuti fuerat, apparebat. Considera namque quibus & quot agitabamur terroribus, hinc dæmonum multitudo stabat, mala testificantes quæ fecimus, locum, modum, & tempora declarantes. Hinc nosmetipsi quæ obijciebantur, nullatenus contradicere poteramus: tum quia iudicem cuncta scientem, tum quia F
ipsum quilibet nostrum iustissimum cognoscebat. Heu quid dicam? Quam sententiam præstulabamur, ob eius memoriam, nunc formido. Hinc inde mala vndique vindictā iudici acclamabant: nec vllū pœnè apparebat bonū quo quid misericordiæ speraremus. Hinc nos dignas supplicio omnes qui aderant, exclamabant. Cumque iam nil deesset nisi sententiam publicari, quæ peccantibus digna datur, ecce gloriosus Hieronymus cunctis splendidior astris, beato Ioanne Baptista, summoque Apostolorū principe Petro, nec non Angelorum ingenti multitudine comitatus, ad præsidentis iudicis thronum veniens, nostram sententiam suspendi modico temporis, nosque sibi dari ob reuerentiam & deuotionem quam sibi contuleramus, & propter erroris destruendi necessitatem, vt voluit, impetrauit. Deinde nos secū ducens, omni illa beata vallatus societate, vbi fidelium animæ inęstimabili gloria perpetuo perfruuntur, quæ ibi gerebātur, vt redderemus testimonium, declarauit. Post hæc ad purgatorium & in- G
fernum nos deducens, non solum quæ ibi erāt, indicauit: sed voluit vt pœnarum experientiam probaremus. His igitur omnibus sic peractis, hora qua nostra cadauera sacco quo beatus vsus fuit Hieronymus tetigit venerabilis Eusebius, idem gloriosus Hieronymus nobis imperauit, vt ad corpora rediremus, mandans, vt de his quæ vidimus testaremur, promittensque nobis vicesimo die, si de perpetratis peccatis nos contingeret debitam pœnitentiam exercere, cum beato Eusebio, qui tunc erat ex hoc sæculo migraturus, gloriam finis nesciam adipisci, sicque corporibus nostræ animę sunt coniunctę. Multa siquidem Augustine charissime formidanda, quę mortalium impressa mentibus, ab eisdem labentium omnium terrenorum amorem, & curam peruigilem, qua tot aberrant homines, vt puto, funditus exstirparent, patenter didici: quæ si his chartis imprimerem, plus cogitato opus procederet: nec essem compos subscribere iam promissa. Ita- H
que cum de proximo te expectem, visitaturum gloriosi Hieronymi reliquias, vt tuę quas pridie recepi, literæ fatebantur, hęc omnia hoc fine claudam, tangens venerabilis Eusebij sepulturam, vt ad miracula redeam enarranda, quæ superius sum pollicitus enarrare. Obitus namque Eusebij venerabilis & trium hominum prędictorum seriem, in precedentibus quam breuius potui, inserui: quędam tibi, vt puto, affectuosa interponens. Sed prędictorum sepulturę series ita patet. Mortuo namque venerabili Eusebio, plura sunt miracula cunctis visa, quę precedentis vitæ sanctitatem testantur, quorum ad præsens duo solum dicam. Monachus quidam cuiusdam cœnobij, prę lachrymis & vigiliis priuatus corporali lumine oculorum, statim vt Eusebij corpus venerandum facie tetigit, pristinę lucis gratiam est adeptus. Dęmoniacus autem quidam, dum sacrū corpus ad Ecclesiam duceremus,

A eidem obuians, est protinus liberatus. Iuxta Ecclesiam in qua gloriosi Hieronymi cadauer sanctissimum est humatum: venerabilis Eusebij corpus honore debito nudum, magistri instar sepeliuimus. In cuius etiam Ecclesiæ cœmiterio, hominū illorum trium, qui eadem sunt hora mortui, fuere corpora tumulata. His ergo dictis, venerabilis Eusebij cuncta sileant, vt prægrandia & ineffabilia locum teneant prodigia eximij beati Hieronymi iam promissa. In amœno & iucundissimo siquidem mirabilium gestorum sanctissimi Hieronymi prato positus, vti sertum faciés, præcipuus & decoros miraculorum flores, ad huius opusculi venustaté, & nostrę, posterorumve saluti vtiles pro posse legam. Quotum omnium quid pridie erga Sabinianum hæresiarcham pestiferum (quem agnoscis) peractum est, primo dicam: Sabinianus nāque hæreticorum fautor, duas in Christo asserens voluntates: &, quod peius est, inter se quandoque discordes, ad cuius tam inopinabilis falsitatis probationé, introducebat illud quod in Euangelio Christus dixit: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste*, eliciens ex hoc rationes grauissimas, & penè B inextricabiles, quòd passionem voluerit vna fugere voluntate, & altera eandem coactè subire oportuerit passioné: & ex his dicebat, quod multa Christus voluit, quæ obtinere non potuit, tantum in nos doloris exercuit, vt magnitudinem explicare nequiuimus. Peruertebat namque idem pestifer anguis & lupus rapax, se vestimento ouium induens, nobis commissum gregem. Et vt sæuitiam diri pectoris efficacius exerceret, opusculum quoddam compilauerat, falsis probans rationibus hoc sic esse. Quod quidem opusculum, vt fidem ei daremus, glorioso Hieronymo, totius veritatis speculo intitulauerat. Cuius falsitatis notitiā comperiens, sciens tibi Hieronymum Epistolā super huius erroris destructione, non multum ante sui obitum edidisse, prædictum hęresiarcham cū suis discipulis, & eiusdem nequitiæ ministris, inuitaui quodam dominico die in Ecclesiam Hierosolymitanam ad disputādum, & suum errorem nequissimum comprobandum.

C Quo namque die vniuersis meis suffraganeis Episcopis, & alijs quam pluribus orthodoxis, necnon & ipso hęresiarcha cum suis nefandis discipulis in prædicta Ecclesia adunatis, disputatio à nona incepta, ad vesperas vsque tēditur. Cum autem idem hæresiarcha contra nos opusculum ab ipso falso compositum, quod glorioso intitulabatur Hieronymo, allegaret: has tantas beati Hieronymi iniurias ferre non valens bonæ memorię Syluanus, sanctæ Nazareth Ecclesiæ archiepiscopus: qui tanta beatum Hieronymum affectione animi & deuotione colebat, vt si quid faceret, diuinum nomen & beati Hieronymi pręmittebat, vnde quasi ab omnibus Hieronymus dicebatur, prædicto hæresiarchæ protinus assurrexit, dirè eum increpans, quod tot & tantas exercuisset nequitias. Dum autem inter eos longa oriretur contentio, & vterque opprobria sibi inuicem pro posse diceret, in fine sic ambo pariter statuerunt, quod si vsque in subsequentis diei horam nonam, beatus Hieronymus huc opus falso compositum euidenter ostenderet, prædictus hęresiarcha capite D puniretur: sin autem, archiepiscopus. Quibus finitis, singuli ad propria remearunt. Per totam autem noctem quisque nostrum orationibus vacabat, vt nobis in opportunitatibus auxilium eueniret à Domino, qui neminem vnquam in se sperantium spreuit. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*: cuius certè sapientiæ nō est numerus. Statuto autē die & hora lętus hæresiarcha in Ecclesiam cum suis nequitię filijs veniēs, huc illucq; discurrens, quęrebat Dei seruū, tanquā leo rugiens paratus eū deuorare, velutí si foret Deus non intelligens, nec suorum seruorū preces exaudiens. Sed tamen cū solidius se fatuus stare crederet, miserabilius cecidit. Stabat aūt omnis fidelium concio in Ecclesia, quilibet sancti Hieronymi clamans nomē. Clauserat siquidē gloriosus Hieron. aures, fingens se dormire, orationes supplicantiū nō intendens, vt mirabilior appareret. At ego totus perfusus lachrymis, stupēs & admirans, cur Hieron. sic abesset, quid deinceps accideret, expectabam. Deniq; cū nil miraculi appareret, sæuire cœpit hęresiarcha canina rabie, vt Syluanus quod promiserat, iam expleret. Ad locū autē quo decollādus erat Syluanus sā- E ctissimus, gaudēs & intrepidus, tanquā ad nuptias veniens lachrymātes Episcopos & omnes alios Catholicos qui ad hęc concurrerant, his confortabat verbis: Exultate mecū charissimi, gaudete & nolite contristari: quoniā non derelinquit Deus sperantes in se. Si non exaudiat, plus meis iam perpetratis meruí peccatis. Post hæc genua flectens, sancte, inquit, Hieronyme adesto mihi si placet: quanquā & hoc maiore sim dignus supplicio: tamē ne falsitas locū teneat, veritati succurre. Quòd si fas non est vt adiuues, propitius mihi esto in hora mortis, vt glorię finis nesciæ nō sim expers. Hęc dicēs, spiculatori collū prębuit, vt feriat, ipsū rogat. Eleuat aūt spiculator ensem, antistis venerandi caput vno ictu cupiēs amputare. Adest subito Hieronym. gloriosus cunctis cernentibus, manu extensa tenens ensem, Syluano imperās vt exurgat. Deinde hæresiarchā increpās, scripturas falso cōpositas innuens, eique minans ab omniū euanuit oculis. Quod huic eiusque si- F milibus vtinam eueniret, confestim vt gloriosus Hieron. disparuit, hæresiarchæ caput terrā petijt à corpore detrūcatum, tanquam si ense spiculatoris manus amputasset ictu vno. Quod tam mirabile cuncti videntes qui aderāt ilico stupefacti, Deo gratias egerunt & Hieronymo glorioso, & ad veritatis tramitem hęresiarchæ discipuli rediere. Ecce quantum venerabilis antistitis fiducia in Domino & beato Hieronymo fuit efficax, qui pro veritate mori minimè formidauit. Exemplar certè factus est venerādus antistes cæteris Christianis. Non enim Christianus ille est, qui pro veritate mori timet. Si enim Christus pro nobis animam posuit, vt nos ab omni redimeret seruitute, & nos pro ipso dum tempus est, animas ponere minimè timeamus: quia nemo nisi legitimè certās, potest coronam gloriæ obtinere. Verū quia de Syluano aliquid dictū nosti, aliud quoddam non minus, vt puto, mirabile erga eum factum narro, cuius tot fuerunt testes, quot Nazareth vrbs & Bethlehem tenent, qui propriis oculis hoc viderūt. Serpens ille antiquus diabolus ob suam de- G iectus superbiam in inferni profundum venerandi antistitis Syluani nimiè inuidens sanctitati, in eum dolis, vt callidior cunctis animantibus grauiter est commotus. Qui vt virum Dei infamem redderet, quatenus qui suæ sanctitatis exemplo releuabantur ad rectæ conuersationis semitas, suo casu deciderent ad peiora. Nocte quadā formam sancti viri sumens, cuidam mulieri nobilissimæ iam in stratu quiescenti apparuit, & se ad eam illicite accedere fingens, consensum sui corporis inquirebat. Ad quod perterrita mulier, viri ignorans speciem, dum se cum homine solam in thalamo cerneret: nec quid faceret sciret, diras cœpit voces emittere illa, ita vt clamoribus assiduis omnes excitarentur dormientes, & non solum de illa domo, sed etiam conuicini. Qui omnes ad prædictæ mulieris thalamum accurrentes, quid hoc esset, interrogauere pauidam mulierem. Interea callidus serpens sub thoro se ponens, cœpit latere: qui autem accurrerant hæc audientes, quis hic homo fuerit, vbique H perquirere incœperunt. Verum illi diu perscrutantes, tandem ad locum venientes, vbi pestifer latebat anguis, aliena specie occultatum hominem inuenerunt. Qui eundem candelis accensis intuentes, Syluanum archiepiscopum crediderunt. Ad quod omnes qui aderant, stupefacti velut amentes effecti: quasi quid agerent, quidve dicerent, ignorabant, scientes eiusdem sanctitatis nomen. Et quia hoc tam detestabile inopinabileque cernebant, eum interrogauerunt, cur tantas nequitias perpetrasset. At ille. Quid, inquit, male feci, si mulier hæc me ad huiusmodi negotium inuitauit? Quod mulier audiens, eum fore mendacem lachrymans, respondit. Tunc ille vt homines illos erga Dei virum ad maius odium incitaret: quatenus illum citius diffamarent, talia cœpit & tam abhorrenda verba fari, quod nullus præ turbatione auribus poterat sustinere. Quocirca eum contumelijs & opprobrijs exacerbantes, coactè extra domicilium expulerunt. Mane autem facto, quæ gesta fuerant enarrantes, Syluanum archiepiscopum hypocritam, & dignum incendio acclamabant. Qua de

requasi

A te quasi tota est Nazareth commota aduersus archiepiscopum, ita vt audiendo eius nomen, quilibet blasphemaret. Mira huius viri patientia, & magnæ sanctitatis indicium. Volat ad innuxitant stitis aures, tanti fama discriminis, os tamen non mouetur ad iniurias. Inter tot aduersa, cor manet immobile, ad nullam se vertens impatiétiam: gratias diuino semper agens nomini, sua hoc confitetur noxa meruisse. Heu quid dicam Augustine? Non solum iniurias & opprobria vt possum, fugio: sed etiam quibusque verbulis frangor, præmia opto: nec de laboribus curo, quãquam sciam ad regna cœlorum non aliter quempiam, nisi laborum & afflictionum tramite peruenire. Quid enim aliud debeo iudicare, cum me à sanctis in moribus & vita discordem inuenio, nisi & discordem in morte & præmio reperiri? Flebilia & grauia mihi adsunt, si sanctorum vitam & meam recordor. Miro quippe auditu sanctorũ gesta reuoluunt homines vti ego: & tamen nil ipsi volũt peragere. Porrò hoc ad meã detegendam insipientiam est quod dicam, plurnes me ab

B eiusdem Syluani ore audisse scio, nũquam tantum se felicem fuisse, quantum cum se ab hominibus despici & conculcari cernebat. Creuit in tantũ eius infamia, quòd eius opinio vsque ad Alexãdriam, Cyprum, & per ciuitates affines penè ore omnium est delata. Atqui limen domus innuxiant stitis, calx alicuius tãgere non audebat. Manés verò in supernis Dominus spectator omniũ suos sinit labi sanctos in tribulationum ærũnas, vt tunc fideles patientia eos reddat: sed eos exigente necessitate in pressuris minimè derelinquit. Reuoluto itaque anno, quo diaboli astutia talia erga Dei hominem perpetrauerat, ciuitatem Nazareth, vt illarum gentium aliqualiter scandalum mitigaret, vir Dei occultè deserens, ad ecclesiam in qua gloriosi Hieronymi humatum quiescit corpus, tanquam ad refugii portum veniés, se in sepulturæ loco posuit oraturus. Quo per duarum horarum spatiũ sic manente, vir quidam nequitiæ spiritu inflammatus, in prædictam ecclesiam intrans, sanctumque reperiens

C super sepulcrum in oratione positum, ad eum velut draco cucurrit, ei improperans quod mulierum mentes, ad libidinosas suas voluptates continuè incitaret. Cui agnus innocens Syluanus, se despici gaudens, humilitate solita, vt ista sæpe ei diceret, blãdis colloquiis inuitabat. Quod pessimus ille latro audiens, gladium ex vagina suo pendentem lateri, impudica trahens dextera, ipsum vt in Syluani antistitis guttur immergeret, eleuauit. Cui cum hoc verbum, Succurre Hieronyme gloriose, venerandus antistes opponeret, in guttur proprium eleuatum gladium immersit, viri illius dextera retrotersa. Et sic (vt decebat) seipsum vir nequissimus interemit, vt in lacum caderet, quem effodit. Admirabile hoc: sed non minus est mirabile id, quod restat: Casu itaque alius superueniens vir nequissimus, hoc quod vltione diuina perpetratum fuerat vt vidit, protinus gladium arripiés, à Dei viro hominem illum existimans interemptum, Syluanum interficere conabatur. Ne nimia verba loquar, id quod primo acciderat, huic euenit. Qui nondum vir iste secundus in terram ceciderat, duo alii viri

D ecclesiam intrauere. Qui id videntes, diuini ignari iudicii, hoc tantum fuisse peractum scelus à Dei homine putauerunt: quorum vnus id præ alio graue ferens, furia vesaniæ vndique inflammatus Latro cœpit quãtum poterat exclamare, vsquequo tua viget malitia? Tu mulieres ad tuas libidinosas cogis voluptates, & homines interficis in occulto: certè tuę hodie nequitiæ finis erit. Et subito pro posse cucurrit, vt eum extingueret vibrato & denudato ense. At vbi Syluanus more solito: Succurre gloriose Hieronyme, exclamauit, vir ille vt duo primi se mano & ense proprio interfecit. Vir autem alius qui cũ ipso venerat, hoc intuens: tremebũdus ob visionem, ad ecclesię fores cucurrit. Qui idquidem maleficiis factum putás, quantum poterat, exclamare cœpit. Huc omnes accurrite, ecce maleficus Syluanus archiepiscopus, non solum mulieres vituperat, sed suis etiam incãtationibus necat homines toto pro posse. Fit his auditis nimios virorum & mulierum cõcursus, verberãt aera voces, conbustione dignum Syluanum archiepiscopum nequissimum acclamãtes. Hæc ad meas sonant aures, tristis ego

E & lacrymans, ad tantum pergo monstrum. Stabat agnus inter lupos atrocissimos sæuientes vt canes famelici, rabie non minima, mitissimus & lætus tanquam fungens prosperis: nil dicens aliud, nisi hoc iustè patior, quia in Deum meum peccaui grauiter. Verberatur vir innocés, capitur ab omnibus, vt ad supplicia tãto lætior, quanto pœna grauior, deducatur. At dum ego manu silentium populo, eius optãs furorem nimium mitigare insinuo, eo amplius iracundia & furore populus inflammatur. Cumq; iam captus Syluanus extra ecclesiam duceretur, subitò gloriosus Hieronymus, vt visum est, de loco in quo iacebat surgés: tanto circumfusus lumine: quod radiis in eum intuentium oculi vibrarentur, cunctis apparuit, suo deuotissimo antistiti auxilia donaturus, qui sua dextera Syluani venerandi capiés dexteram, his qui eũdem captum retinebãt antistitem, voce terribili, vt eundem dimitterent imperauit. Tantæ siquidem fuit virtu-

F tis hæc visio, vt antequam finiretur vox talis: omnes repente tantus timor inuasit, quòd omni vigore corporis destituti, in terram velut mortui cecidere. Inter hæc mulier quædam à nefando spiritu obumbrata, catenis vincta, compedibus, manicisque ferreis alligata: pluriũ hominum manibus liberationis obtinendę causa ad ecclesiam deportatur. At vbi mulieris pes tangit limen: vlulat⁹ & voces terribiles, Miserere mei gloriose Hieronyme, nam per te crucior ante tépos, diabolus emittere non cessabat. Cui Hieronymus gloriosus. Nefande, inquit, spiritus ab hac exi famula Dei, & tuas detege quas erga Syluanum egisti fallacias: in Syluani forma omnibus te demonstrans. Tunc diabolus vt gloriosus Hieronymus iusserat in Syluani forma, ita vt ab omnibus Syluan⁹ archiepiscopus putaretur, apparuit: & rem quã fecerat, vt infamem redderet Dei famulum, enarrauit. His dictis diris clamoribus & vlulatibus, nefandus spiritus de templo disparuit. Quod vbi tam mirabile negotiũ est pera-

G ctum: gloriosus Hieronymus antistitis sui dexteram nõ relinquens, quid optas, inquit voce leni, Syluane charissime tibi placitum me facturũ? At ille: Mi Domine, vt me hic amplius non relinquas. Ad quem gloriosus Hieronymus correspondit. Quod postulas, ita fiat. Post me velociter ergo veni. Hæc dicens, cunctorum visui se negauit. Interuallo autem horæ vnius facto, Syluanus archiepiscopus expirauit. Fit ob hoc cunctis stupor & admiratio inaudita. Vndiq; mulierum & virorum, necnon & puerorum confluit multitudo. Lacrymarum terra effusione madet: voces, lamentationes, vlulatus, gemitus, & suspiria in Rama sonant: quilibet se reum, eo quòd in Syluanũ commisisset, veniam petens clamabat. Per totam autem sequentem noctem, gentium multitudo ab ecclesia non recedit. Itaque mane facto, clero ad antistitis funus præparato: corpus eiusdem ad Nazareth ecclesiam honore congruo deportatur, tam istius ciuitatis quam illius scilicet Bethlehem populi multitudine comitatum. In qua quidem ecclesia Nazareth, corpus illud

H venerãdum humauimus vt decebat. Longa certè adhoc verba, ac etiam admiranda miracula Syluani venerandi præsulis merita plenè promerent: sed quia dicendorum prægrãdis area, eiusdem venerandi præsulis actus finiã: quædam alia non minus grãdia, breui verborum schemate narraturus. Narrãdum puto quoddam satis mirabile, quod partim relatione veridicorum testium didici, partim oculorum visu. Duo viri nobilissimi, & reb⁹ trãsitoriis locupletes, licet catholicæ fidei veritatis inscii tamé vt in gẽtili ritu geniti satis boni, gloriosi Hieronymi mirabilia audientes, ex ciuitate Alexandrina, multis adunatis opibus, deuotione eiusdem feruidi, cœperunt iter, vt eiusdem gloriosi Hieronymi reliquias visitarent. Cumque iam incepto itinere quoddam à tramite deuii introissent nemus, vbi nulla hominum aut equorum vestigia videbantur: beati Hieronymi inuocantes nomen, eiusdem se custodiæ tradiderunt. In eodem siquidem nemore, quidam latronum habés sub se plures quingéntis latronib⁹, habitabat princeps, hos & illos ad aliquod præde-

A prædestinans iter, vt transeuntes interficerent, & ad eũdem & cæteros spolia reportarẽt. Is itaque princeps hos transeuntes intuens, tribus conuocatis latronibus, vt ad eos interficiendum accederent, imperauit. Qui sui principis iussa implere cupientes: assumptis armis illorsum qua gradiebantur Alexandrini concito cursu tendunt. Magna siquidem gloriosi Hieronymi merita: magna & prodigia, fortè vt puto, à sanctis modicis nõ talia vnquã visa. Accelerant latrones vt transeuntes mactẽt: sed dum prope fiunt, quos prius solum duos cernebãt, paulominus innumerabiles esse vident. Inter quos vir præibat tãto lumine circumfusus, vt intuẽdi in eum aliqualiter fas non esset. Apprehẽdit timor, stupor & admiratio hos latrones: quid aliud possint facere nesciũt, nisi ad latrones alios remeare. At vbi iam forent à longe redeũtes retrouersi, solum duos, vt prius, homines reuiderũt. Mirãtur nimis latrones, & se illusos arbitrãtes, cœperunt ad trãseuntes homines retrogredi. At vbi appropinquarũt, vti
B prius viderant nunc viderũt. Magis ac magis stupefacti latrones, cernentes in vacuum se redisse, terga verterũt, & velociter ad suum, quid hi fecissent, expectantẽ principem deuenerunt. Increpat eos princeps quid tamdiu peregissent. Sed cum rem gestam audisset, eos insipiẽtes & fatuos existimans, duodecim aliis latronibus cõuocatis, cum eisdẽ versus homines trãseuntes meat. Rursum à longe duos cernunt, sed propinqui, vti primi viderant, sic & isti. Eorũdem protinus tremũt bases, trepidat cor, fiunt velut amentes, omni vigore animi destituti. Tandẽ in se redeuntes, eos latenter sequuntur, cupientes quid deinceps accidat edoceri. Trepidant verò huius nescii transeuntes hos videntes homines, & inter se qui hi sint auidè percunctãtur. Denique iam occasu solis inclinata die: cum quid in nocte faciant nesciant, illos duodecim latrones, viatores existimantes, ad eosdem cõsulendum statuunt declinare. At vbi ad latrones veniendi iter carpunt, eosdem ipsi latrones solum duos cernunt. Quo vigorem latrones adepti, transeuntibus & ipsi protinus obuiauerunt. Qui omnes inuicẽ iuncti, se simul salutarunt.
C Interim interrogant latrones qui sint, vnde veniant, & quò pergant. At illi inquiunt, Sumus de Alexãdria, inde veniẽtes Bethleem petimus: vt gloriosi Hieronymi reliquias visitemus. Ad hæc latronũ princeps. Qui, inquit, fuerunt viri, qui hucusque vobiscum tantummodo veniebant? Mirantur hos talia fari viatores: & se postquam nemus intrauerunt, neminem nisi ipsos & tres alios vidisse vel audisse dicunt. Quę gesta fuerãt tunc latronum narrat princeps: illos obsecrãs, vt ipsis ob quam causam hoc acciderit, si noscant, debeant indicare. Quibus illi, non ob aliam causam, nisi quia gloriosi Hieronymi custodiæ se dederũt, hoc euenisse se nescire dicunt. Ad hoc latrones spiritu sancto, qui vbi vult spirat, subito inspirãte, omni quam prius habebãt ferocitate deposita, in terram eorum pedibus prouoluti: pro excogitatis flagitiis veniam postulantes, illos ad latrones alios perduxerunt. Hora prima noctis ad latrones expectantes deueniunt, post hoc quid acciderat declarant: eosdem suppliciter exorãtes, vt his flagitiis solitis iam expulsis, ad gloriosũ
D visitandum corpus Hieronymi secum irẽt. Fit his verbis cæteris latronibus irrisio. Promittũt siquidem suo principi: & illis aliis necem durissimam, si audeãt amplius ista fari. Non cessantibus illis priora iterum loqui verba: latronum quamplurimi canis rabie furibũdi, mox in eos insurgunt ensibus denudatis. Potuerũt nempe romphæas eleuare: sed ipsis gloriosi Hieronymi auxilia postulãtibus, enses deponere nullatenus valuerũt: donec illi qui fuerant occidendi à Hieronymo postularũt. O ineffabilis clemẽtia Saluatoris, quot modis quos vult facit ad agnitionem sui nominis deuenire! Repente hæc tam insueta omnis illa latronum videns concio: altis Deo & glorioso Hieronymo vocibus debitas agũt laudes, eiusdem se vouẽtes reliquias visitare. Facto igitur mane, plures trecentis hominibus qui tunc temporis ibi erant talia perpetrantes, cum eisdem Alexandrinis ex illo exeũtes nemore, ad gloriosi Hieronymi tumulum deuenerunt, cunctis tam insueta prodigia enarrãtes. Baptizãtur
itaque gentiles Alexandrini, & cunctis mundi vanitatibus conculcatis, religiosam in quodam cœnobio vitam E
ducunt. Latrones autem illi, similiter ad lucem veritatis, sanctæque & laudabilis vitæ, diuina gratia, & gloriosi Hieronymi meritis peruenerunt: sicuti Cõstantinopolitanis literis hac de re mihi specialiter directis, trãsacto non longo dierum spacio intellexi. Simile penè miraculum illi quod supra fatus sum, duobus accidit Romanis iuuenibus à Romana vrbe Bethleem venientibus, pro gloriosi Hieronymi visitando corpore. Quod tractabo sicuti breuius potero. Cum igitur duo illi iuuenes cuidam appropinquarent ruri, à Constantinopoli per duodecim fortè distante milliariorum spacium, antequam rus à duobus milliaribus introirent, eadem ferè hora duos [illegible] homines interimi. Quorum mortis rumore prædicto resonante ruri, loci eiusdem viri congregati circumquaque: quis horũ fuerit interfector, cœperunt inquirere vehementer. Cumque diligenter perquirerent vsquequaque: adesse cernunt neminẽ nisi prædi- F
ctos iuuenes, qui iam propè venerant reperiẽtes, eosdẽ protinus tenuerunt, ab eisdem credentes fortè homines interfectos. Mirãtur itaque huius ignari iuuenes: & horum se nihil scire, totis nisibus cõiurabant. At illi eorum pro nihilo computãtes verba, captos eosdem ad rus conantur ducere festinanter. Post hoc de rure quia ad eosdem viros iustitia non spectabat: cum accusationibus ad Constantinopolitanum Dominum capti iuuenes destinantur. Quin (ne nimis longus fiam verbis) quod non fecerant, tormentorum rigore iuuenibus iam confessis: adiicitur more solito sententia decollandi. Heu quale cor audiendo tot lamenta innocentium: quos & iuuentutis & pulchritudinis maxima venustas, & ortus nobilissimus decorabãt, posset se à lacrymis continere? Flentes itaque iuuenes grauibus lacrymis, pallidas facies irrigantes, vlulatus, gemitusque & suspiria promere nõ cessãtes: Gloriose, dicebãt, Hieronyme, hoc tale ne est præmium quod obsequentibus tibi præstas? Est tale quod
labore tui meruimus itineris? Heu Romana vrbs nostri G
prę̨scia ortus, non sic te credebamus nesciam nostri finis. Ad locum itaque tanti supplicii, ibidem gentium multitudine maxima expectante innoxii iuuenes conducuntur. O ineffabilis misericordia Dei nostri: qua cœlum redundat & terra, nec vlli ad se currenti obliuiscitur misereri. Flexis in loco quo plectendi erant genubus, in cœlũ vterque iuuenis manibus eleuatis. Gloriose, magna voce inquiũt, Hieronyme, nostræ salutis & auxilii portus, nostræque spei anchora saluberrima & vitalis: hac inclina hora nostris indignis supplicationibus pias aures tuas, vt si hoc quo punimur scelus nõ gessimus, tuas liberationis opes pietate solita sentiamus. Quod si fecimus, exigente iustitia cõdemnemur. Hæc vbi dixerunt, colla extendunt carnificibus ferienda: nil dicentes aliud quam succurre succurre Hieronyme gloriose. Quid mirum si tot lacrymis cunctorũ ad se currentium misericors opifex Hieronymus, se à miserendo nõ potuit abstinere, cũ circunstantium omnium & carnificum etiam corda ad compassionem mouerentur? Eleuatis siquidem ensibus, iuuenum carnifices colla feriunt: ac colla percussionum
signa vti porphyretici lapides forent, receperũt. Mirãtur H
carnifices, credentes se ictus fefellisse: denuo eleuãt, vt plus possunt, enses, feriũt: sed tunc vt prius insensibilia iuuenum colla manent. At iterum & iterum feriunt: sed enses, vt essent paleæ, iuuenes nũquam lædunt. Oritur ex hoc inter astantes admiratio, & stupor vehemẽtissimus omnes capit. Hinc inde gentium ad tam insuetã visionẽ confluit multitudo. Audit hoc & ipse sententiæ lator, & currit. Iubet iterũ carnificibus, vt se vidente denuo feriãt, & tamen omnimode illæsa iuuenum colla manent. Stupens magis ac magis iudex, tantique ignarus miraculi: nil scit aliud cur hæc fiãt quam veneficia cogitare. Præcepit itaque ministris, omni mora postposita, nudos tradi arsuros iuuenes rogi flammis. Circa illos mox copiosus ignis accẽditur: infunditur lignis oleum & pix, vt vita eorum citius destruatur. Quid mirandũ si compos protegendi ab ensibus gloriosus Hieronymus, à flammis etiam suos

sein-

A ſe inuocãtes ſedulis vocib. iuuenes potuit liberare? Surſum ignium flammæ in immenſum ſcandũt. At iuuenes ſub alis conſiſtentes Hieronymi glorioſi, ſalubriter permanẽt, velut in amœno ſi quieſcerẽt viridario & iocũdo. Poſt hæc iudex vtrum hoc ſit aſcribendũ miraculis an veneficiis, certius cupiens experiri, vt ſi hi dieb. octo ſuſpenſi viuerent, quo vellent abirẽt ſoluti & liberi cẽſuit. Suſpenſis itaq; illis, mox Hieronymi glorioſi pręſẽtia minimè defuit: qui plantas manib. tenẽs pedum, illæſos & viuaces ſtatutis dieb. mirabiliter obſeruauit. Cucurrunt igitur octauo die totius ciuitatis & circũadiacentium villarum viri, currit & iudex: cernunt clarè glorioſũ miraculum: patefacientibus quæ viderunt, qui ad cuſtodiẽdos iuuenes fuerant deputati. Mirãtur omnes: in vocib. excelſis laudes peragũt creatori & Hieronymo glorioſo. Mox de equuleo innoxij iuuenes deponuntur, & maximis honorum obſequijs ab omni populo venerãtur. Verum qui in vrbem Conſtatinopolitanã capti, &

B dolore vehementiſſimo intrauerant, liberi honorificè & cum gaudio ineffabili exierũt. Et tandẽ annuente Deo, à multis Conſtãtinopolitani populi comitati, Bethlehẽ attingẽtes, veneratione debita glorioſi Hieronymi reliquias viſitauerunt. Statimq; depoſita ſæcularium omni cura, cœnobium in quo vixit glorioſus Hieron. intrauerunt: & vacantes die noctuq; pœnitentiæ & orationib. celebri vita ſanctitatis perſpicuæ in prædicto cœnobio adhuc manent. Magnæ admirationis gaudij deuotioniſque cauſa præcedẽs iuuenum miraculũ extitit, ſed multæ formidinis extat ſequens in ſacris omnibus maximè cõſtitutis. Apud ſuperiorẽ Thebaidẽ quoddam dominarũ fuiſſe ante duos annos dicitur eximiũ & diues monaſterium, omni pulchritudine ac excellentia decoratũ, in quo penè ducẽtæ dominæ vita honeſtæ religionis recluſione continua, decoriſq; moribus permanebant. Ad hæc, quib. inſunt figant aures, ne quod vna hauſerit auricula, fundat altera. Nauis quantumcunq; ſana ſit & in-

C tegra, modicum, imo nihil ꝓdeſt, ſi alta volẽs ſecare maria, paruum quod fundo ineſt foramen relinquat, vt dira naufragia non admittat. Cor hæc ſim fatus, præſentis narrationis hiſtoria reſerabit. Multis itaq; pollẽs prædictum monaſterium virtutibus, vnum peſſimũ quo ruit ſimoniæ viriũ retinebat. Nam inſtigante diabolo in eiſdem dominab. hæc obſeruabatur abuſio, vt ſi quam vellent in monialem recipere, non tantum intuitu charitatis & miſericordiæ recipiendæq; monialis bonitate, quãrum recipiebãt reſpectu pecuniæ. Nulla enim monaſterium intrare manſura poterat, niſi certa pecuniæ quãtitas ſecum iret. In hoc ſiquidem erat monaſterio ſanctimonialis quædam domina, ætate grandæua: quæ ab infantia ſua ieiuniis & orationibus omni terreno reſoluta cœno, Deo vixerat, quæ vitium illud quam plurimum abhorrebat. Cui nocte quadã, vt erat ſolita in oratione poſitæ, glorioſus Hieronymus apparens, locum illũ immenſo illuſtrãs lumine, eidem præcepit, vt ad abbatiſſã,

D cæteraſq; illius cœnobii moniales mane pergeret: nũtians quod niſi à peccato iam inueterato manum extraherent, vltionem diuinã ſubito expectarent. His dictis diſparuit. Perterrita viſione inſueta ſanctimonialis domina: quis hic fuerit, iubens talia nuntiari in ſeipſa auidè pertractans, totã illã noctem peregit inſomnẽ. Crepuſculo diei adueniente, oẽs in capitulo moniales pulſato tintinnabulo congregauit. Quib. admirantibus, ad quæ forent tãta feſtinatione in capitulo cõuocatæ, ſanctimonialis domina ex earũ aſſurgẽs medio, quę viderat & audierat, omnib. patefecit. Fit ilico ex hoc monialibus cũctis irriſio: hanc exclamant fatuam, multiſq; garriunt deriſionibus, hanc fortè illa nimia ebrietate ſomniaſſe. Illa vero accepta contumelia, patientiæ ſe ſcuto muniens, de earum ſiquidem pertinacia nimium dolẽs, ſed de ſua deſpectione gaudens, ad ſolitas rediit orationes, ſupplicans continuo, ne ſuis monialibus quod audierat eueniret. Tranſactis igitur dieb. decem: nocte media prædictę ſanctimoniali dominæ, hac de re deuotis orationib. incumbenti, glorioſus iterum apparuit Hieronymus: eidẽ, vt quæ prius nuntiauerat monialibus denuo intrepidè

E nuntiaret, allocutione mandauit benigna. Ad quem illa. Quis, inquit, es domine talia mihi mandans? Hieronymus, inquit, ſum: & ab eiuſdem euanuit oculis. Illa vero ſciens earum duritiẽ: quid ageret quidve diceret neſciebat. Tamen malens à monialibus inſana & ebria reputari, quam diuinis contraire pręceptis, congregatis iterũ monialibus, quæ viderat, & audierat, voluit intimare. Aſt, vt eam aſſurgere moniales peſtiferæ conſpexerunt, diuini neſciæ iudicij ſibi de proximo futuri, antequam verba inciperet, è capitulo cum magnis cachinnationibus exierunt. Quin trãſactis inſuper diebus tribus dormienti prædictæ ſanctimoniali dominæ, glorioſus Hieronymus ineffabili quadam ſocietate vallatus angelorũ, nocte apparẽs media, eam excitauit, eiq; iuſſit protinus, vt de illo exiret monaſterio: nec ſubito futuram ſententiã expectaret. Cum illa vero multis lacrymis ſupplicaret ne hoc fieret: glorioſus inquit Hieronymus ad abbatiſſam & cæteras pergito omni mora poſtpoſita, eiſdem

F nuntians, quod niſi pœniteant, hac nocte diuinã ſentiẽt vltionem. Si autem in ſua permanebunt duritia, ſtatim exiens, amplius in monaſterio ne moreris. His finitis abſceſſit. Hæc igitur audiens ſanctimonialis, anxia, plenaque triſtitiæ: capitulum adiit, & campanam cœpit vehementer vt ad capitulum accederent moniales reſonare. Quo abbatiſſa de ſomno euigilans, cognoſcenſq; ab hac fuiſſe campanam pulſatam, cum iracundia ad capitulum properauit. At vbi illam vidit, diris eam minis increpãs, nullum voluit audire verbum, promittens quod niſi ceſſaret hoc agere, ſecum amplius in monaſterio nõ maneret. Cui ſanctimonialis domina, ne tardes quæſo agere quæ promittis. Profecto me noſcas hoc in loco amplius non manſuram: glorioſus equidem Hieronymus apparens mihi tantummodo hoc ſtatim monaſterio futurum iudicium patefecit. Hæc audiens abbatiſſa, deridere cœpit, hanc æſtimans veſano capite iſta fari. Et oſtiariam conuocans, iuſſit vt hanc de monaſterio protinus effugaret, mandans eidem, vt aliqua hora ſic extra dimiſſam,

G poſtmodum faceret introire, vt ſic ab inceptis operibus iam ceſſaret. Hac de re læta ſanctimonialis domina, quam citius potuit è monaſterio eſt egreſſa, lacrymis transfuſa, doloribuſq; repleta, pro his quæ monaſterio nouerat euenire. Terribilis ſiquidẽ Deus, fortis atq; potens, & quis reſiſtet ei? Heu cur homines eum non formidant, ſcientes ſe nullatenus poſſe ab eius effugere manibus, vt eius eos magnum & inenarrabile iudiciũ non comprehendat: ſaltem his miſeri terreantur exemplis. Audiant qui in ſuis confidunt diuitiis, quiq; in iram cõcitant excelſum dominum, ſuæ auaritiæ ſiccitate, quale huic monaſterio à Deo propter pecunias faciem auertenti, de cœlo eſt iudicium iaculatum. Penè limen oſtij ſanctimonialis domina exceſſerat, & ſubito totum corruit monaſterium, omnes opprimens moniales, ita vt ex eis viua aliqua non remanſit. Sanctimonialis vero illa in quodam venerabili dominarum monaſterio, quod eſt apud inferiorem Thebaidem hactenus ſanctitate

H præcipua viua manet. Dignum cẽſui præmiſſis miraculis aliqua alia diuini contra peccantes manifeſti iudicij declaratiua iungere, vt ſi fortè præ indiciorum multitudine, peccatorum corda tenacia & pluſquam lapidea in carnea verterentur, quatenus cũ ſe ob peccata cernerent fieri beluas, ratione & cognitione ſui conarentur vt fierent homines adipiſci. Abiecta etenim ratione, qua ſunt homines infra bruta animalia redigũtur. Græcorum quidam hæreticus, die quadam cum ſacerdote quodam in Hieroſolymitana Eccleſia publicè diſputabat. Cumque ſacerdos ob ſuę partis defenſionem auctoritatem quandã glorioſi Hieronymi allegaret, vt Græci deſtrueret rationes, temerario peſtifer Græcus ore, glorioſum fuiſſe Hieronymũ, totius veritatis lumẽ, mentitũ, non erubuit voce fari. At quia voce talem nequitiam perpetrauerat, vocem deinceps vllatenus non formauit. Quidam inſuper alius hæreticus peſtifer Arianorum, in quadã diſputatione cuidam glorioſi Hieronymi auctoritatem cõtra eum inducenti: vt mentitur, ſua temeritate reſpõdit. Subito fuit diuina vltione percuſſus. Nam nondum ver-

A bum voce finiens, clamare per totum diem sine aliqua
cessatione non desiit. Miserere mei Hieronyme glorio-
se: quia à te pœnis durissimis torqueor. Et hoc per totum
illum diem quantis poterat vocibus clamans: hora com-
pletorij miserabiliter cunctis qui ad hæc concurrerant
cernentibus expirauit. Hæreticus quidam alius pestiferæ
hæresis Arianæ, cui ante meum obitum, finem pius im-
ponat dominus, in Ecclesia Sion gloriosi Hieronymi i-
maginem cernens. Vtinam, inquit, sic te cum viuebas
meis manib. tenuissem: quia te meo gladio iugulassem.
Hæc vt ita dixit, gladium euaginans, tota vi ipsum in i-
maginis illius guttur infixit. Quã magnus iste Hierony-
mus tot faciens mirabilia, cui secundum sua opera simi-
lis non apparet, potuit equidem imbecillis in imaginis
gutture gladium figere dextera, sed de imagine gladium,
& à gladio manum, quousq; res innotuit, extrahere nul-
latenus fuit compos. Mox quoque ex percussionis loco,
tãquam ex hominis corpore viui, sanguinis vnda fluxit,
quæ vsque modo pro miraculo declarando fluere nun-
B quam cessat. Eadem insuper hora, qua res sic acta est, iu-
dici in atrio existenti, idem gloriosus Hieronymus cum
gladio gutturi infixo apparens, pro offensione huiusmo-
di vindictam fieri postulauit, narrans equidem sibi fa-
ctum. Et hæc dicens abiit. Stupefactus itaq; iudex cum
cæteris qui astabant ad Ecclesiam properans, hæreticum
manu gladium, imaginis gutturi infixum tenentem re-
perit. Qui protinus vt hi viderunt manum fuit compos
à gladio remouendi. Captus itaq; hæreticus in sua per-
manens duritia, nil aliud se non dolere, nisi quod viuum
non teneret Hieronymum garriens, à populi multitudi-
ne lapidibus, lignis, ensibus & lanceis iugulatur. Nepos
meus Ioannes, quem agnoscis, omni fulgens pulchritu-
dine, quem mihi in locum filij adoptaui, vt puto tibi pri-
die quid ei euenerit enarraui. Sed tamen vt præstantius
memoriæ commendetur, silentio non transibo. Captus
C itaq; idem Ioannes ante duos annos à Persis, & Persarũ
regis ministris venditus, propter eminentem suam pul-
chritudinẽ ad regis exercenda obsequia deputatur. Cũ-
que per annum in curia regis, non paruo dolore & tędio
permansisset, eodem reuolutionis anni die prãdenti re-
gi seruiens, præ tristitia se à lacrymis nõ potuit contine-
re. Hoc rex intuens, lacrymarum ab eo auidè quęrit cau-
sam. Qua comperta, in quodam eum castro à quibusdã
præcepit militibus custodiri. Sequenti namq; nocte, eo-
dem in castro existẽte, diris lacrymis vndiq; madefacto,
in somnis eidẽ gloriosus Hieronymus veniens, manum-
que eius (vt sibi videbatur) capiens, ad ciuitatem Hieru-
salem secum duxit. Expergefactus mane, putans se in ca-
stro à militibus retineri: in domo qua maneo se inuenit.
Qui admiratione velut amẽs factus, vtrum in castro vel
in domicilio meo staret, nullatenus discernebat. In se po-
stremo rediens, emissa voce, dormientem familiam ex-
citauit. Currunt igitur ad me famuli, adesse Ioannem in-
effabili gaudio nũtiantes. Quare dubius accurrens, quẽ
D à Persis vinctum putabam, præsentem cerno. Quo qui-
dem quid ei acciderit enarrante, Deo & glorioso Hiero-
nymo laudes maximę persoluũtur. Sanctimonialis quæ-
dam domina, omnium penè pulcherrima fœminarum,
ætate iuuẽcula, sed animi sapiẽtia valde cana, beati Hie-
ronymi deuotissima, in quodam cœnobio dominarum
multa sanctitate, vt opinor, adhuc viuit, cui quod audi-
es dicitur contigisse. Sit mulier hæc aliis in exemplum,
quę huc illucq; per plateas & vicos discurrere nõ cessãt,
sua stultorum hominum illaqueantes animas visione.
Nullo tot diabolus animas reti capit, quot laqueo pessi-
mo mulierum. Sanctimonialis hæc (vt omniũ domina-
rum testimonio comprobatur) nunquam nisi eam maxi-
ma compellat necessitas, extra suam cellam, gradum fi-
git. Neq; n. aliud agit opus, quin aut orationibus vacat,
aut lectionibus & meditationibus implicatur, aut corp⁹
reficit dormiendo; aut aliqua exercet manibus opera,
semper tamen dominicam scripturam ruminando. His
ditus serpens antiquus diabolus operibus inuidens, vt
eam à sancto proposito reuocaret, cuiusdam nobilissimi
iuuenis animum in eiusdem sanctimonialis in tãtam in-
citauit concupiscentiam: quod nil poterat die noctuque E
aliud, nisi quomodo posset eam attingere, cogitare. Cir-
ca monasteriũ veri luminis obcęcatus continuè pergẽs,
nullum remedium aliud reperire quibat. Tanta namq;
inscitiæ nube caliganis extitit, vt multotiens se suis per-
niciosis turbatum affectibus cernens, voluerit se aquis
tradere suffocãdum. Stulti amoris stultum iuuenem ca-
tena de die in diem stringit. Vt hæc ad sanctimonialis
aures resonent, ob suam non audet pudicitiam. Qua de
re omni ad hoc auxilio destitutus, quendam inueniens
magum, veneficia dæmonum & incantationes nefan-
dis artibus exercentem adiit, & magnam promittit (si q̃
optat expertus fuerit) pecuniæ quantitatem. Tunc vene-
ficiorum magus, suis carminibus conuocatum dæmonẽ
decipiendi causa, nocte media festine ad sanctam desti-
nat monialem. Ad cellulã itaq; accedens dæmon, transi-
re vltra cellulæ Hieronymi imaginis in cella pictę timo-
re nimio nequit limen. Mira res Augustine (vt multipli-
cibus patet exemplis) tantus gloriosi Hieronymi timor F
diabolo inest, vt etiam suæ picturę non audeat apparere.
Nam si cui obsesso corpori pretiosa demũstretur imago,
ab eodem continuo diabolus effugatur. Igitur commis-
sum explendi opus nequam spiritus desperans, ad mit-
tentem reuertitur, sibiq; negari ad monialem introitum
pandit, ob gloriosi Hieronymi imaginem in cella pictã,
quem deridens magus dimisit. Moxq; conuocatum aliũ
dæmonem, quam pòt mittit citius ad huiusmodi opera
finienda, fitq; secundo id quod primo. At secundus per
horam fortè manens, coactus excelsas cœpit voces emit-
tere. Si me Hieronyme hinc sinis recedere, huc vlterius
non reuertar. Ad hæc stupefacta mulier, quæ orationib.
in cellula inhærebat, quis istas fundat voces, nimio pa-
uore percunctatur. Nõ cessante diabolo sic clamare, ex-
citatæ illius cœnobij moniales, timore perculsæ grandi:
tremulę ad illam accurrunt cellam cruce domini præeũ-
te. At vbi illum nequam spiritum sciunt, eundem coniu-
rant vt debeat qua de causa venerit, intimare. Narrans e- G
quidem diabolus rei seriem, seq; gemitibus & vlulatib.
pandens catenis igneis vinctum à Hieronymo retineri,
rogat eas, vt suis mereatur precibus abeundi gratiam in-
uenire. At vbi moniales hęc audiũt, Deo & glorioso Hi-
eronymo laudes reddunt, suppliciter postulantes, vt dæ-
monium hunc nullatenus reuersurum de eodem cœno-
bio effugaret. Via oi ationu n ve.bis fiatus, diabolus ma-
gnis illis motibus ex eodem loco recedens, magum adiit:
eumq; capiens, tantis verberibus & cruciatibus flagella-
uit, vt per multa horarum spatia aliquod vitale signum
nihilominus appareret, diris clamans vocibus. Mei cru-
ciatus causa fuisti ad illam me destinans monialem. Cer-
tè in te eisdem verberibus vindicabor. Inter hæc autem
verbera tam horrẽda, magus cum se penè perniciei pro-
pinquum cerneret, suis videns artes nullum sibi auxiliũ
adhibere, ad totius refugij portum Hieronymũ glorio-
sum iam naufragus se dirigens. Gloriose, inquit, Hiero-
nyme, huic ad tuam clementiam subueni misero accu- H
renti, et solita misericordiæ dona prægrandia non dene-
gans. Promitto nãq; si tuis hac hora adiutus auxilijs per-
nicici tãp horribili non succumbam, quod deinceps cũ-
ctis eius fallacijs à tuis obsequiis non recedam. His fi-
nitis, velut fumus ab eodem nequã spiritus euanuit. Per
annum autem idem iacuit verberibus magus in tantum
sui corporis impos, quod non nisi alieno auxilio potuit
se mouere. Mox idem accepta pœnitentia magus ante-
quam de lecto surgeret, cunctis cõbustis codicibus, qui-
bus artes illas nequissimas exercebat, venditisq; omnib.
quæ habebat, & pauperibus erogatis, completo anno se
ob pœnitentiam peragendam in quadam spelunca clau-
dens in eremo, in qua per quadriennium gloriosus stetit
Hieronymus, multa sanctitate & vitæ & pœnitentię aspe-
ritate pollet. Huc quæso iuuenes oẽs currant, & insani
iuuenis exemplo discant, ne quod illi contigit, sibi post-
modum doleant contigisse. Insanus itaq; iuuenis tantis
circumligatus luxurię laqueis, videns se omnimode suæ
miserrimæ voluptatis desiderio nefandissimo defrauda-
ri, quadam nocte laqueo se suspendit. Et sic se infelix tẽ-
porali

A poreali vita potius & perpetua priuauit. Ecce quot malorum causam turpissimũ luxuriæ vitium esse liquet. Nil tã ruinæ animæ pariter & corporis prõptum, quantũ illud nequissimum arbitror scelus. Ex ipso namq; homicidia, ebrietates, contentiones, & penè vniuersa oriuntur mala, vt veteris & noui testamenti infinitis patet exemplis, nec non & continuis manifestisq; experiẽtijs declaratur. Ad hoc aũt vt maioribus iuuenibus detur astutia se tuendi: nam status vllus periculosior non est insipientis iuuentutis statu, aliud censui exemplum mei nepotis Ruffi, ætate fortè annorũ decẽ & octo, quamquam dolore nimio subrogare. Non est ambiguum ista quę incipio enarrare magnis tribulationibus meę memorię reuocari: sed tamen vt præmissum est, vt omnibus & maximè iuuenibus proueniat in exemplum, silentio illa nequeo præterire. Nepos quidam meus Ruffus nomine, vtroque priuatus parente, anniculus ad meas deuenit manus, qui vtinam ex matris visceribus nõ exisset, ne illi quod sustinet, cõtigisset. Quẽ tãta diligentia suo infortunio enutriui, vt à pluribus à me B genitus putaretur. Crescẽs itaque in diem puer infelix ætate, sed nõ sapientia: ingenti pulchritudine corporis, sed non animæ, decorisque & probis morib. honestate, bonitate & multæ sapientiæ elegantia, quanquam vanè decoratus, à cunctis dilectione superflua colebatur. Is namque in decimooctauo ætatis suæ anno, imbecillis & miserrimus, expirauit. Propter quem tantus ab omnibus sonuit luctus, vt vix post mensem finem potuerit inuenire. Sed certè luctus pro eo quod euenerat, non sufficit. Ast ego eius nimiæ incumbens dilectioni, pluries gloriosum rogaui Hieronymum, vt mihi quid nepoti meo acciderat, reuelaret. Igitur meis annuens gloriosus Hieronymus precibus, obtinui quod gliscebam. Oranti enim mihi die quodam hora nona, tantus euenit fœtor, quod nullatenus naribus poteram tolerare. Hæc dum mecum tacitus reputans, vnde hic tantus adesset fœtor admirarer, supra C meum verticem eleuatis oculis, infelicem nepotem meum vidi terribilis visionis, ita quod in eum visum imprimere non audebam. Nam catenis igneis circumligatus fornacis instar flammas fœdissimas erumpebat. Ad hanc itaque visionem subito me tam vehemens timor arripuit, vt dum pluries loqui vellem, formandi vocem nullatenus compos eram. Postremo aliquantulum in me rediẽs: si meus esset nepos, voce cœpi perquirere tremebunda. Ad hæc ille vlulatibus & suspirijs: Vtinam, inquit, non fuissem, nec tam ditis essem cruciatibus deputatus. Nam scias me in tartareis mansionibus perpetuis temporibus permansurum. Heu quid dicam? his dictis, tantus mihi dolor affuit, vt sim pluries admiratus, quomodo è vita protinus non discessi. Longis autem expletis colloquijs, ab eodem sciscitatus fui, cur diuinæ fuisset misericordiæ sic expers, cum in mundo tot virtutibus polleret. Pro nulla, inquit, me scias causa fore damnatum, nisi quia in ludis maximè delectabar. At quia in morte accepta pœnitentia quasi stulta ignorantia vt debebam, postpo-D sui confiteri, diuinam non merui veniam adipisci. Et hæc dicens, à meis disparuit oculis. Talis aũt ab eo abeunte remansit fœtor, vt in locum illum hactenus nullus audeat introire. Ecce quantum turpissimum ludi scelus diuinæ abhorrent maiestatis oculi. Timeamus ergo ne nos bonorum rapiat inermes tam repentinus interitus, ne non pœnitere nos vitiorum contingat, dum tempus inest: quia postmodum pœnitentia foret frustra. Vt igitur à Christianis tantæ ruinæ ludi procul effugiat nefas: imo vt ab omnium memoria deleatur, exempla alia quædam quam breuius potero, subrogabo. In Samaria quindecim nondum expletis diebus dum miser quidam ludens, quasi omnia quæ habere poterat, consumpsisset, gloriosi cœpit Hieronymi nomen ausu temerario blasphemare. Quẽ nefandæ blasphemiæ vix finientem verba, videntibus & stupentibus cunctis, mox è cœlo fulmen veniens interemit. Tribus alijs in Tyro ludentibus, hoc accidit quod enarro. Cum enim illi suum vellent incipere ludum, vt hi qui se hoc ab eisdem audisse, & totam rei seriem etiam se vidisse, fatentur, & referunt: sic dixerunt. Quamcunque potes exerce vim Hieronyme: quia te inuito ludum istũ

E alacriter finiemus. His itaq; dictis, suum inceperunt ludũ, quo quidẽ primordiato, quasi vno elapso instanti, se terra aperiens, illos solũ absorbuit, ita vt nil ex eis amplius fuerit visum. Quod visu noscitur, verissimo testimonio comprobatur. Idcirco quę dico quanquã multis possent comprobari testib. tñ me ipso teste, qui ea visione propria didici, cõprobabo. Iuxta meã in qua in Hierusalem habito ædem, nobilissimus quidã miles fuit, transitoriis nimium locuples: qui vnicũ habẽs filiũ, eiusdem stultissimi amoris cæcitate percussus, non solũ à prauis eũ non corrigere, sed etiam eum ipsemet prauis instruere conabatur. Parentes fatui & isti similes, mentis quæso oculos huc inclinẽt, vt quis finis eueniat, nõ ignorẽt. Multi. n. homines, in magnas animæ & corporis inciderunt ruinas ob prauorũ parentum insipientiã. Crescens namq; illius militis filius, cũctis bonis morib. destitutus, de die in diem peiorando, totum suũ tempus amittens, in ludis & blasphemiis cunctisque immunditiis patre causante, annũ attigit duodenum. Qui quodam aduesperascente die, solus cum patre ludis in-F sistens, ludũ eodem vt gliscebat non habente, primo prorupit in hæc verba: Si quid ille potest Hieronymus qui ludos prohibet exerceri, iam exerceat, nam se inuito hinc non nisi victor exurgam. Verum hæc duntaxat ipso prosequente, nequam spiritus teterrimi hominis specie, cunctis videntibus locum in quo ludebat, veloci gradu adiens, eundem puerum infelicem rapuit. Sed quo eum detulit, nulli hactenus hominum est cõpertum. Verum vt puto, eum detulit in infernum. Eadem namq; hora casu ad quandam meæ domus fenestram, quæ in loco in quo ludentes degebant pater & filius ex opposito sita est, me posueram: quo me videre fuit necesse veritate perspicua seriem tam formidandæ rei gestę. Discant ergo iuuenes in iuuentutis tẽpore, quod cęteris est præstantius, expetẽdis morib. se fulcire, ne vilibus caducisq; moribus iuuenilis animus informatus, statum in canicie nequeat permutare. Quod n. nouę chartæ inscribitur, de facili non G deletur. Discant etiam parentes fatui, filios correctionib. & verberibus erudire: nec vitiorum sinant vepres radices figere non faciliter euellendas, ne flendi & hic & in futuro eis succedat euentus. Nam, nisi fallor, ad æternorum gaudiorum patriam deueniendi, artissima & sine ambiguitate aliqua, à paucissimis certè cognita extat via. Eundi ad perditionem iter latissimum, & multis, imo penè infinitis limitibus plenum fore constat. Quodlibet enim mortalium peccatorum ad perditionem suam tramitem struit, quorundam hominum non solum paganorum, sed etiam illorum quos sacri baptismatis vnda lauit: nam de paganis nulla oritur quæstio quod non damnentur, maiorem fore liquet numerum multiplicibus insistentium flagitiis, quorum nulla penè vnquam cognoscitur emendatio. Quinimo respectiuè quidem dico, pariter bonis & malis hominibus consideratis. Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: sed omnes post suas improbas & pessimas ambulant voluptates. Consequenter cõcludi debet, quod ad æternæ beatitudinis gaudia rarissi-H mi gradiantur. Insuper, quinimo omnes penè sacræ scripturæ auctoritates hoc testãtur, infinita quoque exempla possemus perspicaciter intueri, ad huiusmodi veritatem sufficientius demonstrandam. Hoc ex omnibus vnum censeri debet, nec ab hoc discrepari potest, nullum scil. ad æterna modo aliquo peruenire posse gaudia, nisi omnib. non particulariter, sed totaliter vitiis exstirpatis, virtutũ studeat itinere festinare. His iam fine dato, exempla & prodigia quædã iam huius operis fini propinquus breuiter introducã. Et duo pręcipuè admiranda, quæ à venerabili viro Nicolao Cretẽsis insulæ Archiepiscopo referente didici, primo dicam. Venerabilis idẽ Archiepiscopus pridie gloriosi Hieron. deuotione nimia Bethlehem veniens, vt eiusdẽ cunctis honorib. colendas reliquias visitaret, & totus charitate feruidus redire noluit, donec me sua gratissima visitatione eximiis lætitiis adimpleret. Qui vti donorũ præcipuus, vt gratissima mihi donaria superabũdantissimè more solito impertiret, me visitare minime cõtentus, mecum dignatus est iam dieb. plurib. commorari, & etiam adhuc manet; quod vtinam tempore longo duret.

A duret. In Christo namque Augustine charissime venera-
bilis idem pontifex te salutat. Quam pluries igitur mihi
suorum verborum auido, venerabilis idem pontifex e-
narrauit hoc tale in ciuitate Candia contigisse. Sacerdos
quidem suus, suæ maioris Ecclesiæ custos, impudicus,
luxuriæ & ebrietati deditus, nondum completo anno
de hoc sæculo migrauit. Cuius corpore in cæterorum se-
pulto atrio sacerdotum, vt eius punitio cunctis innotes-
ceret ad exemplum, subsequenti nocte tantus in Eccle-
sia eiusque cœmiterio fuit strepitus, quod tumore nimio
in vrbe illa commorantes excitati, pauore ingenti ve-
lut amentes ad Ecclesiã cucurrerunt. Stant itaque omnes
circa Ecclesiam, strepitus vehementes, campanarumque
sonitus audientes: sed neminem quidem videntes: diui-
nam quidem exorant clementiam quatenus cur ista fiant
debeat reuelare: sed nullum exauditionis sentiunt adiu-
uamen. Diluculo hoc cessante, cuncta quæ fuerant in
Ecclesia reperiunt reuoluta, & quasi vndique flammis
ignium violata. Ad hæc memoratus pontifex orationes
indicens populo, quid sequenti eueniat nocte præcepit
expectari. Ne nimis succumbam verbis, sequenti nocte
duplex strepitus & pauoris tribulatio est secuta. Qua de
re repletus populus amaritudine & dolore, cernens nul-
lum sibi à domino adiutorium euenire: sicut vulnerati,
B qui in monumentis proiecti dormiunt, existebat. Die
autem elucescente, omnibus in Ecclesia pro orationibus
congregatis, gloriosus Hieronymus subito septies sole
splendidior in Ecclesiam veniens, ad altareque gradiens
cunctis videntibus & mirantibus, per horam fortè sub
silentio manens, obstupenti populo, hoc propter sacer-
dotis illius miserrimi cadauer, sacris indignè locis condi-
tum ad terrorem peccantium contigisse intimauit, eidé-
que mandans, vt cadauer miserum, tartareis post resur-
rectionem omnium mansionibus deputandum, dissepul-
tum flammis traderent protinus concremandum: alio-
quin incepta pestilentia non abiret, & sic ab intuentium
oculis est inuisus. Quod vt ordinauerat, lętabundus po-
pulus protinus adimpleuit, Deo, & beato Hieronymo
laudes præcipuas persoluendo. & sic pestis illa cessauit.
Qui deinceps beatissimum Hieronymum omnes vnani-
miter deuotione maxima inceperunt colere. In eadem
insuper ciuitate quidam pulcherrimus extitit iuuenis,
C Titus nomine, honestus moribus, ingenio luculentus,
carnali non ignobiliori natus progenie, prædiues valde:
totam penè deuotionem & fiduciam habens in beato
Hieronymo. Hic siquidem iuuenis virgineo nitens can-
dore, in eiusdem sanctę virginitatis proposito vsque ad vi-
cesimum annum probis vitæ moribus perdurauit. Quo
itaq; tempore, sui fratris nefando consilio incitatus, spre-
tis tam nobilissimis virginitatis gemmis, auri pretiosissi-
mum metallum calcans, ad carnis spurcitias & lutum ac
fœtorem luxuriæ vehementer declinans, puellam quan-
dam omni pulchritudine corporis renitentem, sibi in
matrimonium copulauit, in cuius amoris retibus ita se
capiens, quod aliud præter ipsam poterat minimè cogi-
tare, de die in diem cœpit diuina obsequia obliuisci. At
quia miser dereliquit iustitiam, & oblitus fuit Deum a-
lentem se, oblitus fuit sibi dominus misereri. Completo
namq; anno, quo cum puella iuuenis insensatus steterat,
non vt in matrimonio, sed causa explendæ libidinis co-
pulatus, suggerente diabolica astutia iuuenis frater pu-
ellæ illaqueatus amore, auidè diu quærens eius amplexi-
D bus frui, tandem quod optauerat est adeptus. Huc accur-
rant iuuenes, & exemplo iuuenis fiant astuti. Fiunt nota
iuueni puellæ viro iam peracta. Tacens idem cogitat a-
uidè, quo valeat modo certitudinem reperire. Expectat
diebus aliquot, se simulans hoc nescire. Ast die quadam
ordinat, vrbem deserens, peregre proficisci: & latens per
diem in ciuitate, nocte media domum veniens, reseratis
sens à puella seruitrice, clam vt prius simul ordinauerant,
ambosque ad thalamum in quo eius frater & vxor in le-
cto stabant procedentes, sibi postulat aperiri. Mirantur
illi, & timore perterriti vehementi, pulsanti negligunt
ostium reserare. Tandem confractis seris thalami, iuue-
nis ira & furore nimio, fornacis instar ardẽtis vndique in-
flammatus, vxorem primo euaginato gladio interfecit: E
deinde sub thoro proprium latitantem fratrem inueniẽs,
interemit. His itaque gestis, ex ciuitate exiens, multo
tempore per mundum huc illucque errans, cum quibus-
dam aliis cœpit quosdam transeuntes in itinere deprǫda-
ri, ac etiam iugulare. Permanente itaque eodem Tito per
decem annos talibus negotiis implicato, gloriosissimus
Hieronymus salubre refugium & vitale, die quadam iam
aduesperascente luce, in modum mercatoris se monstra-
uit, ne ille solummodo habitæ deuotionis prǫmiis pri-
uaretur. Nam ille quanquam tot & tanta vitia abhorren-
da continuè exerceret, tamen in beato Hieronymo de-
uotionem aliquam retinebat, ita vt eidem quotidie se
commendans, boni aliquid diebus singulis ad eius hono-
rem facere nullatenus postponebat. Cernens itaque Titus
mercatorem, nefandis sociis ad solita nequitiæ opera
conuocatis, concito cum eisdem pergens cursu vibratis
lanceis, Hieronymo mercatoris instar obuiant venienti.
Moxque in eum insurgens à sociis, eundem præcepit reti-
neri donec eius lateri gladius infigatur. Deinde manum
eleuat interficiendi gladium retinentem, vt scelus tan- F
tum valeat iam explere. Ad hęc Hieronymus gloriosus.
Amore, inquit Hieronymi quem tu diligis, aliqua lo-
quendi breuis licentia mihi detur: postmodum si volue-
ris, facito id quod optas. Ad hæc Titus. Amore inquit
eius quem nominasti, & loquendi & viuendi licentia ti-
bi vt postulas concedatur, tantum quæ portas mercimo-
nia iam depone. At gloriosus Hieronymus. Ego ipse sum
Hieronymus, qui huc propter tuam liberationem veni,
ne mihi à te impensa obsequia in vanum prǫterirent. Te
tot quæ gessisti peccaminum, iam pœniteat: ad teipsum
redeas, ne formides, huc vsque me noueris propter tuam
salutem, & animæ & corporis, supplicem apud Deum
erga te ira tam diuinam iustitiam extitisse, ne in te dignas
tibi sæuitias exerceret. Ad pœnitentiæ igitur quam citius
perge callem, & peccatorum onera iam depone, alio-
quin me tui custodem & supplicem non habebis. His
dictis, Hieronymus gloriosus ab illorum oculis dispa-
ruit. Ad hęc stupefactus Titus, & qui cum illo erant ti- G
more & admiratione iam ingenti, ad terram procidens
per horam non potuit eleuari. Tunc subito in Titum &
qui cum illo erant, spiritus sancti gratia est effusa, & lux
eos cœlitus illustrauit. Qui protinus in viros alteros iam
mutati, spretis cunctis spurcitiis vitiorum, ad pœniten-
tiæ tramitem rediere. Deinde ad eremorum antra deuia
& ignota properantes, magnis se corporum asperitatibus
& vitæ sanctissimę tradiderunt. Miraculum aliud quod
veridicorum testimonium solidissimè in superioribus Æ-
gypti partibus peractum intellexit, quatenus hominibus
& maximè iuuenibus quantumcunque castis, proueniat
in exemplum ad euitandum periculum mulierum, præ-
cedenti miraculo addere cogito fore ratum. Monachus
quidam iuuenis & decorus, honestate præcipuus, mo-
rum maturus, qui senex virginalis pudicitiæ custos,
cunctisque illius monasterij monachis speculum sancti-
tatis, & gloriosissimi Hieronymi amator deuotissimus
fuit: duodecim degens annis in monasterio, continuè
orationibus vacans, & studio scripturarum. Hic amore H
castitatis timens, ne cor aliqualiter violaret, mulierum
visus ineffabiliter abhorrebat, ita vt earum memoriam
formidaret. Huic proposito diabolus antiquus serpens
& hominum inimicus inuidens, suæ nequitiæ inuetera-
tæ contra eum dolos & artes multiplices incitauit, con-
tinuè cogitationum stimulis, iuuenem pessimus tenta-
tor affligens, die noctuque à tentationibus duobus
mensibus non cessauit. Iuuenis vero prouidus, sese do-
mini & beati Hieronymi, cuius dilectionis ardore fer-
uebat, commendans custodiæ, victrici dextera, tenta-
menta diaboli, ieiuniis & orationibus se muniens trium-
phabat. Confluant huc quæso iuuenes atque senes: &
quanti sit casus, mulierum fallax pulchritudo hic do-
ceantur, maximè per exemplum. Cernens se aspis perfi-
dus diabolus à iuuene superari, tanquam leo rugiens,
subtiliores nocendi artes cœpit quęrere, vt iuuenem de-
uoraret. Fit itaque inter eos pugna grauis. Hinc astutiis

equi&c

A consuetis castra aduersus iuuenem struit pessimus inimicus: hinc iuuenis orationes & gloriosi Hieronymi protectio, castrorum sternunt munitiones, & vires eius triumpho nobili vilipendunt. Interea genitoris ad mortem ægrotantis visitationis causa ingruente, ex monasterio in ciuitatem ad paternam ædem venire iuuenis est compulsus. Nam se pater dolore nimio moriturum, si visione frustraretur filij, crebris clamoribus acclamabat. Ob hoc dolens monachus: timens ne mulierum visu, cor mundum & virgineo candore nitidum violaret, potius, nisi fratrū sui cœnobij fuisset supplicationibus inclinatus, erga patrem crudelitatem volebat propter dominum exercere, quam eidem infirmanti compati à monasterio recedendo. Sciebat enim monacho nil tam nocuum, detestabile, & mortale, quam vicos & ciuitates, & gentium multitudinem circumire. Nulla certè permanet in homine quies mentis, qui multorum verbositatibus & vaniloquijs implicatur. Quod aqua piscibus,
B monachis idem præcipuè silentium operatur. In paterna itaque manens æde monachus diebus tribus, tædio tam vehementi affectus est, quod sibi potius videbatur tetris se fore carceribus mancipatum. Completo die tertio, dum eum cum sorore sua quadam pulchritudinis inauditæ, infirmitatis causa patris crura simul contigeret confricare, casu sororis dexteram eiusdem tangēte dexteram: tam diris libidinis & eiusdem sororis ineptæ & abominabilis concupiscentiæ fuit subito iaculis cor eiusdem monachi instigante diabolo vulneratum, quod penè eam ad illicita, & omnino ab hominibus abhorrenda, nisi extitisset timor verecundię, inuitasset. Heu quid dicam? Quæ monachis illis inerit obseruantia castitatis, qui continuè mulierum visibus potiuntur in simul colloquendo. Sic manet in castitate homo faciem intuens assiduè mulierum, sicut manet palea stans in igne. Fallax certè & ruinæ maximæ propinquus casus, ineuitabileq; periculum est fœminæ pulchritudo. Timor
C certè monacho euenit, quem timebat, & sibi accidit quod tanto tempore verebatur, nec sine exemplo maximo aliorum. Nō in illo iussum est parentibus obedire, in quo animæ periculum formidatur. A monasterio inuitè monachus egreditur: sed ardore libidinis tam nefandæ cor inflammante, nil aliud quam sororis hoc nescientis scelus faciem improbis oculorum visibus videre cogitās: penè nunquam fuisse se in monasterio recordatur. Sanatur interim pater, At monachus excusationib. adinuentis, tardat de die in diem ad monasterium remeare. Manente autem eodem in paterna domo tribus mensibus, hinc monachos, hinc patrem maxima mouit admiratio, omnemq; familiam, cur istum tam vehemēs irrepserit mutatio & alteratio inaudita. Ignorant siquidem rei causam, idcirco effectum eos contigit ignorare. Ad monasterium cum duobus ad se ex monasterio destinatis monachis tandem reuertitur, illud referens tædiū
D redeundo quod prius detulerat exeundo. Cœpit itaque in monasterio corpus degere monachi, cor vero à sorore aliqualiter non recedit. Hoc sibi fit studium scripturarum, vt attingat pessima quæ affectat. Hæc contemplatiu diuinorum, vt peccatorum modum inueniat explendorum. Percutitur alienus sui, & à veritatis cognitione deuius, continuè à diabolo cuius iugo grauissimo imbecille collum submisit, libidinis nouæ telis. Sicut fumus deficiunt dies eius, confringuntur sicut in frixorio ossa eius, & infirmatur doloribus vita eius, irrationabili fit similis animali. Obliuiscitur in toto diuinam cleme[illegible]gorare, tota die cogitans quis modus appa-

occulto cogitamine vani cordis, vt scilicet intempestæ E noctis medio cunctis dormientibus, veste deposita monachali, sumptoque habitu laicali ex monasterio exiens, paternas clam adeat mansiones, & domum crepusculo noctis latenter intrans, sub thoro sororis lateat, donec dormiente ipsa, ad eandem accedat suæ voluptatis libidines expleturus Placet insanæ mentis imperitiæ consilium erogatum, studetque ipsum toto posse quam potest breuius effectui mancipare. Sequenti igitur aduenienti noctis medio, sub silentio ad fores cœnobij claues gerens manibus properat: sed ad ostia veniēs per totam illam noctem huc illucq; discurrens, quo sint in loco posita non inuenit. Stupore & admiratione perterritus: cur hoc sit nesciēs, interim iam matutinali qua ad laudes debitas dominicas monachi excubabant appropinquante hora, compellitur ille ad cellulam retrogredi. Manet in cellula ille admirans per diem illum, proponit sequenti nocte facere quod non fecit. Audet imbecillis dextera quæ non potest, sperat stultum pecus con- F tra leonem pugnās triumphi gloriam adipisci. Quid insensate teris? Putas agere vile pecus, quæ leo fortissimus Hieronymus contradicit? Cessa imagini gloriosissimi Hieronymi genua flectere, ipsum vlterius non salutes; & tibi potestas protinus cōcedetur, vt cadas in foueam, quam effodis, vt dira naufragia iam admittas. Non possunt impēsa gloriosissimo Hieronymo seruitia, quoquomodo fiant, mercedibus vacuari. Retinebat siquidem in cellula monachus ille deuius & errans & diabolico dominio mancipatus, imaginem gloriosi Hieronymi tabula insignitam, cui diebus singulis, antiqua consuetudine flectens genua, se eidem pluries commendabat. Idcirco vt eius mira clementia cunctis innotesceret, illum eo die retinebat, ne malum faceret quod volebat. Ignorans vero hæc ille monachus, subsequenti nocte ad cœnobij iterum fores pergit: Sed quod præcedenti nocte fecerat, id hac fecit. Ne igitur inhæream verbis, per vnum ferè mensem, singulis noctibus continuè hoc euenit. Completo itaque vt puto mensis circulo, in somnis bea- G tus Hieronymus sanctissimo cuidam illius monasterij monacho apparuit, in statu suo quiescenti nocte, eidem reuelans quid iste monachus faciebat: mandansq; illi vt debeat eidem monacho sic erranti declarare quomodo ipse eum, ob sibi impensam reuerentiam custodiuit, vt ostia non videret ad cogitatum perpetrandum scelus. Et quod nisi sibi velox de inceptis subsequatur emendatio, sese de ipsius custodia remouebit, discessitque protinus ab eodem. Mane autem facto quæ viderat monachus, alteri monacho enarrauit. At ille se quid hic dicat non intelligere pluribus detestans sacramentis, cœpit dicere propter cerebri vacuitatem hæc somnia euenisse. Tacet monachus & recedit. Hic gaudens proponit nocte sequenti, nullam amplius exhibens solitam Hieronymo reuerentiam, ostia monasterij ad nequam opus, quod tam diu affectauerat peragendum, ad suum libitum reserare. Vt breuiter dicam. Quod miser diu hianti animo cogitauerat mala operādi, à Hieronymo honore solito priuato, sibi tradita potestate, vt voluit sic effecit: sed tamen in fine gloriosissimi Hieronymi clementia non defecit. Recedens itaque ille de monasterio no- H cturna hora, alieno habitu occultatus, patris domū adueniens, per diem illum vndiq; circumiuit. Cumque noctis crepusculo domum intrasset ad lectum in quo virgo soror quiescere tunc solebat: clam procedens, tamdiu sub eodem latitauit, quamdiu sororem dormire potuit existimare. Tunc idem exiens, expoliatis vestibus,

A milior & astutior fieret ad cauendum & in prælio se tuendum. Et ne amplius exemplo suo, quis de sanctitate confideret & speraret. Quanto n. maior inest homini sanctitas, dum in mari mundi huius procelloso, & inimicorum agminibus pleno, imbecilli carnis nauicula nauigat, tanto maior inest timor & astutia se tuendi. Infinitas pessimus ille tentator diabolus nocendi possidet artes. Qui incautus pergit, leuissimè capitur. Qui in cunctis timet, ab omnibus diabolis hic timetur. Certè nil plus nocet, quam spreto aliorum consilio, vt propria voluntas præcipit, ambulare. Qui suæ tantú voluntati credit, in cunctis quæ facit, finem odibilem adinueniet. Magnus exemplo iam finito timor de fragilitate nostra maxima, & de diabolica calliditate & astutia nobis omnibus demonstratur: magna & spes veniæ peccatoribus declaratur. Cernens namque se monachus sic à diabolo derorbatum, delusum, ac etiam in tanta miseria captiuatum, protinus suffragiis gloriosissimi Hieronymi (cui
B semper deuotus extiterat) suam miseriam & culpam vehementissimá recognoscens, in seipsum rediit, & de eadem paterna exiens domo, omni retardatione abiecta, lugens & dolens, ad fontem pœnitentię properauit. Deinde vero in suo monasterio per annos duos in tanta se abstinentiæ asperitate afflixit, vt foret cot hominum insufficiens cogitare, & completo annorum duorum spacio, ante dies modicos ex hoc sęculo feliciter expirauit. Venerabilis Damasi Portuensis episcopi, pridie receptis literis, aliqua eis inscripta corde audo intellexi, quæ ob eius reuerentiam non dimittam. Romæ Cardinalis quidam Cælestinus nomine, Hieronymi gloriosi æmulus & detractor, dum die quodam in conuentu existens Cardinalium, more solito ore audaci & temerario, in eundem iniurię verba prorumperet, dolore subito viscerum impellente, ad occulta naturæ loca properans, viscera omnia protinus emanauit: & antequam illinc recederet, expirauit. Alius quoq; presbyter Cardinalis Andre-
C as nomine, isti non similis, sed gloriosissimi Hieronymi deuotissimus cultor, pridie in eadē Romana vrbe, multis circumstãtibus expirauit. Qui cū iam in Ecclesia esset paratis exequiis, quæ solent fidelium tumulandis exhiberi corporibus, assistente summo Pontifice cum pene toto clero & populo Romanorum, qui ad eundem Andream conuenerant honorandum, emissis vlulatibus, & crebris gemitibus in feretro, cunctis stupentibus, & veluti amentibus effectis, tanquam si à somni dormitione excitaretur, mirabiliter exurrexit. Cumque à Romano Pontifice, remoto de Ecclesia maiori B Petri Apostoli vniuerso populo, clausisq; foribus interrogaretur intulit ista verba. Dum starem diuino examini iudicandus, & iam per vestium & ciborum, quibus hactenus vsus eram, nimiam superfluitatem, tartareis cruciatibus cōdemnarer, subito adueniens quidam sole splendidior, quē fuisse gloriosum Hieronymū ad se inuicem referentibus, qui astabant intellexi, pręsidenti iudici flexis ge-
D nubus animam meam corpori iungi, porrectis precibus imperauit. Quibus finitis verbis, in ictu oculi inde recedens anima (vt cernitis) corpori est coniuncta. Ad hoc miratur summus Pontifex, & cæteri audientes. Fiunt hæc nota populo extra Ecclesiā expectanti, cōfractis Ecclesiæ foribus protinus Ecclesiam intrãt, oēs magnis vocibus Deum, & gloriosum Hieronymum collaudantes. Multa nos mentis afflictio commouet & contristat, intellecto quod quamplurimi episcoporum Deum & dominum Iesum Christum (cuius vicem gerunt) abnegantes, terrenorum, quorum Deus venter est, vestigijs inhęrentes, de stipendiis pauperum, & sanguine Iesu Christi, delicatissimis ferculis, cum histrionibus & cæteris diuitibus, suam ventris replent ingluuiem, ad fœditatem luxuriæ incitandam, vestimentorumq; de die in diem superfluitatibus abutuntur: de pauperib. quorum mercedem raptaci manu latrocinii deuorant, fame morientibus & frigore, non curantes. Hi certe nō Episcopi sunt, sed diaboli. Episcopus autem, aut sanctissimus est, aut diabolus. Magni certè meriti status Episcopalis, sed periculi infiniti: leuissimum peccatum alijs imputandum, grauissimum Episcopo imputatur. Pontificis etenim vi- E tium in subditos diffunditur per exemplum. Maiora recipienti, ratio maior crescit. Quot n. ouium Christi vel negligentia episcopi vel exemplo in peccata deuiant, de tot tenetur domino reddere rationē. Heu quid Augustine charissime dicam? Graue nobis inest pondus, grauis sarcina. Sed debiles ego habens humeros, quid portabo? Sunt certè angustiæ mihi vndiq; me torquentes. At dum graues mihi prōpos casus intueor, timore maximo succrescente continuè affligor & contristor. Securius est Episcopalem statum fugere, quam appetere. Laudo certè Episcopatum, tanquam vicariatum domini nostri Iesu Christi: sed illos, qui in eo vitam agunt militum terrenorum, qui mundi gloriam & pompas appetunt, non collaudo: imo eis consulo, vt effugiant quantū possunt. Melius certè fuisset eis cum terrenis vitam agere terrenorum, quam in pontificali culmine hoc agentes, ad infima & profundiora inferni loca decidere: tanto præ cæteris cruciandi, quanto præ cæteris plura donaria
receperunt. F Intelligentes itaque Episcoporum plurimos potius nomen gerere quam essentiam, potius lupos rapaces fore Christi ouium quam pastores, destructores magis esse Christi Ecclesiæ, quam rectores, qui Christianorum eleemosynas deprædantes, mercedem pauperum, lupinis faucibus in superfluitatibus ciborum & vestium deuorant & consumunt: quod absurdum est, abominabile, & deflendum. Hæc idcirco dixerim, vt talis abominatio cunctis gentibus innotescat, quatenus si Deum non metuunt, homines verentes, à suis aliqualiter abominationibus retardentur. Audiant quæso hi tales Episcopi quę narranda proponimus, & saltem aliorum calamitatibus terreantur. In superioribus Ægypti partibus, in deserto quodam ab hominibus propter vitæ incommoda inhabitabili, quidam degebat monachus, Elias nomine, antiquissimus, & magnæ vitæ sanctitate radians, qui in vita beatissimi Hieronymi eidem familiarissimus valde fuit: quem idem beatissimus Hie- G ronymus habuisse prophetiæ spiritū, pluries enarrauit. Hic die quodam, vt pluries mihi testificabantur monachi vita venerabiles fideque digni, qui se dixerunt hæc ab eiusdem sancti viri ore multotiens peraudisse, solitis incumbens orationibus, somno repentino adueniente aliquantulum obdormiuit. Et ecce in visione, quo quidem modo multotiens Deus omnipotens, grandia & occulta suis fidelibus referat sacramenta in quodam palatio miræ pulchritudinis & ineffabilis, & à mortalibus nunquam visæ, vt sibi videbatur, erat. Cumque per horam per palatium illud, huc illucque gradiens, eius admiraretur pulchritudinem vehementem, vidit quoddam præparari tribunal à quibusdam nimiæ pulchritudinis iuuenibus, stratis tapetibus & vestibus auro & gēmis, ac multa artificij varietate decoratis, circunquaque pariete inuoluto. In quo postmodum rex quidam maximus & decoris, cuius aspectus tantæ erat suauitatis, vt nil vellet aliud quis habere, magna virorum sole lu- H cidiorum comitatus societate veniens, se posuit vt iudicia exerceret. Inter hæc cuiusdam anima, quem fuisse Anconitanum præsulem ab aliquibus ibidem consistentibus postmodum intellexit, à nequam spiritibus, catenis, igneisque vinculis vincta, instar fornacis flammas erumpens sulphureas, deportata maiestati regiæ præsentatur. Quæ priusquam de aliquo interrogaretur, cœpit diris vocibus se infernalibus mansionibus dignissimam acclamare. Hanc inter cæteras maxime assignans principalem causam: quoniam vanis mundi pompis intentus, in conuiuiis & vestibus & huiusmodi stultitiis delectabatur. Quibus finitis, lata per iudicem sententia, vt pœnis infernalibus traderetur, donec corpori iuncta, duplices pœnas in perpetuum sustineret, mox illam secum ferens, omnis illa nequam spirituū turba, inde diris clamoribus recessit. Deinde alterius cuiusdam anima, quam fuisse Theodosij senatoris fratris venerabilis Damasi prædicti Episcopi Portuensis similiter intellexit, ante maiestatem regiam circumstãtibus multis nequā spiritibus eum grauissimè accusantibus præsentatur. Cum-

A quæ à diabolis in longum accusatio traheretur, & nullus ex aduerso aliqua responderet, vir quidam septies sole splendidior & vt sibi videbatur, pene cæteris astantibus eminentior, ad regis sedens dextram, in pedibus se erexit. Quo quidem surgente, silentium rex manu propria à cunctis fieri imperauit. Tunc qui steterat, omnibus opponens accusantibus, hunc suum fuisse fidelissimum & deuotum, & ei continue exhibuisse reuerentiã specialem, eisdem mox loquendi audaciam abstulit, & taciturnitate prænotauit. Postmodum vero is flectens ante regem genua, huic suo fidelissimo veniam & æternam requiem, solita pietate & misericordia infinita clementissime, ita tamen quod pro commissis in mundo flagitiis, in purgatorio purgaretur, suis precibus vt voluit est adeptus. Tunc omnis illa nefandorum spirituum multitudo gemens & vlulans, de illo loco prounus se remouit. Interuallo autem facto horæ vnius, iuuenis quidam pulcherrimus concito gradu, per palatium veniens, ad huncque accedens, qui tam eminens & præclarus in auxilium exurrexerat Theodosij senatoris, se fore dixit à Petro patritio Romanorum eius deuotissimo missum: quatenus eiusdem preces exaudiens, sibi impetrare à domino filium dignaretur. Ad hæc rex. Quod, inquit, à filio meo Hieronymo Petrus postulat,
B certè fiat. His omnibus sic finitis, à somno illo mox Elias monachus excitatur: laudes immensas Deo reddens, & Hieronymo glorioso. Qui diem illum, in quo tam miranda viderat prænotans, eodem postea intellexit die Episcopum Anconitanum & Theodosium senatorem ex hoc sæculo migrauisse. Quo liquidè patet, hæc vana somnia non fuisse. Magnam putabas Augustine charissime aliquibus admirationem inducere, velut si quid nouum & inauditum eis proponeres, dum in tuis pristinis literis, quas recepi, Ioanni Baptistæ & cæteris Apostolis Hieronymum sanctissimum æqualem in sanctitate & gloria, rationibus sine dubio efficacibus & visionibus mirificis comprobabas. Certè non est aliqualis ambiguitas, verissima & omni fide & deuotione dignissima ista fore. Nec puto aliquibus eius vitam sanctissimam, & eius tanta prodigia hominibus insuetanon ignorantibus, admirationis aliquid euenire. Sed quoniam tales tuę fuerunt rationes ad veritatem hu-
C iusmodi declarandam, quòd meas leuissimas & imperitas nunc illis opponere non deceret, omissis omnibus, visionem mirabilem, quam venerabilis vir Cyrillus Episcopus Alexandrinus se vidisse, suis ad me diebus pluribus iam elapsis, destinatis literis affirmabat, breuiter introducam. Post beati Hieronymi obitum gloriosum anno completo, in die natiuitatis gloriosissimi Ioannis domini præcursoris, laudibus expletis matutinis, dum memoratus pontifex more solito in Ecclesia solus ante altare eiusdem præcursoris domini gloriosi flexus genubus ipsius gloriam & excellentiam multa spiritus dulcedine contemplaretur, repentino somno aliquantulum ibidem obdormiuit. Et ecce in Ecclesiam (vt sibi clarissimè videbatur) binatim quorundam speciosissimorum hominum vltra humanam æstimationem, cantus alternatim suauissimos concinentium, turba vehementissima miro ordine veniebat. Deinde binatim omnes ad altare procedentes, & ibidem flectentes genua, ad sedendum singuli seponebant. Cumque illorum homi-
D num Ecclesia esset valde plena, post omnes duo viri eminentiores cæteris, in toto similes atque pares, infinitò sole lucidiores, stola induti candidissima, auro & gemmis vndique ineffabiliter rutilante, venientes ad Ecclesiam pariter intrauerunt. Ad quorum introitum, omnes

altercatio oriretur, vt quis primò inciperet prædicare, E
cœperunt singuli, vt Hieronymus Ioannis, cuius erat in die illa solennitas, laudes & magnificentias explicaret, magnis vocibus acclamare. Quo vnus illorum sermonem mox incipiens, laudes beatissimi præcursoris domini, tanta loquelæ dulcedine, tantoque verborum ornatu, nec non & sententiæ grauitate contexuit, quòd fas non esset linguę hominum declarare. Finito itaque sermone illo, alter, quem Ioannem Baptistam cuncti qui aderant nominabant, eidem gratias referens multiplices, hæc circumstantibus ad eius honorem & gloriam est locutus. Socius iste meus charissimus Hieronymus, æqualis mihi in gloria, æqualis etiam à sanctitate, seriem meatum laudum est hactenus prosecutus: idcirco dignum est vt eius laudibus nunc insistam. Hic verè lux est Ecclesiæ, tenebras effugans errorum, & cunctos illuminans homines veritatis claritate cęcos. Hic fons est aquæ sapientię salutaris: ad quem sitientes dum accedunt, largissimè satiantur. Hic arbor altissima, cuius F
cacumen cœlum ascendit, sub cuius doctrinę frondibus, de suaui eiusdem oris fructu, aues cœli, scilicet homines, multum intelligentes: & bestię terræ, scilicet homines parum intelligentes, vberrimè satiantur. Hic mecum fuit in sæculo eremita, certè non minus me carnem abstinètis macerauit. Hic mecum virgo nitidus atque purus. Hic mecum fuit prophetico spiritu illustratus. Hic mecum doctor extitit veritatis. Ego propter iustitiam & veritatem, vitam corpoream dereliqui: hic & si non amiserit vitam corporalem propter iustitiæ & doctrinę suæ perspicacissimæ veritatem, tempus suum tamen totum gessit in sæculo in martyrio, afflictionibus & dolore. Ego Christianę fidei præcucurri nuntius & gentium inuitator: hic postmodum veniens, eiusdem extitit sustentator, & ab hæreticis eandem lacerantibus defensator. Ego semel in baptismate manibus propriis Christum dominum tetigi in Iordane: hic ipsum non solum manibus propriis habuit multotiens in altari, sed & ore proprio manducauit. Hic mihi in sanctitate per G
omnia fuit æqualis: nunc verò æquali ambo vitæ ęternę præmio insimul congaudemus. Hęc & alia multa prosequente beato Ioanne, quæ idem beatus Cyrillus non potuit totaliter memorię commendare, iam bora diei prima adueniente, Ecclesiam custos intrans, Episcopum intuitus dormientem, eundem manibus excitauit. Expergefactus itaque pontifex: stupore & admiratione & gaudio admodum plenus, quæ viderat, custodi cum lachrymis enarrauit. Deinde illo die missam solennissimè celebrans, visionem mirabilem omni populo declarauit. Sunt infinito plura quæ dici possent miracula verissima & valia enarranda, quàm ea quæ in breui hoc opusculo sunt inscripta. Sed ne prolixitate operis aliquid legentibus tædij oriatur, vno solo miraculo, quod nondum expleto mense in Bethlehem peractum est perfecto, huic operi finis erit. Die dominico transacto post octauas Pentecostes, omnibus meis suffraganeis Episcopis, & multitudine maxima, tam virorum quàm mulie- H
rum in Ecclesia, in qua sanctissimum quiescit Hieronymi corpus, insimul congregatis, honore debito & veneratione tam debita quàm deuota, primò egomet sacris indutus vestibus ad locum foueæ, in qua corpus venerandum iacet, accedens, terram cœpi effodere sepulturæ, quatenus sacratissimum illud corpus inde ablatum, in tumulo marmoreo mira pulchritudine vndique decorato, quod hac de causa fuesab ricatum, postmodum poneretur. Cumque iam fouea foret vacua, cunctis cernentibus, corpus beatissimum in medio foueæ tan-

A præcipue dæmoniaci catenis vincti, in illam Ecclesiam plurimorum hominum manibus deportati, sunt protinus liberati. Mulieris cuiusdam viduæ paupercul æ puerulus, eius vnicus filius, in Ecclesia fuit præ gentium multitudine suffocatus. Quem mater inueniens, dolens & lugens, mox in vlnis pueruli cadauer ad foueam in qua sepultum fuerat corpus Hieronymi gloriosi deferens, cum in foueã proiecit, hęc dicens verba. Sancte Hieronyme gloriose, hinc non recedam, donec restituas mihi vnicum meum filium quem amisi. Mirabilis certe Deus in sanctis suis, faciens prodigia insueta. Statim vt terram extincti pueruli corpus tetigit, eidem anima est coniuncta. Quidam vir corpus cuiusdam sui filij, de sepultura, in qua per triduum steterat, extractum, mox ad foueam illam detulit, & illud in foueam sic proiecit. Qui iuuenis, fuit illico vitæ pristinę restitutus. Innumerabilia pene sunt miracula, quæ peracta sunt à mane vsque ad vesperas, quo quidem tempore gloriosum Hieronymi corpus dissepultum in altari extitit collocatum. Sed tamen ad huiusmodi miracula
B vlterius non procedam, vnum quod nocte sequenti accidit, non silebo. In hora siquidem vespertina corpus illud sacratissimum in monumento quod præparauimus, posuimus. Sed mane monumentum vacuum fuit inuentum, & corpus sanctissimum foueæ pristinæ inuenimus restitutum. Quod dum ego plurimum admirarer, nocte sequenti mihi dormienti, B. Hieronymus apparens in visione, plurima mihi grandia patefecit. Sed inter cætera talia mihi verba dixit. Noueris Cyrille, quod corpus meum de fouea in qua iacet, nullatenus extrahetur, quousque ciuitas Hierusalem ab infidelibus capietur. Quo quidem tempore Romam delatum, ibidem multo tempore requiescet. Ad hęc expergefactus, quæ videram cunctis Episcopis & alijs viris Catholicis enarraui. Quid & quando hæc euenient, aliter non agnosco. Si quid vtile aut bonum in hac Epistola dixi, non meis, sed glorio-
C sissimi Hieronymi meritis imputetur. Si quid vero superfluum, inutile, & non bonum, solum meæ insipientiæ & negligentiæ causa hoc accidisse, ab omnibus iudicetur. Mei Augustine charissime in tuis orationibus memor esto.

VITA DIVI HIERONYMI

INCERTO AVCTORE.

PLerosque nimirum illustrium virorum non ambigo nosse, quo natus quibusque doctoribus, quibusve eruditus sit literis, quo denique quiescat S. Hieronymus loco. Veruntamen quibus non vacat, vel legere plurima non valent, hoc si voluerint opus compendiosa breuitate poterunt scire. Beatus igitur Hieronymus nobili genere ortus, patre vero Eusebio nomine, oppido Stridonis, quod à Gothis euersum Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, congrue scilicet Eusebio generatus est patre. Eusebius namque Attice, Romane di-
D citur pius. Hieronymus quoque Æolice, Latine omnino sacra lex intelligitur. Iure igitur Hieronymus, id est, sacra lex, de pio gignitur patre, vt studioso eius labore ex Hebræorum scriptis absque scrupulositate alma pateret lex: quæ humano generi, sua austeritate remota, pium, ac sacrum, misericordemque patrem nuntiaret venturum. Qui cum dudum inter pueritiam adolescentiamque incederet medius, instinctu tactus cœlesti, affinibus cunctis, censuque paterno relictis, vt perfectus Euangelij imitator quiuisset existere, ingressus nauem, aura flante secunda, ad limina sublimium Apostolorum Petri & Pauli diuina dispensante clementia, Romanam adijt vrbem. In qua videlicet literis Græcis & Latinis diligenter apprime eruditus, & Christi vestem suscipiens, presbyter quoque Cardinalis ibidem est ordinatus. Nam vt inexpugnabilem suæ Ecclesiæ dominus murum contra perfidos dementes, quæ hæreticos exigeret, huic viro in literarum studijs plerique cathagetæ, id est, præceptores fuere. Donatus nempe artigraphus, Romanus eum imbuens elementis, liberaliumque artium sapore sufficienter re-
plens, magister extitit illi, sicut ipse in Chronica sua memi- E
nit dicẽs: *Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus, magistri & praeceptores mei, Romæ insignes habebantur.* Gregor. namque Nazianzenum (vt idem in tertio explanationum Esaiæ refert libro) didascalum, id est, magistrum suum fuisse testatur. Nam cum in prædicto propheta ad eum venisset locum, in quo de Seraphim quiddam debuisset exponere, ita intulit, dicens. *De hac visione ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, & apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum praeceptorem meũ, tunc eiusdem vrbis Episcopum, sacrarum scripturas um studijs erudirer, scio me breuem dictasse subitũque tractatũ, vt experimentum caperem ingenioli mei, & amicis iubentibus obedirẽ.* Quid vero de huius viri eleganti industria, quam erga Latinos, & Græcos, Hebræos, & Arabicos, Chaldęosque in discendo elementorum apices habuit, præstantius dici potest, quam ipsius ad Pammachium & Oceanum missa profitentur verba dicentis? *Dum essem,* inquit, *iuuenis, miro discendi ferebar ardore, nec iuxta quorundam præsum-* F
tionem ipse me docui. Appollinarium audiui Antiochiæ frequẽter, & colui: & cum me in scripturis sanctis erudiret, canis spargebatur caput, & magistrum potius quã discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriã, audiui Didymũ, in multis ei gratias ago. Quod nesciui, didici: quod sciebam, illo docente non perdidi. Putabant me homines finẽ fecisse discendi. Veni rursum Hierosolymã & Bethlehẽ, quo pretio, quo labore Barrabanũ Hebræũ nocturnũ habui praeceptorẽ? Timebat enim Iudaeos, & mihi alterũ exhibebat Nicodemũ. Hæc itaque cõtuli, vt qui scire cupiunt, nosse queant, sicut prædixi: quo natus loco, quibusve tantus vir magistris fuerit informatus. Commorans itaque Hieronymus Romæ, mentis corporisque virginitatem & delictorum pœnitentiam custodiens, fidelibus prædicabat. Multaque iuxta Septuaginta librorum volumina atque psalterium emendauit, Apostolicæ sedi Liberio pręsidente Pontifice. Ea proculdubio tempestate Romanum populum per Constantium Augu-
stum Ariana hæresis maculabat. Idcirco ergo prædictus G
vir, occasione quam semper optauerat accepta, vt superius est dictum, relicta domo, parentibus, sorore, cognatis, & inclyta, ac gloriosissima Petri Vrbe, corpus & sola tantum ferens quæ itineri vtilia esse voluere, vna cum bibliotheca, quam summo studio in præfata confecerat vrbe, Hierosolymam propter regnum cœlorum iuuenis militaturus aduenit. Postquam vero omne mundanarum literarum studium adeptus est, probatissimorum quoque monachorum habitum, factumque imitatus est: Cupiditatem siquidem animi iugi synceritate calcans, voluptatemque corporis perenni frangens ieiunio, plerosque bonorum religiosorum, meliores fore suo docuit instituto. Quodam igitur tempore, cum ex more idem Hieronymus, diuina ad legendum panderet volumina, & immortalem bibliothecæ suæ auctorem recordaretur Tullium, mox cœlitus natales quandoque reuolueret libros, salutifero castigatus est verbere. Ita enim ipse de se ad Eustochium scribens asserit. *Cum ante annos plurimos,*
domo, parentibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius est, con- H
suetudine lautioris cibi propter cœlorũ me regna castrassem, & Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quã mihi Romæ summo studio, ac labore confeceram, carere non poterã. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctiũ crebras vigilias, post lachrymas, quas mihi praeteritorũ recordatio peccatorũ ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quãdo in memet reuersus prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumẽ caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dũ ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima, medullis infusa febris, corpus inuasit exhaustum, & sine vlla requie, quod dictu quoq; incredibile est, sic infelicia mẽbra depasta est, vt ossibus vix haererem. Interim parabantur exequiae: & vitalis animae calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat, cũ subito raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor, vbi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantiũ claritate fulgoris, vt proiectus in terram sursũ aspicere nõ auderem. Interrogatus de conditione, Christianũ me esse respondi. Et ille qui praesidebat, mentiris ait: Ciceronianus es, nõ Christianus. Vbi est thesau-

A *sanctus tuus,ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nã me cædi iusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illũ mecũ versiculũ reputans. In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autẽ cœpi,& eiulans dicere, Miserere mei domine,miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua prouoluti qui astiterant,precabantur vt veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret: exacturus deinde cruciatum, si gentilium literarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiã maiora promittere, deierare cœpi,& nomen eius obtestans dicere. Domine, si vnquã habuero codices sæculares, si legero, te negaui. In hæc sacramenti verba dimissus, reuertor ad superos,& mirantibus cunctis,oculos aperui,tanto lachrymarũ imbre perfusos, vt etiam incredulis fidẽ facerẽ ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat aut vana somnia,quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud ante quod iacui. Testis triste iudiciũ, quod timui. Ita mihi nunquam contingat talem incidere quæstionem. Liuentes habuisse me plenas scapulas,plagas sensisse post somnum: & tanto dehinc studio diuina legisse, quanto mortalia ante perlegeram.*

B Idem igitur Hieronymus quod prætermiseramus,dum in Romana adhuc esset vrbe,os Damasi Papę,& sacrę bibliothecæ scrutator,diuinorum dissertor voluminum: dum per triennium continuum, charus, acceptusque populanbus veneraretur, omniumque iudicio pontificatu dignus decerneretur, ordinatusque à præfato Papa presbyter Cardinalis (vt superius scriptum est) fuisset, quidam ex Clericorum, monachorumque ordinibus, propetulantia,ingluuieque discursantes, ad effugandum de vrbe eundem Hieronymum, qui vtrorumque eorum scribens vitia, eos reprehenderat, insidias parauerunt. Verum enimuero hunc ego fœlicem dixerim:huius fugæ euentum, corrigentis Christi iudicio potius dispensatum, quam prauorum hominum persecutionibus paratum fore existimo, scilicet in Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omnium veteris testamenti librorum Christo

C Deo volente, & Hieronymo spirituali studio desudante, Hebraicam quoque haberet veritatem, & Græcorum quorundam leuitas, quæ sibi à Deo omnes scripturas diuinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere: quod ipsa non habet,recognoscat. Igitur Hieronymus (vt iam dictum est) Roma egressus,ad orientem tendens, profectus est ad Gregorium Nazianzenum Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, vbi ita proficere studuit, vt sanctarum scripturarum studiis erudiretur,& supplex,docilisque discipulus, adiit præceptorem, eumque in Constantinopolitana vrbe obseruabat. Hoc discipulatu Hieronymus peracto, in Syriam perrexit: & dum in possessione Euagrij presbyteri moraretur, Malachum monachum aliquando captiuum reperit, percunctatusque eũ, omnem eius captiuitatis didicit historiam, quam postea edidit, scriptáque Romanis fidelibus misit, hæc in istius historiæ inserens prologo. *Scribere* (inquit) *disposui: si tamẽ Deus vitam dederit: & si vituperatores mei saltem fugientẽ me, & clausum persequi desierint.* Ad deserta deinde loca, ad

D quæ olim ob agendam inibi pœnitentiam properare cupiebat, ita lętus accinctusque accessit, vt volasse cum magis quam measse crederes. Quomodo vero per quadriẽnium continue Christi potius auxilio pœnituerit, idem Hieronymus quæ spõte pertulerit, ipsius Dei gratiam affuisse, huiusmodi verbis indicauit. *Quoties eas in eremo constitutus in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstabat habitaculum, putaui me inquit, Romanis interesse delitijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situ Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda hum[illegible] [illegible] collidebam. De cibus vero & potu*

E *mandarum media subingebã. Non despudesco infelicitatis meæ, quin potius plango non esse quod fuerim. Memini me clamãtem diem crebro iunxisse cum nocte: nec prius à pectoris cessasse verberibus, quã domino increpante rediret tranquillitas. Ipsã quoque cellulam meã, quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi caucana vallium, aspera montium, vel rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, illud miserrimæ carnis ergastulum, & (vt mihi ipse testis est dominus) post multas lachrymas, post cœlo oculos inhærentes, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam. Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Quadriẽnio itaq; dedicatæ pœnitentiæ exacto, ad Bethlehem oppidũ idem Hieronymus remeauit, vbi quasi prudens animal ad præsepe domini sese contulit, quod ab Hierosolymis sex millibus separatur contra meridianam plagam: accedensque ad eiusdem vrbis pontificem Cyrillum nomine,petiit vt parochiæ, quæ Bethlehem fuerat sita, locum sibi habitandi tribueret. Cui nimirum mox quod deuotione poposcit, digne concessit. Digni etenim habitaculi Bethlehem adiuuantibus viris vicinis, Catholicis construxit monasterium. In quo statuta ab Apostolis regula degens,cœpit,quod olim multum cupierat, cum fratribus habitare, & cum Eusebio Cremonensi nobili viro, cuius postulatione ex Græco sermone quandam Epistolam transtulit in Latinum. In quo vere sciendum, hanc matutinam psalmodiæ, quæ nunc obseruatur in occiduis maxime regionibus, Canonicam functionem monasterio primitus institutam, vbi prædictus vir otiosus nõ fuisse credendus est, qui tantum nobis in translatione diuinæ scripturę præstitit, vt ad Hebræorum fontem pene non egeamus accedere: quoniam nos facundiæ suæ multa cognoscitur vbertate satiasse: plurimis libris copiosis Epistolis fecit esse beatos, quibus scribere domino præstante dignatus est. Inter cætera profecto studiorum suorum opuscula, à B. Petro sumens exordium, vsque ad se-

G metipsum de viris illustribus scripsit, imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium, vbi de se ita refert. *Post catalogum plurimorum, me quoque in calce voluminis quasi abortiuũ & minimum omnium Christianorum posui, quo mihi necesse fuit vsque ad quartumdecimum annũ Theodosij principis, quæ scripserim, breuiter annotare.* Innumeris præterea iste libris, Apostolorum, Prophetarumque constructionibus editis, immobilem Catholicæ turrim Ecclesiæ, contra perfidorum iacula consummauit. Omnes veteris testamenti libros, ex Hebræorum codicibus in Latinum conuertit. Danielem quoque prophetam Chaldaico stylo prolocutum, & Iob iustum Arabico, in Romanam linguam vtrumque auctorem perfecta interpretatione mutauit. Matthæũ nihilominus ex Hebræo fecit esse Romanum, Epistolam quidem suam ad Paulinum ex senatore presbyterum mirificam destinauit, docens quemadmodum scripturas diuinas adhibita cura perlegeret, vbi breuiter virtutem vniuscuiusque libri, veteris & noui testamenti mirabiliter indicauit, mirabiliter planus, honeste doctus,

H ac dulcis: parata copia sermonum ad quamcumque partem vertit ingenium, vt vndecumque interrogatus fuisset, paratum haberet & competens sine aliqua dilatione responsum. Modo humilibus suauiter blanditur, modo superborum colla confringit, modo derogatoribus suis vicem necessaria mordacitate restituens, modo virginitatem prędicans, modo matrimonia casta defendens, modo virtutum certamina gloriosa collaudãs, modo lapsus in clericis monachis prauitatis accusans. Sed tamen vbicumque locus se attulit, gentilium exempla dulcissima varietate permiscuit. Sed non erat hoc suæ voluntatis, sed (vt ita dicam) grauissimæ necessitatis, vt probaret ea

A quod os eius inoffensa velocitate fundebat. Vere dixerim Catholicam istius hominis prudentiam, sanamque doctrinam, quocunque conuersatus fuisset loco, stabilis perstitit fidei firmitate. Nam certissime ignorantiæ inuidiæque morbo languentes desipiunt, qui eum deuiasse à Catholicæ Ecclesiæ, id est, B. Petri fide, vel hæreticum fuisse arbitrantur: quod Eustochio mandauerit. *Caue quæso, ne quando & de te dicat Deus. Virgo Israel cecidit, non est qui suscitet eam.* Vbi ad terrendos lubricos atque incautos, quia Deus iustus sit iudex, subdens ista, dixerit doctor: *audenter loquor cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non valet reformare corruptam.* Hoc proculdubio ita dicendo: non omnipotentiam abstulit Deo, sed iustum iudicem manifestans asseruit. Nam (nisi fallor) qualia sanctus Hieronymus Eustochio mandauit, talia ad Domicillam neptem Imperatoris Domitiani admonitionis legimus verba. Sed & ipsa verba qua de causa sint illi prolata, audire gratum puto. Hæc omnino virgo Nereum & Achilleum B eunuchos cubicularios habuit, quos beatissimus Apostolus Petrus lucratus fuerat Christo. Isti dum viderent dominam suam gemmis ornari, & purpureis vestibus, atque auro textis indui, dixerunt ei. Quanto studio ornaris in corpore, vt filium consulis Aurelianum hominem mortalem accipias maritum, si tanto studio in animo ornareris, regem immortalem Dei filium adipisci poteras sponsum. Qui etiam teipsam æternam faceret, & nunquam tibi neque ornamentis tuis, neque gaudiis finem permitteret aut terminum euenire. Respondit eis Domicilla, & ait. Quæ potest esse melior charitas, quam habere virum, suscipere filios, per quos posteritas dulcissima possit propagari, & tam generis dignitas, quam memoria nominis non deleri? Cui Nereus respondit. Melior est virginitas, quę quando de matris tuæ vtero existi, tecum nata, tecum lactata, tecum semper fuit à carnis corruptione aliena, quæ est Deo amabilis, eiusque Angelis chara, quam profecto cum qualibet perdiderit virgo, huius reatum C per pœnitentiam euadere potest, ipsam vero integritatem adipisci nequaquam valet. Omnis namque sanctitas dum per aliquam voluptatem aut necessitatem violata aut amissa fuerit, vel quæque perdita virtus, ad statum suum vel integritatem, seu ad suam gloriam per pœnitentiæ lachrymas recuperari & reuocari potest. Sola virginitas si semel perierit, ad pristinæ integritatis stabilitatem pertingere minime valet. Cumque Nereus & Achilleus hæc, laudando virginitatem, & alia proferendo, dissererent plurima, quibus æternam mereretur actibus vitam, Domicilla prudentissima virgo dixit. Vtinam ad me olim ista Dei sententia peruenisset, & nunquam ego nomen sponsæ suscepissem, nec hominis mortalis sponsionem. Nunc vero quia vobis Deus aperuit os ad lucrandum animam meam, quicquid me facere vultis accelerato quantocius. Quid multa? A S. Clemente Papa consecrata, Aureliano sponso contempto ob hoc in Pontiana exiliata est insula. Inde Tarracinam adducta, nolensque idolis sacrificare, cum Euphrosina & Theodora sponsis Sulpitij & Serui- D liani, à Luxurio fratre Aureliani igne crematæ palmam suscepere martyrij, quas sanctus Cæsarius diaconus, qui etiam postea & ipse à prædicto Luxurio est martyrizatus, in sarcophago nouo simul condens sepeliuit. Hæc ideo, licet non foerat hic tantum necesse loqui, addidimus tamen: quia pene quod Nereus prudentissimæ virgini Domicillę dixerat, virginitatem perditam de reatu posse per pœnitentiam veniam consequi, nequaquam tamen valeret fieri virgo, sicut fuerat prius. Hoc S. Hieronymus Eustochio ad meliora studuit hortando mandare: cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Quid enim est hic aliud non posse, quam non velle? quod nonnullis aliis dici poterat verbis. Per quendam namque sapientem dicitur Deo. *Tu autem dominator virtutum, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis. Subest enim tibi cum volueris, posse:* ergo vbi non est velle Dei, deest posse. Deus quippe vt immutabilis est naturę, ita immutabilis est voluntatis. Et vtique cum sit verax & iustus, non illum mendacium, neque iniustitia decet: quia sicut non valet mentiri, qui est veritas: ita qui iustus est nō potest iniuste facere quicquā. Nam *omnia* (teste propheta) *quæcunque voluit dominus, fecit in cœlo & in terra*, omniaque eius iudicia iusta. Dum igitur niteremur ostendere quid volente Deo fieri possit: quid vero illo nolente, fieri non valeret: & vt veridico eximioq; doctori, cui quoad viueret, in omni scientia se cōparare nemo audebat, non vsurparet vaniloquus detrahere quispiam, cœpto ab ordine longius sumus digressi. Veruntamē qualis, quantusve vir iste fuerit solius S. Augustini testimonio qui velit plenius cognoscere, valet. Nam cum in libro primo quē contra errorem Iuliani Manichæi scripserat, qui nuptias sine dubitatione dicebat dānari: quod vero ex eis nasceretur, ab omni esset liberum obligatione peccati, plurimos cōtra huiusmodi pestiferum dogma, Catholicos introduxisset testes, ita intulit dicens. *Nec S. Hieronymū qui presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalē transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in literis sacris vsque ad decrepitā vixit ætatem: cuius nobis eloquium ab oriente in occidentem instar solis lampadis resplenduit. Omnes denique vel pene omnes qui ante illum aliquid ex vtraque orbis parte de doctrina Ecclesiastica scripserāt, legit: nec aliam de hac re quā prædixi, tenuit, prompsitque sententiam. Qui cum exponeret Ionam prophetam, apertissime dixit: quod etiam paruuli peccato offensionis Adæ tenerentur obnoxij.* Hæc Augustinus in prædicto libro. Idem itaque Hieronymus contra Celsum, Porphyrium, & Iulianum Augustum, rabidos aduersus Christum canes, & contra insectatores Ecclesiæ, vel eorum qui putant Ecclesiam nullos philosophos & eloquētes habuisse doctores, magno desudauit ingenio, vt sciant quales & quanti viri eam fundauerint, extruxerint, atque ornauerint: & desinant fidem nostram rusticæ simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam recognoscere. Innumeris præterea libris Apostolorum prophetarumque constructionibus, Et post pauca. *Nunc*, inquit, *mysterium iniquitatis operatur, & garrit vnusquisque quod sentit: ego solus sum qui cūctorū gloria mordear. Pluribus quippe*, ait, *qui me dicunt hoc opus insinuatum iniudia scrib. scribere, breuiter respondebo, nunquā me hæreticis pepercisse: sed omni egisse studio vt hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent.* Impossibile est omnino & longū de isto viro, eiusque districta vita, & illius moribus retexere omnia. Vnius enim miraculi huius monasterij quoddam priscorum simile, quod per succedentium relationem memorię nondum obliuio abstulit, & à religiosis viris, qui cœlestis patriæ amore Bethlehem fuere, huc est delatum, huic compendioso necto sermoni. Quadam namque die aduesperascente, cum B. Hieronymus vna cū fratribus (vt monachis mos est) ad sacram lectionem audiendā sedisset, & præcepta diuina declararet, subito tribus claudicans, quarto suspensus pede, ingens leo cœnobij claustra ingressus est. Quo vtiq; viso fratres perterriti, nonnulli in fugā sunt (vt est metus fragilitatis humanæ) cōuersi. Sanctus vero Hieronymus veluti aduētanti hospiti, intrepidus leonis aduentui obuiauit. Qui videlicet H dum sibi pariter propinquassent: & quia loqui leo, vt suæ naturæ est, minime poterat, vt cunque valuit, prędicto patri, læsi quē habebat pedis obtulit plantā: vocatis iūc fratribus pręcepit, vt diligenter lęsum abluerent pedem, inquirentes cur ita leo claudicans iret. Quod dū factū studiose fuissent intuiti, vulneratam à sentib. inuenerūt plātam leonis. Ei igitur cum alimento diligēter adhibita cura, de læsionis ictu, ilico conualuit. Omni ergo beluinæ feritatis deposita rabie, cœpit inter eos vltro citroq; quasi domesticum & tranquillum animal pariter commorari. Hoc etenim B. Hieronymus cognito, sic fratribus ait. Eia fratres, studiose adinuicem rogo perpendite, quid huic leoni operis congrui, nostræ vtilitatis addamus, quatenus ab eo leuiter perfici, & efficaciter fieri possit: quia certe credo quod nō tantum pro sui pedis salute huc illum misit Deus, qui ei mederi sine nobis potuerat, quantum vt nobis suæ visitationis demonstraret indicio, per hunc nostræ necessitati, mirabiliter se velle præbere iuuamen. Tunc prædicti fratres, tale concorditer humiliterque patri responsum dedere dicētes. Tu pater bene nosti, quod ali-

A asinus qui à saltu vsui nostro ligna deferre solitus est, custodis solicitudine indiget, & ne à qualibet improba bestia deuoretur, satis veremur. Idcirco ergò si tibi placet, & rectum videtur, huic leoni aselli nostri iniungatur solertia, vt eum subsequens ducat ad pastum reducatque remeans domum. Ita & factum est: nam iniuncta leoni cura asini more pastoris industrij eundo ad pastum socius incessanter iniens, rure pascendo vbicunque defensor tutissimus erat. Veruntamen vt se cibaret, & asinus solitum perficeret opus consuetis semper horis cum eo domum redibat. Interea dum hæc diuturno tempore gererentur, educto quadam die ad loca pascuæ asino, graui leo vltra modum somno oppressus, obdormiuit. Leone namque tunc grauiter soporato, contigit vt per eandem viam negotiatores gradientes, olei emendi causa pergerent in Ægyptum. Qui ipsum sæpè videntes asinum pascentem, dum neminem vidissent adesse custodem, iniqua surripiente cupiditate, rapientes secum duxerunt. Expergiscens itaque leo, quid sibi damni accidisset, nesciens: vt requireret tamen pascentem quem commissum habuit, ire cœpit. Qui cum solito non appareret in loco pascendi, contristatus de discrimine leo mœstitia anxius, rugiendo aliqua parte diei, huc illucque ibat quærens quem perdiderat. Sed
B cum iam omnis reperiendi asini spes fuisset ablata, ad monasterij ianuam veniens perstitit. Conscius enim culpæ, non ausus est ingredi quod prius cum asello solebat. Quem beatus Hieronymus vnà cum fratribus absque asino videns ad cellæ fores morari: & quia non solita hora fuerat reuersus, instigante famis necessitate compulsum, putauerunt eum occidisse animal suum, nolentesque ei tribuere annonam consuetam, dicebant. Vade & reliquum aselli quod tibi remansit, mande, tuamque ingluuiem reple. Et licet hæc illi dicerent, erant tamen incerti vtrum hoc mali, an non is perperrasset. Quapropter exeuntes fratres ad loci pascua, quo iam præfatum animal deducere leo solitus erat, longè lateque peragrantes, quærebant vt quoddam mortis indicium possent inuenire. Qui nullum interemptionis eius signum reperientes, redeuntes studuerunt hoc beato Hieronymo nuntiare. Quo audito, ait fratribus. Obsecro vos fratres, quanquam sustineatis asini damnum, hunc ta-
C men ne exasperetis, neque abiiciatis leonem: sed eum vt dudum gubernantes, præbentesque alimenta mittite, incidentesque in nemore ligna, vt ea vice asini nobis huc trahens deferre valeat, moderatè nectentes ligate. Ita & factum est. Cumque sibi opus tunc nexum crebrius gereret, & iam redeundi tempus negotiatorum adesset, expleto die quodam opere, quamuis animal brutum, diuinitus tamen vt puto admonitum, exiens iuit ad agrum, huc illucque discurrens gyrando, nosse plenius cupiens quid fuisset de socio suo factum. Qui fatigatus iam nimium, quandoque ad publici itineris locum deuenit sublimem, quo dum anxius vt poterat, circumspiciendo prospiceret, cernebat procul venientes contra se homines cum onustis camelis, quos præcedens asinus veniebat: sed quia valde procul erat, hunc cognoscere minimè potuit, tamen pedetentim se illis obuiam obtulit. Mos quippe illi dicitur esse regioni, vt quotiens cum camelis longius proficiscuntur, totiens antecedente asino funem camelorum gestante collo, subsequantur cameli. Nam dum prædicti itine-
D rantes, id est, negotiatores, appropinquassent leoni, ille cognito asino, sæuum rugens, cum ingenti strepitu irruit in eos, neminem nempe lædens eorum. Qui omnibus statim relictis, dementesque vt dignum fuerat ef-

tuum imperauit dicens. Hospitibus nostris, id est, came-
E lis & asino, auferentes sarcinas eos leuiate, pedesque abluite, cibos præbete, expectantes quid in hoc facto, suis voluerit Dominus seruis demonstrare. Omnibus denique quæ erga camelos fuerant iussa peractis, cœpit leo vt dudum huc atque illuc gratulabundus per claustra monasterij ire, singulorum se fratrum vestigijs sternens, & quasi de perpetrata, quam non fecerat culpa, alludens cauda veniam postulabat. Quo viso, fratres pœnitentiam agentes, quòd ei crudelitatis intulissent crimen, dicebant. Ecce pastorem nostrum, quem paulo ante vt voratorem crudeliter damnabamus, cum quanto eum præconij miraculo, vt huic crimen auferret, ad nos dignatus est mittere Dominus. Beatus ergo Hieronymus futurorum præscius, sic fratribus ait. Parati estote fratres in his quæ vsui refectionis sunt necessaria, vt hi qui nobis sunt futuri, absque molestia vt dignum est, hospites suscipiantur. Mox vtique imperata subsecuti, velociquæque obedientia sunt expleta. Peractis quoque iussis, sermocinantibusque cum Beato Hieronymo fratribus, subito venit nuntius, qui diceret ante monasterij fores
F hospites adesse, qui cœnobij patrem vellent videre. Hoc sæpè dictus pater audito, portas cellæ patefieri, eosque ad se ingredi iussit. Qui quamuis vocati erubescendo tamen introeuntes, visoque beato Hieronymo, eius se prostrauere vestigiis pro culpa veniam postulantes. Quos ipse clementer eleuans, admonuit, vt suis cum gratiarum actione vtentes rebus, alienas tangere non vsurparent, ac deinde sub Dei præsentia cautè viuerent semper. Qua nimirum prædicatione expleta, præcipit vt reficerentur, receptisque camelis abirent. Tunc illi vna voce pariter dixerunt. Obsecramus pater, vt ad Ecclesiæ luminaria, necessitatemque fratrum, dimidium liquoris olei quod attulerunt cameli, suscipi iubeas: quia scimus & certi sumus, quod plus propter vestram quàm pro nostra vtilitate, vt negotiaremur, perreximus in Ægyptum. Quibus beatus Hieronymus ait. Non rectè procul dubio postulatis: quia valde durum videtur, vt nos qui aliis compati, aliorumque necessitatem subleuare dando de-
G bemus, vos grauemus, vestra quibus non indigemus tollentes. Tunc illi, neque, inquiunt, hic cibum, neque quæ nostra sunt, accipiemus, nisi quod poposcimus, prius iusseris fieri. Itaque vt prædiximus, nunc dimidium quod attulerunt cameli olei liquorem suscipiatis, & deinceps pollicemur nos nostrosque hæredes, vobis vestrisque successoribus omni anno olei mensuram hanc esse daturos. Sicque constrictus beatus Hieronymus, coactusque eorum precibus violentis, quæ rogauerant, impleri præcepit. Sumpto quoque cibo, ac benedictione eum camelis accepta, exultantes gratulantesque ad propria remearunt. Hæc autem Bethlehem acta & ab incolis loci illius hactenus asserendo ita fuisse narrantur. Bethlehem verò locus splendidus ciuitas fuit Dauid in tribu Iuda, vbi quondam dominus & Saluator, vt impleretur prophetia. *Veritas de terra orta est*, in præsepio intra speluncam, ex virgine nasci dignatus est, & paruulus va-
H gijt. Quod præsepe auro argentoque ornatum (sicut sanctus refert Antonius) incessanter in eo luminaria ardent, plurimisque seruorum Dei habitaculis vndique circumdatur. Os enim speluncæ ad ingrediendum omnino angustum est. In cuius itaque ore, id est, in ipso præsepij ingressu, beatus Hieronymus saxum scalpendo, monumentum sibi fieri iussit. Tanta verò idem corporis lassitudine fatigatus est, vt etiam in stratu suo iacens, funiculo ad trabem suspenso, supinisque manibus apprehenso erigeretur, vt scilicet officium monasterij prout pote-

A ſcribentem, ſic inter cætera ſcripſit: Noſtra habuimus tempora, & cucurrimus quantum potuimus: nunc te currente & longa ſpatia tranſmittente, nobis debetur otium. Igitur idem beatiſſimus, diebus vitæ ſuæ in ſpirituali opere irreprehenſibiliter conſummatis, nonageſimo octauo ætatis ſuæ anno in domino requieuit. Bethlehem eum alma tenet, iterum venturo domino B offerendum. Dormiuit autem beatus Hieronymus anno imperij Theodoſij iunioris duodecimo: imperante vtique illo, cuius anni nec inchoantur, nec finientur, Qui viuit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

Tertiæ ſeriei huius tomi finis.

